Digitized by Google

37
9 D
2

— 908

Digitized by Google

37. 9. 9. 2

ANNALES MINORUM

AUCTORE

A. R. P. F. LUCA WADDINGO

HIBERNO

Ejuſdem Ordinis Chronologo.

Digitized by Google

Digitized by Google

ANNALES MINORUM

SEU

TRIUM ORDINUM A S. FRANCISCO INSTITUTORUM

AUCTORE

A. R. P. LUCA WADDINGO HIBERNO

S. T. Lectore Jubilato, & Ordinis Chronologo.

TOMUS SECUNDUS

Editio ſecunda, locupletior, & accuratior

OPERA, ET STUDIO

R.

R.MI P. JOSEPHI MARIÆ FONSECA AB EBORA

S. T. Lect. Jubilati, S. & U. Inquiſitionis Conſultoris, S. C. Conſiſtor. Votantis, Epiſcop. Examinatoris, Ord. Diſcreti, & in Rom. Curia Commiſs. Generalis.



Andrea Roſsi faciebat Rom. 1732.

ROMÆ Typis Rochi Bernabò MDCCXXXII.)(*Superiorum permiſſu.*

CUM PRIVILEGIO SUMMI PONTIFICIS.

Digitized by Google

ANNALES MINORUM

SEU

TRIUM ORDINUM

A S. FRANCISCO INSTITUTORUM

AUCTORE

A. R. P. LUCA WADDINGO HIBERNO

S. T. Lectore Jubilato, & Ordinis Chronologo

TOMUS SECUNDUS.

Editio ſecunda, locupletior, & accuratior.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

SANCTISSIMO

D. N. D.

CLEMENTI XII.

PONTIFICI OPTIMO MAXIMO

FR. JOSEPHUS MARIA FONSECA EBORENSIS
Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia

FELICITATEM



QUID *antea de Minorum familia, rebuſque ab ea geſtis exiſtimaveris,* BEATISSIME PATER, *quam ſemper fueris hodieque ſis ad ejus nomen amplificandum præclare animatus, & omnes jampridem norunt, & ego ſuperiore anno ſum exper-*

tus, cum Tu mihi eam mentem injeciſti, ut Annales Waddingi, quorum mira penuria laboraremus, ederem quam liceret emendatiſſime, & in hac Urbe, cum Religionis cuſtode ac præſide, tum Franciſcanæ ſodalitatis altrice ejuſdem Ordinis gloriam, quæ ab illuſtribus factis maxima exiſtit, in vulgus proferrem. Hujus vero tam egregiæ voluntatis multo magis argumenta conſtiterunt, cum primum volumen elegantibus Typis impreſſum magna cum animi voluptate ſuſcepiſti; meque ſimul hortatus es, uti reliquos Tomos, quanta poſſem diligentia fideque, abſolvendos curarem. Alterum jam volumen perfectum eſt; quod inſcriptum Nomini Tuo ipſe Ordo vulgavit, tum ut ne officio deeſſe, quin tantam potius in ſe pietatem omnì obſervantia ſtudioque colere videretur, tum ut opus ipſum in tutela non modo Pontificis Maximi, ac ſapientiſſimi, verum etiam Parentis optimi, & amantiſſimi conquieſceret. Jam vero huic noſtro muneri caſus inſuper

qui-

Digitized by Google

quidam mirificus intervenit ; quem ad id profuturum confido, ut in eo offerendo commodius, & ex animi ſententia perſungar. Siquidem in id tempus incurrit libri hujus editio, quo nuntii Romam allati ſunt, potentiſſimum Luſitaniæ Regem præſtanti Tua in ſe caritate, maximiſque beneficiis Tibi devinctum, grati animi ſignificationes luculenter dediſſe. Quo factum eſt, ut, cum repente diſcordiarum ſemina extincta ſint, tum concepti ex ea re gaudii vis non ſe Romæ, ac Luſitanici imperii terminis continuerit, ſed ad remotiſſimas gentes, atque in ipſis poſita Chriſtianæ ditionis finibus regna admirabili celeritate penetrarit. Hujus ego publici officii particeps pro virili parte eſſe decrevi: ut quemadmodum mihi homini Luſitano communis illa cum ceteris eſt felicitas, ita in referenda gratia ſtudium ſit alacritaſque plane communis. Ego enim pro inſigni mea in Sanctitatem Tuam, & Auguſtum Regem pietate, ut concordiæ negotium perfi-

cere-

ceretur, vehementer optavi; ego præ cæteris, qui eidem conſilio ſtuduerunt, multorum annorum operam diligenter inſumpſi; neque inſtare privatim deſtiti, quoad Rex ipſe, inſtaurata neceſſitudine, optimam Tibi voluntatem, ſtudioſumque Apoſtolicæ Sedis animum pate-faceret. Nunc itaque earum rerum, quas pro viribus poſſum, maxima ſecundum, ut dixi, Franciſcanæ Hiſtoriæ volumen in Tuo nomine apparet. Omnino neque amplitudine Tua ſumma, neque iis beneficiis, quæ in me præterea contuliſti, digna res videtur: verum ſi conſequar, ut in hoc opere perficiendo vigiliæ meæ Tibi probentur, his me laboribus non exiguam officii partem præſtitiſſe exiſtimabo. Equidem in perpoliendo Waddingo contentioni non parcam, neque committam, ut qui accepto primo volumine induſtriam meam aliquo laudis præmio ornare voluerunt, amori potius erga me ſuo indulſiſſe, quam id, quod exploratum haberent, vere teſtati eſſe videantur.

LE-

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO.

INTER eos, qui Fratrum Minorum facta litteris prodiderunt, nemo unus ab Ordine condito tam bene ſibi in poſteritatem conſuluit, quam P. Lucas Waddingus, qui multorum in ſcribendo labores incredibili induſtria ſuperavit, in excutienda vero antiquitate non vulgari ſolertiæ laude omnibus anteivit. Hujus Operis cum pauca extarent exemplaria, putavi me cum Franciſcanæ familiæ viris, tum vero omnibus eruditis gratificaturum, ſi recenti editione curanda rem litterariam iſtis Annalibus locupletarem.

Jam Volumina duo, favente Deo, Typis quam nitidiſſimis impreſſa ſunt. In qua re perficienda haud ſane parum laboris ac diligentiæ inſumendum fuit. Quippe Annales Waddingi, tum Romana editione prima, tum altera Lugdunenſi mirifice depravatos, mendiſque non ſolum plurimis, ſed etiam fœdis horridiſque ſcatentes, innumeris plane locis caſtigavimus. Neque vero mediocri ſtu-

dio

dio opus fuit ; quando integra ſæpe verba, & ali-
cubi etiam comprehenſiones, aut Pontificum Bullis,
aut ſacræ Scripturæ Patrumque teſtimoniis, quæ
Waddingus citat, & oſcitantes Typographi omiſe-
runt, addendæ erant. Dicam uno verbo, Augiæ
ſtabulum repurgandum, & ad nitorem munditiam-
que adducendum ſuſcepimus. Tu, optime Lector,
cum duo priora Volumina in manus ſumpſeris, ex
iiſque de toto Opere judicium feceris, laborum
meorum fructum me cepiſſe arbitrabere, quem mihi
unum propoſui, cum editionem aggrederer: hoc
eſt, Franciſcani Ordinis monumenta, vetere ſitu &
ſqualore deterſo, ſplendidiorem ad lucem revivi-
ſcere, & ad omnem poſteritatem, curante me, pro-
pagari aſſeverabis.

REIM-

REIMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſsimo Patri ſacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

N. Baccarius Epiſcopus Bojanenſis Vicesgerens.

REIMPRIMATUR.

Fr. Jo. Benedictus Zuanelli Ordinis Prædicatorum ſacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

Digitized by Google

Digitized by Google

ANNALES MINORUM.

Anno Christi 1221.	Honorii III. anno 6.	Friderici II. Imp. anno 11.	Religionis Minorum anno 14.

ARGUMENTUM.

Mortuo fratre Petro Cataneo, non abſque ſanctitatis indiciis, Franciſcus Eliam ſubſtituit in Comitiis generalibus. Mittuntur Fratres in Germaniam ſub Cæſario Spirenſi Miniſtro. Ex eiſdem Comitiis abiit S. Antonius in Æmiliam, ubi ſolitariam vitam peregit. Inſtituitur tertius Ordo pœnitentum, cujus habitu primus donatur a S. Franciſco Luchesſius. Mittitur Agnes, Claræ ſoror, Florentiam ad inſtruendas Moniales, & cælitus obtinetur magna illa indulgentia Portiunculæ per S. Franciſcum, cujus ſingulares referuntur virtutes. Deſcribitur item martyrium ſeptem martyrum Septæ paſſorum, necnon Bonaventuræ felix nativitas; & S. Eliſabethæ, jam nuptæ, virtutes. Moritur S. P. Dominicus, & extruuntur quædam Cœnobia.

I. VICINA Monaſteria viſitaturus Aſſiſio diſceſſit anno hoc ineunte Franciſcus. Petrus Cataneus ſuperiori anno a Franciſco in Comitiis Ordinis creatus Miniſter, ſeu, ut contendebant Fratres, Vicarius Generalis, quantumvis placidæ & mitis conditionis homo, non tamen omnibus gratus: quod familiare eſt in magnæ multitudinis regimine, ut quem merito multi probant, infirmæ & sauciæ mentis alii condemnent. Expertus eſt quoſdam duræ cervicis, alios non adeo arctioris diſciplinæ amicos, qui præcipientem, ut mores componerent, dictis laceſſebant, de quibus apud ſanctum Patrem, alibi agentem, conqueſtus per litteras, hoc reportavit reſponſum. *Chron. antiq. MS. Marian. c. 18.*

Reverendo in Christo Patri Fratri Petro generali Miniſtro, Frater Franciſcus ſalutem.

DOminus te cuſtodiat, & in ſancta ſua caritate te conſervet. Patientiam in omnibus operibus tuis, mi frater, tibi commendo in tantum, quod quicumque tibi impedimentum fecerit, ſive Fratres, ſive alii, etiam ſi te *Vide epiſt. 8. in Opuſc. S. Franciſci.*

Digitized by Google

Cómendat Franciſcus ſuo Vicario patientiam, & benignitatem erga ſubditos.

verberent, omnia debes habere pro gratia; & ita velis & non aliud. Et dilige eos, qui iſta faciunt tibi, & non velis aliud de eis, niſi quantum Dominus dederit tibi, & in hoc dilige eos, ut velis quod ſint meliores Chriſtiani. In hoc volo cognoſcere, ſi tu diligis Dominum, & me ſervum ſuum & tuum, ſi feceris iſtud, videlicet quod non ſit aliquis Frater in mundo qui peccaverit, quantumcumque potuerit peccare, quod poſtquam viderit oculos tuos, nunquam recedat ſine miſericordia tua. Et ſi non quæreret, tu quæras ab eo, ſi vult miſericordiam. Et ſi ille millies appareret poſtea coram oculis tuis, dilige eum pluſquam me, ad hoc ut trahas eum ad bonum, & ſemper miſerearis talibus. Et iſtud denuncies Guardianis quando poteris, quod per te ſic firmus es facere, & omnes Fratres, qui ſcirent eum peccaſſe, non faciant verecundiam ei nec detractionem, ſed magis miſericordiam habeant circa ipſum, & teneant privatum peccatum Fratris ſui; quia non eſt opus ſanis medicus, ſed male habentibus. *Si quis fratrum, inſtigante inimico, mortaliter peccaverit, per obedientiam teneatur recurrere ad Guardianum ſuum, & Guardianus ſimiliter per obedientiam teneatur eum mittere Cuſtodi; Ipſe vero Cuſtos miſericorditer provideat ei, ſicut ipſe vellet provideri ſibi in conſimili caſu. Et iſti penitus non habeant poteſtatem injungendi aliam pœnitentiam, niſi illam: Vade, & noli amplius peccare. Iſta fac, & vale.*

Matth. 9. 12.

Marian. cit. legen. antiq.

Moritur Petrus Cataneus.

II. Hanc ad unguem boni ſui præceptoris inſtitutionem obſervavit Vicarius, ſed brevi tempore, nam VI. Idus Martii hujus anni, ut in marmorea tabula ſepulcri legitur in æde ſanctæ Mariæ Angelorum, diem clauſit extremum. Meminerim me in adnotationibus ad ſuperiorem epiſtolam num. I. Rodulphum ſequutum, biennium aſſignaſſe hujus ſancti Viri regimini, ſed ex Chronicis MSS. vetuſtiſque rerum noſtrarum Scriptoribus errorem deprehendi, niſi biennium dicat Rodulphus duorum annorum partes. Quanti autem fuerit meriti apud Deum oſtenſum eſt crebris miraculis, quæ ad ejus tumulum fiebant. Catervatim, ut in rebus miris fit, concurrebant populi, dona ferentes, gratias reportaturi. Oblationes pingues paupertatem, ultra juſtum, relevabant; & nimius populi acceſsus tranquillos animos turbabat. Regreſſus ad malum nuncium de Petri morte Franciſcus, diſſolutam Fratrum recollectionem, turbatum ſilentium, infirmatamque paupertatem comperiens, ſancto zelo, ſed magno, ultra humanum, in cœleſtes imperio, ſtetit ſupra defuncti ſepulcrum, ita præcipiens: Frater Petre, dum vixiſti ſemper & prompte mihi obedieras, neque tardiorem a te modo exigo obedientiam. Nimis moleſtamur a tui ſepulcri veneratoribus, paupertatem enervant, ſilentium violant, diſciplinam relaxant: Præcipio itaque tibi per obedientiam, ut deinceps ceſſes a miraculis patrandis. Mirum ſane, obediente Deo voci hominis, ad ſancti Viri ſepulcrum nullum in poſterum apparuit miraculum; imo, ut habent Chronica MS. Jornandis in Vaticano numero MDCCCCLX. quando ſanctus Franciſcus juſſit aliquanto poſt tempore, ut transferretur corpus ejus, inventus eſt genuflexus, & caput, vultumque demiſſum habens in terram, ad modum humiliter obſequentis; quaſi tanta fuerit vis obedientiæ, ut etiam jam mortuus, nonniſi flexis genibus & demiſſo capite eam auderet excipere.

Miraculis claret.

Res mira.

Jornand. c. 129. part. 32.

III. De ſucceſſore deligendo non ſtatim deliberavit Franciſcus, ſed rem diſtulit in proxime futurum Capitulum ad feſtum Pentecoſtes, quod in XXX. Maii incidit, celebrandum. Tunc circa fienda ſecretum iniit cum

Deo

Deo conſilium, a quo reſponſum accepit, ut ipſe retulit ſociis, Eliam reaſſumendum in Vicarium. Occulta Dei judicia, & inſcrutabiles viæ ejus, ut vellet teneræ & ſuccreſcenti Religioni dari ſecundo in Prælatum, quem diſſoluta diſciplina jam primo exuerat regimine, & indignum poſtea redderet ipſa Societate. Sed quis poterit ei *reſpondere unum pro mille*, *vel quis dicere poteſt*; *cur ita facis?* Dominus eſt, & ipſe melius novit quid potius nobis expediat. Hoc jam renunciato Superiore, & expleta ſynodo, cum Fratres eſſent dimittendi, cogitavit Franciſcus de mittendis iterum ad Saxoniæ & reliquas Germaniæ ſuperioris regiones, quas nondum penetrarant. Sed quia tunc imbecillitate corporis laborabat (ut narrat Balduinus de Brunſuvicke illius Nationis vir, a quo ſequentem, non tam deſumpſi, quam exſcripſi narrationem, & qui hoc anno, non MCCXVIII. ut voluit Gonzaga, ſecundam hanc factam narrat miſſionem) quidquid ex parte ſui Capitulo erat proponendum, id omne fratri Eliæ nomine ſuo commiſit. Ad ejus itaque pedes ſedens B. Franciſcus, vellicata tunica ipſum admonuit, qui ſe inclinans, mentem ejus accepit, erectuſque publice ſic profatur: Fratres (ita ait frater ſignificans B. Franciſcum, qui per antonomaſiam Frater a Fratribus dicebatur) eſt quædam regio Teutonia, in qua ſunt homines Chriſtiani, & devoti, qui, ut ſcitis, ſæpe terram noſtram cum longis baculis & largis ocreis ſub rapidiſſimo Sole ſudoribus æſtuantes, pertranſeunt, ac limina ſanctorum viſitant, laudes Deo, & ſanctis ejus decantando. Et quia ad eos aliquando miſi Fratres male tractati redierunt, nullus ad ipſos ire compellitur Frater, niſi qui gloria divina & animarum zelo inflammati inſpiratione cœleſti ire velint, quibus eamdem obedientiam, imo auguſtiorem ſe daturum pollicetur, quam daret euntibus ultra mare. Si qui igitur eſſent, periculum hoc non detrahentes, ſurgant & ſe in partem trahant. Et ecce circiter nonaginta Fratres, miro martyrii deſiderio ardentes, ſurrexerunt, qui ſe morti ultro offerentes, ſeorſum decedere & determinationem expectare juſſi ſunt, qui, quanti, quomodo, & quando ire debeant.

Creatur iterum Vicarius generalis frater Elias.

Job. 9. v. 3. & 12.

Balduin. in Chron. German. Franc. MS.

Gonzag. in Provin. Saxon. ſanctæ Crucis.

Mittuntur Fratres in Germaniam.

IV. Interim deſignatur Miniſter Germaniæ frater Cæſarius, qui & ipſe Germanus ex oppido Spira oriundus fuit, & non ita pridem, fratris Eliæ concionibus converſus, Ordinem intraverat; ipſemet non poſtremi nominis, jam ante in ſæculo concionator, mirificuſque Evangelicæ vitæ æmulator exiſtens. Hujus arbitrio relinquebatur liberum, ut ex nonaginta iſtis Fratribus eligeret, quos vellet. Cumque forte fortuna in Fratrem quemdam, nomine Jordanum, incidiſſet, Germanorum feroces mores mirum in modum formidantem; quorumdam inſtinctu edoctus: & tu, inquit, nobiſcum ibis? ille contra non ſum ex veſtris, neque animo vobiſcum eundi ſurrexi; ſed ut abituros in Teutoniam, & martyrizandos noſſem, & amplecterer. Hic Jordanus conſueverat in orationibus Domino ſupplicare, ut nunquam, ab Hæreticis Lombardiæ ſeductus, aut ferocitate Germanorum perterritus, fidei naufragium pateretur; idcirco ab utriſque dignaretur eum Dominus miſericorditer liberare. Quare eum non poſſet adduci, ut fratri Cæſario acquieſceret, fratri Eliæ beati Franciſci Vicario ſiſtitur, qui talibus eum affatur: Præcipio tibi, Frater, per ſanctam obedientiam, ut deliberes finaliter, an ire velis, nec ne. Tum ille obedientiæ vinculo conſtrictus, animum huc illucque dividens, conſcientiæ rationem habere cœpit, ut ſtatim electionem iniret, ſed ne propriæ voluntatis ſuggeſtione convinceretur, timebat. Teutones adiret, niſi

Creatur Miniſter frater Cæſarius.

Frater Jordanus de Yanes cum ceteris abiit in Germaniam.

niſi tantæ eſſent crudelitatis; ſed patientiæ virtutis meritum & coronam, ne amitteret, metuebat. Et ita inter utrumque perplexus, nec conſilii quidquam in ſeipſo inveniens, conſuluit Fratrem quemdam tribulationibus & perſecutionibus optime probatum, illum nempe qui quindecies in Hungaria braccis exutus fuerat. At ille vade, inquit, ad fratrem Eliam, & dic: frater, nec ire volo, nec remanere; ſed quidquid mihi præceperis hoc faciam, & videbis te quam primum ex hac perplexitate liberatum; quod & fecit. Quo audito frater Elias præcepit ipſi in virtute ſanctæ obedientiæ, ut cum fratre Cæſario in Germaniam properaret. Iſte frater Jordanus, Diaconus fuit de Yane vallis Spoletanæ, qui in Capitulo Provinciali Halberſtadii, quod Saxoniæ oppidum eſt, tempore ſancti Bonaventuræ anno Domini MCCLXII. Dominica Jubilate celebrato, talia de ſeipſo commemoraſſe ex veterum monumentis vere accepimus. Qui quidem Jordanus fratri Cæſario fideliſſimus Achates, maximuſque Ordinis per Teutoniam propagandi extitit coadjutor.

Vide ann. 1219. n. 42.

Quos ſibi adhibet ſocios Miniſter Germaniæ.

V. Frater ergo Cæſarius Spirenſis Germanus, primus jam Germaniæ Miniſter per B. Franciſcum conſtitutus, obedientiam ſibi injunctam utiliter adimplere haudquaquam ceſſavit. Conquiſivit igitur ſocios fratrem Joannem de plano Carpinis, Latini & Lombardici: fratrem Barnabam Germanum, ſui, nec non & Lombardici idiomatis prædicatores inſignes: fratrem Thomam de Zelchio vel Celano, qui antiquam legendam ſancti Franciſci poſtea conſcripſit: fratrem Joſephum de Terviſio, fratrem Abrahamum Hungarum, fratrem Sononem Tuſcum filium Comitiſſæ de Celazone, miraculis Spoleti clarum: fratrem Conradum Teutonicum clericum: fratrem Petrum ſacerdotem de Camerino, Jacobum & Gualterum ſacerdotes, & Palmerium, cum fratre Jordano Diaconos; & fratres aliquot Laicos, videlicet fratrem Benedictum de Solato Teutonicum, fratrem Henricum, fratrem Silverium, fratrem Conſtantium & alios, quorum nomina in memoria ſunt apud Dominum: fuerunt tamen eorum in univerſum XII. Clerici & XV. Laici.

VI. Hos itaque frater Cæſarius ſibi aſſumptos, quia ipſemet, utpote homo devotus, beatum Franciſcum, & alios ſanctos Fratres invitus deſeruit, de licentia beati Franciſci eos per Lombardiæ domos diſtribuit, expectaturos ibi ſuum verbum. Ipſe vero in valle Spoletana moram traxit per tres fere menſes, & cum iter Teutonicum arripere diſponeret, vocatis fratribus Joanne de plano Carpinis, qui poſtea Miniſter Teutoniæ, & ſub Innocentio IV. Nuncius Apoſtolicus ad Tartaros fuit; Barnaba item & quibuſdam aliis, miſit eos ante faciem ſuam ad præparandum locum Tridenti; ceteris, aut ternis, aut quaternis ſubſequentibus. Quibus, ita ſucceſſive ante feſtum ſancti Michaëlis Archangeli convenientibus, ab Epiſcopo Tridentino per dies quindecim perbenigne fuit proſpectum. In feſto autem ſancti Michaëlis frater Cæſarius ſermonem habuit ad Clerum, & frater Barnabas ad populum. Ad quorum prædicationem civis quidam Tridentinus vir dives, Lombardicæ & Teutonicæ linguæ non imperitus, cui nomen erat Peregrinus, compunctus, Fratres omnes novo habitu induit, paulo poſt omnibus ſuis rebus venditis, & pauperibus diſtributis, Ordinem eſt ingreſſus.

Perveniunt Tridentum, & prædicant non ſine fructu.

VII. Frater autem Cæſarius, facta Tridenti admonitione Fratribus de humilitate & patientia cuſtodienda, reliquit ibi pro populi ædificatione Fratres aliquot, ex aliis binos ternoſque confœderans, unum ſpiritualibus, alium temporalibus præficiens, & ante ſe præmiſit in Bozanum.

Ibi-

Digitized by Google

Ibidem quoque Dominus EpiſcopusTridentinus Fratres ſubinde venientes per dies aliquot ſuſtentavit, & dedit eis licentiam in ſua Diœceſi prædicandi. De Bozano tandem progreſsi veniunt Brixinam a loci Epiſcopo humaniſsime excepti. De Brixina vero montana petentes, adierunt Storzingam oppidum, a prandii quaſi tempore. Ibi cum homines panem præ manibus non haberent, & Fratres mendicare neſcirent, ſperabant ſe veſperi ad aliquem locum venturos, ubi pietate hominum facile reficerentur. Pergunt itaque & Mittawalden pertingunt, ubi cum magna penuria duabus buccellis panis & ſeptem rapis miſere famis ſævitiam, cum gaudio cordis, ita temperabant, ut magis provocarent. Peregerant eo die ſeptem milliaria Germanica, cumque de prætereuntis rivuli aquis hauſiſſent, quieti ſe dederunt.

Itineris ſentiunt incommoda.

VIII. Mane facto, famelici, & ventre latrante ſurgentes cœpto inſtiterunt itineri, vixque ad medium milliare progreſſi, cœperunt vires deſluere, crura tabeſcere, genua infirmari a jejunio; & urgente famis improbitate ad corna, arbuta, pruna ſilveſtria & hujuſmodi decerpenda, atque deguſtanda deflexerunt: neque id ſine ſcrupulo; nam, cum ſexta eſſet feria, ſolvere metuebant jejunium: non abiicienda tamen videbantur pomella quædam agreſtia, quæ ſecum ferebant, ut ſi extrema immineret neceſſitas, haberent quo utcumque refocillarentur. Et ſic nunc pauſando, nunc lente procedendo difficillime Macharei oppidum attingunt: & ecce Deus, cui derelictus eſt pauper, pauperum ſuorum curam gerens mirabiliter providit, ut vix portas ingreſſi obviam haberent duos viros hoſpites, qui commiſeratione tacti duobus denariis panes illis emerunt: ſed quid hoc inter tantos? Verum quia tempus raparum erat, rapis mendicatis, panis defectum ſuppleverunt. Facto ergo prandio, magis referti, quam refecti proceſſerunt, & ita per Villas, Caſtella, Monaſteria tranſeundo Auguſtam pervenerunt, ubi a Domino Sibothone (neſcio an potius Sigefrido, cum Sibothonem electum dicat catalogus Epiſcoporum Auguſtanorum apud Gaſparem Bruſchium anno MCCXXVII. niſi fortaſſis ſit potius error in catalogo) Epiſcopo Auguſtano, & ejuſdem Clero amiciſſime ſunt excepti. Quin ipſe Dominus Epiſcopus tanto in Fratres ferebatur amore, ut in ſingulorum oscula ruens venientes reciperet, abeunteſque dimitteret. Haud minus Vicedominus quoque, Epiſcopi nepos, Fratres amplexabatur, qui propria ſua curia excedens, Fratribus locum dedit. Dici præterea non poteſt quanta a toto populo ſint reverentia & devotione ſalutati.

Perveniunt Auguſtam.

IX. Eodem itaque anno circa feſtum beati Galli frater Cæſarius, primus Teutoniæ Miniſter, Auguſtæ cum Fratribus ferme XXXI. primum celebrat Capitulum, & inde per diverſas Germaniæ oras Fratres diſtribuit. Præmiſit autem fratrem Joannem de Plano Cardinis, & fratrem Barnabam concionatores Herbipolim, qui inde Moguntiam, Wormatiam, Spiram, & Coloniam petierunt, ubi ſermonibus ad populum habitis, multos ad pœnitentiam converterunt, & Fratribus ſubſequentibus commoda domicilia præpararunt. Ablegavit tunc etiam frater Cæſarius Miniſter fratrem Jordanum, cum duobus ſociis Abrahamo & Conſtantino fratribus, Saliſpurgum, qui Archiepiſcopo loci acceptiſſimi venerunt. Item tres alios cum fratre Joſepho miſit Ratiſponam, ubi manſerunt uſque ad annum MCCXXIX. & exinde cœperunt extruere in eadem urbe inſigne Monaſterium, ut ſuo loco dicetur. Frater interim Cæſarius, præcedentium veſtigia paulatim ſubſecutus, verbo & opere eos in bono confortare & con-

Celebrantur Auguſtæ Comitia. Præcipuas penetrat Germaniæ civitates.

& conſolari non deſtitit. Qui eodem adhuc anno Herbipolim deveniens, recepit ibidem juvenem quemdam egregium, litteris optime inſtructum, Hartmodum nomine, in ipſo ſancti Andreæ Apoſtoli feſto, cujus & nomine inſignitus, Hartmodi appellatione Fratribus Italicis incognita, Andreas deinceps vocitabatur. Qui non multo poſt ad ſacerdotium evectus in facundum evaſit prædicatorem, Cuſtoſque Saxoniæ eſt conſtitutus. Recepit ibidem alium quempiam Rodingerum, qui poſtea Guardianus Halberſtadenſis, denique magiſter ſpiritualis diſciplinæ S. Eliſabethæ effectus eſt; cui deinde ſucceſſit magiſter Conradus Marpurgenſis fideliſſimus Sanctæ iſtius moderator: ſimiliter ibidem quemdam Fratrem laicum habitu donavit nomine Rodulphum. Hæc de Fratribus & miſſione Germanicis ſub hoc anno, cetera ſuis annis proſequemur.

Surius c.5. Marian. c.19. S. Antonius interfuit Comitiis Aſiſii.

X. Supradictis hujus anni Comitiis interfuit beatus Antonius Patavinus, licet debilis & affecta valetudine, comite fratre Philippino Caſtellano laico adoleſcente, qui cum Fratribus Siculis Meſſana ad Menſis Martii finem ſolverunt. Conventu autem ſoluto, cum frater Elias Fratres omnes ad ſua loca remitteret, ſolus Antonius a nemine expetebatur, quippe qui, ut ignotus, parum utilis, aut idoneus exiſtimabatur. Accedens itaque ad fratrem Gratianum, quem anno ſuperiori diximus in miniſterio Bononienſi ſeu Romandiolæ ſuffectum Fratri Petro Joanni de Stiachia, eum ſecreto rogavit ut in Æmiliam duceret, diſciplinis regularibus erudiendum. Nullam vero litteraturæ mentionem faciens, nihil eccleſiaſticam exercitationem jactitans, ſed intellectum & ſcientiam omnem captivans in obſequium Chriſti, illum ſolum crucifixum ſe ſitire, ſe noſse, ſe complecti velle proclambat. Frater autem Gratianus miram ejus devotionem exoſculans, votis ejus aſſenſit, ſecumque in Æmiliam adduxit, miſſo fratre Philippino ejus ſocio, decimum octavum annum agente, ad Civitatem Caſtelli, olim Tibertina, ſeu Tifertina dictam, ubi uſque ad capitulum, proxime poſt mortem ſancti Franciſci celebratum, in ſancta converſatione permanſit; deinde Columbarium, Tuſciæ locum, tranſmiſſus, ibidem beato fine quievit, quamvis ejus corpus clanculum poſtea ad Montem Alcinum fuerit translatum.

Anno 1220. n.25.

Frater Philippinus ſocius S. Antonii.

Gonzag. in Prov. Tuſc. Con. 3.

Anton. in Æmilia agit vitã ſolitariam & aſperam.

XI. Antonius, impetrata venia, ad eremum Montis Pauli, non longe ab oppido ſancti Stephani, ſeceſſit, quietem animi & conſcientiæ captare volens. Cum autem in ea eremo aliquandiu moraretur, Frater quidam cellulam precationi aptam in quadam crypta ſibi condidit, ut illic liberius Deo vacaret. Eam ut vidit Vir beatus, a Fratre illo ſibi ejus copiam fieri precibus contendit. Non negavit ille; quare vir Dei, perſoluto quotidie nocturnarum precum officio, ad eam cellam ſecedebat, ſumptaque ſecum exigua panis particula, & in vaſe aqua, cogebat carnem parere ſpiritui, ſolitariamque illic, quantum licuit, vitam ſanctis cogitationibus & meditationibus ſpiritum adverſus tentationes communiebat, & divino amore ſe confirmabat. Perſtabat ille ſolus nocturnis horis in precibus, totumque ſe divinæ moderationi permittens & commendans, in cœleſtibus ſpei ſuæ anchoram ſolidiſſime defigebat. Nec deerant illi crebræ infeſtationes Dœmonum, volentium eum a ſanctæ orationis ſtudio perturbare. Tanta autem ſe inedia macervit, ut quemadmodum teſtantur ii qui id viderunt, hora refectionis ad Fatres rediturus, nutante præ nimia imbecillitate greſſu, ſeipſum interdum ſuſtentare non poſſet. Sic igitur vir ille plenus ſapientia, non brevi tempore ſimplex vixit apud ſimplices, & omnem arrogantiam humili corde devitans, ſub indocti perſona gratiæ lumen abſcondit.

XII. Diſ-

XII. Diſſolutis comitiis Franciſcus per oppida vicina ferventer pœnitentiam omnibus prædicabat, ſed incolis Canariæ oppidi (ab Aſiſio ad quartum lapidem diſtantis, infra quod Aſius flumen in Tinnam, Silio Tiniam, amnem deſcendit) altius Dei verbum inſedit, qui, relictis omnibus, turmatim Dei virum ſequebantur. In magno numero ex vicinis Caſtellis & Pagis his acceſſerunt, petieruntque a tanto magiſtro, ut qui tam efficaciter virtutes & æternam felicitatem commendabat, vitia gehennaleſque cruciatus fugienda docebat, oſtenderet & modum, quo illa facilius adipiſci, & hæc ſecurius potuiſſent vitare. Plurimi homines, uxoribus ſalutatis, regularibus Inſtitutis, fœminæ ſacris Clauſtris ſe addicere ſtatuebant. Noluit depopulari regionem, neque arcto matrimonii vinculo conjunctos optato conſortio privari, ſuaſitque omnibus ut ſub propriis tectis Deo chriſtiane & placide deſervirent, pollicitus ſe modum præſcripturum, quo facilius in virtute proficerent, & abſque regularium rigore regularibus aſſimilarentur. Idipſum, ut efferventes animos parumper ſedaret, ſuadere neceſſe fuit in plurimis Tuſciæ urbibus, præcipue in Florentina, in qua inchoatum a civibus ſacrarum virginum Monaſterium invenit, & plurimos ſub una congregatione ipſe reduxit. Hi teſte ipſius urbis vetuſto incola Mariano, non aliter quam primi illi diſciplinæ Chriſtianæ magiſtri, de quibus Tertullianus, *& fidei unitate & ſpei fœdere coibant in cœtum, ut ad Deum quaſi manu facta precationibus ambirent orantes. In congregatione præſidebant probati quique ſeniores honorem iſtum non pretio, ſed teſtimonio adepti, neque enim pretio ulla res Dei conſtat, qui mores omnium formabant. Penes hos adhibitis ſuæ fidei teſtibus arca erat communis, in quam modicam unuſquiſque ſtipem menſtrua die, vel cum vellet, & ſi modo vellet, & ſi modo poſſet, apponebat. Pietatis exercendæ hæc erant depoſita; nam inde non epulis, nec potaculis, nec ingratis voratrinis diſpenſabatur, ſed egenis humandis alendiſue, & pueris ac puellis, re ac parentibus deſtitutis, jamque domeſticis ſenibus, item naufragis, & ſi qui in inſulis, vel in cuſtodiis, dumtaxat ex cauſa fidei, alumni confeſſionis catholicæ fiebant.* Ex collectis pietatis ſtipendiis Xenodochium ad urbis muros conſtruxerunt infirmis curandis, & ſenibus fovendis. Admiſſæ ad caritatis obſequia fœminæ, ne fierent pietatis extorres, quarum ſeparata congregatio etiam ſuam habet primiceriam. Hæ quæ mulierum ſunt pietatis exercent officia, quæ viriliora & apertiora homines adimplent.

Silius lib. 8.

Anton. c. 7. §. 3. Rodulph. fol. 145. Marc. lib. 9. c. 1.

Inſtitutio tertii Ordinis.

Marian. c. 20. Tert. Apol. adverſ. gen. c. 38.

XIII. Adhuc extat Xenodochium in platea ſanctæ Mariæ Novellæ ſub ſancti Pauli invocatione. Tranſlata vero & aucta congregatio ſub ſancto Antonino Urbis præſule in civitatis penetralia, juxta Eccleſiam ſancti Martini, ut commodius & facilius fieret egenorum obſequium. A pietatis munere & vicina æde dicti ſunt boni Viri ſancti Martini, nec tamen Fratrum Pœnitentum Ordinis ſancti Franciſci nomen aliquando neglectum. Inſtituta hac congregatione Vir ſanctus venit in Villam Gagiani, non longe ab oppido Podii Bonantis, aliis Bonitii, olim Imperialis dicti, prope ædem ſancti Petri ad Elſam fluvium, ubi occurrit ei Lucheſius, humilis olim & avarus mercator, Guelphæ factionis intrepidus ſectator. A quibuſdam jam menſibus vitam mutaverat in meliorem, & ad pie chriſtianeque vivendum induxerat Bonam Donnam ſuam conſortem. Erga pauperes liberalis, erga miſeros compaſſivus in Xenodochiis infirmorum curam agebat, peregrinos hoſpitio excipiebat, pupillorum, & rebus deſtitutorum neceſſitatibus ſuccurrebat. His virtutum exercitiis, jam ali-

Beatus Lucheſius.

Digitized by Google

aliquantum in rebus celeſtibus inſtructus, a Franciſco petierat amplius edoceri, ſibi ſuæque conſorti oſtendi viam bonam per quam ambularent ſecure. Paulo ante ſe cogitaſſe commonuit Vir ſanctus de tertio illo ordine inſtituendo, in quo conjugati Deo perfecte poſſent inſervire, neque quidquam ſibi tunc viſum conſultius, quam ut illum aſſumerent. Serio de hac re colloquentibus, normam vivendi & genus indumenti petentibus præſcripſit veſtem cineream, modeſtam, & cingulum nodoſum, formulaſque quaſdam verbo tenus tradidit, donec Regulam quantocius compilaret. Primos hos veſte hac peregrina donavit, a quibus ad Florentinos, & ceteros forma tranſivit. Mirum quam ingens brevi tempore Lucheſii in virtute profectus; tardior ad celeſtia, & altius terrenis infixa Bona Donna, pro fœminarum conditione avarior, humane & timide prospiciens egeſtati futuræ. Velut altera Anna Tobiæ marito moleſta, impediebat aliquando caritatis officia, nec peregrinis adeo liberaliter rem familiarem volebat impendi.

Primus a S. Franciſco habitu Tertiarii donatus.

Tob. 2. 23.

Uxor ei moleſta.

XIV. Accidit tamen ut pauperes multi & peregrini ad oſtium eleemoſynam pro more expectarent, quibus cum ille panem omnem, quem domi habebat, diſtribueret, ſupervenerunt alii, pro quibus dum apud uxorem intercederet, ut quidpiam eis erogaretur, indignata prorupit in Viri contumelias, dicens: O nimium oblite tuorum, alienigenarum dumtaxat tibi cura? res tuæ non ſunt tibi cordi, nec recordaris te panem omnem in exteros diſtribuiſſe, neque ſupereſſe, quo ipſe veſcaris? Sane videtur nimiis vigiliis, & indiſcreta abſtinentia cerebrum tibi exſiccatum; abi, & quære alibi, quod his tuis importunis eroges mendicis. Patienter tulit ille uxoris injurias, humiliterque rogavit, ut convicia mitteret, fidenterque panis reconditorium luſtraret, recordata illius potentiæ, qui ex paucis panibus & piſciculis multa hominum millia ſatiavit. Ita fecit, recenteſque multos invenit panes, quibus abunde pauperum relevavit eſuriem. Nullus deinceps Bona Donna ſollicitior in pauperibus alendis, & miſeris refovendis; nec amplius in virtutis ſtadio currenti opus fuit adhibere calcaria, quæ ſponte & ultra ad virtutem omnem ſolerter tendebat. Certabant invicem conſortes de virtute acquirenda, donec felici exitu ſimul eodem die curſum conſummaverunt, ut ad annum MCCXLI. prænarratis eorum piis factis amplius dicemus.

Lucæ 9. 16. 17.

XV. Præter hos pios conjuges admiſit ad novum Sodalitium Vir ſanctus Petrum de Colle, Brunam quemdam, ac Martolenſem alium, alioſque quamplures vicinorum oppidorum & vallis Elſæ incolas, viros pios; ad quorum preces & inſtantiam, hoc anno vel ſequenti, quam ſubjicimus, eis præſcripſit Regulam, licet aliquantulum auctam & mutatam per Nicolaum IV. Summum Pontificem ejuſdem confirmatorem, ut in adnotationibus ad eamdem commonuimus, ubi & de Pœnitentum habitus qualitate & forma, aliiſque ad Inſtitutum hoc attinentibus, ſatis nos dixiſſe putamus.

Vide reg. 4. to. 1. Opuſc. S. Fran.

RE-

REGULA TERTIARIORUM, SIVE FRATRUM DE POENITENTIA.

In nomine Domini. Amen.

CAPUT I.

De modo examinandi volentes intrare Ordinem.

XVI. S*I qui voluerint hanc vitam obſervare, & illos ad eam obſervandam aſſumi contigerit, ante aſſumptionem ſeu receptionem ipſorum de fide Catholica, & obedientia erga præfatam Eccleſiam diligenti examinationi ſubdantur. Et ſi eas profeſſi firmiter fuerint, vereque crediderint, admitti ſeu recipi tute poterunt ad eamdem. Præcavendum eſt tamen ſollicite, ne quis Hæreticus, vel ſuſpectus de Hæreſi, aut etiam infamatus, ad vitæ obſervationem iſtius quomodolibet admittatur. Et ſi talem inveniri contigerit extitiſſe receptum, aſſignetur ille quantocius Inquiſitoribus pravitatis Hæreticæ puniendus.* Examinandi qui veniunt ad hunc Ordinem.

CAPUT II.

De forma recipiendi volentes intrare Ordinem.

C*Um autem fraternitatem hujuſmodi quis intrare voluerit, Miniſtri ad receptionem talium deputati, ejus officium, ſtatum, & conditionem ſolerter explorent, ſibi fraternitatis ejuſdem onera, præcipue alienorum reſtitutionem, apertius exponentes. Quibus præmiſſis, ſi eidem placuerit, juxta modum hujuſmodi induantur, & de alienis, ſi quæ fuerint apud eum, ſatisfacere ſtudeat in pecunia numerata, vel ſecundum exhibitam pignoris cautionem, ſeque nihilominus proximis reconciliare procuret. Quibus omnibus ad effectum productis, poſt unius anni ſpatium cum aliquorum diſcretorum Fratrum conſilio, ſi is videbitur ipſis idoneus, recipiatur hoc modo: Videlicet, ut promittat ſe divina præcepta omnia ſervaturum, ac etiam ſatisfacturum, ut convenit, de tranſgreſſionibus, quas contra hunc vivendi modum commiſerit, cum interpellatus ad Viſitatoris extiterit voluntatem. Et hujuſmodi ab eo facta promiſſio per manum publicam in ſcriptis inibi redigatur. Alio autem modo nullus a Miniſtris recipiatur eiſdem, niſi viſum eis aliter fuerit, conditione perſonæ ac ipſius inſtantia, ſollicita conſideratione diſcuſſis. Ordinamus præterea ſtatuentes, ut nullus poſt ipſius fraternitatis ingreſſum eamdem egredi valeat, ad ſæculum reverſurus; poſſit tamen habere liberum tranſitum ad Religionem aliam approbatam. Mulieribus vero viros habentibus, niſi de ipſorum licentia & conſenſu, non pateat ad conſortium dictæ fraternitatis ingreſſus.*

Alia in receptione reſervanda.

Quid profitentur Tertiarii.

CAPUT III.

De forma habitus, & qualitate indumentorum.

F*Ratres inſuper ipſius fraternitatis de humili panno in pretio & colore, non prorſus albo, vel nigro, communiter veſtiantur, niſi fuerit ad tempus in pretio, per Viſitatores de conſilio Miniſtrorum ob cauſam legitimam & aper-* Quales illorum veſtes.

& apertam, cum aliquo diſpenſatum. Chlamydes quoque ac pelles abſque ſcolatura ſciſſas vel integras, affibulatas tamen, non patulas, ut congruit honeſtati, clauſaſque manicas Fratres habeant ſupradicti. Sorores etiam chlamyde induantur, & tunica de hujuſmodi humili panno factis, vel ſaltem cum chlamyde habeant guarnellum ſeu placentinum coloris albi vel nigri, aut paludellum amplum de canabo ſive lino, abſque ulla criſpatura conſutum. Circa humilitatem vero panni & pellitiones Sororum ipſarum juxta conditionem cujuslibet earundem, ac loci conſuetudinem, poterit diſpenſari. Bindis & ligaturis ſericis non utantur: pelles dumtaxat agninas, burſas de corio, & corrigias ſimpliciter abſque ſerico ullo factas, & non alias, tam Fratres habeant, quam Sorores, depoſitis ceteris juxta beati Petri Apoſtolorum Principis ſalubre conſilium, vanis hujus ſæculi ornamentis. (1. Petr. 3. 3.)

CAPUT IV.

Quod non vadant ad inhoneſta convivia, & ſpectacula, & quod hiſtrionibus non dent.

Sit eis ad inhoneſta convivia, vel ſpectacula, ſive curias, ſeu choreas acceſſus penitus interdictus. Hiſtrionibus, ſeu vanitatis intuitu nihil dent, & ne quidquam illis donetur, a propria familia prohibere procurent.

CAPUT V.

De abſtinentia & jejunio.

(Quando a carne abſtinendum.) *Ab eſu autem carnium, ſecunda, quarta & ſexta feria dieque ſabbati abſtineant univerſi, niſi aliud infirmitatis vel debilitatis inſtantia ſuaderet. Minutis vero per triduum carnes dentur; nec ſubtrahantur in itinere conſtitutis. Sit quoque ipſarum comeſtio licita ſingulis, cum ſolemnitatem præcipuam intervenire contigerit, in qua ceteri Chriſtiani ab antiquo epulis carneis veſci ſolent. Aliis autem diebus, in quibus jejunium non ſervatur, ova & caſeus non negentur;* (Quæ circa alia abſtinentia.) *ſed cum Religioſis ceteris in eorum Conventualibus domibus licite ſumere valeant de appoſitis ab eiſdem; ſintque prandii cœnæque refectione contenti, exceptis languidis & viatoribus, ac infirmis. Sit ſanis cibus moderatus & potus, cum textus Evangelicus habeat:* Attendite, ne corda veſtra crapula & ebrietate graventur. (Luca 21. 34.) *Prandium autem vel cœna, non niſi præmiſſa ſemel Dominica oratione ſumatur, poſt ſumptionem cuilibet cum Deo gratias iterandas. Quod ſi omitti contigerit, dicatur tribus vicibus, Pater noſter. Qualibet vero ſexta feria totius anni jejunium celebrent,* (Quando jejunandum.) *niſi forte infirmitatis aut alia cauſa legitima excuſentur, vel niſi feſtum Natalis Domini feria ipſa occurreret obſervandum. Sed a feſto omnium Sanctorum uſque ad Paſcha quarta & ſexta feria jejunabunt; alia quæ ab Eccleſia ſunt ſtatuta, vel ordinata, ex cauſa communiter indicta jejunia ſervaturi. In Quadrageſima vero beati Martini uſque ad diem Nativitatis Domini, & a Dominica Quinquageſimæ uſque ad Paſcha diebus ſingulis, exceptis Dominicis, jejunare procurent, niſi aliud fortaſſis infirmitas vel neceſſitas alia ſuaderet. Sorores gravidæ uſque ad ſuæ purificationis diem, ab exercitatione qualibet corporali, orationibus dumtaxat exceptis, poterunt, ſi voluerint, abſtinere. Laborantes autem propter fatigationis afficientis inſtantiam, a Dominicæ Reſurrectionis feſto uſque ad feſtivitatem B. Michaë-*

chaelis prædicti, ter in die, qua exercitio laboris incumbent, licite ſumere cibum poſſunt. Cum vero illos contigerit aliorum imminere laboribus, de cunctis appoſitis die quolibet ſumere licebit eiſdem, niſi ſexta feria, vel dies ſit alia, in qua generaliter ab Eccleſia jejunium noſcitur inſtitutum.

CAPUT VI.

Quoties debent confiteri per annum, & ſumere Corpus Chriſti.

S*Inguli autem Fratrum & Sororum ter in anno, videlicet in Natali Domini, in Reſurrectionis ipſius & Pentecoſtes feſtivitatibus, peccata propria confiteri, & Euchariſtiam devote ſuſcipere non poſtponant, reconciliando ſe proximis & reſtituendo etiam aliena.*

CAPUT VII.

Quod non ferant arma impugnationis.

I*Mpugnationis arma ſecum Fratres non deferant, niſi pro defenſione Romanæ Eccleſiæ, Chriſtianæ fidei, vel etiam Terræ ipſorum, aut de ſuorum licentia Miniſtrorum.*

CAPUT VIII.

De dicendis Horis Canonicis.

D*Icant univerſi quotidie ſeptem Horas Canonicas, videlicet Matutinum, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Veſperas & Completorium: Clerici videlicet ſcientes Pſalterium, pro prima:* Deus in nomine tuo &c. Beati immaculati, uſque ad Legem, Gloria patri, *dicant. Cum vero ad Eccleſiam non accedent, pro Matutino Pſalmos dicere ſtudeant, quos dicunt Clerici, vel Eccleſia Cathedralis; vel ſaltim, ut illitterati alii, pro Matutino duodecim, & qualibet alia hora ſeptem vicibus* Pater noſter, *cum* Gloria Patri, *dicere non omittant: in quibus videlicet Primæ ac Completorii horis, minorem ſymbolum, &* Miſerere mei Deus, *adjiciant, qui noverint. Sed ſi horis non dixerint conſtitutis, dicant tribus vicibus* Pater noſter. *Infirmi autem horas hujuſmodi non teneantur dicere, niſi velint. In Quadrageſima vero S. Martini, & etiam in majori, Eccleſias, in quarum Parochiis habitant, matutinalibus horis perſonaliter adire procurent, niſi cauſa rationabili excuſentur.*

CAPUT IX.

Quod omnes, qui de jure poſſunt, faciant teſtamentum.

O*Mnes præterea, quibus de jure facultas affuerit, condant ſeu faciant teſtamentum, & de bonis ſuis infra tres menſes, poſt eorum ingreſſum immediate ſequentes ordinent & diſponant, ne quemquam illorum contingat decedere inteſtatum.*

CAPUT X.

De pace reformanda inter Fratres & alios extraneos.

DE pace vero inter Fratres & Sorores, aut etiam exteros in diſcordia poſitos, facienda, ſicut Miniſtris videbitur ita fiat, adhibito, ſi facultas affuerit, Epiſcopi diœceſani conſilio in hac parte.

CAPUT XI.

Quando moleſtantur contra jus, aut eorum privilegia.

SI vero Fratres aut Sorores contra jus vel eorum privilegia per Poteſtates, ſeu Rectores locorum, ubi domicilium obtinent, vexationibus impetantur; Miniſtri loci ad eos Epiſcopos, & alios locorum Ordinarios, ſtudeant habere recurſum, juxta conſilium, & ordinationem ipſorum in talibus proceſſuri.

CAPUT XII.

Quod caveant, in quantum poſſunt, a juramentis ſolemnibus.

A Juramentis autem ſolemnibus omnes abſtineant, niſi neceſſitate cogente in caſibus per indulgentiam Apoſtolicæ Sedis exceptis, videlicet pro pace, fide, calumnia, & teſtimonio perhibendo, ac etiam in contractu emptionis, venditionis & donationis, ubi videbitur expedire. In communi quoque loquela vitent, ut poterunt. Et qui die aliquo minus caute juraverit lapſu linguæ, prout contingere in multiloquio conſuevit, die ipſo in ſero, cum debet recogitare quid fecerit, dicat tribus vicibus orationem Dominicam, propter incaute facta hujuſmodi juramenta. Memor autem ſit quilibet, ut ad divina obſequia familiam propriam exhortetur.

CAPUT XIII.

De audienda Miſſa, & Congregatione facienda.

UNiverſi ſane Fratres & Sorores, cujuſcumque Civitatis aut loci, diebus ſingulis, ſi commode poterunt, miſſæ officium audiant. Et menſe quolibet ad Eccleſiam ſive loca, ad quam, vel quæ Miniſtri curaverint intimare, conveniant, miſſarum ſolemnia inibi audituri. Unuſquiſque autem uſualis monetæ denarium Maſſario tribuat, qui pecuniam hujuſmodi colligat, & eam de conſilio Miniſtrorum inter Fratres & Sorores paupertate gravatos, & præcipue infirmantes, ac eos qui funeris carere dignoſcuntur exequiis, & deinde inter pauperes alios dividant congruenter. Offerant inſuper de dicta pecunia Eccleſiæ memoratæ, tuncque ſi commode poterunt, virum religioſum, & in verbo Dei competenter inſtructum, habere procurent, qui eos ad pœnitentiam & miſericordiæ opera exercenda hortetur ſollicite, moneat, & inducat. Studeat quilibet, dum miſſæ celebratur officium, & prædicationis verbum proponitur, ſervare ſilentium, orationi & officio ſit intentus, niſi cum communis utilitas fraternitatis impediet.

Collecta pecuniariæ pro piis uſibus.

Habendus Inſtructor religioſus.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XIV.

De Fratribus infirmis, & defunctis.

Cum autem quemquam ex Fratribus infirmari contigerit, Miniſtri per ſe, vel per alium, ſeu alios, ſi hoc eis infirmus fecerit intimari, ſemel in hebdomada viſitare teneantur ægrotum, ipſum ſollicite ad recipiendum pœnitentiam, prout melius & efficacius expedire putaverint, inducentes, neceſſaria illi de bonis communibus miniſtrando. Et ſi præfatus infirmus de præſenti luce migraverit, Fratribus & Sororibus, tunc in Civitate vel loco, ubi eum contigerit mori, præſentibus nuntietur, ut defuncti exequiis procurent perſonaliter intereſſe, a quibus donec miſſarum fuerint celebrata ſolemnia, & corpus tumulo conditum, non recedant. Hæc quoque circa Sorores infirmas, & decedentes volumus obſervari. Præterea infra octo dies poſt ipſius ſepulti obitum immediate ſequentes, quilibet Fratrum & Sororum ipſarum dicat pro anima ejus, Sacerdos videlicet miſſam unam; ſciens pſalterium, quinquaginta pſalmos; & illitterati totidem Pater noſter, *& in fine cujuslibet*, Requiem æternam *adjiciant. Et poſt hæc infra annum, pro Fratrum & Sororum tam vivorum, quam defunctorum ſalute, tres miſſas faciant celebrari. Qui vero pſalterium ſciverint, illud dicant, & ceteri orationem Dominicam centies dicere non omittant*, Requiem æternam *in fine cujuslibet addituri.*

Curandi infirmi.

Sepeliendi mortui.

Orandum pro eiſdem.

CAPUT XV.

De Miniſtris.

Miniſteria quoque ac alia officia, quæ præſentis formulæ ſeries exprimit, poſita quiſque ſibi devote ſuſcipiat, curetque fideliter exercere. Officium autem cujuslibet certi temporis ſpatio limitetur. Nullus Miniſter inſtituatur ad vitam, & ejus miniſterium certum tempus comprehendat.

CAPUT XVI.

De viſitatione & correctione Delinquentium.

Ad hæc Miniſtri, & Fratres, & Sorores Civitatis & loci cujuslibet, ad viſitationem communem in aliquo loco religioſo, vel Eccleſia, ubi locum hujuſmodi contigerit deeſſe, conveniant, & Viſitatorem habeant Sacerdotem, qui alicujus approbatæ Religionis exiſtat; quique illis de commiſſis exceſſibus injungat pœnitentiam ſalutarem, nec quivis alius poſſit eis hujuſmodi viſitationis officium exhibere. Hujuſmodi autem viſitationis officium ſemel exerceatur in anno, niſi neceſſitate aliqua ſuadente fuerit pluries facienda. Incorrigibiles vero ac inobedientes monitio trina præveniat; qui ſi ſe corrigere non curaverint, de ipſius congregationis conſortio expellantur omnino de conſilio Diſcretorum.

Digitized by Google

CAPUT XVII.

De vitandis litigiis inter ſe, & cum aliis.

Vitent inſuper Fratres & Sorores, juxta poſſe, litigia inter ſe; illa, ſi ſuſcitari contigerit, ſollicite dirimendo: alioquin de jure coram illo reſpondeant, apud quem poteſtas reſidet judicandi.

CAPUT XVIII.

Qualiter, & per quos in abſtinentiis poſſit diſpenſari.

Ordinarii autem locorum, & Viſitator cum Fratribus, & Sororibus univerſis in abſtinentiis, jejuniis, & auſteritatibus aliis, ex cauſa legitima cum expedire viderint, poterunt diſpenſare.

CAPUT XIX.

Quod Miniſtri eorum manifeſtas culpas denuntient Viſitatori.

Miniſtri vero manifeſtas Fratrum & Sororum culpas Viſitatori denuntient puniendas, & ſi quiſquam incorrigibilis fuerit, poſt trinæ admonitionis inſtantiam a Miniſtris de diſcretorum Fratrum aliquorum conſilio Viſitatori nuntietur eidem, de fraternitatis conſortio abjiciendus ab ipſo, & in Congregatione poſtmodum publicandus.

CAPUT XX.

Qualiter in prædictis nemo obligetur ad culpam mortalem.

Ceterum in præmiſſis omnibus, ad quæ Fratres, & Sorores hujus Ordinis, non ex divinis præceptis, vel ſtatutis tenentur Eccleſiæ, nullum ipſorum ad mortalem culpam volumus obligari; ſed impoſitam ſibi pœnitentiam pro tranſgreſſionis exceſſu, prompta humilitate recipiat. & efficaciter ſtudeat adimplere.

XVII. Tertium hoc Inſtitutum cum aliis duobus Minorum, & Sanctimonialium, non immerito judicavit Bonaventura præfigurata in trina illa Eccleſia reparata a ſancto Franciſco; ut ſicut illas tres materialiter reparavit, ita ſpiritualiter per tres Ordines, vel triplici pietatis ſubſidio, univerſam juvaret & repararet Eccleſiam. Verba ejus ſunt: Divinæ providentiæ nutu, qua Chriſti ſervus dirigebatur in omnibus, tres materiales erexit Eccleſias, antequam Ordinem inchoans Evangelium prædicaret, ut non ſolum a ſenſibilibus ad intelligibilia, a minoribus ad majora, ordinato progreſſu conſcenderet; verum etiam ut quid eſſet facturus in poſterum ſenſibili foris opere myſterialiter præſignaret. Nam inſtar reparatæ triplicis fabricæ ipſius ſancti Viri ducatu, ſecundum datam ab eo formam, regulam, & doctrinam, Chriſti triformiter renovanda erat Eccleſia, trinaque triumphatura militia ſalvandorum; ſicut & nunc cernimus eſſe completum.

Bonav. c.2.

Tres Ordines præſignati in trina Eccleſ.

XVIII. In

Digitized by Google

XVIII. In ſuperio riexcurſu Franciſci per Tuſciæ regionem, accepit & ex parte ædificavit Conventum Columbarii ſub Annunciationis Virgineæ invocatione in loco ſolitario & nemoroſo, ab hominum frequentia ſemoto, contemplationi perquam opportuno. In eo plures viri graviſſimi & ſanctiſſimi habitarunt, ſanctus Bernardinus Senenſis, beatus Philippinus de Caſtella ſancti Antonii Patavini, uti ſupra diximus, ſocius, Onofrius Seggianus divinis meditationibus exercitatiſſimus, beati Joannis Capiſtranenſis Magiſter; necnon beatus Guido a Salvena, qui dum adhuc novitium ageret, dulciſſimo Chriſti colloquio dignari meruit, qui ibidem ſancto fine meritis & virtutibus plenus obdormivit in Domino. Translatus eſt hic Conventus ad Fratres Obſervantes anno MCCCC. quibus toto anno a carne abſtinentibus, & inſtante Quinquageſima per tres illos laxiores dies recreationis ergo indulgere aliquantulum genio volentibus, ea tamen lege ne carnes aliunde conquirerentur, nec admitterentur, quam quæ ex gratuita & ſpontanea caritate offerrentur, apparuit quædam prægrandis aquila damulam unguibus tenens, continuiſque clamoribus ad ſui contuitum omnes Cœnobii incolas excitavit. Quibus proſpicientibus, atque rei novitatem ſumme admirantibus, prædam dimiſit, ſtatimque evolavit. Illi vero rem miraculo tribuentes, redditis prius Deo optimo ſuo benefactori debitis gratiarum actionibus, miſſum ſeu dimiſſum ſibi cælitus cibum hilariter comederunt.

Conv. Columbarii.

Hiſt. Prov. Tuſc. MS.
Gonzag. in ead. Prov. Conv. 3.
Hoc anno n.10.

XIX. Luſtratis & ſancta prædicatione illuſtratis in hac excurſione multis Hetruriæ oppidis & pagis, Aſſiſium rediit Franciſcus, ubi ſtatim cogitavit, conſulto Cardinale Protectore, de mittenda Magiſtra & Abbatiſſa ad novitias ſorores exorientis Monaſterii Monticelli Florentiæ. Decrevit tandem mittendam Agnetem, Claræ ſororem, quæ ad præceptum obedientiæ abiens hilariter, in abſentia caræ ſororis magnum ſenſit dolorem. Hunc ut explicaret, & leniret, hanc dedit ad Claram & ceteras Aſſiſiates ſorores epiſtolam.

Mittitur B. Agnes Florentiam.

Leg. S. Clar. Marian. c.9.
Legen. S. Agnet. MS.

Ejus Epiſt. ad B. Claram.

Venerabili ſuæ Matri, & Dominæ in Chriſto eximie præamandæ Dominæ Claræ, & ejuſdem univerſo Conventui.

Agnes humilis Chriſti ancilla, & minima ſeipſam cum omni ſubjectione & devotione ad pedes, quam quod dulcius & pretioſius in ſummo altiſſimo Rege poteſt.

QUoniam omnium fortuna taliter eſt creata quod nunquam in eodem ſtatu permanere poteſt, ideo quando aliquis arbitratur ſe eſſe in proſperis, tunc mergitur in adverſis. Unde ſciatis Mater, quod maxima tribulatio & immenſa triſtitia carnis ſpiritui meo ineſt; & ſupra modum gravor, & crucior, & fere loqui non valeo, eo quod a vobis & ab aliis ſororibus meis ſeparata ſum corpore, cum quibus in hoc ſæculo mori credebam & vivere. Hæc tribulatio habet initium, ſed ignorat finem, hæc nunquam ſcit deficere ſed ſemper accipit incrementum. Hæc nuper mihi orta eſt, ſed minime ad occaſum tendit. Hæc ſemper mihi proxima eſt, & a me nunquam deſiderat elongari. Credebam quod una eſſet mors & vita in terris, quibus eſt una converſatio & vita in cælis, & una recenderet ſepultura, quibus una & æqualis eſt natura; ſed ut video decepta ſum, derelicta ſum, tribulata ex omni parte ſum. O ſorores meæ optimæ, condolete mihi quæſo, mecumque plangite, & rogate ne vos talia patiamini; videte, quia non eſt dolor ſicut dolor meus. Hic dolor ſemper me cruciat, hic languor ſemper

me

Digitized by Google

me torquet, hic ardor ſemper me urit, propter quæ anguſtiæ mihi ſunt undique, & quid eligam, ignoro. Adjuvate me rogo piis orationibus veſtris, ut hæc tribulatio mihi tolerabilis fiat & levis. O dulciſſima Mater & Domina, quid faciam? quid dicam? quia vos & ſorores meas amodo revidere corporaliter non ſpero. O ſi poſſem meæ mentis conceptum exprimere ſicut vellem! O ſi dolorem longum, quem expecto, qui ante me eſt ſemper, præſenti pagina vobis aperire poſſem! Ardet mens mea interius, ex infinitis tribulationibus ignibus cruciatur; gemit cor intus, & oculi non deficiunt rivos effundere lacrymarum, mærore tota repleta, ſine ſpiritu tota jam penitus contabeſco. Conſolationem non invenio, quamvis quæram, concipio dolorem ſuper dolorem, cum corde meditor, quod ſorores meas & vos nunquam videre expecto, unde ſub tali ſupplicio tota deficio. In hac parte non eſt, qui conſoletur me ex omnibus caris meis: ex alia parte conſolor valde, & vos poteſtis mihi congratulari, inveni enim concordiam magnam: non ſchiſmata, ultra quam credi poſſit; & omnes me cum jucunditate magna & gaudio ſuſceperunt, & devotiſſime cum reverentia mihi obedientiam promiſerunt. Ipſæ omnes recommendant ſe Deo & vobis ac Conventui veſtro, & ego me, & ipſas in omnibus & per omnia recommendo vobis, & ſollicitam curam rogo ut de me & ipſis, quaſi de veſtris ſororibus & filiabus, habere velitis, ſcientes me, & ipſas cunctis temporibus vitæ noſtræ inviolata obſervare velle veſtra monita & præcepta. Inter hæc ſciatis, quod Dominus Papa ſatisfecit mihi, ut dixi, & volui in omnibus & per omnia, ſecundum intentionem veſtram & meam, de cauſa quam ſcitis, de facto videlicet proprio. Precor ut rogetis fratrem Eliam, quod debeat me ſæpius viſitare, & in Domino conſolari. Valete in Domino. Ex Florentia.

Marian. cit. Leg. S. Clar.

XX. Alias etiam circa hoc tempus accepit litteras Clara a Cardinale Hugolino Protectore, qui ferventiſſime Virginem in Chriſto diligebat, ut pro eo Dominum obſecraret. Multum fidebat ſanctæ Virginis & ſociarum orationibus, novit enim quam liber pateat aditus ſacris & puris Virginibus ad divinæ thalamum majeſtatis. Alias plures in minoribus conſtitutus, & ad Pontificatum aſſumptus ei ſcripſit epiſtolas. Solam, quæ ſequitur, potui reperire.

Cariſſimæ ſorori in Chriſto, & Matri ſuæ Dominæ Claræ ancillæ Chriſti, Hugolinus Oſtienſis, miſer & peccator Epiſcopus, ſeipſum totum quod eſt, & quod eſſe poteſt.

Epiſtol. Card. Hugolini ad S. Claram.

C*Ariſſima ſoror in Chriſto, ab illa hora, qua a ſanctis colloquiis veſtris me redeundi neceſſitas ſeparavit, & ab illo gaudio cœleſtium theſaurorum avulſit, tanta me amaritudo cordis, abundantia lacrymarum, & immanitas doloris invaſit, quod niſi ad pedes Jeſu conſolationem ſolitæ pietatis invenirem, ſpiritus meus forte deficeret, & penitus anima liquefieret. Merito quia dum Paſcha tecum & cum ancillis Chriſti ceteris celebravi, deficiente illa lætitia glorioſa, qua vobiſcum cum de corpore Chriſti tractaveram, ſicut cum Dominus a diſcipulis raptus & patibulo Crucis affixus immenſa fuit triſtitia ſubſecuta, ita remanſi de veſtra abſentia deſolatus. Et licet me uſque modo ſciverim & reputaverim peccatorem, intellecta meritorum prærogativa tuorum, & rigore Religionis inſpecto, modo pro certo didici, quod tot peccatorum ſum ſarcina prægravatus, & in tantum univerſæ terræ dominatorem offendi, quod non ſum dignus electorum ejus conſortio aggre-*

gregari, & ob occupationibus terrenis avelli, niſi lacrymæ & orationes tuæ mihi veniam impetrent pro peccatis. Committo igitur tibi animam meam & ſpiritum recommendo, ut in die judicii mihi reſpondeas, ſi de ſalute mea non fueris ſollicita & attenta, quia pro certo apud ſummum judicem impetrabit quidquid inſtantia tantæ devotionis & copia lacrymarum expoſcit. Modo Dominus Papa venit Aſſiſium, ſed,opportunitate captata, te & ſorores tuas videre deſidero. Saluta Agnetem virginem, & ſororem meam, & univerſas ſorores tuas in Chriſto. Vale Romæ &c.

XXI. Franciſcus autem orationibus totus addictus, peccatorum cæcitati compatiens, pro iis inſtantes preces Domino fundebat. Nocte vero quadam apparuit ei,circa menſem Octobris,Angelus Domini, injungens quod ad Eccleſiam pergeret, ſiquidem Chriſtus eum cum Virgine Matre, ac multitudine Angelorum illic operiebatur. Quo cum perveniſſet, Chriſtum cum Matre a dextris aſtante contuitus, cum timore & reverentia pronus in faciem proruit. Quem ſic proſtratum Chriſtus ita eſt allocutus: plurimum o Franciſce cum tuis ſollicitus es pro animarum ſalute. Itaque conceditur tibi poſtulare aliquid a me pro communi animarum conſolatione & ſalute, ac mei nominis honore, quia datus es in ſalutem gentium, atque Eccleſiæ meæ reparationem. Ipſe vero contemplatione tantæ majeſtatis aliquantiſper raptus, ubi ad ſe rediit, orabat, dicens: Sanctiſſime Pater noſter, ſupplico ego miſer peccator, quatenus gratiam hanc humano generi impertiri digneris; ut omnes & ſinguli ad iſtum locum venientes, atque Eccleſiam introeuntes, peccatorum omnium, quorum confeſſionem ſacerdoti fecerint, veniam & indulgentiam univerſaliter obtineant. Supplico itidem Beatæ Virgini Matri tuæ, humani generis advocatæ, ut pro hujus meæ petitionis impetratione apud tuam piiſſimam majeſtatem intercedere dignetur. Porro ipſa Regina cœlorum, precibus famuli ſui Franciſci inclinata, cœpit illico ſupplicare filio ſuo in hunc modum: Altiſſime Deus omnipotens, intercedo ego apud Deitatem tuam, atque humiliter rogo, ut precibus hujus pauperis Franciſci annuere digneris. Subintulit ſtatim Chriſtus Dominus: Grande ſatis eſt, frater Franciſce, quod poſtulaſti, verum majora impetrabis: ac ego quidem petitionem tuam admitto, ſed volo ut adeas Vicarium meum, qui ligandi & ſolvendi poteſtatem habet in cœlo & in terra, ac ex parte mea hanc indulgentiam ab eo poſtules. At vero ſocii beati Patris in ſuis cellulis excubantes omnia hæc audiebant, ac immenſum lumen in Eccleſia, nec non Angelorum turmas contuebantur, ſed timore correpti nec foras egredi, nec Eccleſiam ingredi audebant.

Piſan. conf. 14. Specul. vita S. Franc. cap. 86. Marc. lib. 2. c. 1.

Apparent Franciſco Chriſtus & beata Virgo.

Petit concedi indulgentiam intrātibus in illam Eccleſiam.

Conceditur indulgentia Portiunculæ.

XXII. Mane facto beatus Pater eis convocatis præcepit ne cui præfata evulgarent; aſſumptoque ſocio fratre Maſſæo de Marignano ad Dominum Papam Honorium, tunc cum Curia Peruſii commorantem, profectus eſt; apud quem introductus humiliter ait: Sancte Pater, nuper ad honorem beatæ Virginis Matris Chriſti vobis Eccleſiam quamdam reſtauravi: ſupplico itaque Sanctitati veſtræ, ut in ea indulgentiam liberam abſque oblationibus inſtituatis. Reſpondit Pontifex, hoc convenienter fieri non poſſe, quoniam qui indulgentiam obtinere cupit, debet eam aliquo modo promereri, præſertim manum adjutricem extendendo. Sed indica mihi, inquit, quot annorum indulgentiam petis illic inſtitui? Reſpondit Sanctus: Beatiſſime Pater, & Domine, placeat Sanctitati veſtræ non tam donare annos, quam animas. Et quomodo, inquit Pontifex, vis ani-

Jornan. par. 32. c. 229.

Confirmatur a Pontifice.

animas? Velim, ait beatus Franciſcus, placeat Sanctitati veſtræ, quod quicumque ad illam Eccleſiam venerint contriti & confeſſi, atque uti decet per Sacerdotem abſoluti, ab omni culpa & pœna liberentur in cœlo & in terra, idque a die ſui baptiſmatis uſque ad diem & horam introitus præfatæ Eccleſiæ. Ad hoc Pontifex: magnum eſt quod petis Franciſce, nec eſt Curiæ Romanæ conſuetudo hujuſmodi indulgentiam largiri. Reſpondit beatus Franciſcus: quod peto, Domine, non ex me poſtulo, ſed ex parte ejus, qui miſit me Dominus Jeſus Chriſtus. Statimque Papa intulit, ter publice dicens: Placet mihi quod hoc habeas. Domini tamen Cardinales, qui aderant, dixerunt Pontifici: videte Domine, quid agatis; ſi enim huic tantam conceditis indulgentiam, Ultramarinam indulgentiam deſtruitis, & inſuper ipſa, quæ ad limina ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli inſtituta eſt, deinceps non æſtimabitur. Ait eis Papa: Dedimus & conceſſimus, nec expedit irritum facere quod actum eſt, ſed modificemus indulgentiam, ut ad diem tantum naturalem protendatur. Revocato itaque beato Franciſco dixit: Ecce concedimus ex nunc, quod quicumque venerit, & intraverit Eccleſiam, pro qua poſtulas, rite confeſſus & contritus, liberetur ab omni culpa & pœna. Iſtud autem valere volumus ſingulis annis in perpetuum per diem tantum naturalem, a primis veſperis, includendo noctem, uſque ad veſperas diei ſequentis. Cumque beatus Franciſcus humiliter inclinato capite egrederetur, Dominus Papa hoc videns, vocavit eum, & ait: Quo vadis Simpliciane? Quid certi defers de tua indulgentia? Cui beatus Pater reſpondit: ſufficit mihi Domine verbum tuum; ſi enim Dei opus eſt, ipſe opus ſuum innoteſcere faciet, ego aliud inſtrumentum non requiro; ſed charta ſit beata Virgo Maria, notarius ipſe Chriſtus Dominus, & Angeli teſtes. Pulchra ſane Viri ſancti in Dei providentia fiducia; *nam incuria hæc ſollicitudinis relaxatæ, non negligentiæ, ſed fidei eſt*.

Hilar. canon. 5. in Matth.

XXIII. Ita humiliter & candida ſinceritate a Franciſco reſponſum, non impudenter jactatum, ut impudentius mentitus eſt Kemnitius, ſigilla bullæ illius indulgentiæ eſſe ſtigmata ſua. Neque enim auctor ullus, præter Kemnitium, hoc refert, aut ſomniat, & non ſolum verum non eſt, ut docte & pie monet Illuſtriſſimus Cardinalis Bellarminus, ſed nec veriſimile: tum quia nondum ſanctus Vir ſtigmata habuerat, cum illa indulgentia conceſſa eſt; tum quia etiamſi habuiſſet, non ea vir ſummæ humilitatis ulla ratione jactaſſet. Sed non ſine cauſa Kemnitius hujus indulgentiæ hiſtoriam falſam & fabuloſam haberi cupiit; quoniam per eam tria Catholica dogmata confirmantur, unum de indulgentiis, alterum de Pontifice Maximo, tertium de confeſſione. Siquidem quantumvis Chriſtus ipſe ad preces Franciſci hanc indulgentiam conceſſerit, tamen non niſi per miniſterium ſui Vicarii, Pontificis Maximi, eam voluit obtineri, nec niſi contritis & confeſſis, dictamque Eccleſiam viſitantibus voluit aliquando prodeſſe.

Kemn. in 4. par. exam. Conc. Trid. Bellarm. de indulg. lib. 2. cap. ult.

Calumniantur hæretici hanc indulgentiam.

XXIV. Data itaque hac humili reſponſione Pontifici, confidenter Franciſcus Peruſio regreſſus, in itineris medio ſubſtitit ad xenodochium leproſorum, in pago Collis nuncupato, ubi aliquantiſper obdormivit. Expergefactus, poſt orationem vocavit ſocium, dixitque ei lætanter: Frater Maſſæe dico tibi in veritate, quod indulgentia mihi per Summum Pontificem conceſſa, eſt in cœlo confirmata. In his autem omnibus diem determinatum, neque a Chriſto, neque a Pontifice habebat; ſed illius de-

Confirmatur in cœlis indulgentia.

determinationem qualiter acceperit ad annum MCCXXIII. referemus. Hoc autem anno primam hanc,circa ipſam indulgentiam,conceſsionem factam, quantumvis varient Marianus & alii, mihi evidenter conſtat, ex eo quod nullo alio tempore poſt ſuam aſſumptionem ad Pontificatum Honorius Peruſii reſederit, ut diligenti examine, & ſedula inveſtigatione omnium voluminum ejuſdem regeſti comperi. Hoc autem anno & menſe ſupra poſito tendens Bononiam aliquantum ſubſtitit Peruſii, quo loco eum hanc indulgentiam Franciſco conceſsiſſe, omnes antiqui noſtri referunt Hiſtorici.

XXV. His igitur modis & continuis apud Deum precibus, cum Vir ſanctus animarum ſalutem viſceroſa pietate appeteret, & fervida æmulatione zelaret, ſuaviſſimis ſe dicebat repleri odoribus, & quaſi unguento pretioſo liniri cum ſanctorum Fratrum per Orbem diſtantium, odorifera fama, multos audiret ad viam veritatis induci. Ex talium auditu exultabat in ſpiritu, benedictionibus omni acceptione digniſsimis Fratres illos accumulans, qui verbo vel opere ad Chriſti amorem inducerent peccatores: ſic etiam qui Religionem ſacram iniquis violarent operibus, maledictionis ejus graviſſimam incurrebant ſententiam. A te, Domine, inquit, Sanctiſſime, & a tota cœleſti Curia, & a me parvulo tuo ſint maledicti, qui ſuo malo exemplo confundunt & deſtruunt, quod per ſanctos Fratres Ordinis hujus ædificaſti, & ædificare non ceſſas. Tanta frequenter afficiebatur mœſtitia ſuper ſcandalo puſillorum, ut deficere ſe putaret, niſi divinæ fuiſſet clementiæ conſolatione ſuffultus. Cum autem ſemel malis turbatus exemplis anxio ſpiritu miſericordem Patrem precaretur pro filiis, reſponſum hujuſmodi reportavit a Domino: cur tu pauper homuncio conturbaris? An ego te ſuper Religionem meam ſic paſtorem inſtitui, ut me principalem neſcias eſſe patronum? Hominem ſimplicem ad hoc te conſtitui, ut quæ in te fecero, non humanæ induſtriæ, ſed ſupernæ gratiæ adſcribantur. Ego vocavi, ſervabo, & paſcam, & aliis excidentibus alios ſubrogabo, itaut ſi nati non fuerint, faciam illos naſci, & quantiſcumque fuerit impulſibus paupercula hæc concuſſa Religio, ſalva ſemper meo munere permanebit.

Bonav. cap. 8. Maria. cap. 18.

Benedicit bonis, maledicit ſcandaloſis Fratribus.

XXVI. Ut autem pluribus modis negociator hic Evangelicus lucraretur, ac totum præſens tempus conflaret in meritum, non tam præeſse voluit quam ſubeſſe, nec tam præcipere quam parere. Idcirco non ſolum ſe ſat feciſſe putans in renunciatione Generalis officii, Guardianum petiit a fratre Elia, cujus voluntati per omnia ſubjaceret. Tam uberem enim afferebat ſanctæ obedientiæ fructum, ut eis qui jugo ipſius colla ſubmitterent, nil temporis ſine lucro tranſiret. Conceſſus itaque ei in Guardianum Angelus Reatinus, cui, vel alii cuipiam, cum quo exibat, ſemper obedientiam promittere conſueverat, & ſervare. Dixit aliquando ſociis: inter alia, quæ dignanter pietas mihi divina conceſſit, hanc gratiam contulit, quod ita diligenter novitio unius horæ obedirem, ſi mihi Guardianus daretur, ſicut antiquiſſimo & diſcretiſſimo Fratri. Subditus, inquit, Prælatum ſuum, non hominem conſiderare debet, ſed illum pro cujus eſt amore ſubjectus; quanto enim contemptibilior præſidet, tanto magis humilitas obedientis placet. Cum vero vice quadam quæreretur ab eo, quis eſſet verus obediens judicandus? corporis mortui ſimilitudinem pro exemplo propoſuit. Tolle, inquit, corpus exanime, & ubi placuerit pone, videbis non repugnare motum, non murmurare ſitum, non reclamare dimiſſum. Quod ſi ſtatuatur in ca-

Bonav. c. 6.

Franciſci humilitas.

De vera obedientia.

Digitized by Google

cathedra non alta, ſed ima reſpiciet; ſi collocetur in purpura, duplo palleſcet. Hic, ait, verus obediens eſt, qui cur moneatur non dijudicat; ubi locetur non curat; ut tranſmutetur non inſtat; evectus ad officium, ſolitam tenet humilitatem; plus honoratus, plus reputat ſe indignum.

Marian. cit.

Erga pauperes pietas.

XXVII. Tunc etiam innatam ſuam, quæ ab utero cum eo crevit, oſtendit erga pauperes commiſerationem; nam cum ad Portiunculæ ædem vetula quædam, duorum Fratrum Minorum genitrix, eleemoſynam petiiſſet, juſſit, ut quidpiam ei daretur, quo ſuæ miſeriæ poſſet occurrere. Reſpondente loci Præfecto, nihil ſibi eſſe quod erogari poſſet, præter Teſtamenti novi volumen, quo ad ſacræ Scripturæ lectionem utebantur Fratres in Choro, dixit, idipſum erogandum Fratrum genitrici, ut ex illius pretio ſibi ſubveniret. Credo enim, inquit, plus Deo placiturum, ut pauperis fœminæ ſublevetur ægeſtas, quam ut librum hunc legamus in Choro. Quæ Religioni duos dederat filios, quid erit noſtrum quod non ſuo jure repoſcat?

XXVIII. Alias ad eamdem ædem venit quidam pauperculus ſeminudus, petens pro Dei amore, ut ſibi daretur pannicularia aliqua veſtis, vel pannorum præſegmina, quibus aliquantiſper nudam contegeret carnem, juſſit Vir ſanctus ſocium, ut ex angulo aliquo neglectam quampiam veſtem extraheret, quam porrigeret. Nulla inventa, ipſe ſe in diverticulum quoddam retraxit, & aſſuta habitui præſegmina diſſuebat, ut daret. Audivit id Guardianus, & accedens præcepit ne panniculos, corpori debili fovendo neceſſarios, diſſueret. Ita ſe facturum dixit propter obedientiam Prælati, tamen aliunde debere ſubveniri pauperis nuditati, alias moleſtum & ſcrupuloſum ſibi futurum, integro & ſubdititio veſtiri indumento, tremente præ foribus nudo mendico. Neque ab oſtio receſſit, aut a fovendo deſtitit paupere, donec amiculum quempiam ei dedit Guardianus, per quem & pauperis nuditatem, & Franciſci compaſſioni adhibuit levamen. Alias etiam cuidam ſervulo, hero maledicenti quod per vim ei quidpiam ſuſtulerat, inſuper & blaſphemias addenti, quod Deus pauperibus hujus generis injurias inferri permittat, Vir ſanctus mantellum ſuum libenter donavit hac conditione, ut a maledictionibus & blaſphemiis ceſſaret.

Marian. c.19. Marc. lib. 1. c.76.

Humillima pſalmodia S. Franciſci.

XXIX. Ad vicinum quoddam eremitoriolum ſe retraxit cum fratre Leone, de rebus animæ ſuæ tranquillius & ſerenius acturus. Deerant ibi libri, quibus penſum divinarum precum poſſent exſolvere, nec tamen ad cantum matutinum in medio noctis ſilentio coire neglexerunt. Inquit porro Franciſcus Leoni: Cariſſime fratrer, non habemus breviarium, quo ſtatutas preces recitare poſſimus; ſed ne deſtinatum tempus ad Dei laudem diffluat inane abſque ejus nominis exaltatione, vel noſtræ indignitatis confeſſione, quæ ego, Chorum ducens, præcinero, tu fideliter eadem pſallens ſequeris. Prior itaque dicam: O frater Franciſce, tot commiſiſti in ſæculo peccata, ut vere merueris in Infernum detrudi; & tu fr. Leo adjunges, reſpondens, verum eſt quod profundiſſimo dignus es Inferno. Leo autem columbina ſimplicitate & ſinceritate facturum ſe dixit, quod jubebatur; at cum verba repeteret Franciſcus, jam aliter reſpondit, dicens: Deus faciet per te, frater Franciſce, tot bona, quod ibis in Paradiſum. Commotus ad mutatam reſponſionem Franciſcus, inquit: Non dicas ita, ſed quod ego præmiſi; vel ad hunc verſiculum fr. Franciſce tu feciſti tot iniqua opera contra Deum, quod dignus es penitus

tus maledici, ita reſponde: inter maledictos dignus es computari. Libenter faciam Pater, inquit Leo; ſed cum verſiculum repeteret Franciſcus multis lacrymis, & magno clamore pectus tundens, reſpondit Leo: O frater Franciſce talem te faciet Deus, quod inter benedictos eris ſingulariter benedictus. Admirans Franciſcus irritam Leonis promiſſionem, eum quaſi corripiens: Quare inquit, frater Leo non reſpondes, ſicut te doceo? Per ſanctam obedientiam tibi injungo, ut iiſdem, quibus te informavero verbis, quæ ego dixero confirmes. Ita porro dicam: O frater Franciſce miſelle, putaſne miſerebitur tui Deus, cum tot peccata & ſcelera commiſeris contra patrem miſericordiarum, & Deum totius conſolationis? Vere non mereris veniam obtinere. Tu ſtatim ſubjunge: Nullo modo dignus es miſericordia. Cum autem Leo firmiter ſponderet, ſe ita dicturum, non tamen potuit, cum lacrymis & gemitu repetenti, aliud quam iſtud adjicere: Deus pater, cujus eſt in infinitum major miſericordia, quam peccata tua, abunde tui miſerebitur, & ſuperaddet tibi multiplicem gratiam. Franciſcus vero dulciter iratus, & patienter turbatus, inquit: Quare frater Leo obedientiam tranſgredi præſumpſiſti, & toties propoſitis contraria reſpondiſti? Cui Leo cum omni reverentia & humilitate: Teſtis eſt mihi Deus, Pater cariſſime, quod ego propoſuerim ſemper, ſicut præceperas, reſpondere: ſed Deus poſuit verba ſua in ore meo, & loqui fecit ſecundum beneplacitum ſuum, non ſecundum propoſitum meum. Ad hæc miratus Franciſcus adhuc perſtitit in ſe vilificando, rogavitque obnixe, ut ſaltim hac vice ſibi vellet concordari. Promiſit Leo; ſed Franciſco lacrymanti, ejulanti, & dicenti: O frater Franciſce, miſerrime homuncio, putaſne tantis tuis ſceleribus Deum miſerturum, reſpondit; ita Pater, miſerebitur; imo magnam gratiam recipies a Deo ſalutari tuo, & exaltabit te, & glorificabit in æternum: quia *omnis, qui ſe humiliat, exaltabitur*. Attamen ignoſce Pater, quod tuæ non ſatisfaciam voluntati, neque enim ego ſum, ſed Dominus in me loquitur. Acquieſcens tandem reluctanti cœlitus Leoni Franciſcus, in dulci colloquio de magna Dei erga peccatores miſericordia, tempus omne ſine tædio uſque ad auroram protraxit. Deinde colloquium abſolvit, cantans ad finem Virgineum canticum apte explicans magna Dei beneficia, & ingentem erga humanum genus propitiationem. Sed cum Leo canticum pſalleret, Franciſcus ad ſingulum verſiculum addebat, *gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto*: hac enim ratione gratias reddebat ad ſingula, quæ referebantur, beneficia. Neque vero hoc modo unquam potuit ſatiari repetitione illius verſiculi, quem ſumme omnibus commendabat; præcipue vero cuidam Fratri laico, ſeu, ut vocant, converſo nimis tentato, & licentiam petenti ut litteris operam daret: Addiſce, inquit, fr. cariſſime verſiculum hunc, *gloria Patri*, & ſcripturam omnem retinebis; quod ut fecit, nullam amplius ſenſit moleſtiam, & tentationem omnem litterarum addiſcendarum ſuperavit.

Luca 14. 11.

Commendatio verſiculi *gloria Patri*.

XXX. Ex eodem loco rediens Aſſiſium, in itinere ſermonem inivit cum Leone de perfecta Religioſorum lætitia, quam ut varie uterque deſcripſit, tandem Franciſcus ſubjunxit: (verba ipſa ex Leone tranſcribo) *Quamvis Fratres Minores in omni terra dent bonum exemplum magnæ ſanctitatis & ædificationis, ibi tamen non eſt perfecta lætitia. Et quamvis Frater Minor illuminet cæcos, contractos extendat, Dæmones pellat, ſurdis auditum, claudis greſſum, mutis verbum reſtituat, & quod majus eſt, quatriduanum reſuſcitet mortuum, ibi non eſt perfecta lætitia. Et ſi Frater* Mi-

Legen. 3. ſocior. Piſan. conf. 12. Firman 3. Ord. 1. par. fol. 21.

Opuſc. S. Franciſci tom. 1.

Docet in quo conſiſtat perfecta lætitia.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Minor ſciret omnium gentium linguas, & omnes ſcientias, & Scripturas, ita ut ſciret prophetare, & revelare non ſolum futura, ſed etiam conſcientias aliorum; ibi non eſt perfecta lætitia. Et ſi Frater Minor loquatur lingua Angelica, & ſciat ſtellarum curſus & virtutes herbarum, & ſint ei revelati omnes theſauri terrarum: & ſi cognoſceret virtutes & proprietates avium, piſcium, animalium, hominum, radicum, arborum, & aquarum; ibi non eſt perfecta lætitia. Et ſi Frater Minor ſciret tam ſolemniter prædicare, quod converteret omnes Infideles ad fidem; ibi non eſt perfecta lætitia. Sed quando venimus ad locum ſanctæ Mariæ de Angelis ſic balneati pluvia, & frigore congelati, luto etiam deturpati, & fame afflicti, & ad portam loci pulſabimus, & veniet portarius iratus dicens: Qui eſtis vos? Et nos dicemus: Sumus duo de fratribus veſtris. Et ille e contrario diceret: Imo eſtis duo ribaldi, qui itis circumquaque per Mundum, pauperum eleemoſynas rapiendo, & non aperiret nobis, ſed faceret nos ſtare ad nivem & aquam in frigore & fame uſque ad mortem; tunc ſi nos tot repulſas & injurias ſine turbatione & murmuratione toleraverimus patienter, & cogitaverimus humiliter & caritative, quod ille portarius veraciter nos cognoſcit, & quod Deus excitat linguam ejus contra nos, ſcribe, quia ibi eſt perfecta lætitia. Et ſi nos in pulſando perſeveraverimus, & ille portarius tamquam contra importunos, exeat contra nos, & duriſſime nos afficiat alapis dicens: Recedite hinc pultrones viliſſimi, & ite ad hoſpitale; qui enim eſtis vos? Hic penitus non manducabitis: & ſi nos patienter hæc portabimus, & injuriati cum amore pepercerimus toto corde, ſcribe, quia ibi eſt perfecta lætitia. Et nos undique afflicti, fame urgente, frigore affligente, nocte inſuper appropinquante pulſabimus, clamabimus, & fletu inſtabimus, ut aperiat nobis, & ille inde ſtimulatus dixerit: Iſti ſunt homines procaciſſimi & protervi; ego pacabo eos, & exiens cum uno fuſte nodoſo, & capiens nos per capitium, ad terram ſuper lutum & nives projiciet, & taliter nos verberabit cum fuſte prædicto, quod undique nos plagis implebit; ſi tot mala, ſi tot injurias, & verbera cum gaudio toleramus, conſiderantes quod pœnas Chriſti benedicti tolerare & portare debemus, ſcribe & nota diligenter, quod ibi eſt perfecta lætitia, & audi concluſionem: Inter omnia chariſmata ſancti Spiritus, quæ Chriſtus ſervis ſuis conceſſit & concedet, præcipuum eſt vincere ſeipſum & libenter propter Deum & caritatem Dei opprobria ſuſtinere. Nam in omnibus mirabilibus ſupradictis nos gloriari non poſſumus, quia non ſunt noſtra, ſed Dei: Quid enim habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? *Sed in cruce tribulationis & afflictionis poſſumus gloriari, quia illud eſt noſtrum. Et ideo dixit Apoſtolus:* Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri.

[Margin: 1. Cor. 4. 7.]

[Margin: Galat. 6. 14.]

XXXI. Inviſit hoc tempore Vir ſanctus ſacram virginem Claram, quæ pio deſiderio deſideravit ædiculam illam Portiunculæ, in qua mundo valedixit, & crines cum mundi affectibus abſcidit, revidere, & ſi dignaretur pius magiſter cum eo ſemel prandere. Id aliquoties negavit, donec ſocii nimium objicerent rigorem erga virginem a ſe tonſam, & Chriſto dicatam. Statuto ergo opportuno die egreſſa eſt virgo Clara cum nonnullis filiabus, comitantibus eas ſociis beati Patris, & deducentibus ad locum præfatum ſanctæ Mariæ. Adorata primum virgine Matre, cum multa reverentia & devotione, atque loco intus circumquaque luſtrato, hora facta eſt comedendi. Fecerat ergo beatus Pater more ſuo (quem ſemper, dum licebat, obſervabat, menſam humiliter ſterni in plana terra, ad quam ſedit ipſe cum beata Clara: unus ex ſociis beatri Patris

[Margin: Specul. S. Franc. 2. part. 28. Sedul. in not. ad vit. S. Claræ. Marian. cit.]

[Margin: Pium Franciſci & B. Claræ convivium.]

Digitized by Google

tris cum ſocia beatæ Claræ, aſſidentibus etiam aliis Fratribus. Pro primo autem ferculo, cœpit beatus Pater loqui de Deo, tam ſuaviter, tam ſancte, & tam divine, quod ipſe & omnes, qui menſæ illi pauperculæ aſſidebant, raperentur in extaſim cum multa abundantia gratiæ ex alto ſupervenientis. Hominibus vero incolis Aſiſii, Betoniæ, & vicinorum locorum, videbatur quod Eccleſia cum Conventu Fratrum, & ſilva adjacentes totaliter exarderent, igne omnia devaſtante; quare Aſſiſiates cum feſtinatione accurrerunt, ut loco ſuccurrerent. Sed appropinquantes, & cuncta ſalva atque intacta videntes, cum admiratione domum ſunt ingreſſi, ubi convivas prænominatos, humili menſæ aſſidentes, ſed raptos ad Dominum, deprehenderunt; certius advertentes, quod ignis divinus ex devotione tam ſanctarum perſonarum accenſus locum divini amoris conſolationibus repleſſet. Receſſerunt ergo valde ædificati: Beatus autem Franciſcus cum ſuis convivis tanta fuit conſolatione refectus, ut nullus eorum de alio cibo quidquam curaret.

Poſt refectionem rediit beata Clara ad locum ſuum ſancti Damiani, quam videntes ſorores multum gaviſæ ſunt: verebantur enim, ne a beato Franciſco mitteretur ad aliud Monaſterium gubernandum, ſicut paulo ante miſerat ſororem ejus Agnetem Florentiam in Abbatiſſam novi Conventus, ut ſupra diximus. Sed & dixerat aliquando ipſi beatæ Claræ: para te, ſi forte oporteat, quocumque ire. Ad quod illa ut obedientiæ filia reſpondit: parata ſum Pater, quocumque me miſeris ire. Propter hæc præludia timuerunt virgines tanta ſe orbandas magiſtra, quæ magnam ſe paſſas jacturam merito cauſabantur in Agnetis diſceſſu. *Hoc anno n. 20.*

XXXII. Plures tunc veniebant Fratres ex diverſis Orbis partibus Franciſcum viſum, quos cum ille benigniſſime reciperet, Elias Vicarius omnem erga eos exhibebat humanitatem, juxta tamen eorum gradus, reſpiciens ad hominum qualitates; doctrina, aut dignitate eminentioribus primos attribuens accubitus, humilioribus vero poſteriores: nimis aliquando horum res negligens, illorum vero commoditati proſpiciens, juxta illud, quod increpavit Apoſtolus: *Intendens in eum qui indutus eſt veſte præclara, & dicens ei: Tu ſede hic bene: pauperi autem, tu ſta illic, aut ſede ſub ſcabello pedum meorum.* *Jacob. 2. 3.* Ægre ferebat ſanctus Pater in perſonarum acceptione haberi fidem Domini noſtri, & præcipue inter ejuſdem Sodalitatis profeſſores tantam fieri differentiam; quare accedentibus quibuſdam variæ conditionis Fratribus, poſt menſam benedictam, duos inferioris nominis ex utroque latere ſibi conſedere fecit, gravioribus neglectis. (Honorandi etiã humiles in Religione.) Indignam rem putavit Elias, ſecumque obmurmurans, dixit: Heu frater Franciſce, quam certam ruinam hæc tua nimia ſimplicitas advehet Religioni! Collaterales tuos facis illitteratos & ſimplices, eruditos vero, qui ſuis litteris Religionem ſuffulciunt, confundis. (Taxat Franciſcus ſecretum murmur Eliæ.) Hominis cogitatum præſenſit Vir ſanctus, reſpondens: Et tu frater Elia, plus noces tua ſuperbia, faſtuoſa pompoſitate, & nimia carnis prudentia. Inſcrutabile Dei judicium qui talem te cognoſcit, & Ordinis voluit Prælatum, jamque decrevit ut Sodalitium univerſum in tuis manibus relinquam. Heu timeo, ne ſicut populus, ita & judex, & ne talem eis tradat paſtorem, quales oves futuras præcognoſcit! Miſer, ſuperne jam decretum eſt, te in Religione iſta non moriturum; appenſus jam es, & inventus minus habens inflata & inani hac mundi ſcientia. In his vere prophetaſſe ſanctum Virum res ipſæ probarunt, veluti nos ſuis locis referemus.

XXXIII. Aliud

Specul. part. 2. c. 39. Marian. cit.

Maſſæi detegit ſecretum obloquium.

XXXIII. Aliud etiam ſecretum Fratris Maſſæi murmur internum alias ſimiliter detexit; nam cum in trivio poſitus, qua iret, neſciret, ſocium circumagi fecit in gyro, puerorum more, donec eum ſtare ipſe juberet. Ille jam ferme ex gyrovago motu dolorem capitis contraxit, quando hærere præcepit, & per oppoſitam ſemitam juſſit ut ambularet coram facie ſua. His acceſſit quod e quodam loco diſceſſerit mane diluculo, inſalutato Epiſcopo, in cujus ædibus omni fuerat reverentia ſuſceptus. Ad has res ſumme admirans Maſſæus, nimiæ ſimplicitatis & inurbanitatis incuſare cœpit Franciſcum, ſecum ſubmurmurans in via. Quid hic bonus Vir fecit, me velut puerum circumrotare fecit, & amicum benevolumque Prælatum nec ſalutavit diſcedens. Alia his addebat, donec altius Franciſci ſinceritatem, vitamque inculpabilem Dei inſtinctu expendit, & ſecretum in ſeipſum murmur retorſit. Itane, inquit, ſuperbis Maſſæe, ut hominem Deo carum contemnas? Itane malus, ut maligneris in ſancto? Inſane, opera divina temere judicas, ipſo inferno dignus es, qui Deo per Franciſcum operanti vana & ſuperba tua diſcretione reſiſtis. Adeone malum exitum res iſtæ habuerunt, ut facile a te condemnentur? Nonne ex incerto motus circulo in certam te ſemitam deduxit? nonne pacem induxit in urbem? nonne omnium animos ſibi conciliavit? nonne ut auram fugeret popularem, & ulteriores ſibi ab Epiſcopo exhibendos honores præveniret, aufugit? nonne in via hac talia operatus eſt miracula, ut vere pro Angelo Dei poſſit haberi? Hæc & ſimilia dum ſecum cogitaret Maſſæus, magnas Deo agens gratias, qui talem poteſtatem contulit hominibus, ad præeuntem clamavit Franciſcus dicens: quam diſſimilia poſteriora prioribus frater Maſſæe! cujuſnam hæ ſunt cogitationes, & a quo inſpiratæ ſunt primæ? Hæc ut audivit ſocius, cogitatuſque ſuos vidit detectos ad pedes ſancti Viri procidit, veniamque exoravit.

Bonav. 18.

Docet ovem divinis intendere.

XXXIV. Domum redeunti quædam fuit ovis oblata, quam propter innocentiæ & ſimplicitatis amorem, quas ovis natura protendit, gratanter ſuſcepit. Monebat pius Vir oviculam, ut & laudibus divinis intenderet, & ab omni Fratrum offenſa caveret. Ovis autem, quaſi viri Dei pietatem adverteret, informationem ipſius ſollicite obſervabat; nam audiens Fratres in Choro cantare, & ipſa Eccleſiam ingrediens ſine alicujus informatione flectebat genua, vocem balatus emittens, ante Altare Virginis Matris Agni, ac ſi eam ſalutare geſtiret. Inſuper & cum elevaretur Sacratiſſimum Chriſti corpus inter Miſſarum ſolemnia flexis curvabatur poplitibus, tamquam ſi reverens pecus de irreverentia indevotos argueret, Chriſtoque devotos ad Sacramenti reverentiam invitaret. Illud etiam mirum apud eamdem Portiunculæ ædem fuit, quod juxta cellam viri Dei ſuper ficum cicada reſidens, & decantans, cum ſervum Domini (qui etiam in parvis rebus magnificentiam Creatoris admirari didicerat) ad divinas laudes cantu ſuo frequentius excitaret, ab eodem quadam die vocata, velut edocta cœlitus ſuper manum volavit ipſius; cui cum dixiſſet: canta ſoror mea cicada, & Dominum creatorem tuo jubilo lauda, ſine mora obediens canere cœpit; nec deſtitit, donec juſſu Patris ad locum proprium revolavit. Manſit autem per octo dies ibidem, quolibet die veniendo, cantando, & recedendo ejus juſſa perficiens. Tandem vir Dei ait ad ſocios: Demus jam ſorori noſtræ cicadæ licentiam, ſatis enim nos, ſuo cantu lætificans, ad laudes Dei octo dierum ſpatio excitavit: & ſtatim, ab eo licentiata, receſſit, nec ultra ibidem apparuit, ac ſi mandatum ipſius non auderet aliquatenus præterire. Alias etiam cum Fra-

Cicadam etiam Deum laudare.

Fratre Leone comedere volenti ingentem ſuo cantu conſolationem attulit philomela. Invitavit ſocium ad Dei laudem, ut vices alternaret in cantu. At ille incompoſitam cauſans vocem Franciſcus cantum aſſumpſit, & alternis vicibus ita concinit philomelæ, ut ad veſperam uſque a Dei laude non deſtiterit, donec tandem ſe ab avicula victum non ſine ſancta fateretur invidia. Deinde advolantem ſuper ſancti Viri manum mirabiliter laudavit & pavit, quæ tandem non niſi juſſa & benedicta receſſit.

Et philomelam alternatim Dei laudes concinere.

XXXV. Hoc anno paſſos Septæ, in Mauritania Tingitana in ipſis freti Gaditani faucibus, urbis munitiſſimæ & frequentiſſimæ, ſeptem Franciſcanos, quorum nomina dabimus confeſtim, ſcribunt Laurentius Surius, Joannes Molanus, & Cæſar Baronius, non leve nec contemnendum ſecuti teſtimonium Breviarii Minorum, & antiqui Teutonici codicis MS. *Vinea ſancti Franciſci* inſcripti, ex quo horum martyrum hiſtoriam reddidit Surius latinam. His accedit vetuſtum Breviarium Braccarenſis Eccleſiæ hunc ipſum annum aſſignans. Sed tanti nominis teſtibus refragantur alii non ſpernendi, nimirum ſanctus Antoninus, Marianus Florentinus, Ludovicus Rebolledo, Marcus Ulyſſiponenſis, & Petrus Rodulphus, qui martyrium hoc referendum volunt ad annum MCCXXVII. Poſteriores tres, Robolledo, Marcus, & Rodulphus ita firmiter hoc aſſeverant, ut lectorem commoneant erroris Typographi ſignantis annum MCCXXI. & martyres hos paſſos dicant anno integro a morte ſancti Franciſci. Probati ſane, & graves utrimque teſtes, ſed præponderare mihi videntur Breviaria, & codex ille vetuſtus Teutonicus, univerſique Ordinis Minorum conſenſus & conſtans aſſenſus, qui quantumvis admonitus ſubeſſe in numeris errorem, non admiſit, neque correxit, ſed ſemper in unica hujus ipſius anni martyrii perſeverat ſententia. Præſertim, cum nullo ſolido fundamento contrariam probent Marcus, aut Rodulphus, vel conjecturam quampiam probabilem afferant, ut ſuam libere aſſertam probent opinionem. Illinc fortaſſe judicatum poſt mortem ſancti Franciſci miſſos hos martyres, quod ab Elia, qui primus poſt ſanctum Inſtitutorem Ordinem rexit, dicantur deſignati. At vivente etiam eodem ſancto Patriarcha ei commiſſum Ordinis regimen, & in hiſtoria martyrum lectionibuſque Breviarii dicitur ſancti Viri tunc vices egiſſe: etenim hoc anno jam ſecundo creatus eſt ab eodem Viro Dei Ordinis ſupremus Rector, quantumvis, vivente ipſo ſancto Inſtitutore, Fratres nunquam ei Generalis Miniſtri, ſed Vicarii nomen tribuerint.

Surius 13. Octob. Molan. in addit. ad Martyrol. Uſuar. Baron. in not. ad 13. Octobr.

Quo anno paſſi martyres Septæ

Anton. tit. 24. c. 7. §. 6. Marian. l. 2. c. 1. Reboll. 1. part. l. 3. c. 59. Marc. lib. 4. c. 34. Rodulph. fol. 75.

XXXVI. Hæc porro illorum nomina Daniel de Belvederio Calaber, & Miniſter Provinciæ Calabriæ, ceterorum ductor & rector, Samuel, Donulus, (Rodulpho Dannulus, Mariano Romulus) Leo, Hugolinus, Nicolaus a Saxoferrato, & Angelus, quem Piſanum putat Rodulphus, & eumdem ipſum, qui miſſus eſt in Angliam Miniſter: ſed profecto erravit; nam anno præcedenti miſſus eſt ille ad Anglos, inter quos diutius verſatus, nunquam ab eis rediit, ſed ſancte inter eos, ut ſupra diximus, quievit; & Matthæus Paris illi coævus ſub anno MCCXXXII. ejus ſtudium pacis conciliandæ inter Regem & Proceres regni commemorat. Demum non parvum in nomine diſcrimen; nam Angliæ Miniſtro, non tam Angeli, quam Agnelli ab Hiſtoricis inditum nomen. Hi, dum optima & aurea illa naſcentis Ordinis tempora feliciter, quaſi quodam igneo motu, promicarent, martyrii deſiderio flagrantes, & ſuorum conſodalium, qui anno proxime elapſo paſſi ſunt Marrochii, triumphum æmulantes, ad eamdem carnificinam in holocauſtum ſe oblaturos proficiſci ſtatuerunt.

Martyrum nomina.

Rodulph. fol. 75. Marian. cit. Hiſt. mart. MS.

runt. Obtenta eundi facultate a Fratre Elia, & benedictione ſancti Franciſci in Tuſciam pervenerunt. Hinc mari pervenerunt Tarraconem, Hiſpaniæ Tarraconenſis Civitatem, ex qua, mutato conſilio, Septam verſus transfretare decreverunt. Præivit Daniel cum tribus, nauclero renuente plures transvehere, qui cum Septam applicuiſſent ſocios expectantes, non curis laxati, vel ſoluti opere, ſed ſalutis animarum ſolliciti Piſanis, Januenſibus, & Maſſilienſibus mercatoribus, qui aderant cum aliis Chriſtianis prædicabant. Interim tres ſocii, qui remanſerant, ſupervenerunt III. Kalen. Octobris. Porro frater Daniel, vir quidem diſcretus, & ſex alii ſpiritu ferventes ſalutem animarum totis viribus ſitientes, non timebant ſe morti exponere, ut animas Chriſto, cujus cauſam agebant, lucrifacerent. Morabantur pauperes Fratres cum reliquis, qui aderant, Chriſtianis mercatoribus in vico extra mœnia prædictæ civitatis (quia nulli Chriſtianorum licebat eamdem ingredi abſque Saracenorum ſpeciali facultate) expectantes quidnam de eis decerneretur.

A Tarracone Septam abeunt.

XXXVII. Verum Chriſti amore ad martyrium incenſi, divinis præſidiis ſe ad durum certamen præparare deliberarunt. Quare feria ſexta de ſalute animæ inter ſe agentes, die Sabbati, confeſsione præmiſſa, ſumptaque devote Euchariſtia, nocte imminente ejuſdem diei poſt veſperas fecerunt mandatum Domini, lavantes ſibi invicem pedes: & dum fuerunt aliqualiter recreati, die Dominico ſummo mane, antequam homines deambularent per plateas, Fratres in publicum exiere, conſperſis cinere capitibus, & Spiritus ſancti robore confortati, nomen Domini palam conclamabant, dicentes: In nullo alio eſſe veram ſalutem, præter quam in Chriſto Jeſu; ſermo enim divinus ardebat, quaſi ignis, in cordibus ſingulorum, nec ulterius dilationem patiebantur. Satellites vero Diaboli multis opprobriis & verberibus eos affecerunt, atque ita injuriis & livore fœdatos, adduxerunt ad Regem, qui inaniter & effuſe exultans, audito nomine Chriſti, & quod Mahometes tamquam deſertus, & plane deſpectus a ſanctis Viris haberetur, efferata in ſanctos Martyres uſurus immanitate, tonſos in orbem videns capillos, velut fatuos reputans, teterrimo carcere & acerbis tormentis voluit eorum conſtantiam explorare. Quos vinctos catenis ferreis, metuque graviore concuſſos in vincula conjecit, ibique ad octo dies crudeliter ſervatos detinuit, Mauris pugnis eos, & diverſis tormentorum generibus affligentibus. Sed hi animo optime conſtituti, capitis ſui periculum pro aliorum ſalute negligebant, nihilque metuebant ſupplicii, quod ſemel deliberaverant pro nomine Chriſti vitam cum morte commutare.

Comprehenduntur & malis afficiuntur.

Quid infra ſpatium illorum octo dierum eis contigerit, non fuit ex Chriſtianis, qui poſſit referre; nulli dubium multa carceris incommoda, irriſiones, afflictiones, & verbera perpeſſos. Sed in medio tribulationum recordati ſunt Fratrum Chriſtianorum, ad quos frequentes litteras dederunt, inſcriptas Domino Hugoni, majori Sacerdoti Genuenſium, & duobus Fratribus, quibus unus erat de Ordine Minorum, alter vero Ordinis Prædicatorum, qui venerant illis diebus de interioribus partibus Saracenorum. Tenor epiſtolæ hæc eſt.

Epiſtola Martyrum.

2. Cor. 1. 3.
Gen. 22. 13.
Geneſ. 12. 1.
Rom. 4. 3.

XXXVIII. *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra, qui præparavit Patriarchæ Abrahæ victimam holocauſti, qui etiam, ex præcepto Domini, de terra ſua exivit neſciens quo iret, ideoque reputatum eſt ei ad juſtitiam, & amicus Dei appellatus. Sic ergo qui*

Digitized by Google

qui ſapiens eſt, ſtultus fiat ut ſit ſapiens, quia ſapientia hujus mundi ſtultitia eſt apud Deum. Notum ergo ſit vobis quod ſi Dominus Jeſus Chriſtus, qui paſſus eſt pro nobis, & qui dixit: Ite, & prædicate Evangelium omni creaturæ: ite & nolite timere eos, qui occidunt corpus: Item: Non eſt ſervus major Domino ſuo: Si perſecuti ſunt me, & vos perſequentur: duxerit vias noſtras in ſemitis ſuis ad laudem ejus, & ſalutem Fidelium, ad honorem Chriſtianorum, & ad mortem & damnationem Infidelium, ſicut Apoſtolus ait: Chriſti bonus odor ſumus: Aliis odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem. Nam ſi non veniſſem (ait Chriſtus) & locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent; nunc autem excuſationem non habent de peccato, laudabimus eum in ſempiternum. Igitur nuntiatum fuit ante Regem nomen Chriſti & confeſſum per nos, quod non eſt in alio vera ſalus, & probatum per veras rationes, mediante Interprete, coram ſapientibus ejus. Regi ergo ſæculorum immortali & inviſibili ſoli Deo honor, & gloria in ſæcula ſæculorum Amen. Valete.

Rom. 4. 3. 1. Cor. 3. 19. Mar. 16. 4. Luca 12. 4. Joan. 15. 10. 2. Cor. 2. 15. Joan. 15. 24. Act. 4. 12. 1. Tim. 1. 17.

Perfunduntur luce cœleſti. Siſtuntur coram Rege.

XXXIX. Dum itaque detinerentur in carcere, per rimulas obſervabat aliquando judex Arbaldus quid inter ſe colloquerentur, aut agerent, viditque eos catenis ſolutos, inſueto nitore ſplendentes, lætitia ingenti perfuſos, cantiones laudeſque divinas celebrare, carceremque ipſum, alias tenebricoſum, modo clariſſima luce colluſtratum perſpexit. Quo ſpectaculo vehementius Rex indignatus VI. idus Octobris, coram ſe præſentari juſſit, eiſque ingentes divitias & pretioſa munera obtulit, ſi, neglecto Chriſto, Mahometem ſequerentur. At illi intrepidi ad tribunal Regis ſiſtentes, nullaque de ſe timoris indicia præbentes, perinde ac ſi victoria eſſet promiſſa, dicebant: Nihil eſt quod minus deſideremus; divitias perpetuas præſtare nemo poteſt, hic advenæ ſumus, & peregrini: patriam cœleſtem per varios caſus, & mille rerum diſcrimina petimus. Stultus admodum ille eſt, & parum humanæ conditionis memor, qui commorationis, & non diverſorii potius, ſedem hanc terreſtrem putet; eo redeundum eſt, unde venimus: circularis eſt iſta peregrinatio, ac nos eodem refert. Qui dolet hoc ævum eſſe breve, & tam cito finiri, dolet quod non & ſuam nobis Deus immortalitatem participaverit. Qui animum ad cœleſtia tollunt, & mente purgata ibi diverſantur, dedignantur has tenebras, ac teterrimi carceris ſitum, & tamquam de duro ergaſtulo erumpere cupiunt. Hæc Saraceni audientes inter ſe conſilium inierunt, ſigillatim eos examinant ſeorſum adductos, multaque eis pollicentur ſi fieri velint Saraceni; ſin minus eos capitali ſententia plectendos. Sed illi intrepidi dicebant: Nonne amotæ mentis ille eſt, qui auro plumbum præfert, & luci tenebras? Nemo, qui ſapiat, in ea Urbe manendum ducit, in qua virtuti non adſint præmia: retrahatis ergo vos ab erroribus, & abjecta falſa Religione Dominum veſtrum cognoſcatis, Deum noſtrum, communem omnium parentem, cujus nec virtus æſtimari poteſt, nec magnitudo perſpici, nec principium comprehendi. Nos ſcimus, & re ipſa experimur hanc vitam ærumnoſam, & curarum plenam, tot caſibus & periculis expoſitam nihil ſtabilis, nihilque certi habere. Contra vero altera vita ſedes eſt æterna, quæ, quod ſemel dederit, nihil aufert, non eſt obnoxia varietati, diſcriminique, ſed perpetua viget felicitate. Vos damna, vos jacturam arbitramini eſſe, quod lucrum eſt ingens, hinc nobis paratum eſt iter ad felicitatem. Quis ergo terror? Quod ſupplicium poteſt nos deturbare?

XL. Tunc quidam ferus gladiator, furore accenſus, enſe percuſſit

caput Danielis, aliorum Fratrum Miniſtri, qui cum ſtaret intrepidus, alter Saracenus cœpit ipſum cohortari dicens: Quare præſentis vitæ dulcedinem perdere vultis? Suſcipite fidem & legem Mahometis, ut vitam & honorem in vita habeatis. Cui Daniel ait: Inveterate dierum malorum perditæ audaciæ, quamdiu in errore Satanæ decipieris? Mahometes tuus, quem tanti facis, & quotquot eum ſequuntur, ſunt miniſtri Satanæ. Alcoranus veſter, eſt merum figmentum: tu ergo potius convertere ad fidem noſtram Catholicam, nec patiaris diutius tam pernicioſo mendacio illudi. Quibus verbis reliqui Fratres vehementius accenſi, ad pedes Danielis Miniſtri prolapſi, cum lacrymis dixerunt: Gratias agimus Deo, & tibi Pater, quod ad martyrii ſuſcipiendam coronam perducti ſumus. Animæ noſtræ tuam ſequentur Pater, benedic nobis, & morere; nos libenter tecum mortem ſubibimus, nec propterea frangemur tantis incommodis agitati: poſt tempeſtatem ſperamus ſerenitatem, cito finietur bellum, & pax aderit perpetua. At ille Vir ſanctus amplexans ſingulos, & pie admodum exoſculans, eis bene precatus eſt, omneſque confortans, ita ait: Gaudeamus omnes in Domino diem feſtum celebrantes; adſunt enim nobis Angeli, cœli janua patet nobis, & hoc ipſo die pariter accipiemus martyrii coronam ſemper duraturam. Rex iratus, pro ſuæ poteſtatis furore, viſa eorum conſtantia ſæviens in ipſorum perniciem, eos morti adjudicavit. Tunc ſatellites Regis, minarum atrocitate commoti, veſtibus ſpoliatos in publicum educunt opprobrium, & vinctis a tergo manibus, præcinente tuba, ducunt ad ſupplicium. Ibant autem illi ſummopere gaudentes, Dominum cum ingenti alacritate laudantes, ac ſi eſſent ad opiparum invitati convivium. Ubi autem ad ſupplicii locum ventum eſt, ſubmiſerunt cervices ſuas, & Domino animas ſuas commendantes, capitis amputatione beatiſsimas animas per martyrii triumphum Domino tradiderunt. Sacra autem illa capita comminuta ſunt, & corpora miſere diſcerpta a pueris, & Saracenis.

Occiduntur.

XLI. Chriſtianis autem ſummæ curæ fuit, ne inhumata, & omnino neglecta jacerent. Quare Genuenſes, Maſſilienſes, & Piſani mercatores, illorum reliquias pro majori parte divinitus colligentes, in Alfondega (quam Rodulphus villam ſeu vicum putat, verius dixiſſet reconditorium mercium venalium) Maſſilienſium commode & ſecreto condiderunt. Denum in vico Genuenſium tumulatæ, poſt aliquot deinde annos in Eccleſiam Sanctæ Mariæ apud Marrochios translatæ, maximis coruſcabant miraculis, & nocturno ſplendore, ipſis Saracenis conſpicientibus, admirandum in modum refulgebant. Aliquandiu poſt eas dono accepiſſe, & in Hiſpaniam tranſtuliſſe filium quemdam Regis Luſitaniæ aſſerit Rodulphus, nec non Marianus, Surius, Breviarium Minorum, & Martyrologium Franciſci Maurolici. Marcus vero, Luſitanus genere, nihil hujus rei meminit, imo adhuc Septæ ſervari, & coli ſcribit. Rebolledo rem dubiam putat, dum non refertur ubi ſacras reliquias Infans condiderit. Hoc ſane me ancipitem diu tenuit in Luſitania, dum certum nullum ſacrorum martyrum in illo regno veſtigium deprehenderim, & ob inde judicaverim, quod de martyribus Marrochii, per Septam traductis ab Infante Luſitano, refertur, de his Septæ etiam, uno dumtaxat interlabente anno paſsis, ejuſdem profeſsionis viris, æquivoce aſſeverari. Sed aliunde non audeo fidem tot probatis auctoribus & legendis eorum, in graviſsimo Ordinis Conventu, ſeu Comitiis, ut ſtatim dicemus, probatæ denegare. Neque omnino horum enervat teſtimonium, quod reliquiæ certo

Ubi jacent eorum corpora.

Marc. cit. c. 34. Rebell. c. 60.

certo & patulo non oſtendantur loco, fortaſſe theſaurum voluit Deus abſconditum, neque omnium patulum conſpectui. Multæ ſunt hujuſmodi præcipuorum Eccleſiæ Principum, & martyrum ſacræ exuviæ adhuc ſuis latibulis reconditæ; aliæ, multa diligentia, & reverentia effoſſæ, variis temporum eventibus intercidunt & evaneſcunt. Præterquam quod horum martyrum memoriam impenſe coli acceperim in quibuſdam Eccleſiis regionis Interamnenſis in Luſitania: & in prima ejuſdem regionis & regni æde Braccarenſi multis annis proprium illorum celebretur officium. Non inanis hinc fiet conjectura, quod alicubi in illo tractu, vel in ipſo illo primævo delubro, inter frequentes & celeberrimas reliquias, recondantur incognitæ.

XLII. Horum meritis multa Deum effeciſſe miracula citati commemorant auctores, atque hinc tantum honoris & gloriæ adeptos, ut creſcente in dies magis magiſque illorum veneratione, vulgus eos in ſumma reverentia habuerit, eorumque imagines in Templis reponens, quotannis ſolemnitatem illorum celebraverit. Quod animadvertentes Franciſcani, cum ipſi nullam eorum commemorationem facerent (quod tamen minime eos deceret, ut pie taxat Surius, adeo illorum fidei & honoris ipſos eſſe immemores, & incurioſos) anno MDXVI. a Leone X. Summo Pontifice impetrarunt, ut liceret ipſis quotannis „ ſo-
„ lemnes ferias de his Martyribus agere, quemadmodum fit de
„ aliis quinque ſupra relatis Martyribus Marrochianis. Datis litte-
„ ris Apoſtolicis Pontifex diem celebrandæ Feſtivitatis, propter
„ difficultates, quæ occurrebant, ne fieret infra Octavam ſancti Fran-
„ ciſci determinandum reliquit Patribus in Capitulo Generali pro-
„ xime congregandis: litterarum ex ipſo autographo hic præbeo exem-
„ plar.

Additio Patris Lucæ Waddingi.

Dilectis Filiis univerſi Ordinis Minorum Profeſſoribus, præſertim de Obſervantia, ubilibet conſtitutis.

„ *Leo Papa X. Dilecti Filii ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.*
„ *Ut frugifer Ordo veſter fructibus prætioſis, quos produxit, Lætetur,*
„ *voſque veſtrorum exemplo in vocatione, qua vocati eſtis, robuſtiores effe-*
„ *cti, ſolum Chriſtum, quem aſſumpſiſtis, ſequamini, nullaque graviora for-*
„ *midetis pro ipſo, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium, vobis, &*
„ *veſtrum cuilibet; ut in Eccleſiis domorum veſtrorum, publice, & ſo-*
„ *lemniter officium Martyrum, de beatis Daniele, Angelo, Samuele, Do-*
„ *nulo, Leone, Nicolao, & Hugolino, veſtri Ordinis Fratribus, qui pro*
„ *Chriſti nomine mortem ſubire libenter, & Martyrii palmam in Sarace-*
„ *norum partibus conſequi meruerunt, ſub officio duplici majori, in die in*
„ *veſtro Capitulo Generali determinanda, annis ſingulis, etiam in Miſſis, &*
„ *Litaniis, ac aliis divinis officiis, prout de aliis Sanctis per Sedem*
„ *Apoſtolicam Canonizatis, ſolemniter celebrare, & dicere, ac propriam*
„ *legendam in Choro cantare in Eccleſiis domorum, tam Fratrum, quam*
„ *Monialium curæ veſtræ ſubjectarum dumtaxat, donec per Nos, ſeu Suc-*
„ *ceſſores noſtros ad ſolemnem Canonizationem deventum fuerit, libere &*
„ *licite valeatis, concedimus: ac omnibus, & ſingulis locorum Ordinariis,*
„ *aliiſque perſonis, ne deſuper vos moleſtare, aut impedire præſumant,*
„ *diſtrictius inhibemus. Præterea, quia difficile eſſet præſentes litteras ad*
„ *ſingula quæque loca deferri; volumus, ut earum tranſumptis manu ali-*

cujus

„ *cujus publici Notarii ſubſcriptis, & ſigillo Vicarii Generalis veſtri Ordinis munitis, ea prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Florentiæ ſub annulo Piſcatoris die* XXII. *Januarii* MDXVI. *Pontificatus noſtri anno* III.

„ Lectis his litteris ipſo illo anno in Capitulo Generali Rothomagenſi Fratrum de Obſervantia decretum eſt, ut die decima, in quam incidit feſtum ſancti Dionyſii, eorum annua ſolemnitas celebraretur; quod denuo in Kalendario compacto in Comitiis Burgenſibus anno MDXXIII. ſtabilitum eſt. „ Demum in Capitulo, ſeu Congregatione Generali Aſſiſii apud ſanctam Mariam de Angelis celebrata anno MDXXVI. lecta fuit, approbata, & pro univerſo Ordine acceptata eorum legenda, uti refertur in actis capitularibus, in illius temporis regeſto Ciſmontano, quod apud me habeo MS. in membrano. Poſtea ſtatutum eſt, ut illorum feſtivitas differretur in diem XIII. Octobris, licet X. triumpharint, nec celebraretur infra octavam ſancti Franciſci, ob quam etiam rationem antea translatum fuit feſtum ſancti Dionyſii in diem duodecimum proximum, ſcilicet diei octavæ ſancti Franciſci. Celebris eſt illorum memoria apud graves & probatos auctores, & in omnibus, quæ circumferuntur Martyrologiis, eorum nomina recenſentur vel ſexto, vel tertio idus Octobris. Quando in Romano repoſita ſunt, non plane conſtat, in vetuſtis enim quæ mihi ſuppetunt Martyrologiis MSS. eorum colitur memoria, ſed in impreſſis annis MDVII. & MDLXVI. opera Alexandri Peregrini nulla eorum mentio habetur: fortaſſe in nova correctione Breviarii & librorum ritualium ſub Pio V. pro univerſis Eccleſiis eorum adaucta, vel inſerta nomina ſacris tabulis Eccleſiæ.

RegeſtumHonor. III. an. 5. epiſt. 504.
Ad multas partes mittuntur Prædicatores.

XLIII. Non ſolum hi ſeptem ad infideles hoc anno miſſi, verum & alii plures; ſcripſit enim Honorius Pontifex epiſtolam ad univerſos ferme Europæ Epiſcopos, ut ad ſe deſtinarent ex ſingulis Provinciis quatuor, vel ad minimum duos vitæ integritate probatos, & doctrina ſufficienter inſtructos, per quos poſſet fidei lumen transfundi Gentilibus & Saracenis, quorum ſalutem & converſionem ſummopere cupiebat. Potiori ex parte tunc miſſi Fratres Prædicatores & Minores, qui ſummo animarum zelo, pericula quæcumque contemnentes, conſtanter ubique fidem Chriſtianam diſſeminarunt.

Plin. lib. 3. c. 4. Volater. lib. 5.
Naſcitur S. Bonaventura.
Galeſin. in vita S. Bonaven. c. 1.

XLIV. Hoc anno, Balneoregio Hetruriæ Civitate, non procul a Monte Phiaſcono, vetuſtiſſima, olim Rhoda in edicto Regis Deſiderii, Plinio Novempagi, Volaterrano Pagidecem dicta, quaſi ex totidem conflata primum conſurgeret; natus eſt ſummo noſtro bono & univerſæ Eccleſiæ ſplendori ſanctus Bonaventura Joanne Fidantio Patre, & Ritelia Matre, piis ac nobilibus parentibus; quos non adeo re familiari, ut quidam volunt, deſtitutos probat Petrus Galeſinius, ex ipſis eorum ædibus, quarum ea fuit amplitudo, ut in capaciſſimam & honorificam eas transformarit Eccleſiam, ipſi Bonaventuræ ſacram, Antonius Puccius S. R. E. Cardinalis. In Baptiſmo inditum paternum nomen Joannis, quod in Bonaventuræ poſtea mutatum, quo vocabulo Franciſcus ab omni laude felicem fore, adhuc puerulo, divina præſenſione prædixerat. Nam cum quadriennis langueret ad mortem, neque ſpes ulla, aut medicorum remedium ſupereſſet, pia Mater precibus & meritis Franciſci, tunc in Ita-

Italia celeberrimi, vota ſua & puerum commendavit, vovens ſi ſanum reciperet, adoleſcentem eidem reſtitueret initiandum. Mœrentem fœminam conſolatus Vir ſanctus pro filio oravit, & impetravit, ut repente ſanus exiliret, quo repentino admiratus miraculo, & futura prophetans patrio dixit idiomate: *O Bona-ventura*. Deinceps ei hoc nomen adhæſit, neque tamen Joannis omnino rejecit, nam in quibuſdam ejus Codicibus ita inſcriptum: *Frater Joannes Bona-ventura*. Joannes Gerſon Euſtachium Bonaventuram nominatum putat, alii Euſtathium, alii Eutychium, ſed cum omnia Deo juvante bene feliciterque ei evenirent, factum eſt ut frequentius Bona-ventura a Latinis & Italis, & a Græcis Eutychius, quod eamdem habet nominis proprietatem, nuncuparetur. Quod vero alii Euſtachium dixerint, afferunt plerique rationem, quod in omni diſputatione, quam Lugduni cum Græcis habuerat, cum doctrinæ veritatem & diſciplinæ gravitatem perpetua conſtantia ſervaſſet, propterea Græce a pluribus Euſtachii nomen affixum, falluntur ſane, qui huic ſancto Viro Bona-venturæ nomen omnium primo inditum ſuſpicantur; aliorum enim hiſtoriæ meminerunt hujus nominis virorum. Hoc nomen illius viri Senenſis, Franciſco familiaris, & Minoribus propenſi, qui velut infra referemus, eiſdem ſtruxit habitaculum. Ita etiam appellatus Diaconus Cardinalis ſancti Angeli creatus ab Innocentio III. anno MCCXII. multis Legationibus functus ſub Honorio III. & Epiſcopus Portuenſis a Gregorio IX. deſignatus. Similiter nuncupati plures alii, hoc noſtro Bonaventura priores. Illius porro vitam, virtutes & facta auſpicabimur ab ejus in Ordinem Minorum ingreſſu.

Pelbart. a Tem. ſerm. 2. de S. Bonav.
Marian. c. 20.
De ejus nomine.
Gerſon. 1. par. de laud. S. Bonav.
Ann. 1226. n. 5.

XLV. Hoc item anno celebratas nuptias inter beatam Eliſabetham & Ludovicum Lantgravium Thuringiæ ſcribit auctor hiſtoriæ de Lantgraviis tomo 1. hiſtoriarum Germanicarum, quas apparatu magnifico fieri curavit Princeps, ut blaterones, & ſanctiſſimæ fœminæ æmulos mendacii convinceret, qui Principis animum ab ea alienum volebant, eamque ad Patrem remittendam dicebant, quippe quod dotem imparem nuptiis tanti Principis, ut illi garriebant, attulerit. At ille hoc ultimo & indiſſolubili amoris vinculo ſe in Virgine non opes, non pulchritudinem, non generis excellentiam, ſed honeſtiſſimorum morum integritatem, præſtantiamque vitæ deſideraſſe, declaravit. Quartumdecimum agebat Eliſabetha annum, quando matrimonii leges ſubivit, propter quas nihil de fervoris priſtini remiſit intenſione, ſed inſuper auxit in dies, accumulavitque ſtudia bonarum actionum. Enimvero animum contemplatione cœleſtium rerum paſcebat, corpuſculum vigiliis, precibus, jejuniis exercebat. Exhorrere etiamnum ſæpenumero ſolebat plumei lecti male blandam mollitiem, verita ne carni plus juſto indulgens, Chriſti amore fieret indigna. Ob id noctu, deſerto Principis accubitu, ipſo vel quieſcente, vel diſſimulante, vel etiam palam conſentiente, maturius exurgere, precibus operam dare, ac ſemet ſuaque omnia Deo commendare ſolita erat. Adeo quoque nocturnæ huic precationi Principem faviſſe conſtat, ut perſæpe manu ſua genibus intentam ſuſtentaverit, quoad preces illa finiret; ſubinde admonens deprecantem, caveret, ne vigiliarum prolixitate macerato corpuſculo capitis, ac ſenſuum vivacitatem exhauriret.

Hiſtor. Lan. cap. 37.
Jacob Mont. c. 5.
Meyerus in Annal. Fland. ad an. 1221.
Celebrantur nuptiæ B. Eliſabethæ.
Nuptæ pietas.

XLVI. Porro ne graviori ſomno depreſſa religioſum precandi morem negligeret, pediſſequas mulier ſancta monuerat, dormientem ſe excitarent. Hoc, ut quam cautiſſime fieret, Principemque productiores laterent excubiæ, iiſdem præceperat, pedum digitos leni tactu tamdiu

Piæ excubiæ nocturnæ.

diu attraherent, donec experrectam ſentirent. Quod dum una illarum, Iſintrudis nomine, incautius per cæcæ noctis tenebras attentat, caſu pedem attraxit Principis, qui expergefactus, & rem, ut erat, intelligens pro cognita uxoris conſuetudine, haudquaquam moleſte tulit expergificantis imprudentiam. Tanto autem fervore nocturnam hanc deprecandi aſſumpſerat devotionem, ut ſæpiuſcule ſit pro lecto ſuper ſtratos humi tapetes deprehenſa dormire: de quo ab ancillis reprehenſa, verentibus eam aſperitatem male aliquando ceſſuram, reſpondit, duplex ea caſtigatione lucrum ſibi provenire, quod lecti mollitiem poſthaberet, & quod virili contactu abſtineret: ita enim vacuam carnalibus deliciis mentem cœleſtibus facilius aptari. Querebatur interdum indigniorem ſe ſe fuiſſe, quam ut ſuam Chriſto virginitatem dedicaret: nec tamen ob hoc ſegniore maritum dilectione proſecuta eſt, a quo, etiam aliquo proficiſcente, non facile abeſſe patiebatur; quamvis tellus, aut gelu inhorreſceret, aut nivibus tegeretur, aut immodicis caloribus fatiſceret, aut imbrium præcipiti lapſu maderet. Nimirum dixerat, illo præſente, tam in vigiliis, quam in precibus nihil ſe damni facere. Arctiori deinde ſemet obſervationi dedens, ſexto quoque hebdomadis die virgarum flagellis in tenerum corpus animadvertebat. Itidem in Quadrageſima, ac interdum noctu, cum ad precandum ſurrexiſſet, ancillarum agebatur miniſterio; cum interea dolorem ipſa, veluti non ſentiens, alacritate mirabili diſſimularet.

Virginitati voto ſtuit. *Virgis ſe cædit.*

XLVII. Hoc anno ſanctiſſimus Pater noſter Dominicus quinquageſimo primo ſuæ ætatis, Bononiæ terram cœlo commutavit, introivitque ſplendido evectus throno in potentias Domini, ingentis perpeſſi pro Eccleſia Dei laboris, & quam ſanctiſſimæ vitæ tranſactæ præmium reportaturus. Incidit mors ejus in nonas Auguſti hora ejus diei ſexta, anno quinto a confirmato ſanctiſſimo, & præclariſſimo ſuo Inſtituto. Vivens ſingulari ſua ſanctitate, operum prodigiis, & conſodalium ſubſidio imminenti occurrit mundi ruinæ, & perditorum hominum mores longe lateque reformavit. Mirum quam ubique, non ſolum ſuæ patriæ virorum, verum & Gallorum, Italorumque, ac aliorum quorumcumque ſibi conciliabat affectum, quo vellet animos flectens, & ſui juris efficiens. Præter ſanctitatem juvit conciliandorum hominum energia, & ſingularis dicendi virtus, necnon virgineus decor, & ſacra majeſtas in vultu. Ejus porro corporis delineamenta, ita una, vel altera ex antiquis noſtris legendis deſcribunt: *Erat ſtatura mediocris, æqualis corpore, tenuitate agilis, facie pulchra, & rubicunda barba, & capillis ſubrufus, & decorus aſpectu. De fronte ejus & ſuperciliis ſplendor quidam radioſus micabat, qui omnibus venerabilem reddebat. Religioſam præ ſe ſemper ferebat lætitiam & hilaritatem, niſi quando ex naturali compaſſione egenis commiſerabatur. Manus habebat longas, vocem claram, & ſonoram. Nihil capitis calvum, ſed integre crinitum cincinnum in orbem æqualem habebat, paucis canis reſperſum.*

Mors S. P. N. Dominici. *Ejus Phyſiognomia.* *Legen. antiqu. Legen. Greg. IX.*

XLVIII. In eadem Civitate, eodemque anno inchoatam, ait Leander Albertus, Eccleſiam ſancti Franciſci, tunc Annunciationis Virginis Mariæ dictam, & magnis temporis decurſu ſumptibus ad ſummum deductam, quam ex magnitudine & opere magnifice extollit, comparatque primis totius Italiæ ædificiis.

Leand. in hiſtor. Bononien. decad. 2. lib. 9. ad an. 1221. *Eccleſia S. Franciſci Bononien.*

XLIX. In civitate Valencenarum, Comitatus Hannoniæ, extructum hoc anno humile Minorum domicilium, advenientibus illuc ſex Fratribus a beato Pacifico Franciæ Miniſtro deſignatis, videlicet fratre Gulielmo cete-

Gonzag. in Prov. S. Andr. Conv. 2. *Conventus Valencenen.*

ceterorum præfecto „ qui poſtmodum primus Cuſtos fuit Cuſtodiæ „ ſancti Quintini, obiitque in oppido ſancti Quintini anno MCCXXXVII. „ ubi hodie ejus viſitur ſepulchrum, juxta tumulum Caroli, cogno- „ mento Pii, Regis Galliæ in Collegiata S. Furſei Eccleſia. „ Fratre Jacobo Sportulario, ita dicto a ſportulis, quas quotidie, victus lucrandi & ocii fugiendi cauſa, gnaviter conficiebat, cum alioqui eſſet natalitio clarus & in ſæculo illuſtris, vocatus Alphonſus a Bajonna. Tertius frater Joannes *le Nattier*, ita Gallice nuncupatus, eo quod crates vimineas & ſtramineas optime contexebat, vir ante religionis ingreſſum etiam nobilis & clarus, appellatus Jodocus a Matrenis, qui cum Sereniſſima Joanna Conſtantinopolitana, circa annum MCCXVII. Flandriam, Ferdinando Principe, Joannæ conjuge, in poteſtate Philippi Regis Galliæ captivo, teſte Meyero, adminiſtravit. Ceterorum trium nomina non occurrunt. Porro hoc anno, non MCCXV. ut ſcribit Gonzaga, fundatum hoc Monaſterium ex eo probatur, quod nec illo anno, nec duobus ſequentibus in Belgium pervenerunt Franciſcani, & ſtructum dicat Ferreolus Locrius ſedente in Pontificatu Atrebatenſi Pontio Epiſcopo, cujus aſſumptio ex Archidiaconatu Atrebatenſi incidit in annum MCCXX. Ego facile putarim errorem in numeros irrepſiſſe, debuiſſeque recenſeri apud Gonzagam annum MCCXIX. ita enim indicant quæ adjungit de Franciſci converſione, quam duodecim annis ante hujus Conventus ſtructuram contigiſſe aſſerit: neque ea quæ de ejus morte, quam poſt annis octo contigiſſe commemorat, poſſunt cohærere cum prima numerandi ratione anno MCCXV. Extructum autem Fratribus domicilium extra portam Civitatis prope Sacellum Divo Bartholomæo ſacrum, in quo loco „ nuncupato *Drougon* a prædicto Ferdinando, Flandriæ & Hanoniæ Comite, per diploma ſub menſe Martio datum liberaliter „ conceſſo „, adeo ſancte vixerunt, ut multos ſuæ pietatis exemplo ad ſuum allexerint contubernium. Inter hos fuerunt præcipui Jacobus Silveſter Decanus Atrebatenſis, qui Fratres omnes hoſpitio in ſuis ædibus excipiebat, & Gubernator Valencenarum, œconomus Joannæ Principis. Tandem, quibuſdam elapſis annis, Ferdinandus libertate donatus, de conſenſu piiſſimæ ſuæ Conjugis intra Urbis mænia in arce ſua, quæ fere in media Urbe ſita erat, non procul a ripa Scaldis fluvii, Monaſterium Fratribus conſtrui præcepit regali munificentia & magnificentia, quod & hodie ipſa ſtructura, tametſi vetuſtior, abunde teſtatur. Tantus enim erat novi Monaſterii apparatus, tantaque ædificiorum majeſtas, quod Fratres illi, qui elegerant abjecti eſſe in domo Domini, & in paupertate & humilitate pauperem & humilem Chriſtum imitari, renuerint in eiſdem habitare. Quod ubi nobilis & pia Comitiſſa reſcivit, ſcripſit ad ſummum Pontificem, ſimul etiam litteras dedit ad beatum Franciſcum, tum adhuc inter mortales agentem, quibus pium ſuum deſiderium aperiebat, utque Fratribus liceret prædictum Monaſterium incolere poſtulabat. Quod etiam impetravit, nam confeſtim frater Elias, tunc temporis Ordinis Vicarius, litteras ad Fratres Valencenenſes S. Bartholomæi, ſic vocatos a loco prioris Monaſterii, miſit, quibus præcipiebat ut in nomine Domini novum Monaſterium, relicto priori, intrarent, & deinceps incolerent, ſicque ſanctæ voluntati Comitiſſæ factum fuit ſatis.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Meyer. ad ann. 1217.

Gonzag. cit.

Locrius ad ann. 1219.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Miræus lib. 3. de orig. Mendic. c. 5.

Gonzag. cit.

L. Tanta fuit hujus nobiliſſimæ fœminæ in Divi Franciſci Ordinem caritas & animi propenſio, ut non tantum hunc Conventum, ſed etiam Gandavi, Brugis Flandrorum, Aldenardi, & in aliis pleriſque

Commendatur pietas Joannæ Comitiſſæ Flandriæ.

locis ſuæ ditionis Monaſteria propriis ſuis ſumptibus extrui mandaverit. Inſuper & cuilibet Fratri in ſuo dominio commoranti annuatim tunicam unam cum capitio, & aliam ſine capitio, quamdiu vixit, dederit. Extant multa alia benevolentiæ & caritatis ejus præclara exempla in Annalibus Hannoniæ, quæ longum eſſet ſingulatim recenſere. In prædicto autem Valencenarum Conventu plurima ſunt nobiliſſimorum ſepulcra. In Choro jacent Sereniſſimi Comites Flandriæ & Hannoniæ in marmoreis & deauratis miro artificio monumentis: Comites etiam Palatini Hollandiæ & Friſiæ, Comites Namurci, Comites Bleſenſes, & multi alii nobiles & illuſtres viri; ut vel hinc appareat quam inſignis fuerit hic Conventus ante recentes Hæreticorum irruptiones in Civitatem, qui nec Principum ſepulcris pepercerunt, inter buſta theſauros requirentes, & incolis Fratribus gravia damna, & perſecutiones multas inferentes.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Bononia primò Civitas Epiſcopalis, a quibus condita. *Nova Topogr. in Mart. Rom. Ferrerii.*

„ I. Bononia, prius Felſina, vulgo *Bologna* Civitas Epiſcopalis, olim „ Flaminiæ, ſeu Æmiliæ antiquiſſima Colonia ab Hetruſcis con- „ dita, poſtea Archiepiſcopalis a Gregorio XIII. cive ſuo Metropolis „ effecta, cum prius Archiepiſcopo Ravennati ſubeſſet. Urbs ampla, no- „ bilis, opulenta, populoſiſſima ex primis Italiæ Urbibus, in planitie „ ſub Apenninis collibus, formæ quaſi circularis, quam Rhenus amnis „ foſſa deductus intus irrigat, ſummoque Pontifici paret, formam tamen „ Reipublicæ ſervans, ſoli ubertate ceteris Eccleſiæ Urbibus præſtat, „ abeſtque Roma CXC. M. P. In hac Urbe ſanctus ille Patriarcha Prædi- „ catorum Dominicus S. P. N. Franciſci pauperum Patris amiciſſimus, „ cum eſſet anni unius ſupra quinquageſimum, meritorum plenus, nonis „ Auguſti hoc anno ad cœlos evolavit. Quando Balneoregium, vulgo „ *Bagnarea* Civitas Epiſcopalis Pontificiæ ditionis, & ipſa, a Viterbio „ X. M. P. in Septentrionem recedens, ex Joanne Fidantio, & Ritelia „ conjugibus Joannem excepit civem, & eorumdem feliciſſimum filium „ ſub Bonaventuræ nomine Minoritici Ordinis futurum columen, & „ ſplendorem, nec non Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ornamentum.

S. P. Dominicus in ea decedit.

Balneoregium Civ. Epiſcop.

Harol. epiſt. ad ann. 1221. n. 7.

Sum. Pontifex ſcribit ad Imperatorem Conſtantinopolitanum, & ad Albanenſem Antiſtitem pro negotio Terræ Sanctæ.

„ II. Ceterum ſummus Pontifex pro Terræ Sanctæ ſubſidio, & op- „ portunis ſuppetiis eo tranſmittendis maxime anxius, ad Imperatorem „ Conſtantinopolitanum epiſtolas direxit, de quo pariter negotio, circa „ ſcilicet excidium ſanctæ Civitatis, ac tranſitum Chriſtianorum ad „ ipſam, Albanenſi Antiſtiti alias mæroris plenas ſub Kal. Decembris „ ſcripſit. Quia vero pro anno MCCXXII. nil nobis occurrit præter „ unum diploma pro Monialibus Montis Lucis Peruſini *Sacroſanctæ &c.* „ III. Idus Octobris, & aliud ad Philippum Regem Francorum pro ne- „ gotio Terræ Sanctæ: ſimiliter nec pro anno MCCXXIII. præter duo „ diplomata, unum ad Reginam de Aneguia, ſive de Avonia de præfata „ materia, & alterum ejuſdem argumenti ad Archiepiſcopum Colonien- „ ſem, ad annum MCCXXIV. tranſcurrimus.

Item pro anno 1222. & 1223.

Indic. ex Oderic. fol. 312. 318. 320.

Ex eod. fol. 340.

Et fol. 338.

AR-

ARGUMENTUM.

Romæ familiaritatem iniit Franciſcus cum magnifico Domino Matthæo de Rubeis familiæ Urſinorum viro principe, cujus filio infantulo prædicit Pontificatum, qui mox in Sede Petri renunciatus eſt Nicolaus III. Perrecturus in regnum Neapolitanum inviſit ſpecum ſancti Benedicti, convertitque dumeta, quibus ſacer ille Patriarcha ſe volutavit, in roſetum. Cajetæ, Capuæ, Pennæ, & ubique per regnum Neapolitanum mirabilia operatus, plurima obtinuit domicilia. Reverſus in Umbriam admittit in Societatem Benevenutum Eugubinum. In Germania, & Suecia regnis Aquilonaribus magnum agit Ordo progreſſum. Pariſiis initiatur Alexander Halenſis, & ſanctus Antonius ad presbyteratum aſſumptus Bononiæ primo ſacrum facit; miſſus deinde Vercellas ut ſtuderet, demum in Galliæ & Italiæ præcipua loca ut doceret. Pontifex Ordinem gratiis afficit, & multiplicantur ubique Monaſteria.

I. DECREVIT hoc anno ineunte Franciſcus Terræ Laboris, Apuliæ, & Calabriæ regiones peragrare; quare Aſſiſio Romam veniens per Tuſcanellam, urbem Phaliſcorum Hetruſcorum ad dextram lacus Volſinii, ditionis Pontificiæ, receptus eſt hoſpitio a quodam Equite, cujus filius unicus utroque pede claudicabat, & toto corpore dolebat. Oravit inſtanter pro filio pater, & licet reluctaretur Franciſcus, ſe indignum aſſerens, quem Deus pro aliis rogantem audiret, victus tandem ſui hoſpitis precibus importunis, manuum impoſitione, & crucis benedictione ſoſpitati redditum infantulum, protinus elevavit in pedes erectum ad magnum circumſtantium ſtuporem.

Legen. Greg. IX. Rodulph. fol. 259. in Cuſtod. Viterb.

Franciſcus claudum ſanat.

II. Romam ut appulit, familiaritatem & amicitiam iniit cum nobili viro Matthæo de Rubeis, antiquæ & potentis familiæ Urſinorum magnate. Invitatus ab eo ad prandium, dum ultra aſſuetam horam expectaret herois adventum, darenturque eſculenta de more pauperibus, qui ſtatim a meridie ad nobilis Viri januam conveniebant, quotidie eleemoſynas accepturi, Franciſcus ſe illis caute immiſcuit, ſtipemque recepit. Ipſo hoc tempore domum rediens Matthæus, ſtatim interrogavit, quid actum de fratre Franciſco? Quo non apparente, juravit ſe non pranſurum, niſi Franciſcum haberet commenſalem. Dum itaque domeſtici eum undequaque inveſtigarent, ex feneſtra proſpiciens ipſe Matthæus pauperibus in atrio aſſidentem detexit. Lotis itaque manibus deſcendit, & prope Dei Virum ſedit in terra, dicens: Frater Franciſce, quia tu non vis prandere mecum, ego prandebo tecum: quod & fecit pie exhilaratus, videns ſe annumeratum pauperibus Chriſti. Audiens vero incœptum a Franciſco tertium pro ſæcularibus & conjugatis Inſtitutum, petiit ab eo ſibi donari veſtem, & inſtrui in exercendis pietatis officiis. Tanti viri auctoritas magnam addidit novo Sodalitio, & ad ejus exemplum plures ſe eidem adſcripſerunt.

Legen. 24. Gener. Chron. ant. MS. Marian. c. 20.

Manducat cum pauperibus.

Matthæi de Rubeis erga Franciſcum devotio.

III. Fuit huic heroi filius parvulus, nomine Joannes, quem Franciſco tulit ut benediceretur. Accepto in ulnas Vir ſanctus benedixit, & patri prædixit ſuæ familiæ ſummam gloriam infantulum advecturum, ſummumque Eccleſiæ Pontificem futurum. Deinde vultum ad puerum convertens, tamquam multæ rationis capacem, ſerio & blande alloquutus eſt, rogavitque ut ſuæ Religioni vellet eſſe propitius. Deinde red-

Filium ejus prædicit Franciſcus futurum Pontificem.

dens patri filiolum inquit: Non erit noſtri Sodalitii Frater, ſed Protector: non erit filius, ſed pater, ſub cujus umbra noſtri vivent & lætabuntur. Multa contemplor bona noſtra in infantulo, & in parvulis manibus magna nobis recondita beneficia. Ad hæc vaticinia pater obſtupuit, & gaviſus eſt; ſed tunc magis, quando completa perſpexit, & filium in Petri cathedra conſtitutum, Nicolaum III. renunciatum; qui qualia & quanta in Minores effuderit beneficia, ſub ejus Pontificatu conſtabit. Uſque ad illud tempus pater conſervavit verba Franciſci in corde ſuo, nec ulli detexit, donec ea vidit opere completa.

Bonaven. c. 8. Legen. antiq.

Agniculum docet Franciſcus pietatem.

IV. Eo tempore agniculum in Urbe ſecum habebat, ob reverentiam illius mitiſſimi agni, quem nobili matronæ, Dominæ ſcilicet Jacobæ de Septem ſoliis, in ſuo receſſu conſervandum commiſit. Agnus vero, quaſi in ſpiritualibus eruditus a Sancto, Dominæ ad Eccleſiam eunti, ſtanti, & revertenti ſocietate inſeparabili cohærebat: ſi matutinali hora Domina tardaret exſurgere, agnus impellebat eam corniculis, & balatibus excitabat, geſtibus adhortans & nutibus, ut ad Eccleſiam properaret. Propter quod, agnus Franciſci diſcipulus, devotionis jam magiſter effectus, ut mirabilis & amabilis a Domina ſervabatur.

Inviſit corpus S. Benedicti.

V. Ab Urbe recedens in Regnum Parthenopæum, ſancti Benedicti ſpecum voluit viſitare, cujus rei, præter conſtantem traditionem, quæ habetur in ſacri ſpecus, & ſanctæ Scholaſticæ Sublacenſis Cœnobiis, apparet adhuc veſtigium in ſacello ſanctorum Angelorum, & ſancti Gregorii a Gregorio IX. conſecrato, ubi a dextris altaris idem benignus Franciſci fautor, & amicus Gregorius depictus eſt, a ſiniſtris autem Franciſcus, ſchedam manu tenens exaratis his verbis: *Pax huic domui*, quibus ſemper, domum quamcumque ingrediens, incolas ſalutabat. Sacellum hoc ſupereminet illi hortulo, ſeu viridario, in quo ſanctus Benedictus moleſtum carnis incitamentum ſpinarum cruento ſuperavit volutabro. Digna autem tantæ rei contemplatione Franciſcus immerſus, ſanctitatemque inſignem magni ſecum expendens Patriarchæ, qui tam duro & diro ſibi ſuccurrit remedio, dumeta attrectans & exoſculans, demum ſigno crucis afficiens, in roſarium pulcherrimum divina vertit virtute. Quo factum eſt, ut deinceps ille locus in majori haberetur reverentia, & roſetum, utriuſque Patriarchæ religione ſacratum, miræ virtutis roſas producat, quæ multam ubique infirmitatum medelam attulerunt. Cœleſtem hanc metamorphoſim perbelle & docte quidam eruditus Poeta hoc carmine depinxit.

Virgineum ſepit florem Benedictus acutis
Vepribus, & proprii rore cruoris alit.
Hinc dumeta novas tanto fœcunda liquore,
Franciſcique manu culta tulere roſas.
Falſa quidem roſeo cecinere e germine vates;
Sed latuit falſo carmine vera fides.
Scire cupis roſei flos exeat unde pudoris?
Sola roſas potuit gignere puncta Venus.

Bonaven. c. 12.

Cajetæ prædicat navicula per ſe a terra recedente.

VI. Hinc ubique per obvia loca ſacrum verbi Dei ſemen diffundens, pervenit Cajetam, ita, uti probabilior fert opinio, ab Ænea nutrice dictam, urbem in Latio munitiſſimam, portu celeberrimam. Dum hic prædicaret in littore maris, turbis præ devotione ruentibus, ut eum contingerent, horrens Chriſti ſervus tantum populorum applauſum, in unam hærentem littori naviculam proſilivit ſolus. Illa vero, tamquam ſi ra-

ſi rationis particeps, motore moveretur intrinſeco, ſine aliquo remige, cernentibus & mirantibus cunctis, ſe longius a terra protraxit. Cum autem aliquanto ſpatio in maris altitudinem ſeceſsiſſet, ſtetit inter fluctus immobilis, quamdiu Vir ſanctus turbis expectantibus in littore prædicavit. Cumque audito ſermone, & viſo miraculo, ac benedictione accepta multitudo recederet, ne ipſum amplius moleſtaret; navicula proprio ductu, ad terram reverſa eſt. Quis igitur tam obſtinatæ mentis eſſet & impiæ, ut prædicationem Franciſci contemneret, cujus miranda fiebat virtute, ut etiam inanimata corpora tamquam animata prædicanti ſervirent? Aderat equidem ſervo ſuo Franciſco, ad quæcumque pergeret, is qui eum unxerat, & miſerat Spiritus Domini, & ipſe Dei virtus & ſapientia Chriſtus, ut ſanæ doctrinæ verbis affflueret, & magnæ potentiæ miraculis coruſcaret. *1. Cor. 1. v. 24.*

VII. Admirantes Cajetani Dei virtutem in homine, rogaverunt ut aliquantiſper apud ſe hæreret, & ſodalibus habitaculum extrui permitteret. Eorum precibus acquievit Vir ſanctus, & ſtatim manus operi admota, incœptumque longiuſcule ab hominum commercio in montis latere, ſed intra Civitatis mœnia, Monaſterium. At in ſtructura Eccleſiæ mira res evenit; nam faber quidam lignarius, dum incautus ſub ipſa contignatione verſaretur, a ruente trabe opprimitur extinguiturque, & in domum ſuam omnino exanimis, ut inde ferretur ad ſepulcrum, a cooperariis portatur. Aberat tunc Franciſcus a Civitate, ſed audito miſerando caſu feſtinus revertitur, occurritque in montis declivio, non longe a nova fabrica, cadaveri feretro impoſito, & funebri hominum multitudini. Deponi mortuum juſſit in terra, apprehenſaque manu, veluti dormientem excitaret, ſigno crucis munitum vocavit ex nomine, & exſurgere præcepit. Statim revixit mortuus & ad incœptum opus proſequendum cum Viro Dei rediit ad Eccleſiam. Ita loci incolæ miraculum hoc mihi retulerunt anno MDCXXIII. Neapoli Romam redeunti, confirmaruntque oſtenſo mihi in illo declivio parvulo ſacello ad rei memoriam extructo, & lapide marmoreo ſubtus trabem e muro exiliente illo loco, e quo in hominis decidit interitum. Aliter tamen res hæc narratur in fine Legendæ a Divo Bonaventura conſcriptæ inter miracula tertiæ claſſis, innuiturque Franciſcum jam vita exceſſiſſe; ſed fortaſſe aliud ab hoc eſt illud miraculum, & in quibuſdam confunduntur ab eo, qui ſeriem illam miraculorum vel adjunxit hiſtoriæ Bonaventuræ, vel auxit. *Cajete mortuum reſuſcitat.*

VIII. Valde locum hunc dilexit Franciſcus, tum quia paupertati conformis, tum quia ab hominum frequentia ſemotus, contemplationi erat opportunus. Senſit in eo carnis moleſtias, quas ut valide excuteret, in denſas, & pungentes ſpinas ſe volutavit. Eodem tempore excuſſa carnis titillatio, & expuncta dumeta, decidentibus undique ſpinis, a quo tempore mollia omnino, lenia & tractabilia perpetuo miraculo virentia ſe omnibus præbent. Palpavi ipſe, attrectavi, undique luſtravi, nec in vacciniorum arbuſtis his ſpinam ullam potui detegere. Tranſplantati multis in locis Italiæ dumeti hujus ramuſculi, ſed ejuſdem & mollis undique naturæ. Extabat adhuc truncus malus medicæ a Viro ſancto plantatæ, quæ præ nimia devotione ab adventantibus decorticata, omnino denudata perierat. Eccleſia a Franciſco fundata militi præſidiario Hiſpano modo deſervit, ut Confraternitatis ſancti Jacobi munia inibi poſſint obire. Inferius alia eſt ampla & capaciſſima, quam a Carolo II. utriuſque Siciliæ Rege, S. Ludovici fratre extructam anno MCCXCIV.

aſſe-

Digitized by Google

Gonzag. in Prov. Terræ Lab. Con. 7. Collenut. lib. 5. compendii. Tho. Caſtus lib. 2. Apolog.

Dirum fœneratoris ſupplicium.

aſſerit Gonzaga. At non frater, ſed pater hic Ludovici, quem etiam Neapolitani Regni Scriptores laudant a pietate, & ab extructis multis monaſteriis & Eccleſiis. In hujus ædis ſacello, beato Antonio dicato, rarum depictum prodigium. Cajetanus quidam fœnerator, cum nulla penitus facta bonorum reſtitutione diem clauſiſſet extremum, & in prædicto ſacello humari voluiſſet, circa medium ſubſequentis noctis horribiles duo homines ad fratris Sacriſtæ oſtium pulſantes ei imperarunt, ut ſumptis calice & ſtola, ſe ſtatim ſequeretur. Quo tandem ſequente omnes ſimul ad miſeri illius hominis ſepulcrum accedunt, atque ex tempore cadaver exanime exhumantes, ejus occiput illorum alter pugno percutit, ſacramque Euchariſtiam in calicem ad fœtidum os per Sacriſtam admotum, exilire compulit, ac ſtatim ambo ſimul tartarei homines illi miſerabile corpus, patefacta ſibi ex tempore in pariete feneſtra, quæ adhuc conſpicitur, ad Tartara perpetuis ignibus puniendum per aera detulerunt. Ita perpetua traditione, & mira pictura firmum hoc ac certum Cajetanis, ut nihil hujuſmodi certius eſſe dicatur.

Chriſtus reficit ſacra Communione duos Fratres.

IX. In Eccleſia ſuperiori ſancti Franciſci aliud mirabile perpetuis ſignatur monumentis. Præparaverant ſe duo Fratres Laici pro ſuo modulo ad ſacram Communionem cum ceteris Fratribus de religioſo more, in die cœnæ Domini faciendam; cumque nihil minus cogitarent, a loci Guardiano, urgebat ſiquidem neceſſitas, panem mendicaturi in Civitatem mittuntur. Qui tandem domum tardius reverſi, cum & divinum officium perſolutum, & reliquos Fratres menſæ aſſidentes inveniſſent, Eccleſiam, ubi venerabile Chriſti Salvatoris corpus de more aſſervabatur, contempta refectione, petunt, ibique ſuas vices, quod ſacra Communione in tanta ſolemnitate privarentur, miſerrime dolentes, gemitibus ac ſingultibus anxius vacabant. Dumque nihil minus cogitarent, ex ipſa arcula, qua ſacroſancta Euchariſtia recondebatur, graviſſimus quidam, pulcherrimus, ac compoſitus juvenis proſiliit, qui aſſerens ſe Chriſtum Dominum eſſe, eorum utrique ſacram Communionem porrexit, ſtatimque locum, unde prodierat, repetiit. Extant adhuc veſtigia pedum ipſius pavimento ejus ſacelli, in quo hoc contigit, impreſſa, atque ferreis craticulis contecta; & loca, ubi ipſi Fratres orabant flexis genibus, aliis cancellis occluſa, qui meritis & bonis operibus locupletes in eodem Monaſterio obierunt, ubi habentur in veneratione. Ceſſit hic Conventus poſt annum MCCCCXX. Patribus Obſervantiæ tempore magiſtri Jacobi Sarzuela Provincialis.

Legen. antiq.

Marian. c. 10.

X. Hinc diſcedens Franciſcus, in itinere declinavit ad cujuſdam Nobilis ædes, a quibus cum recederet in forum prædicaturus, ſequuti ſunt eum patres familias relictis domi una ancilla, & quadrienni infante. At famula allecta ceterorum domeſticorum exemplo, cupienſque cum ceteris Dei virum concionantem audire, poſt eos abiit, neglecto puerulo. Rediit feſtinanter ante alios ancilla, invenitque dilapſum in cacabum, ſeu ahenum efferventi aqua plenum, infantulum mortuum & ſemicoctum. Extractum corpuſculum recluſit in arcam: quod diu parentes latere non potuit, dum redeuntes quid ageret, vel ubi eſſet unicus filiolus interrogarent? Monuit tamen, & rogavit impenſe uxorem maritus, ut propter ſervi Dei Franciſci reverentiam, ne illius ejulatu aut cruciatu contriſtaretur, dolorem leniret, vel ſaltim ſimularet, donec ille pranſus recederet. Venit Vir Dei, & ſancta lætitia commenſales excitabat ad gaudium, non ignorans quo indigerent ſolatio, finxitque ſub

prandio

prandio pomorum appetitum. Dolentibus maxime nulla ſe tunc habuiſſe domi; dixit, ut arcam illam (ſignando eam, quæ corpuſculum habebat infantis) aperirent, extraherentque, quæ omnibus inſciis, inerant poma. Remorantibus illis, negantibuſque hujuſmodi in illa arca recondi, inſtitit Vir ſanctus, ut omnino aperiretur. Exurgens ipſe pater familias, ut morem viro Dei gereret, cautiuſque negotium perageret, ne planctus renovarentur, arcam aperuit, vivum filium comperiit, & utraque manu pomum tenuiſſe conſpexit. Quo inopinato & miro exhilaratus ſpectaculo, filiolum arridentem in ulnas aſſumpſit, ad Dei Virum detulit, & rem omnem communi gaudio narravit.

Reſuſcitat Franciſcus mortuum infantem.

XI. Carinulam, ſive Calenum Campaniæ felicis Civitatem, ad quatuor millia paſſuum ab oppido Mondragonio notiſſimo diſtantem, venit Vir ſanctus, magnoque cum lucro animarum, & ſui Ordinis augmento prædicavit, accepitque pro ſuis habitaculum ſub invocatione ſancti Joannis Baptiſtæ, quod poſt ejus mortem, ipſius ſancti Viri nomini dicatum eſt. In quo ejuſdem beati Patris cellula, maluſque medica arbor, quæ tripartito ſtipite e terra exurgens pulcherrimum ſui ipſius proſpectum præbet, ab eodem plantata perſeverat. Præfata arbor hunc a ſui exordio ordinem perpetuo ſervavit, ut alternis annis quiſque ſtipes, aliis duobus interim quieſcentibus, fructum ferat. Cujus etiam fructus ad plurimos morbos pellendos confert, præſertim ſi ejus cortex aquæ admixtus epotetur. Hic etiam conſpicere licet juniperum arborem a B.P. Junipero plantatam, quæ in ejus inobedientiæ pœnam, nec latum unguem a die, quo terræ infixa eſt, crevit. Dum enim præfatus B. F. Juniperus ei plantandæ intenderet, vocatuſque a Seraphico patre, quouſque cœptum perfeciſſet opus, parere detrectaſſet, maledixit beatus Franciſcus arbori, quod ejus cauſa ſalutaris obedientia detrimentum paſſa eſſet, eique præcepit ne in poſterum creſceret, ſed ut in ea prorſus quantitate, ut ſalutare aliis eſſet exemplum, perpetuo maneret, prout & factum eſt. Locum etiam Fratribus tumulandis ipſe Vir ſanctus deſignavit, & ſuis manibus cœmeteriolum muro circumdedit, in quo ſemper Fratres ſe ob tanti Patris reverentiam ſepeliri volunt, effoſſis & in decentem locum translatis oſſibus, quibus arctus locus aliquando repletur. Mirabiliter etiam in hac Civitate compeſcuit vulpis pauperis cujuſdam vetulæ gallinas & pullos rapientis rabiem, itaut manſueta effecta nullius illius urbis rei familiari amplius noceret.

Gonz. cit. Con. 11. Marian. c. 20.

Conventus Carinulæ.

XII. Plura in Regno Neapolitano loca adeptum ſanctum Virum ſcribunt Marianus & Rodulphus, ſed præ ceteris memorabilem locum Capuæ Cumanorum, Annibalis milite hybernante, & longa obſidione Romanæ urbis notiſſimæ. Multa enim quæ ibidem Vir ſanctus operatus eſt miracula, præcipue quod a rapido fluvio raptam mulierem miraculoſe extraxerit incolumem, Civium omnium conciliarunt animos, adeo ut ſtatim, de domo in qua cum ſuis habitaret, inierint conſilium. Viſa peropportuna neglecta quædam Abbatia Patrum Benedictinorum, quæ in commodum Minorum habitaculum redigeretur. Id curarunt ſuis expenſis quidam Optimates Civitatis de familia Cajazæ, olim in ea Civitate numeroſa, & potenti, hodie tenui & exili; cujus inſignia apparent in Eccleſiæ Choro alto, aliis tribuna. Refectorium, culina, & impluvium ipſa ſunt, quæ olim fuerunt Benedictinorum, quibus ex conventione ſolvunt Patres Conventuales, hujus ædis incolæ, annuum cenſum ſtabilitum publica ſcriptura ſub Calliſto III. anno Pontificatus 1. Spectat hic Con-

Marian. cit. Rodulp. a f. 175.

Conventus Capuanus.

Conventus ad Provinciam Terræ Laboris, & Cuſtodiam Neapolitanam Minorum Conventualium; in qua & alia ſunt duo loca in hoc itinere ſancto Viro conceſſa, unum Miniani, alias Mignani, oppidi in Campania felici, campis Venafranis adjacentis: alterum Metalonis, aliis Montaleonis, vel Magdalonii, nobilis Comitatus gentis Caraffæ, inter Neapolitanas eximiæ. Sacellum hic paulo ante extructum obtulerunt Viro Dei Oppidani, juxta quod extruxit tuguriolum, & citrum plantavit, quæ in proceram arborem excrevit. In Cuſtodia Salernitana ejuſdem Provinciæ, dum ſancti Andreæ viſitaret reliquias, obtinuit Conventum Amalphis, nobiliſſimæ & antiquiſſimæ Urbis juxta litus maris Inferi, ſive Tyrrheni, circa medium oræ Amalphitanæ ſitæ, in qua S. Andreæ oſſa maxima in veneratione auguſtiſſimo in fano ſervantur, quæ admirabilem liquorem, illuc peregrinantibus ſumme deſiderabilem, incolæ mannam vocant, perpetuo exſudant. Cubiculum ibidem ab eo extructum adhuc ſancti Viri nomen conſervat. In Cuſtodia Principatus extruxit locum Agroboli, Mariano Agripoli, poſtquam ex alto ſcopulo, populo duræ fidei ſpectante, confluentibus ad litus piſcibus, prædicavit.

Conventus Mignani & Metalonis.

Alii Conventus.

XIII. In provincia Pennenſi, ita a Penna Brutiorum civitate dicta, nunc mutato nomine, communi Patrum conſenſu & calculo in Comitiis generalibus Mediolani anno MCCCCLVII. ſancti Bernardini cognominata, alium admiſit Conventum in ipſa Civitate jam nominata. Eum accepit a ſancto Anaſtaſio illius Urbis Epiſcopo, & cive, ex antiqua familia Venantiorum, qui admonitus in ſomnis die ſequenti Virum ſanctum ei obvium futurum, proceſſit expectaturus, & occurrentem care complexus eſt reciprocos deferentem honores. In Eccleſia ſanctorum hic occurſus affabre depictus eſt, ſubmiſſis his verſibus:

Rodul. in Cuſtod. Pennen. fol. 177.
Conventus Pennenſis.

Cælitus admonitus Præſul Pennenſis, it ultro,
Complexuſque Patrem, dat quoque ſponte locum.

Inſignis eſt hic Conventus, & plura habet ſpectabilia, ſed præ ceteris ſanguinis Chriſti venerabilem reliquiam. Floruerunt in eo tres Patres docti, ex familia Angelinorum, quorum commendationem & epitaphia dabimus, ſi Deo placuerit, poſt annum MD. quo tempore floruerunt. In Cuſtodia Tarentina Provinciæ ſancti Nicolai cœpit Conventum in Oria civitate, Plinio Uria, Appiano Hyria, quæ in Mediterraneo Salentinorum Tarentum ſpectat exiguo ex colle, ad quatuor mille paſſus ab agro Meſſanienſi. In eadem Cuſtodia ad octo mille paſſus a civitate Nicotera in oppido Jojæ, quod in Calabriæ regione eſt, introrſum a littore maris Adriatici ad ſinum Sancteuphemianum nonnihil remotum, vitibus, nobilibuſque arboribus abundans, alium occupavit, modo non ignobilem beneficiis Domini Lucæ Andrani cumulatum. Alia item plura acquiſivit ſuis domicilia Aliſani, Cereæ, Nonpotiani, Faræ & Plenuæ, univerſumque Regnum Neapolitanum non mediocri hominum bono perluſtravit.

Plin. lib. 3. c. 10. Appia. lib. 7. Herodot. lib. 5.

Alia Cœnobia.

XIV. Montellam, oppidum titulo Comitatus inſigne, in Samnitum regione, non longe a Benevento, ad dextram Caloris fluvii, ſenſit erga ſuos benignam, quos amplo donavit hoſpitio, & magna excepit jucunditate. Dum enim poſt plures habitas conciones ſecreto recederet ſero nimis, neque extra oppidum eſſet ubi ſub tecto dormiret, in nemore latronum receptaculo ſub ilice requievit. Ninxit abundanter illa nocte, ſed nivis nihil ſupra arborem illam, aut locum ubi Fratres decumbebant, deſcendit, quod miraculo tribuentes quidam, qui diluculo illac tranſierunt,

Marian. cit.

Conventus Montellæ.

runt, & hominem Dei cognoverunt, narraverunt Domino Montellæ. Ille vero revocatum & accerſitum ad ſe Virum ſanctum rogavit, ut amplius apud eos remaneret, vel ſaltim ex ſociis relinqueret, qui Oppidanis Chriſtiano eſſent magiſterio. Binos reliquit, qui ad herois votum Monaſterium ibi ſtruxerunt, ubi cœli clementiam ſub inclementi tempore ſenſerunt: quo exædificato, & nemus ſacra æde ſacrarunt, & prædonibus liberarunt; ita enim eos ſuo ſancto exemplo & ſalutari documento ad meliorem frugem reduxerunt, ut, exoſis latrociniis, vitam deinceps vixerint Chriſtianam. Ad ſuum uſque tempus refert Marianus ilicem effloruiſſe ad Franciſci memoriam, ſed a quodam Fratre inciſam, ut liberius videretur e regione Civitas, non abſque offenſo numine, neque temeritate impunita; divinam enim ſenſit ultionem extemporanea & ſingulari infirmitate, ſub qua per paucos dies laborans egit animam inter cruciatus. Ita cœlites ad numinis gloriam ſua volunt durare veſtigia; neque temere delenda permittunt, quæ Deus vel ad hominum inſtructionem, vel ad ſuorum amicorum laudem in mirabilium ſacravit memoriam.

XV. Ex urbe Leccii in Apulia, poſt inchoatum ſuis Monaſterium, cum recederet, factus ei obviam quidam ex ſuis, qui apoſtataverat. Recepit eum ad oſculum & pacem cum omni manſuetudine, ſed ad furcas e regione in alto poſitas reſpiciens, inquit: Cave tibi, ne ſecundo e gremio Religionis divelli te permittas a Dœmone; te enim eouſque ad malum impellet, ut tandem in furcas agat, & in iis ipſis, quas proſpicis miſere & turpiter ſuſpendaris. Adhæſit erroni cor pravum, & plus tribuit diabolicæ ſuggeſtioni, quam ſalutari Franciſci admonitioni; nam aliquot poſt menſes religioſam exuens veſtem, indulſit liberiori & inſanæ vitæ, donec deprehenſus in furto, in ipſis illis furcis, ſceleribus dignas pœnas exolvit.

Marian. cit. *Leg. antiq.* Prædicit apoſtatæ furcas.

XVI. In civitate Barii, quæ in Apulia Peucetia ſancti Nicolai, Mireani Antiſtitis corpore, ſtructuræ pulchritudine, lautitia & populorum frequentia, perquam nobilis cenſetur, in qua Reges Neapolis & Siciliæ coronam ſumere ſolebant; dum illac tranſiret Franciſcus, aulam tenebat Fridericus II. Imperator. Pro more Vir ſanctus ſacro verbo a peccatis populum, & ab aulæ periculis Imperatorios ſtuduit retrahere. Concionatus eſt potiſſimum contra libidinem & venerem, in quam nimirum proclives aulici illi. Rem referunt Imperatori, exiguæ vel nullius pietatis virum; qui dum ſalutarem Viri doctrinam probare, & ad ſuorum frugem commendare debuerat, potius exprobravit, temere adjiciens non inſolitum aut rarum eſſe, ut veneri clanculum indulgentes, acrius alios ex alto reprehendant; neque adeo conſtare, an & hic in illorum numerum veniat recenſendus: facile autem fieri poſſe periculum, ſi vocato ad cœnam ſubmittatur in cubiculum ſcortum ſecreto. Ita factum, ſed dum impudica fœmina Viri ſancti caſtitatem tentabat, & ad turpitudinem illectabat, eo prorſus modo, quo ſuperius diximus, Saracenæ in Ægypto effugaſſe, vel effugiſſe, periculoſas hujus vicit inſidias. Nam ignis, in quem ſe miſit, in quo decubuit, ad quem, ceu ad lectum, meretricem invitavit ad concubitum, juvenculam conjecit in fugam. Aulici cum Imperatore, dum omnia per rimulas obſervaſſent, videntes beatum Virum integro & illæſo ab igne corpore, quem illudere ſtatuerant, maxime admirari cœperunt, & venerari. Ingreſſuſque Cæſar cubiculum, ſuis dixit: Vere hic Dei amicus eſt; & Franciſco: Surge Vir Dei, quia Deus tecum eſt, & verbum ejus verum in ore tuo, qui hac nocte mirabilia in te demon-

Leg. antiq. *Piſan. confor. 13.* *Anno 1219. n. 64.*

ſtravit. Nam ut video nec odor ignis eſt in te, nec vis incendii tibi moleſtiæ quidpiam intulit. Tuum eſt Deo gratias reddere, qui virtutem dedit, & conſtantiam, ut non timeres a timore nocturno, nec veneris, aut ignis flammam ſentires. Noſtrum eſt veniam deprecari, qui inique tentavimus tuam labefactare caſtitatem, & periculum facere, an quod verbo docebas, opere compleres. Dimiſſiſque aulicis per aliquot horas cum Dei Viro remanſit, ſerio de multis agens, libenterque audiens quæ ille ad animæ ſalutem proponebat; licet poſtea ex hominis operibus conſtiterit, quod ſurdo cecinerit. Hujus facti adhuc ſupereſt memoria; turris enim in quo evenit, a Franciſco ob hoc deſumpſit cognomen.

Bonavent. c. 7.

Franciſci ſocius eluſus a Dæmone in pecuniis.

XVII. Ab hac Civitate recedens, non longe diſtabat, quando Dæmon, ſuas artes in venere paulo ante deluſas conſpiciens, alias aggreſſus eſt in pecuniis. Fecit ut appareret ante ejus, & ſocii oculos in via crumena magna, quaſi plena eſſet denariis tumeſcens, quam uſitato vocabulo illius regionis homines fundam appellant. Monetur a ſocio pauper Chriſti, & inſtanter inducitur, ut burſa tollatur e terra, & pecunia pauperibus erogetur. Renuit homo Dei commentum affirmans fore Diaboli in burſa inventa, & Fatrem non ſuadere rem meriti, ſed peccati, aliena ſcilicet ſurripere ac donare. Recedunt de loco, feſtinant iter perficere cœptum; ſed nondum quieſcit Frater, vacua pietate deluſus Virum Dei moleſtans, quaſi qui de relevanda pauperum penuria non curaret. Acquievit tandem Vir mitis redire ad locum, non ut Fratris voluntatem perficeret, ſed ut detegeret diabolicam fraudem. Reverſus eſt ergo ad fundam cum Fratre, & juvene quodam, qui erat in via, oratione præmiſſa, jubet ſocium illam levare; tremefactus Frater obſtupuit, diabolicum jam præſentiens monſtrum; propter obedientiæ tamen ſanctæ mandatum dubietatem abigens cordis, manum extendit ad burſam. Et ecce ſerpens non modicus de burſa exiliens, ſimulque cum ipſa ſubito evaneſcens, diabolicam deceptionem Fratri monſtravit. Hoſtilis itaque verſutiæ deprehenſa fallacia dixit Vir ſanctus ad ſocium: pecunia ſervis Dei, o Frater, nihil aliud eſt, quam Diabolus & coluber venenoſus. Extructum eſt ad rei memoriam in ipſo loco ſacellum.

Inviſit Franciſcus montem Garganum.

Marian. cit. Redul. fol. 178.

XVIII. In Apulia Daunia viſitavit in monte Gargano ſancti Michaelis Archangeli venerandum delubrum, ad quod ingreſſus patet ad Septentrionem quinquaginta quinque graduum marmoreorum, per quos deſcenditur beneficio luminis immiſſi per frequentia ſpiracula, & feneſtrulas exciſas in ſaxo. Ipſa mirabilis crypta, Archangeli domicilium, in Orientem explicata, tota ex vivo ſolidoque lapide, purum liquorem ſtillante, horrida, profunda & obſcura eſt, haud probabiliter in alium finem, quam in animarum ſalutem facta. In medio delubrum eſt exiguum aſcenſu graduum quatuor; cum autem ad ſanctiſſimam Angeli aram, paulo editiorem, propius quiſpiam accedit, velit nolit venerandum & ex religione colendum locum fatetur. Conſpicitur ibi ara ab ipſo Archangelo conſecrata, veſtitaque nunc alterius manu, fabricato artificioſo, & pulchro tegumento, in qua ſacra fiunt, minimeque in hæc penetralia paſſim omnes admittuntur. Non fuit præcluſus aditus Franciſco, attamen ipſe, ex ſancti loci reverentia, præ foribus ad dexteram æreæ portæ, ſummo artificio perfectæ, per quam ad Occaſum in ſpecum aditus datur, humiliter oravit, & aliquantulo tempore hæſit, dicens ſocio & invitantibus ut introiret; ſe non audere ingredi, quia terribilis eſt, inquit, locus

Digitized by Google

locus iſte, & habitaculum Angelorum, quibus ab hominibus oportet reverentiam omnem exhiberi. Adhuc monſtratur ab æadituis ubi oraverit, & hæſerit ad peregrinantium firmiorem fidem, & majorem hujus loci reverentiam. Prædicavit deinde in caſtro vicino, & locum habitationis ſuis ſectatoribus obtinuit.

XIX. Tria ſunt in Cuſtodia Beneventana Provinciæ Terræ Laboris, quæ in regreſſu acquiſivit, Monaſteria. Aquæ putridæ vel Mirabelli unum, Avellini alterum, tertium ſanctæ Mariæ Olivetæ, Terræ Apipis, aliis Apitii. In Cuſtodia ſancti Benedicti aliud in oppido vici Albi, in quo fontem aperuit, ſignato prius in alvei fundo crucis ſigno, quod mirabiliter & clare ſub ipſa aqua conſpicitur; & tandem, jactis fundamentis oratorii in oppido Apoſtæ, pervenit Eugubium in Umbria urbem antiquam, ad Apennini radices poſitam, non longe a Tiferno, ubi mulierem contractam habentem utramque manum ſanavit, & lupum populo, ultra quam credi poteſt, infeſtum cicuravit; inito cum eo pacto, quaſi cum rationis capaci loqueretur, quod ille nullum læderet vivens, & cives illum alere tenerentur. Ita conventum in publico foro inter utroſque, præmiſſa concione, qua Vir ſanctus oſtendit animalia hæc ferocia aliquando a Deo immitti, ut deviantem populum reducant, & peccantem ſui moneant officii. Vixit per biennium inter eos ingrediens & regrediens lupus, ſua contentus refectione quotidie ſibi miniſtrata; ad cujus conſpectum ſemper excitabantur populi ad Dei laudes, & majorem Franciſci reverentiam.

Plura alia acquiſita Monaſteria.

Marian. c.21. Spec. S. Franc. par.2. c.76.

Lupum cicuravit.

XX. Duplex in hac miraculoſa conventione præſtitit beneficium, & homines a rapacis rabie liberavit animalis, lupoque ipſi certum conſtituit alimentum; quem, etſi alias exoſum & hominibus noxium, tamen velut Dei creaturam amavit, & fratrem lupum vocabat. Conſideratione primæ originis, & creatoris omnium Dei, creaturas omnes, quantumlibet parvas, fratris vel ſororis appellabat nominibus, pro eo quod ſciebat eas ſecum unum habere principium; eaſque viſceroſa diligebat caritate, ſed illas præcipue quæ Chriſti piam manſuetudinem ſimilitudine naturali prætendunt, & ſcripturæ ſignificatione figurant. Id probavit in ipſius hujus Civitatis Epiſcopatu ad Monaſterium ſancti Verecundi, ubi ipſa, qua acceſſit nocte, intra Monaſterii ſepta ovis edidit agniculum. Aderat forte ſus ferociſſima, quæ vitæ innocentis non parcens, rapaci eum morſu necavit. Hoc audito, pius Pater mira compaſſione commotus, & agni ſine macula recordatus, lamentabatur pro morte agniculi coram omnibus dicens: Heu me, frater agnicule, animal innocens, Chriſtum hominibus repræſentans! maledicta ſit impia, quæ te interfecit, nullusque de ea comedat homo, vel beſtia. Mirabile dictu! ſtatim infirmari cœpit porca malefica; & tribus diebus corpoream pœnam exſolvens, ultricem tandem pertulit necem. Projecta autem in vallem Monaſterii; ibique longo tempore jacens, in modum tabulæ deſiccata, nulli fuit eſca famelico. Advertat igitur humana impietas, quali pœna ſit ferienda finaliter, ſi tam horrenda morte percuſſa eſt ferocitas beſtialis.

Bonav. c.8.

Maledicit ſui agnum edenti.

XXI. Pietatem hanc admirandæ virtutis, & copioſam erga ipſam dulcedinem multoties ipſa agnoverunt animalia, & miris geſtibus occurrenti applaudebant, quo poterant modo gratum reddentia affectum. Alias, juxta civitatem Senenſem iter faciens, invenit in paſcuis magnum ovium gregem, quas cum benigne, ut erat ſolitus, ſalutaſſet, relicto paſtu cucurrerunt omnes ad eum, levanteſque capita ſua, erectis in eum lumi-

Bonav. cit.

Oves ei occurrunt & applaudunt.

luminibus intendebant. Tantum quidem ei fecerunt applauſum, ut & paſtores mirarentur, & Fratres, cernentes circa ipſum tam ovium agnos, quam ipſos arietes ſic mirabiliter exultantes.

Anno 1220. n. 7. Legen. antiq.

Initiatur Benevenutus Eugubinus.

XXII. In agro dictæ civitatis Eugubii, ei occurrit miles quidam, Benevenutus nomine, alius ab eo, quem ſupra diximus Mantuæ relictum, humiliter petens ut in hoc Sodalitium reciperetur. Admiſſus humilitatis quibuſcumque ſe officiis addixit, & leproſis ex ſancti Patris præcepto, ſervivit. Evaſit in infimis ſupremus, morum honeſtate & ſanctitate conſpicuus, obediens in omnibus ad nutum, in infirmitatibus prolixis & gravibus patientiſſimus, nec minimæ turbationis ſignum depromens. Miræ fuit honeſtatis & religioſæ gravitatis in verbis & geſtu, in converſatione laudabilis, audientibus & ſpectantibus factus virtutis exemplum. Paupertatem impenſe zelabat externo contentus amictu, cibi ſumens quantum erat laſſo corpori neceſſarium. Raro, & cum neceſſum eſſet, loquebatur, afflictis & pauperibus ex corde compatiebatur, aliena delicta, tamquam propria, ardenti deflebat caritate. Magnam contemplationis cœleſtium gratiam, & lacrymarum donum accepit; noctes integras flens orabat, nec tamen die ſequenti prodibat in publicum, niſi poſt horam tertiam ad publica munia Monaſterii. Sacroſanctam Euchariſtiam toto venerabatur affectu, & vere Deum latentem ſub velo comperiit, dum ex eodem auguſtiſſimo Sacramento multoties prodibat bellus infantulus, ejuſque ſe ingerebat brachiis ſuaviter ſtringendus. Mira & ſancta fuit hominis vita, ut largius ad terminum ejuſdem dicemus.

Marian. c. 21. Legen. antiq. Ant. par. 3. tit. 24. c. 7. §. 3.

Suſcipitur ad tertiũ Ordinem Bartholomæus Baro.

XXIII. In hoc eodem tractu, & anno refert Marianus, ſed Antoninus ſequenti, converſum & Tertii Ordinis habitum indutum Bartholomæum Baro, olim Advocatum Curiæ Romanæ, cujus turbas & pericula ut fugeret, receſſit habitaturus inter Eugubium & Maſſam Trabariam. Ob vitæ rectiſſimam normam fama ejus longe reſonabat, ad quam illectus Franciſcus hominem voluit inviſere. Sanctum initum inter utrumque colloquium, placuitque Bartholomæo, quam Franciſcus præſcripſit vitam volentibus in ſuis ædibus commorari, humiliter aſſumere. Novo ſuo diſcipulo ob pietatem & ſingularem rerum agendarum prudentiam, Vir Dei, tanto caritatis adhæſit affectu, ut ſocios ei dederit ex Fratribus, qui illi cohabitarent, auctoritatem inſuper addiderit alios ad Ordinem recipiendi & gyrovagos eidem reconciliandi.

Cujuſdam energumeni de Franciſco confeſſio.

XXIV. Mirum eſt quod de quodam energumeno, in hujus domo commorante, præ aliis refert ſanctus Antoninus, cujus hic verba tranſcribo. H*ic habebat dæmoniacum in domo, qui quaſi continue loquebatur. Cum autem beatus Franciſcus aliquando ad illud hoſpitium accederet, antequam multum appropinquaret, dæmoniacus cœpit tacere, & per triduum continue tacuit. Poſt receſſum beati Franciſci loquacitatem primam reaſſumpſit. Adjuratus ergo diabolus a dicto Bartholomæo, cur tacuiſſet per illud triduum? reſpondit, quod ex quo applicuit beatus Franciſcus, ita religatus fuerat a Deo, quod unum verbum proferre non potuiſſet; & Bartholomæus adjecit: Eſtne ergo tantus hic frater Franciſcus, ut per eum ſic pati potueris & ligari? cui dæmoniacus: Vere talis & tanta eſt virtus ejus, quod magnalia ejus totus mundus cum admiratione cognoſcet. Et numquid, inquit Bartholomæus, vos de ejus adventu, ex quo tantus eſt, aliquid cognoviſtis? Et dæmon: Non eſt multum tempus, quod princeps noſter nos omnes ſimul congregavit, & dixit; quod Pater miſericordiarum Deus nunquam ſic mundum peccatis involvi permiſit, quin malis & criminibus collabenti ſemper ali-*

Digitized by Google

aliquem miſerit pro peccatoribus convertendis; ſicut Noe, Abraham, deinde Moyſen, demum Chriſtum & Apoſtolos. Quia igitur modo humanum genus viam Chriſti & Apoſtolorum ferme reliquerat, & memoria paſſionis ejus a cordibus hominum, quaſi totaliter receſſerat, ex multis argumentis clarum eſt, quod mittendus erat aliquis reformator. Cum autem videremus iſtum Franciſcum, ſic ardua virtutum cum tanto fervore aſcendere, mundana contemnere, vitam Chriſti renovare, tantam congregationem hominum perfectorum poſt ſe trahere, quaſi certitudinaliter exiſtimavimus, quod ipſe eſt quem timebamus pro mundi reformatione mittendum. Et adjecit demum, ſcilicet princeps dæmonum, quod Deo Patre contra mundum turbato, illud excogitatum ſit conſilium Chriſti paſſionem in puro homine renovari, per quem cordibus imprimeretur fidelium, a quibus videbatur penitus abolita. Hoc autem fuit biennio antequam Sanctus ſacra Stigmata recepiſſet.

XXV. Circa finem hujus anni ad nidiculum ſuum Sanctæ Mariæ Angelorum rediit Vir ſanctus, ut poſt tot laborioſos diſcurſus, & diſſeminatum longe lateque Dei verbum, non ſine ſui Ordinis incremento & proximorum ſalute, ſibi ſerio intenderet. Præter jam relata nihil eſt memorabile, quod ab illo hoc anno factum referamus; plura tamen ab eo in exteras regiones miſſi laude & narratione digna perfecerunt. De Fratribus Germaniæ ad ea, quæ ſuperiori retulimus anno, ſubtexit meus ille auctor Balduinus de Brunſuvike, quæ ſequuntur: *Anno* MCCXXII. *frater Cæſarius Miniſter, plurimis jam receptis Fratribus, tam clericis, quam laicis, Capitulum Provinciale Wormatiæ cum Fratribus de civitatibus vicinioribus inſtituit, & quia tanta Sacerdotum premebatur penuria, ut neceſſe eſſet unum novitium Sacerdotem per alternas vices nunc Spiræ, nunc Wormatiæ in ſolemnitatibus ſacrum facere Fratribus, eorumque confeſſiones excipere, promovit tunc tres Fratres ad ſacerdotium Palmerium, Abrahamum Hungarum, & Andream Germanum, antea Hartmodi nomine gaudentem; brevi etiam fratrem Jordanum de Tane vallis Spoletanæ: fratrem vero Thomam de Celano Moguntinenſis, Wormatienſis, & Colonienſis Conventuum Cuſtodem fecit. Eodem anno videns frater Cæſarius (qui erat vir profundæ contemplationis & maximus evangelicæ paupertatis zelator, & tanti apud Fratres, ut ipſum, poſt ſanctum Franciſcum, ſanctiſſimum venerarentur) Ordinem in Germania felicibus auſpiciis & ſolidis jam niti fundamentis, inſtituto Vicario fratre Thoma, tunc unico Cuſtode, non tam tædio, quam beatum Franciſcum viſendi, ceterorumque vallis Spoletanæ Fratrum deſiderio captus, adjuncto ſibi fratre Simone de Colazone, viro nobili, cum aliis quibuſdam rediit ad ſanctum Franciſcum, & ab eo eſt dulciſſime receptus.*

Chron. MS. Saxon.

Progreſſus Ordinis in Germania.

Redit fr. Cæſarius Aſſiſium.

XXVI. Per hæc tempora ingreſſi Prædicatores & Minores in Sveciam, multiplicato numero religioſiſſimos viros miſerunt ad alia regna Aquilonaria, qui glorioſis & ſanctis exhortationibus, ac mirabili vitæ ſinceritate gentes Aquilonares in Dei obedientia, pura fide inſtruxerunt, & beatis moribus ac exemplis, religioſaque pietate conſervarunt, ut auctor eſt Joannes Magnus Gothus in ſua hiſtoria Eccleſiæ Metropolitanæ Upſalen. cujus Archiepiſcopus fuit, & Sedis Apoſtolicæ Legatus: ex quo etiam Laurentii, octavi ejuſdem Sedis Archiepiſcopi ex Ordine Minorum aſſumpti, præclaram vitam & memorabilia facta, ſub compendio referemus ad annum MCCXLIV.

Pervadunt Minores ad Regna Aquilonaria.

Hiſt. Upſal. lib. 2. in fin.

XXVII. Sub hoc anno Alexandri Halenſis (ita cognominati ab Hales monaſterio in Anglia, Comitatis Claudioceſtrenſis, ubi adoleſcens in

Initiatur Alexād. Halenſis.

Digitized by Google

in ſtudiis fuit educatus) ingreſſum in Ordinem Minorum referunt Joannes Lelandus, & Nicolaus Trivetus, ſuperius a me citati. Apud Anglos humanioribus optime inſtructus, Philoſophiæ & Theologiæ ſtuduit apud Pariſienſes, tam feliciter, ut ſupremam inter eos ſacræ doctrinæ cathedram aſcenderit, in qua moderanda ſumma cum ſua laude & diſcipulorum utilitate omnibus fuit admirationi. Quid autem hominem moverit, ut tanto ſpreto gradu & ſui æſtimatione, pauperculi, necdum adeo celebris Inſtituti duris & humilibus ſe voluerit legibus ſubjicere, non adeo mihi compertum, niſi eam, quam non meretur ipſa fabella fidem, adhibeam iis, qui plus æquo tribuerunt primo narratori. Ii porro ſunt Antoninus, Marianus, Joannes Pitſeus, & alii, qui hanc afferunt rationem ſolemnis in celebri viro mutationis. Eam, inquiunt, erga beatiſsimam Virginem Mariam concepit devotionem, ut ſtatuerit, aut etiam voverit, nihil denegare quod, ejus interpoſito nomine, peteretur. Id ſcitum a fœmina quadam, dictum item Ciſtercienſibus, ut, propter hanc fidem datam peterent, ſui vellet fieri Inſtituti. Illis accedentibus ad magiſtri ædes, ut rem hanc ſibi ſumme honorificam, ob Virginis Mariæ reverentiam poſtularent, magna irrepſit oblivio, ut nihili minus meminerint, quam hujus. Mulier judicans ſuam præmonitionem & conſilium ob contemptum rejectum, Prædicatores adiit, ut ſuo magno lucro & honori, quod Ciſtercienſes neglexerunt, efficerent. Illi vero læti abeuntes communem magiſtrum ſalutarunt, & de rebus ſeriis alloquentes, ut urbane, & quæſita opportunitate commodius ſuam petitionem ſubjungerent, rem diſtulerunt in colloquii finem, ne præpropere, & nimis inconſulto ex abrupto viderentur rem graviſsimam proponere. At ſupervenit quidam ex Minoritis, qui oſtiatim panem mendicabat, & quod illi multa prævia conſideratione explicare ſtatuerunt, hic ex abrupto, cœlitus motus rogavit: Reverende, inquit, magiſter, magnum & celebre apud omnes pietatis & doctrinæ nomen obtinuiſti, & res ſæculi tibi ſatis ſecundæ: Porro obſecro te, per amorem B. Mariæ Virginis, ut ſerio & impenſe conſideres, utrum ad æternitatis felicitatem conſultius tibi ſit ſæcularem vitam agere, an Chriſti crucem in pauperculo hoc noſtro Inſtituto perferre. Obſtupuerunt Prædicatores ad præreptam ſibi de tanto homine lucrando occaſionem; & magiſter quidem imo condidit & fovit pectore verba, tamquam ſibi dicta per Dei nuncium, & protinus cogitavit de mutando vitæ genere, & aſſumendo Franciſcano.

Lelan. Triv. anno 1233.

Ant. cit. §. 1. Marian. l. 2. c. 9. Pitſeus de ſcript. Angl.

Quomodo vocatus ad Ordinem.

Varii modi vocationis divinæ.

XXVIII. Ita rem obtigiſſe non penitus inficiar, nec durius repellam, quod alii pie conſcribunt; novi enim vias Domini mirabiles, nec cogitationes ejus eſſe ſicut cogitationes noſtras, ſed quam nos ineptam ſtulte judicamus vocandi rationem, divinæ providentiæ eſſe peropportunam. *Domini* eſt ſalus, & quibus vult mediis impertit; *vocat undique ad pœnitentiam, vocat beneficiis creaturæ, vocat impertiendo tempus vivendi, vocat per lectorem, vocat per tractatorem, vocat per intimam cogitationem, vocat per flagellum correptionis, vocat per miſericordiam conſolationis*. Qui per ſe ipſum unico verbo potuit piſcatores ad Apoſtolatum attrahere, poterat & per humilem nuncium magiſtros ad Religionem convocare. Mittit quotidie ſervos ſuos ad plateas, ad vicos & exitus viarum, ut ad cœnam magnam invitent, imo ut compellant intrare liberrima, ſed potentiſsima vocatione. Ex his potuit eſſe oſtiarius ille monachus mendicus, ut quo humilior legatus, eo ſolemnior converſio, & potentior appareret virtus mittentis. Nicolaus Harpsfeldius opinatur allectum Halenſem, ut

Pſal. 3. 9.

Auguſt. in Pſal. 102.

Alia cauſa converſionis.

Harpsfel. in hiſt. Anglic. ſæcul. 13. c. 11.

ut hoc vitæ genus ſubiret exemplo conterranei ſui Joannis Ægidii viri eminentiſsimi Oxonienſis, & Pariſienſis Theologiæ profeſſoris, qui hoc ipſo anno cum tertia generalis Synodus Patrum Dominicanorum Pariſiis celebraretur, concionemque ad Clerum Joannes haberet, in qua vehementibus inductionibus & perſuaſionibus utebatur, quibus homines ad ſpontaneam rerum abdicationem & indivulſum Chriſti ſervitium, atque obſequium pelliceret, ecce in media concione e ſuggeſtu deſcendens, veterique exuta, Dominicani Inſtituti veſtem induit, moxque ad abſolvendam concionem ad ſuggeſtum rediit. Non inefficax ſane, nec tepidum hoc exemplum, ut ejuſdem patriæ & ſtudii virum ad ſimilem frugalioris vitæ ineundæ rationem Halenſem induceret; ut ſicut ille apud Prædicatores, hic inter Minores, & ſibi conſuleret ſancti Inſtituti methodo, & illis proficeret excellentia doctrinæ. Prævias fortaſſe diſpoſitiones adeo celebris Joannis converſio, & frequens potenſque interna vocatio induxerunt, ut ad vocem hujus fraterculi invitantis non fuerit quod amplius cogitaret, ſed quod ille verbo proponebat, hic ſtatim vi potentis auxilii facto compleret.

Leander Albert. in vita Iord. Saxon.
Ant. Senen. in Chronic. ad an. 1222.
Pitſeus de ſcript. Angl.

XXIX. Veteranus tamen & emeritus in ſcholaſtica diſciplina Magiſter, in regulari tirocinio non leves ſenſit difficultates, & internas moleſtias, propter quas de regreſſu ad ſæculum, exuto paupere habitu, cogitabat. Sed ita fluctuanti abſens corpore Franciſcus apparuit in ſpiritu, finxitque ſe ponderoſam & gravem crucem ligneam portantem, cacumen cujuſdam proclivis montis aſcenſurum. Dum autem in aſcenſu pondere gravaretur, & gemeret ſub ſarcina, viſus eſt ſibi magiſter accuriſſe, ſuamque opem obtuliſſe. Indignanter & ſtomachabundus Franciſcus hominem repulit, ſubjungens: Recede miſelle, non audes, nec vales levem & portatu faciliorem crucem ex panno reſectam geſtare, & ligneam portabis hanc oneroſam? Viſione hac vir prudens ſapientior effectus, facile dura illa tentamenta profligavit, nec alia circa hanc materiam deinceps admiſit.

Anton. cit.
Tentantur in tirocinio.

XXX. Viſione altera, nequaquam imaginaria, quibuſdam poſt annis, intellexit Dei voluntatem circa Joannem de Rupella ad gradum ſcholaſticum provehendum. Cum etenim ob præclara ſua merita in Academiam Pariſienſem, facultas Theologorum ei obtuliſſet, ut pro ſua electione & prudentia unum ſui Ordinis in Baccalaureum inſtituiſſet, atque ille in Eccleſiam deſcendiſſet orationem præmiſſurus, ne in electione erraſſet; vidit in quodam Eccleſiæ ſacello Fratrem quemdam orantem, magna luce undique circumfuſum. Dum in tanto ſplendore poſitum diſcernere non potuit, quis eſſet, ad fores expectavit exeuntem, comperitque fuiſse Joannem de Rupella Provinciæ Aquitaniæ, ſuum aliquando auditorem, qui magnos fecit in Theologia progreſsus, inter doctiſsimos Pariſienſium connumeratus. Cœleſti hoc ſigno monitus, Cancellario univerſitatis obtulit laureandum, qui poſtea, inquit Antoninus, factus magiſter maximus evaſit prædicator, religioſitate, ſcientia, & diſcretione clariſsimus, tantaque vi ingenii præditus, ut priorum magiſtrorum ſubtilitati adjiciens prædicationis & lecturæ in Theologia facultatem, modos traderet exquiſitos. Plura de hoc Halenſis diſcipulo dicenda remittimus in annum MCCLXXI. & de magiſtro ad annum MCCXLV. quibus dies clauſerunt extremos.

Anton. cit.

XXXI. Sanctus Antonius de Padua hoc anno presbyteratu initiatus eſt, quem perperam, ut ſuperius monui, quidam cum Marco Ulyſſiponen-

Anno 1217. n. 24. Marc. lib. 5. c. 2.

Chron. ant. Surius c. 6. Leand. in histor. Bononien. decad. 1. lib. 9. ad an. 1219.

nenſe judicarunt prius ſacerdotio functum, quam ad Minores accederet. Gravis mihi porro teſtis eſt Leander Albertus Bononienſis, ſanctum Virum primam celebraſſe miſſam Bononiæ in æde Virginis Annuntiatæ Fratrum Minorum, ſed dum ad forum Livii in Æmilia cum aliis Fratribus Minoribus & Prædicatoribus pro ſacris accipiendis conflueret, inſtante collationis hora, Fratribus ex more congregatis, Miniſter loci illius, ſive Epiſcopus, ut habet Robertus de Licio, ſive fortaſſis uterque, Patres Dominicanos rogavit, ut ſitientibus verbum ſalutis proponerent. Illis recuſantibus, quod nihil ſe præparaſſent, inſtigante eum fortiter ſpiritu Dei, Miniſter ad Antonium, de cujus eruditione nihil comperti habebat, ſe convertens, jubet ut apud Fratres dicat quidquid ipſi ſuggereret ſpiritus Dei. Non putabat eum quidquam ſcire de Scripturis divinis, aut legiſse aliquid, niſi forte quæ ad Eccleſiaſticum officium pertinerent; ſpem tamen nonnullam ei adferebat, quod audierat illum, neceſſitate cogente, idque perraro, aliquid litterate dixiſse. Et certe cum tantus ille eſset, ut memoria pro codicibus uteretur, & myſtici eloquii gratia mire afflueret, peritior tamen apud Fratres habebatur abluendorum culinæ utenſilium, quam Scripturæ ſanctæ myſteria explicandi. Præfectum enim ſuum (quem Guardianum dicunt) ſupplex rogarat, ut magni beneficii loco ipſi permittere vellet eluere coquinæ vaſa, & verrere quotidie Fratrum domicilia, nulli alii rei aptum & utilem ſe confitens, cum eſſet revera vas electum, & Spiritus Sancti gratia multifarie ornatum. Mundabat ergo quotidie humili ac devoto corde culinæ res, & Fratrum domicilia, eximiæ cujuſdam humilitatis & contemptus ſui de ſe exempla præbens. Non ita agunt plerique alii, qui antequam ſint diſcipuli, magiſtri eſſe volunt, ſeſeque in cathedram importune ingerere non verentur. Contra Antonius jam perfectus in Scripturis divinis, inter idiotas & rudes laicos haberi maluit, quam ſciolus aut magiſter videri; potiuſque laboribus occupari culinariis, quam magiſterii cathedram occupare. Verum enimvero licet totis viribus in id incumberet, ut a Miniſtro impoſitum munus liceret ſubterfugere, non tamen potuit voto potiri ſuo. Tandem ergo cedens tum illius voluntati, tum omnium precibus, cum timore Domini primo orſus eſt ſimpliciter ad eos dicere; ſed cum vellet Dominus lucernam hactenus ſub modio poſitam in omnium conſpectum proferri, in orationis progreſſu tanto verborum ſplendore, tanta myſticarum ſententiarum altitudine uſus eſt, ut omnes in ſummam admirationem adducerentur, maxime quod præter omnium opinionem id eveniret: ſimul etiam eximia ejus charitate non mediocriter ædificarentur; nec affirmare dubitarent ejuſdem ſermonem nunquam ſe antehac audiviſſe. Ita deinceps, non minima affecti conſolatione, venerabantur in illo divinitus detectam divinæ ſapientiæ claritatem cum tam inſigni humilitate conjunctam.

S. Antonius fit ſacerdos.

Ejus cum doctrina humilitas.

Arn. Wion. lib. 2. ligni vitæ c. 62. Marc. citat. c. 3. Willot in Athenis.

Mittitur Vercellas ut ſtudeat cũ collega Adamo Mariſco.

Pitſeus de Scrip. Angl. in Adamo Mariſco.

XXXII. Dum hæc pervenirent ad ſancti Inſtitutoris Franciſci aures, ut ſolidius & graviori fundamento gratiam prædicandi exerceret, voluit ut ſub Abbate Vercellenſi apud ſanctum Andream (Ordinis tunc S. Benedicti, ut ejus Inſtituti viri contendunt, ſive Canonicorum Regularium ſancti Auguſtini, ut ipſi decertant, & quorum modo eſt habitatio) viro doctiſſimo, myſticam audiret Theologiam. Marcus & Henricus Willot ei hujus ſtudii ſocium adſcribunt, & cum eo miſſum a ſancto Franciſco volunt Adamum de Mariſco Anglicum, Patria Somerſetenſem Diœceſis Bathonienſis, ſed eſſe non potuit, ſi vere ſcripſit Joannes Pitſeus, cum Franciſcanum induiſſe apud Wigorniam, cujus loci Cœnobium Minori-

noritarum, adhuc hoc anno non fuit extructum. Cum enim a biennio tantummodo fuerit Minorum adventus in Angliam, non adeo ſtatim multiplicata illorum domicilia, neque numerus Fratrum, ut in ipſo ingreſſu illorum in idem Regnum obtinuerint ſedem Wigorniæ, & initiaverint alios, ut jam hoc ſecundo, vel tertio anno, expleto tirocinio, eos tranſmittere potuerint ad exteros. Vel ergo maturius hic apud Italos, aut Gallos hanc vitam amplexus eſt, ſi Antonii dicendus eſt ſocius, aut tardius miſſus Vir ſanctus Vercellas, vel in ſtudio in fine fortaſſe Adamus ſupervenit; præcipue cum mature accedere potuerit, & adhuc ſtudentem aſſequi Antonium, ſi verum eſt, quod alii volunt, eum quinque annis audiviſſe prædictum Abbatem, quod ego vero haud ſimile puto; cum aliis tribus, qui ſupererant vitæ annis, minime tot Religionis officia & munia obire, aut Gallias & Italiam prædicando peragrare potuerit, aut tot doctrinæ & ſapientiæ ſpecimina exhibuiſſe ſuo Inſtitutori Franciſco, qui quarto ab hoc anno obiit, ut eum voluerit ſuum Epiſcopum nominare. Decem etenim dumtaxat annis vixit in Religione (ut præ aliis notat Auctor vitæ MS. mihi allatæ ex Bibliotheca ſancti Leonardi Oppidi Montis Falconis in Umbria, quam Anonymus quidam ſincere & ex fide ſcripſit, cum aliis ſanctorum Minoritarum Legendis vetuſto charactere & libro exaratis) tranſactis jam in ædibus paternis quindecim, in Monaſterio ſancti Vincentii Ulyſſipponenſi duobus, apud ſanctam Crucem Conimbriæ novem, qui triginta ſex, quos vixit annos, complent. Unum ergo, aut alterum annum ſub Abbate ſtuduiſſe putaverim, & aliquando in Galliam euntem, aut in Italiam redeuntem, Lombardiamque vicinam luſtrantem, ad eum aliquoties deflexiſſe; cujus tanta fuit de hoc ſuo diſcipulo opinio, ut ſæpius diceret ſe ab illo multoties edoctum, & cœleſtes hierarchias, quas illi ex Dionyſio legebat, non tam didiciſſe, quam præſentes conſpexiſſe, & percurriſſe videri, ex mira mentis ſerenitate, & admirabili lumine ſapientiæ cœlitus acquiſito. Quod & ſcripto firmavit in Commentario capitis tertii ejuſdem operis ſub littera V. *Frequenter*, inquit, *amor penetrat, ubi cognitio phyſica foris ſtat. Legimus quoſdam ſanctos Epiſcopos minus imbutos fuiſſe phyſicis doctrinis, qui & myſticam Theologiam captu mentis haurientes cælos penetrabant, omnem phyſicam cognitionem ſubtiliſſime tranſcendentes, uſque ad beatiſſimam Trinitatem. Quod & ego in ſancto Antonio de Ordine Fratrum Minorum peculiari familiaritate expertus ſum. Qui cum eſſet minus imbutus litteris ſæcularibus, animi puritate & mentis ardore ſuccenſus, myſticam Theologiam, captum mentis excedentem, & ferventer deſideravit, & abundanter hauſit, ut poſſim dicere de eo, quod de Joanne Baptiſta ſcribitur*: Ille erat lucerna lucens, & ardens; *amore enim ardebat interius, & exemplo lucebat exterius.*

Legen. MS. c. 29.

Quam feliciter ſub Abbate Vercellenſi didicerit.

Anton. tit. 24. c. 4. §. 3.
Marian. lib. 1. c. 19.

Abbatis de Antonio teſtimoniũ.

XXXIII. Sub hoc Abbate ita brevi profecit Vir ſanctus, ut inſtantiſſime rogaretur a Fratribus, quam ipſe hauſit doctrinam aliis communicaret; ſed noluit ille magiſtrum agere, nec ceteros docere inconſulto ſuo Inſtitutore. Scripſit & explicuit Fratrum deſiderium, cui ita reſponſum.

Jubetur alios docere.

Cariſſimo meo Fratri Antonio Fr. Franciſcus in Chriſto ſalutem.

P*Lacet mihi, quod ſanctæ Theologiæ litteras Fratribus interpreteris, ita tamen, ut neque in te, neque in ceteris, quod vehementer cupio, extinguatur ſanctæ orationis Spiritus, juxta regulam quam profitemur. Vale.*

Franciſci ad Antonium epiſtola.

Digitized by Google

XXXIV. Hac accepta ſancti Rectoris licentia jugem creandis & edocendis diſcipulis navavit operam, primo apud Montem Peſsulanum, deinde Bononiæ, ubi ſancti Franciſci aſsenſu reſtauratum eſt ſtudium, quod ob inobedientiam, & præſumptionem Miniſtri Bononienſis aliquot annis ante removit, uti ſuperius diximus: tertio Patavii, demum Toloſæ, aliiſque in locis. An primus fuerit Theologiæ Profeſsor in Ordine, prout ſcribunt Rodulphus, Marcus Ulyſſiponenſis & Henricus Willot, qui conſtantem hanc vult opinionem, ſubdubito; etenim jam aliquanto ante tempore Bononiæ legebatur. In Anglia ſtatim ab ingreſſu erectum juvenum gymnaſium, & Alexandrum Halenſem, ſi non ſub ipſo tirocinio, ſaltim expleto, facile creditur ſuis legiſſe; & Antonius non niſi uno, vel altero poſt hunc anno, potuit docere. Illud autem liquidius omnino aberraſſe Willotum & Trithemium, dum in Toloſæ, Bononiæ, & Patavii Academiis eum docuiſſe ſcribunt, prius quam huic Sodalitio nomen daret. Errorem ſane convincunt brevis hominis ætas, adepta, vel conſummata in ipſo Ordine litterarum peritia, ejus initiatio in Luſitania, neque in Galliam aut Italiam veniſſe niſi jam Franciſcanum, quod & me priores admonuerunt Stephanus Garibajus, & Henricus Sedulius. Hæc ſub hoc anno erant de ſancto Viro dicenda: plura ſuperſunt adhuc commodius ſuis locis deſcribenda.

Anno 1220. n. 16.

An fuerit primus Lector in Ordine.

Rodulph. fol. 78. Marc. c. 10. Willot. cit.

Willot. cit. Trithem. de Scriptorib.

Garib. l. 12 c. 47.

XXXV. Hoc anno, menſe Aprilis, quo numerabatur Pontificatus annus ſextus, Honorius Pontifex ad interceſſionem ſancti Inſtitutoris, & aliorum Ordinis Fratrum, conceſſit ut Minores ubique, tempore Interdicti, januis clauſis, & excluſis interdictis, poſsent celebrare, quod & IV. nonas Martii conceſſit ejſdem verbis Patribus Dominicanis. Habetur Privilegium Prædicatorum in regeſto hujus Pontificis anno VI. epiſt. 232. noſtrum autem epiſt. 311. datum IV. Kal. Aprilis, & epiſtola 355. Nonis Aprilis. Servatur originaliter in Archivo Patrum Minorum Conventualium ad duodecim Apoſtolos Romæ, ſignatum littera A. datum IV. Kal. Aprilis. Ita porro ubique inſcriptum:

Concedit Pontifex ut celebretur tempore Interdicti.

Fratri Franciſco, & aliis Fratribus Ordinis Minorum.

DEvotionis veſtræ precibus inclinati, auctoritate vobis præſentium indulgemus, ut in Eccleſiis, ſi quas vos habere contigerit, cum generale terræ fuerit interdictum, liceat vobis januis clauſis, & excommunicatis & interdictis excluſis, ſubmiſſa voce divina officia celebrare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, aut ei auſu temerario contraire; ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit &c. Datum Anagniæ IV. *Kal. Aprilis anno* VI.

XXXVI. Eodem die & menſe, eam, quæ ſequitur, epiſtolam ſcripſit ad Præfectos Prædicatorum, Minorum, & de ſanctis, militiæ ſancti Jacobi Ulyſſiponenſis Diœceſis, ut abuſus circa adminiſtrationem ſacramentorum, ex avaritia Cleri introductos, omnino reformarent in prædicta Diœceſi & Civitate. Tenorem commiſſionis obinde ſubminiſtro, tum ut cognoſcatur, quo in nomine & auctoritate fuerint hæ duæ Religiones tunc exorientes, & paulo ante in illam Urbem admiſſæ, tum ut conſtet quam alii ſint hujus ac illius temporis Cleri mores in inclyta illa Civitate, celeberrimo Regni emporio, ex pietate, potentia, & divitiis laudatiſſima, quam a multis annis regit ſumma Religione, juſtitiæ & veri zelo Dominus

Committitur Prædicatoribus, & Minoribus reformatio Cleri Ulyſſiponenſis.

Digitized by Google

nus Michaël a Caſtro grandævus, cujus in Rempublicam & Inſtitutum noſtrum beneficia, quæ præſens vidi, largius, etſi nec ad votum, nec ad illius meritum, explicarem, niſi certius noviſſem ei rem ingratam me præſtiturum, & timerem illorum judicium, qui facile ſuſpicarentur me vivorum voluiſſe gratiam captare, aut benefactoribus adulandis ſtuduiſſe. Habentur autem litteræ in regeſto Pontificio ſub numero 323.

Ordinis Prædicatorum, Fratrum Minorum, & de ſanctis militiæ ſancti Jacobi, Prioribus Ulixbonenſis Diœceſis.

XXXVII. *Ex parte Univerſitatis Ulixbonenſis & ejuſdem Diœceſis nobis eſt oblata querela, quod Venerabilis Fr. noſter N. Epiſcopus & Prælati tam Civitatis, quam Diœceſis Ulixbonenſis, non abſque vitio avaritiæ, compellunt eoſdem tertiam partem, vel certum quid de bonis ſuis ipſorum Eccleſiis relinquere in ultima voluntate, quibus etiam, ſi cupiditati eorum non ſatisfecerint, Eccleſiaſtica denegant Sacramenta; unde Univerſitas ipſa nobis humiliter ſupplicavit, ut cum libere debeant, pravis ceſſantibus exactionibus & extorſionibus importunis, Eccleſiaſtica Sacramenta conferri, quamquam a Laicis conſervanda ſit conſuetudo laudabilis erga ſanctam Eccleſiam, pia devotione fidelium introducta, providere ſuper hoc dignaremur. Ideoque diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocatis qui fuerint evocandi auctoritate noſtra illud fieri jubeatis, quod ſecundum Deum & inſtitutiones Canonicas videritis expedire. Quod ſi non omnes intereſſe poteritis, unus veſter &c. Datum Anagniæ* IV. *Kal. Aprilis anno* VI.

XXXVIII. Dilatata eſt hoc anno ſacra Religio, & plura ædificata ſunt Fratrum Domicilia. Primum in Civitate Bajocarum, ſeu Bellicaſiorum, in extremis pene Normanniæ finibus antiquiſſima, non tam hoc anno inchoatum, quam ferme expletum, opera & induſtria Fratris Gregorii Lombardi, quem illuc paulo ante ſanctus Franciſcus deſtinavit. Vir doctrina & religioſo exemplo allectus ad primum ab Urbe lapidem, meridiem verſus, amplum deſignavit in ſuo prædio fundum Cœnobio extruendo Matricis Eccleſiæ Canonicus, Arrienſis nuncupatus, cujus pietatem foverunt & adjuverunt alii viri nobiles tanta liberalitate, ut ad perfectum & auguſtum Monaſterium fabricam brevi deduxerint. Locum omni cenſu, ſervituteque ſibi debitis exemit Illuſtris Baro a Campignero, probavit ſuis Diplomatibus Epiſcopus, & amplificarunt alii pii viri circa annos Domini MCCLXXI. MCCLXXXIV. & MCCCLXIII. donatis, & adjectis ſpatioſis hortis & agris, qui firmiſſimis & altis muris concluſi, viginti quatuor excedunt jugera terræ, quorum major pars pomiferis eſt conſita lignis. Templi ſtructura conſummata anno MCCLXV. Sumptuoſiſſima erat materia, & opere inſignis: majorem aram cupreæ columnæ circumdabant cum lectiſſimis epiſtyliis. Ornabant etiam ædem multa Principum & magnorum Heroum ſuperba mauſolæa, donec omnia ferro & flamma devaſtarunt feri Sectarii Calviniani anno MDLXI. Cœnobium etiam decorarunt Viri ſanctiſſimi & doctiſſimi, primus ille, quem diximus, Fundator, qui in ingreſſu Capituli ſepulturæ locum accepit, adjecto hoc impolito, ſed illis temporibus aſſueto carmine ſepulcrali:

Convent. Bajocarum.

Gonza. in Prov. Franc. Con. 21.

Hic ſub tumba inferius Jacet Frater Gregorius.
Sancti Franciſci Socius, Nationeque Lombardus.
Parcat ei Altiſſimus.

Et Fr. Guillelmus Auceps (Gallice *l'Oiſeleur*) Fr. Leobinus Colle Villanus, Fr. Joannes de Mara, Fr. Guillelmus ſolo cognomine ſuperbus. Auceps factus Epiſcopus Abehonenſis Eccleſiæ, delegit ſibi in hoc Conventu in medio chori locum ſepulturæ, Guillelmus Superbus Cuſtodiæ Normanniæ Præfectus, omnem adhibuit operam huic Conventui in diſciplina arctiori reformando, poſtea Rector ſtudii Pariſienſis ſibi terminum vitæ ſuæ poſuit. Præter hos demum illuſtri, conſtanti, & glorioſo perpeſſo martyrio illuſtrarunt Fr. Andreas de Monte, & Fr. Petrus Berot, quorum triumphum ſuo tempore uberiori calamo depingemus.

Gonzag. in Prov. Aquitan. antiqu. Con. 2.

Conventus Toloſanus.

XXXIX. Secundum hoc anno extructum Domicilium Toloſæ, quod poſtea diverſorum opera in magnum excrevit; nam nobiliſſima familia de Faudoas ejus partem cum minori Eccleſia, R. vero P. F. Petrus de Fuxo Minorita, ac S. R. E. Cardinalis majus Templum; atque R. P. F. Joannes de Teiſſanderia Rivorum Epiſcopus, quod ad ejus perfectionem deſiderabatur, liberaliſſimis ſuis ſumptibus conſtruxerunt. Eſt hic Conventus capaciſſimus, omnique ex parte perfectus, & a ſui erectione, ad hæc uſque noſtra tempora, tum Philoſophicum, tum quoque Theologicum ſtudia nutrivit. Quo & factum eſt, ut plures viros doctos, ſanctitateque conſpicuos ſacræ Religioni noſtræ pepererit. Inter hos autem longe emicuere illuſtr. ac R. P. F. Vitalis de Furno Vaſatenſium Epiſcopus, ac S. R. E. Cardinalis, B. P. Stephanus, atque P. F. Vitalis de Raymundis, qui Avenionem contra hæreticos, fidei Inquiſitores deſtinati, ibidem ſub eiſdem glorioſo martyrio occubuere. Illuſtriſsimus P. F. Bernardus a Turre, qui ob doctrinæ præcellentiam, vitæque ſanctimoniam S. R. E. Cardinalis creatus eſt, Fr. Petrus Aureoli Vir doctiſsimus, & Fr. Gerardus Odonis, univerſi Ordinis olim Miniſter, quorum utrumque in Cardinalium numerum cooptat Gonzaga, an ita vere, alias examinabimus: Fr. Petrus Sulpini Vaſatenſium Epiſcopus, Fr. Joannes a Porta ſancti Pauli Epiſcopus, ac Reverendi Patres Fratres Joannes Gualteri, Theodoricus Andreas, Giraldus Brianſonis & Arnoldus de Valle. Hi omnes doctiſſimi, pariterque religioſiſsimi Patres Seraphicum Ordinem noſtrum plurimis editis lucubrationibus mirum in modum colluſtrarunt. His adjiciendus venit B. P. Antonius de Padua, qui & hunc locum, uti nuper diximus, ſuis lectionibus, atque ferventiſsimis concionibus, dum viveret, exornavit, & poſt mortem miraculis illuſtriorem reddidit. Cui Sacellum, idque pulcherrimum, atque Toloſanis celeberrimum, ibidem erectum eſt. Prope ſummum altare tumulatus eſt R. P. F. Bernardus hujus Provinciæ olim Miniſter, & indefeſſus hæreticorum oppugnator. Tranſivit autem domus hæc a Patribus Conventualibus ad Obſervantes anno MDLII. auctoritate Pontificia, rem urgente Franciſco I. Gallorum Rege.

Hoc anno n. 34.

Conventus Ortenſi.

Iudid. Con. 9. & 10.

XL. Tertium Ortenſii ad fluminis Gadii in Aquitania marginem, quod a fundamentis ſtruxerunt Principes Biernenſes, quorum tunc tanta erat pietas, quanta poſtea feritas, fide mutata & vera rejecta; etenim ſuorum Anteceſsorum opus demoliti ſunt, & ſimul religioſum virum, qui tunc aderat, Bertrandum a Lazanoba crudeliter trucidarunt. Quartum Baſtidæ ejuſdem Aquitaniæ Urbis ad Pyrenæorum montium radices, a pluribus nobilibus communibus facultatibus erectum; in quo ſemper viguit regularis diſciplina, & monaſticus vigor, donec anno MDLXI. majori ex parte dirutus & combuſtus fuit ab hæreticis, & aliquot poſt annis omnino ſolo adæquatus.

Conventus Baſtidæ.

Quin-

XLI. Quintum non tam noviter acquiſitum, quam mutatum. Etenim præclariſſima fœmina Sancia Luſitana, de qua alias præfati ſumus, hoc anno palatium ſuum Jerabricenſe in Monaſterium Fratrum aptavit, evocatoſque ex humili & inſalubri loco, quo ſibi pauperem conſtituiſſe manſionem ad fluvioli marginem jam ſupra memoravimus, neceſſaria ſupellectili, & re familiari donavit. Auguſta ſane & capaciſſima eſt univerſa ædes in optimo & editiſſimo loco extructa, ipſa ſtructura & manſionum diſpoſitione perquam devota, & vitæ religioſæ accommoda; in qua per aliquot menſes peculiaribus ſtudiis intentus hærens, vetuſtæ pietatis & ſanctitatis indicia in lapidibus, & in Fratribus reliquias conſpexi: ſemper etenim ex omnium obſervatione inveniuntur aliqui, qui ad primævam illam ſimplicitatem & regularis vitæ puritatem ſemet componant. A primis annis multi Fratres laici, ſed pauci ibi habitabant ſacerdotes, donec ad annum MCDVIII. mutata ſorte, illi pauci, hi plures evaſerunt. Jacet in eodem Cœnobio B. Pater Zacharias ex primis Religionis in Luſitania Magiſtris, miſſus a S. Franciſco, cujus erat ſocius. Illius ſanctitas ad magna quæque & pia opera præclaram heroidem Sanciam excitabat, populoſque & vicinos ad frugaliorem & meliorem vitam attrahebat. Opportunius nuſquam quædam illius ſanctitatis argumenta poterimus referre, dum de ejus factis aut morte certum nullum eſt tempus. Is porro difficilia quæque, tam ad Fratrum regimen, quam ad ſuæ animæ cauſas ſpectantia cum Crucifixi Chriſti imagine (quæ in capitulo, ut vocant, honorifice colebatur, uſque ad annum MCDXIV., quo translata eſt in Altare ad dexteram Sacelli majoris, ubi adhuc non ſine reverentia monſtratur) conferebat. Hominem etiam de reali Chriſti ſub ſpeciebus ſacramentalibus præſentia dubitantem, ut ſequenti die ſibi ſacrum peragenti aſſiſteret, præmonuit; & in ipſa Miſſa converſam mundiſſimam hoſtiam in veram carnem oſtendit; quo admirabili prodigio hominis nutantis ſolidata eſt fides. Alias dum ædis Præfectum ageret, nec refectionis tempore ultra duos panes haberet, confidenter juſſit, Fratres menſis aſſidere; & ſtatim pulcherrimus adoleſcens ad oſtium tot panes optimos obtulit, quot erant Fratres in triclinio. Ex ipſo ſapore probe cognoverunt cœlitus miſſos, & pro ſacris reliquiis fruſta aliquot piis viris, integrumque panem Sancio Principi dederunt. Mortuus tandem Vir ſanctus plenus meritis & virtute, ſepultus eſt in pavimento majoris Sacelli: deinde translatus cum alio pio viro ſocio conditus eſt ſub ipſo altari, in quo præmemorata Crucifixi effigies digne colitur. Hinc R. P. F. Ambroſius Silva de Jeſu, dum Provinciam Luſitaniæ regeret circa annum MDCXII. ſanctum tranſtulit corpus in honorificum locum a ſe præparatum in muro magni Sacelli ad dextrum altaris latus, quod deaurata crate ferrea, & ſeris munivit.

Conven. Alanquercii.

Anno 1217. n. 23. & ann. 1219 n. 52.

Anno 1217. n. 23.

Idem in Prov. Port. Con. 2.

Marc. 1. p. lib. 6. c. 18.

B. Zachariæ geſta.

XLII. In Altari Capituli ſummo in honore habetur imago B. Virginis Mariæ, quæ oranti tironi ad indiſcretum ſui Guardiani præceptum, ut dignaretur revelare, quænam ſibi eſſet inter omnes orationes, aut metricas preces Eccleſiaſticas gratiſsima? Reſpondit: Illam quæ incipit *O glorioſa Domina*; & objicienti juvenculo, reſponſum referenti non ſibi facile crediturum Guardianum, prodigioſum ſignum adjunxit: etenim quem euſque infantulum Jeſum læva geſtabat, in dextram traſmutavit, ſubjungens: Abi fili confidenter, & invita rigoroſum tuum illum Guardianum cum ceteris ut videant. Viderunt & crediderunt ad majorem Virginis reverentiam & Novitii opinionem. In hujus rei memoriam quo-

Gratus Virgini hymnus O glorioſa Domina.

quo

quo totius anni Sabbato, pulſata majori campana, ut devotus populus accedat, a cœna Fratres omnes luminaribus accenſis prædictum hymnum ſolemniter canunt, aliaſque preces adjiciunt.

Conven. Meſſani *Rodul. fol. 279.* XLIII. In Sicilia extra civitatem Meſſanam ad tria millia paſsuum, acquiſitum hoc anno Minoribus Domicilium ſub nomine S. Leonis, in quo per aliquod tempus commoratus eſt ſanctus Antonius, dum ſecundo in Trinacriam trajiceret. Tranſlati vero Fratres in Civitatem ſub Gregorio IX., commodum ſibi emerunt ſitum, ſoluta per benefactores ſummæ pecuniaria Henrico de Calva, & Mariæ de Farinato. Ut in eo domum ſuam & Eccleſiam ædificare poſsent Pontificio diplomate conceſsit Alexander IV., ſed & primarium lapidem a ſe benedictum miſit Meſſanam. Primæ omnium ſtructuræ expenſas magna liberalitate miniſtrarunt tres Illuſtriſſimæ Comitiſſæ Violanta de Polizzo, Eleonora de Procida, & Beatrix de Belflore. Auxit & perfecit ædificium Fridericus III. qui ibidem in Sacello majori, quod in Regum Siciliæ ceſſit proprietatem, ſe condi voluit anno milleſimo trigeſimo ſeptuageſimo tertio die vigeſimo ſeptimo Julii, ubi etiam ſepulcra ſibi poſuerunt Eleonora Imperatrix Friderici conjux, Joannes Infans, & Eliſabetha ejus mater. Claruerunt in hoc Conventu miraculis B. Simon Aimonis, quamvis evanuerit ibi ejus memoria, caput tamen ſervatur cum magna reverentia in Conventu Plateæ, & B. Electus nobilis cujuſdam Domini Andreæ filius, cui Chriſtus apparuit in ſpecie columbæ. Floruit etiam ibidem magiſter Petrus Calderinus Meſſanenſis, electus Epiſcopus Antiochenus, & præter hoc alii viri doctiſsimi & religioſiſsimi. Ædes eſt Patrum Conventualium, & caput Cuſtodiæ Meſſanæ. *Rodul. fol. 280.* Conventus Pactarum ejuſdem Cuſtodiæ hoc ipſo tempore conſtrui cœpit, ſed non abſque contradictione Clericorum quorumdam ſæcularium, & Monialium, quæ duravit uſque ad Pontificatum Gregorii IX. tanto impetu & conatu, ut quod Fratres die fabricabant, æmuli noctu demolirent. Diri anathematis pœnam interpoſuit dictus Pontifex gravibus de hac re datis litteris, per quas omnia ſublata ſunt impedimenta.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Fr. Ruffin. Epiſc. Anconitan. *Fr. Gabriel. Policaſtren.* *Fr. Pepus Groſſetan.* *Fr. Simon Aſſiſias.*

„ XLIV. Hoc anno Epiſcopum fuiſſe Anconitanum Fr. Ruffinum „ Lupatum Patavinum, & ante hunc fuiſſe Epiſcopum Policaſtrenſem „ Fr. Gabrielem de Licio Apulum ſcribit Petrus Rodulphus: & in catalogo MS. Epiſcoporum Groſſeti invenio quemdam Fr. Pepum, hujus „ Eccleſiæ Antiſtitem fuiſſe anno MCCXX. Et in catalogo altero MS. „ Epiſcoporum Aſsiſienſium F. Simonem Vereduccium anno MCCXXVIII. „ Primi hi ſunt hujus Inſtituti viri, quantum ego conjicere poſſum, ad „ Infulas Pontificias aſſumpti; neque etiamnum horum mentionem apud „ alios invenio. Videtur aliquantulum admiratione dignum, quod vivente ipſo humillimo Inſtitutore, valde hujuſmodi ſuorum Fratrum „ promotionibus adverſante, uti alias diximus, tres primi, & paulo poſt *Ann. 1219. n. 1.* „ quartus, ad Epiſcopalem eveherentur dignitatem; niſi fortaſsis gravia eorumdem in Eccleſiam obſequia, aut eminentia merita difficultatem hanc ſuperarint, & præmium hoc omnino ſibi vindicaverint.

AR-

Digitized by Google

ARGUMENTUM.

Statuitur dies lucrandæ magnæ Indulgentiæ apud ædem Portiunculæ multis rei veritatem comprobantibus. Franciſcus, Chriſto dictante, breviorem compaginat Regulam, quam confirmat Honorius Pontifex, additis etiam aliis privilegiis. Manens apud Cardinalem Brancaleonem Franciſcus male afficitur a Dæmone. Græcii ſolemniter celebrat Nativitatis Chriſti ſolemnia, inter quæ Chriſtum infantulum vivum excipit ulnis. In Comitiis generalibus abſolvit a miniſtratu Germaniæ Cæſarium Spirenſem, eique ſufficit Albertum Piſanum, cujus induſtria mire propagatur Religio, eaque per alias partes Domiciliorum numero dilatatur.

I. DUo elapſi erant anni poſt obtentam a ſancto Franciſco magnam illam Indulgentiam pro viſitantibus Eccleſiam S. Mariæ Angelorum; ſed non fuit adhuc deſtinatus dies, in quo fideles participes eſſe poſſent tanti beneficii. Expectavit Vir ſanctus, ut qui tantarum erat auctor gratiarum, ipſe eſſet & diſpenſator, & quo die eas vellet diſtribui, palam manifeſtaret. Id porro factum hoc modo in ipſo hujus anni limine. Beato Franciſco orante in cella, quæ erat in horto pone Eccleſiam ſanctæ Mariæ, menſe Januario circa mediam noctis horam acceſſit tentator, & dixit ſub amici ſpecie: Franciſce, quare ante tempus mori feſtinas? Ut quid ita excubas? An ignoras quod ſomnus ſit præcipuum alimentum vitæ corporalis, homini præſertim juveni, cui ipſe ſomnus, vel maxime neceſſarius? Sed & alias tibi dixi, videlicet in Eccleſia, quæ quatuor capellæ nuncupabatur in Comitatu Tudertino, quod cum juvenis ſis, aliis te poteris exercere pœnitentiis in tuorum vindictam peccatorum: ut quid igitur te tantis vigiliis & orationibus affligis? Sentiens B. Pater hoſtis inſidias, tunica depoſita, ſolis femoralibus indutus, in fervore ſpiritus cella egreditur ac per denſiſsimam ſepem ſpinoſam irrumpens devenit in ſilvam vicinam, corpuſque per vepres ac ſpinas volutando dire cruentavit. Dicebat enim ſibi ipſi: Longe mihi melius eſt hæc patiendo ſentire dolores Chriſti, quam blandienti inimico morem gerere. Sic tentatore fugato effulſit circa eum lumen immenſum, cumque urgeret gelu ac frigus intenſiſsimum, quale ſolet menſe Januarii, apparuerunt illic roſæ albæ & purpureæ in magna copia. Affuit & ingens Angelorum cœtus ei dicentium: Surge cito Franciſce, & ad Eccleſiam propera: ibi enim te Chriſtus cum Matre ſua expectat. Qui ſurgens veſte nova, & candida ſe miraculoſe indutum ſenſit, collectiſque roſis duodecim albis, & totidem rubris ad Eccleſiam perrexit. Videbatur autem ei ſemita verſus Eccleſiam ſericis ac purpureis veſtibus ſtrata atque ornata. Reverenter itaque Eccleſiam ingreſſus, vidit Chriſtum Dominum cum Virgine Matre, & multa Angelorum frequentia ſtantem, moxque eum adorans, dixit: Sanctiſsime Pater noſter, Domine cœli & terræ, atque humani generis Salvator, digneris propter magnam miſericordiam tuam decernere diem Indulgentiæ huic loco per temetipſum conceſſæ. Acceſsit patrocinium glorioſæ Virginis ejus patronæ. Tum Chriſtus reſpondit: Volo ſit dies illa, in qua Petrus Apoſtolus meus fuit a vinculis ſolutus, incipiendo a ſecundis veſperis illius diei, uſque ad veſperas ſequentis includendo noctem intermediam: quo tempore quicumque hanc Eccleſiam ingreſſus fuerit plenam, quam poſtulaſti, indulgentiam obtineat. Verum Domine, ait Franciſcus, quomo-

Tentatus Franciſcus ſe animoſe vincit.

Statuitur dies Indulgentiæ Portiunculæ.

Digitized by Google

modo hæc hominibus innoteſcent? & quomodo fidem adhibebunt? Hoc fiet, inquit Dominus, meo favore & auxilio gratiæ meæ. Tibi interim Romam eundum erit ad Vicarium meum, cui cum hæc expoſueris, ipſe curabit notificari. Et Franciſcus: forte mihi peccatori non credet tuus Vicarius. At illi Dominus: Adduc tecum aliquot teſtes de ſociis tuis, qui hæc audierunt; ſimulque defer in teſtimonium de roſis albis & rubris, quas in ſilva collegiſti. Moxque chorus Angelorum intonuit: *Te Deum laudamus*, & ad finem uſque complevit; cumque beatus Franciſcus de roſis,quas e ſilva detulerat,tres utriuſque coloris in honorem ſanctiſſimæ Trinitatis ſuſtuliſſet, viſio tota diſparuit. Poſtera die beatus Franciſcus, reaſſumpta tunica, cum tribus ſociis fr. Bernardo de Quinta Valle, fr. Petro Cataneo, & fr. Angelo de Reate Romam profectus in Patriarchio Lateranenſi acceſſit ad Pontificem, eique ſeriem eorum, quæ acciderant ex parte Chriſti retulit, tribus Fratribus prædictis teſtimonium perhibentibus. Roſas quoque obtulit in certiorem veritatis probationem. Quarum odorem & virorem mirificum ſtupens Pontifex, ait: Mirum plane hoc hyemali tempore roſas reperiri tam vernantes. Et nos quidem, frater Franciſce, verum credimus teſtimonium veſtrum: ſed proponendum erit negotium concilio fratrum noſtrorum Cardinalium, ut decernamus quid facto opus ſit. Præcepit interim ſuis, Fratres honeſte excipi, omniaque eis neceſſaria ſuppeditari. Poſtridie comparens beatus Pater cum ſociis coram Domino Papa in conſeſſu Cardinalium, humi procumbens ait: Digniſſime Vicarie Chriſti adimple voluntatem Patris cœleſtis & Virginis Matris in materia per me vobis propoſita. Cui Papa: Etſi mihi declaraveris quæ ſit Domini voluntas; edic tamen etiam hic coram omnibus fratribus noſtris Cardinalibus. Tum Beatus Pater: voluntas Dei eſt, inquit, quod quicumque a veſperis primæ diei menſis Auguſti, uſque ad veſperas ſecundæ diei ejuſdem menſis intraverit Eccleſiam B. Mariæ de Angelis Aſſiſienſis Diœceſis, accipiat remiſſionem plenam omnium peccatorum, a die baptiſmatis uſque ad horam introitus in dictam Eccleſiam commiſſorum, ſi corde contrito & humiliato confeſſus & a Sacerdote abſolutus fuerit. Protracto ſuper hoc ſermone intelligens Pontifex ex ſinceri minimeque fallacis viri certa narratione ita placuiſſe Chriſto Domino ad preces beatiſſimæ ſuæ Genitricis, palam gratiam ſeu Indulgentiam poſtulatam conceſſit, ſeu potius confirmavit, ſcripſitque Epiſcopis Aſſiſienſi, Peruſino, Tudertino, Spoletano, Fulginatenſi, Nucerino, & Eugubino ut ad Kalendas Auguſti omnes ad prænominatam ædem convenirent, & ſolemniter Indulgentiam hanc publicarent. Convocavit undique illius Regionis univerſos & præparavit amplam latamque pergulam, ex qua circumſtanti populorum multitudini Epiſcopi Indulgentiam denunciarent. Stato die congregatis in unum,Franciſcus ad Epiſcoporum hortatum ſuggeſtum aſcendit, præmiſſoque ſalutari & ferventi ſermone rei ſeriem retulit, concludens cœlitus, & per ſummum Pontificem in perpetuum per ſingulos annos pro illo ſtato die conceſſam eſſe plenam omnium peccatorum remiſſionem pœnitentibus & contritis corde ſacra confeſſione præmiſſa. Audientes autem Epiſcopi indignati ſunt, dicentes: frater Franciſce, licet Dominus Papa, nobis mandet ſatisfacere tuæ voluntati quo ad hoc, non eſt tamen ejus intentio, ut te ſequi debeamus in eo quod congruum non eſt, ideo denuncietur tantum Indulgentia decem annorum: ſurrexitque Epiſcopus Aſſiſienſis, volens publicare Indulgentiam decem annorum; tamen aliter eloqui non poterat,quam beatus

tus Franciſcus dixerat. Quod alii ægre tulerunt, & ſurrexerunt unus poſt alterum omnes conantes corrigere, quæ præcedentes dixerant: tamen Deo diſponente non potuerunt aliud pronunciare quam quod a beato Franciſco dictum fuerat prius. De quo omnes mirati, voluntatem Dei de conceſſione prædictæ Indulgentiæ unanimiter agnoverunt, & enunciarunt. Hujus rei teſtes fuere ſupra nominati Epiſcopi cum multis viris magnis & Dominis tam de Peruſio, quam de aliis Civitatibus, & Caſtris circumjacentibus: Domini nimirum ſequentes; Suppolinus Hugolini presbyter, D. Andreas de Monte mellino, Fratres Nepoleus de Armenſano, Joannes Calcei, Joannes Petri Tubaldi, Orlandus Lamenfre, Ægidius Matthæus, Bernardicius Pauli, Petrus Saſphinus, & alii quamplures de Aſſiſio. Item Domini Petrus de Viterbio, Hugolinus Queſpoliphi, Coraldus Monaldi, Andreas de Metuani, & Neapoleus de Fulgineo, Matthæus de Benenreſe, Berengarius de Spelo, multique alii de partibus vallis Spoletanæ, qui omnes dictæ denunciationi interfuerunt. Multi etiam tam Fratrum, quam aliorum, qui prædicationem beati Patris audierunt teſtati ſunt, quod Vir ſanctus ſchedulam quamdam manu tenens, & legens dixerit: Volo vos omnes mittere ad Paradiſum, quia annuncio vobis Indulgentiam plenariam, quam obtinui de voluntate Patris cœleſtis, & ab ore ſummi Pontificis. Et vos omnes qui veniſtis hodie, & qui venient annuatim hoc ipſo die, corde contrito confeſſi, & per ſacerdotem abſoluti habeatis plenam Indulgentiam peccatorum veſtrorum.

Teſtes publicatæ Indulgentiæ.

II. Ita rem hanc narrant Chronica antiqua Ordinis, Bartholomæus Piſanus, Marianus Florentinus, Marcus Ulyſſiponenſis, Petrus Rodulphus, frater Bartolus de Aſſiſio, peculiari de hac re libello excuſo Trevii anno MCCCCLXX., Speculum vitæ ſancti Franciſci, S. Antoninus, S. Bernardinus Senenſis, Michaël de Medina vir graviſſimus, & Regius in Concilio Tridentino Theologus. De qua re etiam Illuſtriſſimus Cardinalis Bellarminus, Rutilius Benzonius Epiſcopus Lauretanus & paſſim alii; ſed & veram univerſam hanc hiſtoriam probat, eamque teſtimonialibus ſuis litteris, quarum autographum ſervatur in Archivo noſtrorum Patrum Conventualium in Urbe ad Sanctos Apoſtolos, ſignatum quadruplici charactere T. inſerit Dominus Theobaldus Epiſcopus Aſſiſias, qui floruit ad annum MCCCVIII. egitque cum fratre Marino nepote beati Maſſæi (qui Franciſcum comitatus eſt quando primo Pontificem adiit Peruſii de hac Indulgentia tractaturus) ut totam rei ſeriem exacte perciperet, eamque didicit, ut ipſe ait, a pluribus qui tunc ex multis partibus veniebant, & eam acceperant a beatis Leone, Benedicto, & Raynerio Aretinis, & prædicto Maſſæo de Marignano ſancti Franciſci ſociis individuis. Adhuc ſervantur religioſe trabes, ſuper quas extructa erat pergula, ex qua Indulgentiam publicarunt cum Franciſco Pontifices, & locus ipſe eleganti ſacratus eſt Sacello, ſub cujus altari in altum erecto per crates ferreas dictæ trabes conſpiciuntur; & juxta Sacellum eſt hortulus, in quo perpetuo vireſcunt miraculoſa illa roſeta ſine pungentibus aculeis, ex vepribus & ſpinis, quæ Virum ſanctum cruentarunt, exorta.

Chron. antiq. MSS. Piſan. lib. 2. conſ. 2. Marian. lib. 1. c. 22. Marc. lib. 2. c. 3. Rodul. fol. 254. Bartol. de Aſſiſ. Specul. par. 1. c. 87. Anton. tit. 24. c. 7. §. 4. Bernard. to. 1. ſer. 9. ar. 3. c. 2. Medin. de Indulg. diſp. 4. c. 13. Bellarm. de Indulg. lib. 1. c. 3. & lib. 2. c. ult. Benzon. de Jubilæo lib. 4. c. 1.

III. Confirmant etiam hanc ſacram Indulgentiam plura miracula, quæ referunt Piſanus, & Marcus Ulyſſiponenſis, & quorum narratio opportunior alias ſe nobis offeret; probant item ſacræ Eccleſiæ tabulæ, Romanum Martyrologium impreſſum Venetiis anno MDIX., aliud item ibidem excuſum anno MDLXVI. Franciſcus Maurolicus, & Molanus in ſuis

Quinam de ea ſcripſerint.

Plura veritatem ejus confirmant.

Piſan. cit. Marc. c. 4. & 5. Rodul. fol. 251.

Martyrologiis, in quibus ampliſſimam hanc Indulgentiam a Deo atque Pontifice conceſſam eſſe refertur. Rem etiam ſtabiliunt Pontificum conceſſiones quamplures. Martinus IV. interrogatus a ſuo Camerario an facultatem faceret quamplurimis ex familia Pontificia, qui Aſſiſium ire volebant ſub fine menſis Julii, ut ad II. Auguſti diem magnas has gratias poſſent in dicta Eccleſia lucrari? Dixit ad fratrem Matthæum Aquaſpartanum Lectorem ſacri Palatii, deinde Cardinalem, qui tunc aderat; Quid tibi videtur frater Matthæe de Indulgentia hac? qui reſpondit: Videtur mihi quod ſit vera, juſta, & ſancta, quia beatus Franciſcus illam obtinuit ab Honorio Papa, & publico ore pronunciavit, ſicut multi hodie quoque, qui audierunt B. Franciſcum teſtantur. Papa ſtatim intulit: Ita plane credi debet, quia non eſt vero ſimile quod tantæ ſanctitatis & virtutis homo, qualis erat Franciſcus, in re tanti momenti hominibus vellet imponere, nec in Eccleſiam Indulgentias apocryphas inducere. Quare & nos ex parte Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus Indulgentiam illam confirmamus, & ſi hactenus ibidem non fuiſſet, eam nos concedimus, & volumus ut ibi habeatur, & reputetur: de quo tu frater Matthæe cura, ſi velis, fieri publicum diploma. At ille reſpondit: Sanctus Franciſcus nullas voluit fieri de hac re litteras, quantumvis ei offerrentur. Cui Pontifex: Bene dicis: ſit ergo ibi jam, ſi non eſt, Indulgentia ex verbo & conceſſione noſtra in perpetuum. Hæc omnia retulit fideliter Fratribus prædictus Matthæus factus jam Cardinalis.

Confirmatur a Martino IV.

Medin. cit. Ab Alexan. IV.

IV. Ante Martinum Alexander IV. ſciens hujus Indulgentiæ lucrandæ die multas fieri oblationes, conceſſit ut Fratres eas admittere poſſent, ex eiſque Eccleſiam ſancti Franciſci Aſſiſii reficerent, privilegiumque dedit Cuſtodi Minorum Aſsiſiati, ut pro illo tempore, ob magnum, & pene incredibilem populorum concurſum ille approbare poſſet, quos vellet, & dignos judicaret Fratres pro confeſſionibus audiendis. Epiſcopus Theobaldus citatus teſtatur, ſuo tempore Bonifacium VIII. ſolemnes nuncios ad ædem Portiunculæ tranſmiſiſſe, qui ipſo die ex parte & juſſu ejuſdem Domini Papæ ſolemniter de hac Indulgentia prædicarent. Inſuper, inquit, & Patriarchæ, nec non plerique Cardinalium Epiſcoporumque propriis in perſonis ſpe veniæ conſequendæ ad eamdem Indulgentiam venientes eam veram & certam perſonali præſentia proteſtati ſunt. Clemens V. propter quorumdam quæſtuariorum (quod in Clement. abuſionib. de pœnit. & remiſſ. proditur) avaritiam atque impoſturas, paulum numeroſis indulgentiis infeſtus, quæſitus de iſta quid eſſet agendum? Nos inquit, ad eam Indulgentiam non apponimus os noſtrum. Similiter reſpondit, qui eum ſequutus eſt Joannes XXII. anno MCCCXX. & hujus Succeſſor Benedictus XI., aliis XII. in bulla quæ incipit *Fundata in montibus*, & Aſſiſii ſervatur, magnis elargitis gratiis hunc cultum & ritum commendat. Sixtus IV. anno MCCCCLXXXI. die V. Auguſti Indulgentiam hanc extendit ad omnes Moniales, ut eam lucrari poſſint in ſuis Eccleſiis, & deinde eam communicavit omnibus domibus Fratrum tam primi, quam tertii Ordinis, quas conceſsiones Leo X. confirmavit, & poſt eum alii Pontifices, noviſsime Paulus V. & Gregorius XV. datis de hac re Apoſtolicis litteris, ſed & S. D. Urbanus VIII. qui hodie feliciter ſanctam gubernat Eccleſiam, cum pro anno Jubilæi MDCXXV. celebrandi omnes alias ubique Indulgentias ſuſpenderit, hanc ipſe dato diplomate declaravit intactam ſub his verbis.

A Bonifacio VIII.

Ibidem. A Clemente V.

Piſan. cit. Mon. Ord. fol. 261. & Roderic. to. 2. qq. regul. q. 88. ar. 6. Mon. fol. 67. & 68. Roderic. tom. 1. q. 58. ar. 3. Roderic. proxime cit.

UR-

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

V. *Cum nuper ob ſacri Jubilæi celebrationem a vigilia Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti anni proxime venturi inchoandam, & uſque ad finem ejuſdem anni duraturam, omnes & ſingulas, etiam perpetuas, peccatorum remiſſiones quibuſvis Eccleſiis, Monaſteriis, Hoſpitalibus & aliis locis piis ſæcularibus, & quorumvis Ordinum, etiam mendicantium regularibus ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis quomodolibet conceſſas, de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ſuſpenderimus & ſuſpenſas eſſe declaraverimus, easque eodem anno durante nulli prodeſſe aut ſuffragari debere decreverimus, prout in noſtris ſub plumbo deſuper expeditis litteris, quarum tenores præſentibus pro expreſſis haberi volumus, plenius continetur: Nos cupientes, ut Eccleſia ſanctæ Mariæ Angelorum domus Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia, prope & extra muros Civitatis Aſſiſienſis, congruis frequentetur honoribus, ad eamque Chriſti fideles eo libentius accedant, quo ex inde ſpiritualibus gratiis ſe uberius refectos conſpexerint, tenore præſentium declaramus, mentis & intentionis noſtræ minime fuiſſe, nec eſſe ſub prædicta Indulgentiarum ſuſpenſione Indulgentiam utriuſque ſexus Chriſti fidelibus prædictam Eccleſiam die ſecunda menſis Auguſti a primis veſperis, uſque ad occaſum Solis diei hujuſmodi viſitantibus, & requiſita pro eadem Indulgentia conſequenda peragentibus conceſſam comprehendere, prout minime comprehendimus, nec comprehenſam eſſe in verbo Romani Pontificis atteſtamur. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die* XXXI. *Julii* MDCXXIV. *Pontificatus noſtri anno* I.

V. Theatin.

VI. Rem ultra ceteros ampliavit Paulus III. qui omnibus diebus in prædicta æde ſanctæ Mariæ Angelorum ſive de Portiuncula lucrari poſſe Indulgentiam hanc, qui devote contriti & confeſſi acceſſerint, conceſſit; Rei teſtimonium authenticum ex autographo tranſcriptum e Peruſio hoc anno accepi, & ſubjicio.

Maſſæus Bardus nobilis Florentinus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Cluſinus.

VII. *Fidem indubiam facimus, & veritatis verbo atteſtamur, qualiter de anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quarto de menſe Septembri, infra octavam Nativitatis B. Mariæ ſemper Virginis, Sanctiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus noſter Dominus Paulus divina providentia fel. record. Papa III. dum eſſet Peruſiæ in Conventu ſancti Franciſci de Monte Fratrum Minorum Obſervantiæ ad puteum ſancti Egidii, ubi omnes Fratres ejuſdem Conventus, inter quos & nos tunc temporis adſcripti eramus, & ſanctiſſimos ejus pedes deoſcularemur R. P. Fr. Maſſæus de Peruſio, tunc Vicarius ejuſdem Conventus, narravit prælibato ſanctiſſimo D. N. PP. Fratres omnes Minores de Obſervantia pie credere omnes Chriſti fideles intrantes Capellam Divæ Mariæ Angelorum de Aſſiſio conſequi ſemper plenariam Indulgentiam, prout conſequuntur Kalend. Auguſti; & audiviſſe præfatum Sanctiſſimum D. N. PP. dixiſſe, ſic & nos huc uſque credidimus, & quatenus in ea-*

Habetur quotidie Indulgentia in æde Portiunculæ.

Digitized by Google

eadem Cappella plenaria Indulgentia prout vos credidiſtis, non eſſet, prout & nos credidiſſe atteſtamur, eam ponimus, & auctoritate Apoſtolica concedimus. Et quoniam omnia & ſingula dum ſic agerentur audivimus, & una cum multis aliis Fratribus, & præſertim R. P. F. Joſepho Roſciolo, tunc temporis Guardiano in eodem Conventu, & præfato Fratre Maſſæo præſentes fuimus, propterea ad perpetuam rei, ſicut ſupra, geſtæ memoriam has præſentes fieri juſſimus, per nos ſubſcriptas, & noſtro quo in ſimilibus utimur majori ſigillo muniri fecimus, & per infraſcriptos Notarios publicos ſubſcribi. In quorum omnium & ſingulorum fidem &c. Datum ex ædibus noſtris Epiſcopalibus in Terra Caſtri Plebis die VII. *Menſis Octobris* MDLXXXVIII. *Indictione prima Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri Domini Sixti divina providentia Papæ V. anno* IV.

Brigit. in revelation. extravag. cap. 90.

Brigittæ de hac Indulgentia teſtimonium.

VIII. Aliud magnum & ſacrum addere licebit ex ſancta Brigitta teſtimonium. Etenim cum in hac ipſa Eccleſia ad has lucrandas Indulgentias ſubſtitiſſet, audivit & vidit Chriſtum dicentem: *Amicus Franciſcus deſcendit de monte deliciarum in ſpeluncam, ubi panis ſuus erat divina caritas, potus ejus continuæ lacrymæ, & lectus ejus meditatio operum, & mandatorum meorum. Nunc autem Fratres ejus aſcendunt in montem curarum & deliciarum ſæculi, & non attendunt ad humilitatem & conſolationem Patris ſui, & amici mei. Sed dic, quid eſt in corde tuo, de quo turbaris, licet omnia ſciam? Et illa: conturbor, inquit, quia aliqui dicunt, quod iſte Sanctus confinxit ſibi Indulgentias iſtas, & aliqui arguunt eas nullas eſſe. Reſpondit Chriſtus: qui confingit aliqua, eſt ſicut arundo inclinabilis ad favores adulantium; ſed amicus meus fuit quaſi lapis ignitus & igneus, quia habuit me in ſe, qui ſum ignis divinus. Et ſicut ignis & ſtramina non conveniunt, ſic nec falſitas ibi communicat, ubi veritas habitat, & ignis divinæ caritatis; ſed amicus meus habuit & dixit veritatem; & quia vidit teporem hominum ad Deum, & cupiditatem ad mundum, doluit vehementer. Ideo petivit a me ſignum aliquod caritatis, per quod homo accenderetur ad caritatem, & cupiditas minueretur. Cui petenti ex caritate, ego, qui ſum ipſa caritas, dedi ſignum, ſcilicet quod omnes, qui venirent ad locum ſuum vacui, implerentur benedictione mea, & ſolverentur a peccatis ſuis. Reſpondit iterum Domina: numquid Domine mi, ſucceſſor revocare debet, quod tu omnis potentiæ & gratiæ infuſor dediſti? Reſpondit Chriſtus: fixum eſt quod dixi Petro, & ejus Succeſſoribus: Quodcumque ligaveris ligatum eſt; veruntamen propter malitias hominum multa donata ſubtrahuntur, & propter fidem & merita gratia donata augetur.*

Pſal. 92. verſ. 5. Med. cit.

IX. Tot & tantis hujus rei teſtibus quantumvis prius ſine ulla ſcriptura publicata, ſine ullo publico inſtrumento conceſſa, nullis tabellis ſignata, aut Pontificio firmata diplomate, dubium omne ſuperavit hæc Indulgentia, ut plane verum ſit quod *teſtimonia Dei credibilia facta ſunt nimis*. Neque vero hæc, ut docte ſubjungit Medina, quod neque Paulus, neque Evangelia ea narrent, ſunt tam parvi habenda, quam quibuſdam ad miraculum uſque ſapientiſſimis hominibus, qui tantum verbum Dei expreſſum, aut, quod invite credo faciunt, vetuſtiſſimos Patres recipere ob ingenii magnitudinem conſueverunt, fortaſſe videbuntur. Nam neque omnes veteres Auctores noſtri fuerunt veritatis ſtudioſiores, neque multorum annorum mendacia minus ſunt mendacia, quam ea quæ recens ſcribuntur: quemadmodum etiam neque recentiſſimæ veritates minus ſunt veritates illis, quas Mercurius, aut ſi quis fuit eo antiquior

Digitized by Google

quior, ſcriptas memoriæ prodidit. Enimvero ſatis mihi perſuadeo, ſi hæc hiſtoria litteris Græcis ſcripta blattis ſemiarroſa in aliquo angulo, ſtercore, aut pulvere obſita, nunc denuo a quovis iſtorum, qui, ne vulgariter ſapere videantur, abditiſsima quæque Græcorum monumenta admirari ſolent, inventa fuiſſet, nihil illa, vel ad Romani Pontificis aſtruendam dignitatem (vocat enim illum hic Chriſtus ſuum Vicarium, neque eam, aut donare, aut diei certo dicare ſine ejus conſenſu voluit) aut ad Indulgentiarum comprobationem & auctoritatem præſentius aliquod ſcriptum futurum. Nam quanta fides, vel miraculis, vel revelationibus probatiſſimorum virorum, qui, ut diximus, eidem poſt ingentem dubitationis anxietatem divinitus edocti teſtimonium detulerunt, ſit adhibenda, ſanctorum Patrum monumenta, & labores nos docere poterunt, in quibus quanti, hujuſmodi argumentandi genus, ponderis apud eos, vel in decernendis dogmatibus, vel in tractandis ſcripturis obtinuerit, facile deprehendimus.

X. Id porro ad rei miraculum & commendationem ſpectat, quod die pro lucranda Indulgentia ſtatuta, frequentiſſimus ibi fiat populorum concurſus, undique ad tantum numerum confluentium, ut ſæpiſſime ad ſexaginta millia, & amplius aſcendat, nec ſufficiat eis pro duorum dierum Hoſpitio Civitas, ſed ſub tentoriis vivant in campo, neque edulia illuc e vicinis Pagis & Oppidis magna cura aſportata quidquam ſint inter tantos, neque ſufficienter pateant ipſius Eccleſiæ portæ conglomeratim & ſtipatim ingredientibus ſacrum Delubrum, brachiis in altum erectis, ne a comprimentibus offendantur. Adeo enim inter ſe ſtringuntur certantibus omnibus intrare, ut quotannis aliqui ſint, qui inter comprimentes expirent; alii in aera ferantur, nec pedibus terram pertingant, donec iterum in apertum campum regrediantur. Juvat hanc preſſuram quod multi ſecundo & tertio hanc Indulgentiam velint lucrari, tam pro ſe, quam pro amicis & parentibus abſentibus, & pro iis etiam qui ex hac vita abierunt, quorum animabus a pœnis liberandis hac ratione conſultum iri crebra miracula & myſterioſæ viſiones certius comprobarunt. Adſunt ſemper Prætorii Civitatum Aſſiſii & Peruſii lictores, qui in Ordinem cogant, & inſolentias, vel turbas in tanta multitudine præmeditentur & compeſcant. Sub veſperarum hora, omnes Franciſci Sectatores tam Obſervantes, quam Capuccini, quam Tertiarii, & ſi qui alii, congregantur in æde ſuperiori Patrum Conventualium, cum quibus reverenter adorant ſancti Patriarchæ Corpus, & inde omnes deſcendunt religioſo de more proceſſionaliter, univerſo hominum cœtu per campos & compita graviſſimum & devotiſſimum conſpiciente ſpectaculum, ad ædem Portiunculæ, Indulgentiæ locum; Fratrum autem numerus frequenter excedit mille ſexcentos. Primis his accedentibus aperiuntur portæ, deinde ſubſequitur populus univerſus. In Hiſpania, & aliis regnis tanta fide populos vidi huic Indulgentiæ credidiſſe, ut infelicem & Chriſtiano nomine indignum ſe putet, qui ei lucrandæ non ſe præparet: & ſane habent quod agant diebus antecedentibus Confeſſarii, dum nullus ferme ſit, qui cœleſti & magno hoc remedio non velit ſuas ſordes abſtergi, & plures ipſe noverim, qui quamtumvis perditæ vitæ, & præcepti Eccleſiaſtici de confitendo & communicando pro Reſurrectionis Paſchate neglectores, diem hanc præteriri non vellent, tanto lucro neglecto. Convenienter autem incipit hæc Indulgentia a die & veſperis ſecundis ſancti Petri ad vincula, ut ſicut ille liberatus eſt a catenis ferreis, ita in ejus die

Quantus concurſus populorum pro hac lucranda Indulgẽtia.

Digitized by Google

die incipiant per immenſam Dei dignationem & ſacram Indulgentiam homines ſolvi a gravioribus vinculis peccatorum juxta illam precationem Eccleſiaſticam: *Deus qui beatum Petrum Apoſtolum a vinculis abſolutum, illæſum abire feciſti: noſtrorum quæſumus abſolve vincula peccatorum &c.*

XI. Ut vero paululum retrogrediatur oratio, ſupradicti ſeptem Epiſcopi ſeptenis diebus a publicata Indulgentia, & conſecrata Eccleſia Portiunculæ, ad preces Viri Dei, & ſanctæ Claræ IX. Auguſti conſecrarunt etiam Eccleſiam ſancti Damiani, qui dies propterea incolis quotannis habetur ſolemnis. Franciſcus autem, antequam quidquam de re hac cum eiſdem egerit, aut litteras Pontificias ad eos tranſmiſerit, vel præſens dederit, vel ab Urbe receſſerit, curare cogitavit ut, oblata ſibi illa occaſione & Pontificis benevolentia, Regula jam approbata per Innocentium, per Honorium confirmaretur, ſed talis ei viſio immiſſa. Videbatur de terra micas panum ſubtiliſsimas collegiſſe, multiſque famelicis Fratribus ipſum circumſtantibus debere tribuere. Cumque micas tam tenues diſtribuere formidaret, ne forte inter manus exciderent, vox ei deſuper ait; Franciſce, unam de micis hoſtiam facito, & manducare volentibus tribue. Quo id agente, quicumque illud non devote recipiebant, aut receptum contemnebant donum, mox lepra infecti notabiles apparebant. Recitat mane Vir ſanctus hæc omnia ſociis, dolens ſe non percipere myſterium viſionis. Sequenti vero die cum vigil in oratione perſiſteret, hujuſmodi vocem de cœlo delapſam audivit: Franciſce, micæ præteritæ noctis verba Evangelica ſunt, hoſtia regula, lepra iniquitas. Volens igitur confirmandam Regulam ex verborum Evangelii aggregatione profuſius traditam, ad compendioſiorem formam juxta quod dictabat viſio monſtrata, redigere ad vallem Reatinam deſcendit. Deinde ſimul cum fratribus Leone, & Bonizio in montem Columbæ, ſeu Raynerii, ab Urbe Reatina ſecundo lapide ad meridiem, Spiritu ſancto ducente, conſcendit, ubi in altiſsimæ petræ ſciſſura per quadraginta dies in pane tantum & aqua jejunans, eam fecit conſcribi, ſecundum quod oranti ſibi divinus ſpiritus ſuggerebat. Hoc anno ita eam, quam modo profitemur, inſtitutionem communiter referunt noſtri Scriptores, ſed Abrahamus Bzovius abſque ullo teſte rem defert ad annum MCCXVI.

Bonav. cap. 4. Marian. cap. 13. & 22. Platus l. 1. c. 25.

Franciſcus viſione monetur breviorem ſcribere Regulam.

XII. Hanc cum de monte deſcenderet, Aſsiſiumque perveniret, fratri Eliæ ſuo Vicario legendam cuſtodiendamque tradidit. Ille vero aſperam & ſtrictiorem, quam vellet, ex carnis ſenſu dijudicans, paucis elapſis diebus ſe eam per incuriam perdidiſſe diſſimulat. Iterato Vir ſanctus ad locum ſolitudinis rediit, & inſtar prioris, Regulam ſtatim refecit. Quod dum ſignificaret frater Elias quibuſdam Miniſtris, & diceret Inſtitutorem velle Fratres compellere ad arctiorem vitam, quam eo uſque vivebant, commoti inter ſe colloquebantur, quid agendum, vel quibus modis ab hujuſmodi conatibus poſſent legiſlatorem dimovere? Cauſabantur tandem provinciam hanc ad ſolum Fratrem Eliam pro Vicarii Generalis officio ſpectare, eumque teneri rei hujus incommoda & Fratrum, renitentiam enarrare. Ille Franciſci ſpiritum & conſtantem mentem, acreſque reprehenſiones aliquoties expertus, ſe ſolum rem aggredi non audere, reſpondit; ſi vero illi eum convenire vellent, ſe comitem offert, ut nomine omnium cauſam efficacius urgeret. Perrexerunt omnes unanimiter novæ Regulæ reluctari; ſed dum erant in via, nihil non revelatum Franciſco, qui montis ſupercilium ſuperantibus ex petræ crepidine proſiliens occurrit ad indignantis modum Fratrem Eliam interrogans

Nolunt hanc Regulam quidã ex Miniſtris.

gans, quid ſibi vellet ipſe, aut Miniſtrorum Comitatus? Ille humili voce demiſſiſque oculis timens ſanctum Patrem offenſum iri, dixit: Miniſtri hi audierunt novam ſibi efformari Regulam humanis viribus ſuperiorem, induxeruntque me huc, ut pro Vicarii ratione de temperando agerem Inſtituto, neque enim duriori ſe volunt adſtringere. Turbatus ſpiritu Franciſcus infremuit, vultumque oculoſque ad cœlum convertens vehementi affectu dixit: Domine, nonne prædixi, hos mihi non credituros? ut quid in vanum me laborare coëgiſti? Ego Inſtitutum hoc cum pauperculis meis ſociis ad mortem uſque ſervabo; nolentes hos, & dure reſiſtentes compellere nequibo. Dictu mirum! ſtatim in lucida nube apparuit ſuper hominem Chriſtus Dominus, qui audientibus cunctis dixit ei: Homuncio, quid turbaris, quaſi tuum hoc opus eſſet? Tu ne legiſlator? Tu ne hujus vitæ præceptor? Nonne omnia regulæ præcepta a me præſcripta? Nonne tabulæ hæc a me formatæ? Tu dumtaxat tenue hujus operis inſtrumentum, & calamus ſcribentis. Novi ego quid dictaverim, novi quid velim præcipere; vires humanæ mihi compertæ, ſcio quid poſſint, & quantum ego valeo & volo præſtare ſubſidium. Volo proinde ut Regula hæc obſervetur ad litteram, ad litteram, ad litteram, ſine gloſſa, ſine gloſſa, ſine gloſſa. Si ergo nolunt iſti obſervare, deturbatis tamquam diſcolis & rebellibus ex hac Sodalitate, illorum loco alios ſubſtituam, etſi opus fuerit, noviter naſci & oriri faciam, atque de lapidibus iſtis ſinceros hujus Inſtituti ſectatores reſuſcitabo. Ad hæc verba trementibus ſubjunxit Vir ſanctus ex eminenti in qua hærebat genuflexus petræ ſciſſura: Cariſſimi fratres, plus ſatis vobis conſtat in hac veſtra conſpiratione Dei voluntati vos reſtitiſſe, neque tam ad Dei circa nos providentiam, quam ad humanos ſenſus & infirmam veſtram prudentiam vos reſpexiſſe, audiſtis, audiſtis ipſi vocem claram de nube delapſam? Quod ſi adhuc non tinniunt aures veſtræ, faciam iterum eamdem emitti. Confuſi illi & territi obmutuerunt, ceciderunt que in facies ſuas, & timuerunt valde.

XIII. Tunc benignus Pater de ſciſſura petræ deſcendens in areolam, accedens ad filios pieque confortans, ſingulos apprehendit, dicens: ſurgite, & nolite timere, ſed velut milites Chriſti accipite armaturam Dei, & induimini arma lucis, ut poſſitis in die malo reſiſtere Dæmonis inſidiis, quas abſque dubio vobis ſternet in via hac, qua ambulatis. Condita porro & abſoluta Regula, velut alter Moyſes portans tabulas legis, deſcendit de monte, facie ignita & coruſcanti, ut iis qui aderant in vicino tuguriolo oſtenderet acceptam a Chriſto vitæ normam, eamque tranſmitteret per præcipuas Ordinis Provincias, ut unuſquiſque quid ſibi videretur, exponeret. Præſentibus id viſum, ut juxta ceterarum Religionum conſuetudinem, ſaltim quidquam in communi eis liceret habere; brevi enim tempore adeo creviſſe allegabant Sodalitium, ut veroſimile ſit ante plures annos tot Conſodales futuros, ut intra ſtrictæ paupertatis metas non poſſint contineri. Ille ad locum, unde venit, reverſus, cum vero Legiſlatore & Magiſtro iniit conſilium, a quo ita reſponſum: Ego pars & hæreditas eorum ero, nolo ut immiſceantur terrenis curandis, omnium hujus vitæ virorum ego me conſtituo œconomum, nec permittam ut quidquam ex neceſſariis vitæ elementis eis deficiat, dum illi curaverint hanc Regulam obſervare. Quo major eorum numerus, eo major videbitur mea providentia; dum in me jactaverint cogitatum ſuum, enutriam eos, neque in æternum dabo fluctuationem juſtis. Cunctis per ordinem relatis

latis acquieverunt Miniſtri Dei voluntati, & ſalutaribus Franciſci conſiliis, cum quo Aſſiſium redierunt, ubi iterum expanſa Regula & ab omnibus approbata, deinde ad Provinciarum Præfectos tranſmiſſa, ut examinaretur, antequam peteretur Pontificis confirmatio: illa porro ita ſe habet.

CAPUT I.

In nomine Domini incipit Regula & vita Fratrum Minorum.

XIV. R*Egula & vita Fratrum Minorum hæc eſt, ſcilicet Domini noſtri Jeſu Chriſti ſanctum Evangelium obſervare, vivendo in obedientia, ſine proprio, & in caſtitate. Fr. Franciſcus promittit obedientiam & reverentiam D. Papæ Honorio, ac Succeſſoribus ejus canonice intrantibus, & Eccleſiæ Romanæ, & alii Fratres teneantur fratri Franciſco, & ejus Succeſſoribus obedire.*

CAPUT II.

De his qui volunt vitam iſtam accipere, & qualiter recipi debeant.

Conditiones recipiendorum ad habitum.

S*I qui voluerint hanc vitam accipere, & venerint ad Fratres noſtros, mittant eos ad ſuos Miniſtros Provinciales, quibus ſolummodo, & non aliis; recipiendi Fratres licentia concedatur. Miniſtri vero diligenter examinent eos de Fide Catholica, & de Eccleſiaſticis Sacramentis. Et ſi hæc omnia credant & velint ea fideliter confiteri, & uſque in finem firmiter obſervare, & uxores non habeant, vel ſi habent, & jam Monaſterium intraverint uxores, vel licentiam eis dederint auctoritate diœceſani Epiſcopi, voto continentiæ jam emiſſo, & illius ſint ætatis uxores, quod non poſſit de eis oriri ſuſpicio, dicant*

Matt. 19. 21.

illis verbum ſancti Evangelii, quod vadant & vendant omnia ſua, & ea ſtudeant pauperibus erogare: quod ſi facere non potuerint, ſufficit eis bona voluntas.

Prohibetur Fratribus ſollicitudo bonorum Novitiorum.

Et caveant Fratres, & eorum Miniſtri, ne ſolliciti ſint de rebus ſuis temporalibus, ut libere faciant de rebus ſuis quidquid Dominus inſpiraverit eis. Si tamen conſilium requiratur, licentiam habeant Miniſtri mittendi eos ad aliquos Deum timentes, quorum conſilio bona ſua pauperibus erogentur.

Veſtes Novitiorum.

Poſtea concedant eis pannos probationis, videlicet duas tunicas ſine caputio, & cingulum & bracas, & capparonem uſque ad cingulum, niſi eiſdem Miniſtris aliud ſecundum Deum aliquando videatur. Finito vero anno probationis recipiantur ad obedientiam, promittentes vitam iſtam ſemper

Profeſſus retrocedere nequaquã poterit.
Luc. 9. 62.

& Regulam obſervare. Et nullo modo licebit eis de iſta Religione exire juxta mandatum Domini Papæ; quia ſecundum ſanctum Evangelium: Nemo mittens manum ad aratrum, & aſpiciens retro, aptus eſt regno Dei. *Et illi, qui jam promiſerunt obedientiam, habeant unam tunicam cum caputio, & aliam ſine caputio qui voluerint habere; & qui neceſſitate coguntur, poſſint*

Habitus Profeſſorum.

portare calceamenta. Et Fratres omnes veſtimentis vilibus induantur, & poſſint ea repetiare de ſaccis & aliis peciis, cum benedictione Dei, Quos

Non deſpiciendi divites.

moneo, & exhortor, ne deſpiciant, neque judicent homines, quos viderint mollibus veſtimentis, & coloratis indutos, uti cibis & potibus delicatis, ſed magis unuſquiſque judicet, & deſpiciat ſemetipſum.

Digitized by

CAPUT III.

De divino Officio, & jejunio, & quomodo Fratres ire debeant per Mundum.

Clerici faciant divinum Officium ſecundum ordinem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, excepto Pſalterio, ex quo habere poterunt Breviaria. Laici vero dicant viginti quatuor Pater noſter *pro Matutino, pro Laudibus quinque: pro Prima, Tertia, Sexta, Nona, pro qualibet iſtarum ſeptem; pro Veſperis autem duodecim, pro Completorio ſeptem, & orent pro Defunctis; & jejunent a feſto omnium Sanctorum uſque ad Nativitatem Domini. Sanctam vero quadrageſimam, quæ incipit ab Epiphania uſque ad continuos quadraginta dies, quam Dominus ſuo ſancto jejunio conſecravit, qui voluntarie eam jejunant, benedicti ſint a Domino; & qui nolunt, non ſint aſtricti, ſed aliam uſque ad Reſurrectionem Domini jejunent. Aliis autem temporibus, non teneantur, niſi ſexta feria jejunare: tempore vero manifeſtæ neceſſitatis non teneantur Fratres jejunio corporali. Conſulo vero, moneo, & exhortor Fratres meos in Domino Jeſu Chriſto, ut quando vadunt per Mundum non litigent, neque contendant verbis, nec alios judicent; ſed ſint mites, pacifici, & modeſti, manſueti & humiles, honeſte loquentes omnibus, ſicut decet; & non debeant equitare, niſi manifeſta neceſſitate, vel infirmitate cogantur. In quamcumque domum intraverint, primum dicant* Pax huic domui. *Et ſecundum ſanctum Evangelium, de omnibus cibis, qui apponuntur eis, liceat manducare.*

Officium Clericorum & laicorum.

Jejunia Minorū.

Matth. 4. 2.

Quæ itinerantibus ſervanda.

Luc. 10. 5.

CAPUT IV.

Quod Fratres non recipiant pecuniam.

Præcipio firmiter Fratribus univerſis, ut nullo modo denarios vel pecuniam recipiant per ſe, vel per interpoſitam perſonam. Tamen pro neceſſitatibus infirmorum, & aliis Fratribus induendis per amicos ſpirituales, Miniſtri tantum & Cuſtodes, ſollicitam curam gerant ſecundum loca & tempora, & frigidas Regiones, ſicut neceſſitati viderint expedire. Eo ſemper ſalvo, ut, ſicut dictum eſt, denarios vel pecuniam non recipiant.

Fugienda pecunia.

Providendum infirmis & ſanis.

CAPUT V.

De modo laborandi.

Fratres illi, quibus gratiam dedit Dominus laborandi, laborent fideliter & devote; ita quod, excluſo otio animæ inimico, ſanctæ orationis & devotionis ſpiritum non extinguant, cui debent cetera temporalia deſervire. De mercede vero laboris, pro ſe & ſuis Fratribus, corporis neceſſaria recipiant, præter denarios vel pecuniam: & hoc humiliter, ſicut decet ſervos Dei, & paupertatis ſanctiſſimæ ſectatores.

Laborandū ſine præjudicio orationis.

Quid pro labore recipiendum.

Digitized by Google

CAPUT VI.

Quod nihil ſibi approprient Fratres, & de eleemosyna petenda, & de Fratribus infirmis.

Mendicandum humiliter & cōfidenter.

Excellentia paupertatis Minoritarum.

Mutuo ſe ament Fratres.

Fratres nihil ſibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, ſed tamquam peregrini & advenæ in hoc ſæculo in paupertate, & humilitate Domino famulantes, vadant pro eleemoſyna confidenter. Nec oportet eos verecundari, quia Dominus pro nobis ſe fecit pauperem in hoc mundo. Hæc eſt illa celſitudo altiſſimæ paupertatis, quæ vos cariſſimos Fratres meos hæredes, & Reges regni cælorum inſtituit, pauperes rebus fecit, virtutibus ſublimavit. Hæc ſit portio veſtra, quæ perducit in terram viventium. Cui, dilectiſſimi Fratres, totaliter inhærentes nihil aliud pro nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti in perpetuum ſub cœlo habere velitis. Et ubicumque ſint, & ſe invenerint Fratres, oſtendant ſe domeſticos invicem inter ſe, & ſecure manifeſtet unus alteri neceſſitatem ſuam: quia ſi mater nutrit & diligit filium ſuum carnalem, quanto diligentius debet quis diligere & nutrire Fratrem ſuum ſpiritualem? Et ſi quis eorum in infirmitatem ceciderit, alii Fratres debeant ei ſervire, ſicut vellent ſibi ſerviri.

CAPUT VII.

De pœnitentia Fratribus peccantibus imponenda.

Recurrendum ad Miniſtros pro caſibus reſervatis.

Imponenda miſericorditer peccantibus pœnitentia.

Si qui Fratrum, inſtigante inimico, mortaliter peccaverint, pro illis peccatis, de quibus ordinatum fuerit inter Fratres, ut recurratur ad ſolos Miniſtros Provinciales, teneantur prædicti Fratres ad eos recurrere quam citius poterunt ſine mora. Ipſi vero Miniſtri, ſi Presbyteri ſunt, cum miſericordia injungant illis pœnitentiam; ſi vero Presbyteri non ſunt, injungi faciant per alios Sacerdotes Ordinis, ſicut eis ſecundum Deum melius videbitur expedire: & cavere debent ne iraſcantur, & conturbentur propter peccatum alicujus, quia ira & conturbatio in ſe, & in aliis impediunt caritatem.

CAPUT VIII.

De electione Generalis Miniſtri hujus Fraternitatis, & de Capitulo Pentecoſtes.

Quis in Generalem eligendus.

Quando & a quibus.

Ineptus miniſterio deponendus.

Univerſi Fratres unum de Fratribus iſtius Religionis teneantur ſemper habere Generalem Miniſtrum, & ſervum totius Fraternitatis, & ei teneantur firmiter obedire. Quo decedente, electio ſucceſſoris fiat a Miniſtris Provincialibus & Cuſtodibus in Capitulo Pentecoſtes, in quo Provinciales Miniſtri teneantur ſemper inſimul convenire, ubicumque a Generali Miniſtro fuerit conſtitutum. Et hoc ſemel in tribus annis, vel ad alium terminum majorem vel minorem, ſicut a prædicto Miniſtro fuerit ordinatum. Et ſi aliquo tempore appareret univerſitati Miniſtrorum Provincialium & Cuſtodum prædictum Miniſtrum non eſſe ſufficientem ad ſervitium & communem utilitatem Fratrum, teneantur prædicti Fratres, quibus electio data eſt, in nomine Domini alium ſibi eligere in Cuſtodem. Poſt Capitulum vero Pentecoſtes

Digitized by Google

ſtes Miniſtri & Cuſtodes poſſint ſinguli, ſi voluerint, & eis expedire videbitur, eodem anno in ſuis Cuſtodiis ſemel Fratres ſuos ad Capitulum convocare.

CAPUT IX.

De Prædicatoribus.

F*Ratres non prædicent in Epiſcopatu alicujus Epiſcopi, cum ab eo illis fuerit contradictum, & nullus Fratrum populo penitus audeat prædicare, niſi a Miniſtro Generali hujus Fraternitatis fuerit examinatus & approbatus, & ab eo officium ſibi prædicationis conceſſum. Moneo quoque & exhortor eoſdem Fratres, ut in prædicatione quam faciunt, ſint examinata & caſta eorum eloquia, ad utilitatem & ædificationem populi, annunciando eis vitia & virtutes, pœnam & gloriam cum brevitate ſermonis, quia verbum abbreviatum fecit Dominus ſuper terram.* Prædicatores cum beneplacito Epiſcopi prædicent. Qualiter prædicandum ſit.

CAPUT X.

De admonitione & correctione Fratrum.

F*Ratres, qui ſunt Miniſtri & ſervi aliorum Fratrum, viſitent & moneant Fratres ſuos, & humiliter & caritative corrigunt eos, non præcipientes eis aliquid, quod ſit contra animam ſuam & Regulam noſtram.* Correctio Prælatorum qualis debeat eſſe. *Fratres vero, qui ſunt ſubditi, recordentur, quod propter Deum abnegaverunt proprias voluntates. Unde firmiter præcipio eis, ut obediant ſuis Miniſtris in omnibus, quæ promiſerunt Domino obſervare, & non ſunt contraria animæ ſuæ, & Regulæ noſtræ.* Humiliter obediendum Prælatis. *Et ubicumque ſunt Fratres, qui ſcirent & cognoſcerent ſe non poſſe Regulam ſpiritualiter obſervare, ad ſuos Miniſtros debeant & poſſint recurrere. Miniſtri vero caritative & benigne eos recipiant, & tantam familiaritatem habeant circa ipſos, ut dicere poſſint eis & facere, ſicut Domini ſervis ſuis. Nam ita debet eſſe, quod Miniſtri ſint ſervi omnium Fratrum. Moneo vero & exhortor in Domino Jeſu Chriſto, ut caveant Fratres ab omni ſuperbia, vana gloria, invidia, avaritia, cura & ſollicitudine hujus ſæculi, detractione, & murmuratione.* Vitia Fratribus cavenda. *Et non curent, neſcientes litteras, litteras diſcere; ſed attendant, quod ſuper omnia deſiderare debent habere ſpiritum Domini, & ſanctam ejus operationem: orare ſemper ad Deum puro corde, & habere humilitatem & patientiam in perſecutione, & in infirmitate, & diligere eos, qui nos perſequuntur, reprehendunt & arguunt, quia dicit Dominus:* Non curandum nimium de litteris. Diligite inimicos veſtros, & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos. *Matth. 5. 44.* Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum: *Ibidem 10.* qui autem perſeveraverit uſque in finem hic ſalvus erit. *Matth. 10. 22.*

CAPUT XI.

Quod Fratres non ingrediantur Monaſteria Monacharum.

P*Ræcipio firmiter Fratribus univerſis, ne habeant ſuſpecta conſortia, vel conſilia mulierum: & ne ingrediantur Monaſteria Monacharum, præter illos, quibus a Sede Apoſtolica conceſſa eſt licentia ſpecialis. Nec fiant com-*

compatres virorum, vel mulierum, ne hac occaſione inter Fratres, vel de Fratribus ſcandalum oriatur.

CAPUT XII.

De euntibus inter Saracenos, & alios Infideles.

Idoneis concedēda licentia eūdi in terras Infidelium.

Cardinalis petēdus Protector. Eccleſiæ firmiſſime obediendū.

QUicumque Fratrum, divina inſpiratione, voluerint ire inter Saracenos & alios Infideles, petant eundi licentiam a ſuis Miniſtris Provincialibus. Miniſtri vero nullis eundi licentiam tribuant, niſi eis quos viderint eſſe idoneos ad mittendum. Ad hæc per obedientiam injungo Miniſtris, ut petant a Domino Papa unum de ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, qui ſit Gubernator, Protector, & Corrector hujus Fraternitatis, ut ſemper ſubditi & ſubjecti pedibus ejuſdem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſtabiles in fide Catholica, paupertatem & humilitatem, & ſanctum Evangelium Domini noſtri Jeſu Chriſti, quod firmiter promiſimus, obſervemus.

Regula hæc a Chriſto dictata.

Brigitta lib. 7. c. 10.

Gregor. IX. in expoſit. Reg. Minor.

Bern. homil. Ecce nos reliq.

XV. Plura adnotavi circa hanc Regulam in argumento ejuſdem, & notis adjectis tomo 2. Opuſculorum ſancti Franciſci, pluresque teſtes adduxi, qui datam hanc a Chriſto Regulam aſſeverent. Clarum & apertum eſt de hac re Brigittæ viduæ teſtimonium, dum ita ſibi a Chriſto Hieroſolymis revelatum refert: *Iſtius Franciſci Regula, quam ipſe incepit, non fuit dictata & compoſita ab ipſius humano intellectu, & prudentia, ſed a me ſecundum voluntatem meam. Quodlibet enim verbum, quod in ea ſcriptum eſt, a ſpiritu meo fuit ſibi aſpiratum, & poſtea ipſe aliis Regulam illam protulit & porrexit.* Adſtipulantur huic aſſertioni plures ex Summis Pontificibus Gregorius IX. Nicolaus III. & IV. Clemens V. Julius II., illi in expoſitionibus ejuſdem Regulæ, hic in litteris de Cardinalis Protectoris auctoritate, & plures alii; quod ſane ego mihi facile perſuadeam de ſanctiſſimo & vere Apoſtolico Inſtituto, *quod Evangelico fundatur eloquio, vitæ Chriſti roboratur exemplo, Fundatorum militantis Eccleſiæ Apoſtolorum ejus ſermonibus, actibuſque confirmatur:* & ſub qua tot homines ſanctiſſime vixerunt, & ſancto fine quieverunt. *Neque enim venire in dubium aliquatenus poteſt, quin omnino ſacer ſit modus converſationis, & divina magis inſpiratione atque conſilio, quam humana prudentia, vel adinventione formatus, quo nimirum tot profeſſores tantam in vita gratiam ſanctitatis, tantam poſt obitum gloriam felicitatis obtinuerunt.*

Eſt etiam Evangelica.

Roderic. tom. 1. qq. regul. q. 4. art. 1.

Bonav. cap. 3.

XVI. Illam porro totam Evangelicam eſſe, nec quidquam habere, quod in ſacro Codice non præſcribatur aut clarius inſinuetur, oſtendit beatus Cæſarius de Spira, de quo frequens nobis eſt ſermo, dum ad præceptum Inſtitutoris e regione uniuſcujuſque periodi locum expoſuerit ex libris Evangelicis, cujus penes me pium eſt hoc Opuſculum MS. & jam ſæpius prodiit in lucem. Unde non omnino erravit, qui dixit Inſtitutum hoc juris eſſe divini, nec licite poſſe a quopiam in terris convelli, dummodo id intellexerit, quatenus Evangelicum eſt, & ex Evangelio concinnatum, ſine cujus injuria non poſſit hoc condemnari, ut teſte ſancto Bonaventura docte dixit Innocentio III. magnæ auctoritatis & doctrinæ Cardinalis Joannes a ſancto Paulo. Attamen quatenus peculiaris Sodalitii norma vivendi, & a Pontificibus approbata, ab eiſdem ſine dubio poſſet reprobari, dum juſta cauſa ſubeſſet, & quæ hucuſque ſemita facta eſt ſalutis univerſis Sectatoribus fieret in offendiculum. Profecto ex-

experientia in hoc uſque tempus docuit veris & ſinceris hujus Regulæ profeſſoribus eam ſecundum ipſius ſancti Inſtitutoris elogium *librum eſſe vitæ, ſpem ſalutis, arrham gloriæ, medullam Evangelii, viam crucis, ſtatum perfectionis, clavem paradiſi, pactum fœderis æterni*, quorum ſingulas additis confirmationibus ego amplius probavi ad finem ejuſdem Regulæ in Opuſculis ſancti Franciſci. Militarunt ſub ea magni & clariſſimi viri, undequaque ſive a ſtirpe, ſive a litteris, ſive ab aliorum regimine, ſive a propria pietate ſpectatiſſimi; neque ullum fuit vitæ genus, ſub quo adeo brevi temporis intervallo per univerſum orbem tot conſcriberentur initiati, quot ſub hoc uno fuerunt connumerati. Vere & proprie canitur, Eccleſiam ſancti Franciſci meritis fœtu novæ prolis amplificari, neque enim primus partus hujus Regulæ, aut prima Minorum conditio dumtaxat amplificatur, ſed novæ prolis fœtus quotidie multiplicatur. Præter Patres etenim Conventuales, Obſervantes, Capuccinos, ex his nova germina quotidie oriuntur Reformatorum, qui collabentem aut vetuſtate declinantem (ut rerum humanarum fert conditio imo, & neceſſaria mortalium lex ſtabilivit, ut quod creſcit, decreſcat; quod oritur, moriatur; & quod vigeſcit, areſcat) pietatem, aut diſciplinam regularem ſtrictiori vitæ genere curant reparare. Præter hos etiam hanc ſibi delegerunt formulam vivendi, peculiaribus conſtitutionibus ſuæ vitæ rationi adaptatam, Fratres Ordinis Aſcenſionis; & modo ſub ea inſtituit ſanctiſſimus Dominus Urbanus VIII. Ordinem Militarem Conceptionis Immaculatæ Virginis Mariæ; neque immerito, nam opinio hæc ſub Franciſci Inſtituto multo labore magno coaluit incremento. Laudes Regulæ.

XVII. Ut vero hæc approbaretur a Pontifice Regula Romam perrexit Vir ſanctus ſub menſis Octobris finem, ubi invitatus ad prandium a Cardinali Protectore, non prius menſam adiit, quam aliquot fruſta panis per viciniam mendicaſſet, quæ deinde recumbens ex manicis extracta, repoſuit, cœpitque de eis comedere, & inter menſæ aſſiſtentes dividere, qui magno pietatis affectu porrecta manducarunt. Cum autem e menſa conſurgerent, & in cubiculum ſecederent, ſubridens & amplexatus Virum Dei, inquit Cardinalis, ut quid, Vir bone, domui meæ & honori injuriam hanc feciſti, ut mecum pranſurus, aliunde panis fragmenta collegeris, & in menſa repoſueris? Reſpondit: imo vero magnum tibi honorem detuli, dum majorem, quam tu ſis, dominum honoravi; ſiquidem Domino beneplacitum eſt in paupertate, & ea maxime, quæ voluntaria eſt. Mihi itaque ſtatui dignitatem hanc regiam, quam pro nobis Dominus Jeſus, egenus factus, aſſumpſit, ut ſua nos ditaret inopia, & hæredes inſtitueret regni cœleſtis, nullo modo relinquere pro uſu falſarum divitiarum, ad breviſſimum tempus conceſſo. Egregium ſane reſponſum, omnino par illi, quod dedit Nazianzenus paupertatem & inopiam exprobrantibus. *Iſtæ*, inquit, *ſunt divitiæ meæ. Hæ me non ſolum gloriantem, ſed & arrogantem faciunt. Videntur mihi inimici dum hoc objiciunt, quod in veſtigiis illius incedam, qui propter nos inops factus eſt, cum eſſet dives. Atque utinam exuere me poſſem panniculis iſtis, quibus circumdari videor, ut nudus effugerem ſpinas ſæculi, quæ retinent & revocant pergentes ad Dominum.*

Bonaven. cap. 7. Platus lib. 2. c. 3. Marian. cap. 22. Marc. 37.

Pranſurus Franciſcus cum Cardinali mendicat.

Nazianz. in apolog.

XVIII. Porro Franciſcus, interveniente etiam pio Cardinali Protectore, egit de Regula confirmanda cum Pontifice, qui lectam, dum rigidam nimis putaret, velletque quædam mutari, Franciſcus graviſſime ſanctiſſimeque confirmavit, ne verbum quidem unum de ſuo ibi poſitum,

ſed

Eam confirmat Honorius III.

Trith. in Chron. Hirſaug. anno 1223.

ſed omnia ut erant, a Chriſto Domino inventa, & dictata. Rem contulit Pontifex cum Cardinalibus, de quorum conſenſu, inquit Trithemius, eam confirmavit Laterani III. Kal. Decembris, in Leonis III. aula, cujus abſida, & opus muſivum, translationem imperii Orientalis in Carolum magnum, ab eodem Leone factam, repræſentans, ſua pietate, & in antiqua Eccleſiæ monumenta conſervanda laudabili propenſione per peritos Artifices refici curavit hoc anno Illuſtriſſimus D. Cardinalis Franciſcus Barberinus ſanctiſſimi Domini noſtri Urbani VIII. Nepos, ſingularis meus Patronus, in minoribus amicus, ſpectabiliſſimæ notæ & ingentis ſpei adoleſcens. Hujus aulæ pars modo Oratorium eſt Fratrum Minorum Pœnitentiariorum Lateranenſium. In prooemio teſtatur Pontifex Regulam approbatam fuiſſe ab Innocentio, quamvis non hanc ipſam verbis, ſed ſenſu. Præterquam quod ubique Regula hæc ſub Honorii confirmatione circumferatur, eam in ejuſdem Pontificis regeſto repoſitam, vel tranſcriptam fuiſſe peculiari obſervatione notavit Auctor Compilationis Chronologicæ inter illuſtres rerum Germanicarum Scriptores, quam & ego ibidem inveni ſub numero 261. cum hac inſcriptione: *Fratri Franciſco, & aliis Fratribus de Ordine Fratrum Minorum*. Ceterum nulla eſt in verbis diſcrepantia, ut quidam voluerunt, neque quidquam auctum, aut diminutum in ea formula, quam præ manibus habemus, quod Pontificio non habeatur regeſto, præter Capitulorum diſtinctionem, aut inciſiones, vel tranſpoſitionem unius vel alterius verbi, quod tanti momenti non eſt, ut Marianus nimis ſerio & laborioſe hæc voluerit notare ex autographo Aſiſii. Ceterum confirmationis ſeries hæc eſt.

Compil. Chronol. ad ann. 1223.

Marian. c.22.

HONORIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilectis filiis Fratri Franciſco, & aliis Fratribus de Ordine Fratrum Minorum ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Solet annuere Sedes Apoſtolica piis votis, & honeſtis petentium deſideriis favorem benevolum impertiri. Ea propter dilecti in Domino filii, veſtris piis precibus inclinati, Ordinis veſtri Regulam a bon. mem. Innocentio Papa Prædeceſſore noſtro approbatam, annotatam præſentibus, auctoritate vobis Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Quæ talis eſt. In nomine Domini &c. totam refert ut ſupra exſcripſimus. Deinde addit in fine. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem omnipotentis Dei, & beatiſſimorum Petri & Pauli ſe noverit incurſurum. Datum Laterani &c.

Denuo conſtitutus Franciſcus Ordinis Generalis.

XIX. In confirmatione hac ex illis verbis Regulæ, *& alii Fratres teneantur Fratri Franciſco & ejus ſucceſſoribus obedire* conſtitutus eſt Vir ſanctus denuo Generalis omnium Miniſter, ſeu potius in ipſo eodem miniſteriatus officio confirmatus, quod nunquam permiſerunt Fratres, ut deponeret, quantumvis ille cupiebat, & ſuo loco Fratrem Eliam conſtituit, quem non niſi Vicarium nuncupari permittebant. Præter hoc autem confirmationis diploma aliud ei conceſsit Pontifex, ut Ordinis Apoſtatæ a ſuis Rectoribus cenſuris innodati, ab Eccleſiarum Prælatis non reciperentur aut foverentur: imo potius confirmatis anathematis vinculis

lis ad ſuam Religionem reverti compellerentur. Litteræ (quas item Innocentius IV. Pontifex Maximus confirmavit eiſdem verbis Lugduni VIII. Kal. Maii Pontificis anno IV.) ita ſe habent.

HONORIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, Epiſcopis, & dilectis filiis Eccleſiarum Prælatis, ad quos litteræ iſtæ pervenient, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Fratrum Minorum continent Inſtituta ut nullus ad profeſſionem ſui Ordinis, niſi per annum in probatione fuerit, admittatur: ne forte altiora ſe quærens retro tandem reſpiciat, tamquam in commotionem dederit pedem ſuum, ſed & nulli ejuſdem Ordinis Fratrum, poſt factam profeſſionem, Ordinem ipſum relinquere, nec relinquentem alicui liceat retinere: noſque Prioribus & Cuſtodibus Fratrum ipſorum conceſſimus ut in decedentes liceat, donec reſipuerint, Eccleſiaſticam exercere cenſuram: quia cum probati fuerint, nullus locus eſt pœnitudini, quam alias poſſet levitatis occaſio excuſare. Nunc autem non ſine admiratione referimus, ſicut relatum eſt nobis, cum prædicti Priores & Cuſtodes taliter diſcedentes excommunicationi ſubjiciunt, hos aliqui veſtrum tamquam excommunicatos evitare non curant; unde illos magis obſtinari contingit, & dictorum Fratrum Religionem & Ordinem infamari. Quia vero & ſi univerſis liberum ſit arbitrium in vovendo, nec neceſſitas in votis locum habeat, ſed voluntas; uſque adeo tamen ſolutio neceſſaria eſt poſt votum, ut ſine propriæ ſalutis diſpendio alicui reſilire non liceat ab his, quæ ſponte ac ſolemniter repromiſit. Quare nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei: & Ananias & Saphira, qui abiere retrorſum ſancto Spiritui mentientes, a conſpectu Apoſtolorum Principis mortui ſcribuntur ſucceſſive delati. Univerſitatem veſtram monemus & hortamur in Domino per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus ne quis veſtrum, unde quis in peccatis ſuis moriatur, & Ordo hujuſmodi detractioni ſubjacere, ſit occaſio: diſcedentes poſt profeſſionem ab eis, præſertim excommunicatione innodatos ab ipſis, evitetis omnino. Quos etiam cum ab eiſdem Prioribus & Cuſtodibus fueritis requiſiti, excommunicatos nunciare curetis; ut cum ſe demum cognoverint inter homines vivere, ac humano carere ſolatio, ad Ordinem ſuum reddendo Deo votum, quod in ejus ſuſceptione devoverant, revertantur. Datum Laterani XIV. *Kal. Januarii Pontificatus noſtri anno* VIII.

[Margin: Prohibet Pontifex egreſſum ex Religione.]
[Margin: Jubet egredientes tamquam excõmunicatos vitari.]
[Margin: *Luc.* 9. 62.]
[Margin: *Actorum* 5. 5. & 10.]

XX. Quod ſi tunc tot ipſius Franciſci tempore Apoſtatæ & gyrovagi, qui obedientiæ jugum excutiebant, ut illorum numeroſitati publico hoc & Pontificio remedio putaverit obveniendum, quis hodie digne miretur, ſi aliqui ſint, qui ad laxiorem & liberiorem vitam ruptis regularis diſciplinæ repagulis, aliquando declinent? Nullus fuit regularis ſtatus, in quo univerſa ſors hominum ſuos greſſus firmaret, & non reſpexerint aliqui ad ea, quæ in mundo reliquerunt oblectamenta, aut tentationibus ſuccumbentes, non quærant quæ ſenſui placent & carni. Ceterum Franciſcus volens apud caſtrum Græcii memoriam Nativitatis pueri Jeſu, ad vicinorum Oppidanorum devotionem excitandam, maxima, qua poſſet, ſolemnitate celebrare, per litteras admonuit ſui propoſiti Joannem,

Græ-

Digitized by Google

Anno 1217. n. 14. Græcii militem, de quo nos ſuperius, rogavitque, ut quæ tantæ rei erant neceſſaria, ſedulo & ſolemniter præpararet. Ne vero hoc levitati poſſet adſcribi, ſummo Pontifici mentem aperuit, qui pium approbavit opus, indulgentiaſque largitus eſt devotis ſpectatoribus. Dum eſſet in procinctu ut abiret, ſalutare voluit Dominum Leonem Brancaleonem, Cardinalem tunc ſanctæ Crucis in Hieruſalem, quem Franciſco addictiſſimum diximus ſuperius. Ille rogavit ut per aliquot dies vellet apud ſe manere; vel ob id maxime, quia inundantes aquæ & temporis inclementia itinerantem poſſent in via retardare. Renuenti homini & cauſanti non decere pauperes vitam agere Principum, nec in Nobilium aulis commorari, ſubjunxit Cardinalis, ut pauperem ſe eum admiſſurum, & hoſpitaturum, non in propriis ædibus, ſed in vicina turri prope Urbis murum, a turbis remota, in qua binos aut ternos dies vel corporis vel animi quieti poſset vacare. Urſit Cardinalis preces frater Angelus Tancredi Reatinus, unus ex Franciſci ſociis qui apud eumdem Cardinalem vivebat, obſecrans ſanctum Virum, ut pium Principem, cujus innumera & magna erant in univerſum Sodalitium merita, non contriſtaret. Conſenſit tandem Vir ſanctus, & dum illa nocte in vaſta turri, novem habente teſtudines, & concamerata cubicula (cujus tamen nunc nec veſtigia ſuperſunt, extractis ruderibus, & in aliena ſubſtratis ædificia) ſimul cum ſocio dormiret, crudeliſſime vapulavit a Dæmonibus, qui ferme ſemimortuum reliquerunt. Diſcedentibus illis, ſocium advocavit, cui cum Vir Dei narraſſet eventum, ſubjungens ait: Credo Frater, quod Dæmones, qui nihil poſſunt niſi quantum providentia ſuperna diſponit, ideo in me nunc tam ferociter irruerunt, quia non bonam ſpem præfert manſio mea in curia Magnatum. Fratres mei qui in locis pauperculis commorantur, audientes me cum Cardinalibus eſſe, ſuſpicabuntur forſitan implicari mundanis, efferri honoribus, & deliciis abundare. Ideo melius judico eum, qui aliorum ponitur in exemplum, fugere curias, & humiliter inter humiles in locis converſari humilibus, ut ſuſtinentes penuriam, fortes efficiat ſimilia ſuſtinendo. Veniunt ergo mane, & humili excuſatione propoſita valefaciunt Cardinali.

Marian. cap. 22.

Ann. 1210. n. 17.

Manere conſenſit aliquibus diebus apud Cardinalem Brancaleonem.

Sed vapulat a Dæmone.

Bonav. cap. 6.

XXI. In vallem itaque Reatinam ad præfatum Græcii locum pergens, primo ſui itineris die dum divinum ſolvere vellet penſum horarum, neque pluvia integro ceſſaret die, ex Aſino, quo propter infirmitatem & corporis debilitatem ob præteritæ noctis plagas vehebatur, deſcendit, quieto, rectoque corpore volens recitare preces Canonicas, neque ob pluviam, aut aliud quodvis incommodum a loco reſiliit, donec officium abſolvit. Id ei moris erat ſumma cum reverentia, corpore compoſito, & erecto, animoque tranquillo, divinum officium recitare, rationem hanc quærentibus reddens: Si corpus quiete & commode vult manducare cibum ſuum, eſcam mox vermium futurum, tranquillius & delectabilius debet anima ſumere ſpiritualem cibum in æternum profuturum. Itaque licet oculorum, ſtomachi, ſplenis & hepatis ægritudine laboraret, nolebat tamen muro, vel alii fulcro inhærere dum pſalleret; ſed preces horarias ſemper erectus & ſine caputio, non gyrovagis oculis, nec cum aliqua ſyncopa perſolvebat. Graviter etiam ſe putabat offendere, ſi quando orationi deditus, vanis phantaſmatibus intentus vagaretur: & cum aliquid tale accideret, non parcebat confeſſioni, quin illud protinus expiaret. Hoc ſtudium ſic in uſum converterat, ut rariſſime muſcas hujuſmodi pateretur. Fecerat in quadrageſima quadam vaſculum unum, ut

Quam devote recitabat divinum officium.

Bonav. cap. 10. Marian. cit.

ut minutias temporis, ne omnino excederent, occuparet. Quod cum dicenti Tertiam, in memoriam veniens, paululum ipſius animum diſtraxiſſet: motus fervore ſpiritus, vaſculum igne conſumpſit, dicens: Sacrificabo illud Domino, cujus ſacrificium impedivit. Pſalmos cum tanta mentis & ſpiritus attentione dicebat, quaſi Deum præſentem haberet, & cum nomen Domini in eis occurreret, præ ſuavitatis dulcedine, labia ſua lingere videbatur. Ipſum quoque Domini nomen, non ſolum cogitatum, verumetiam prolatum & ſcriptum reverentia volens honorare præcipua, Fratribus perſuaſit aliquando, ut omnes ſchedulas ſcriptas, ubicumque repertas, colligerent, mundoque loco reponerent; ne forte ſacrum illud nomen ibi ſcriptum contigeret conculcari. Nomen autem Jeſu cum exprimeret, vel audiret, jubilo quodam repletus interius, totus videbatur exterius alterari; ac ſi mellifluus ſapor guſtum, vel harmoniacus ſonus ipſius immutaſſet auditum.

Bonav. cit. Legen. Greg. IX.

Celebrat ſolemniter Chriſti Nativitatem.

XXII. Ut ventum erat ad Græcii caſtrum, ſub Nativitatis vigilia, invenit omnia ad votum præparata a pio illo milite & amico. Advocari fecit plures ex Fratribus ex locis vicinis, invitavit populum frequentem ad ſolemnia Infantuli Regii natalitia, & tantam poſuit in eis celebrandis operam & opem, ut ex melodia, & efformatis cantibus ſilvæ in voces reſonarent ſonoras, atque ex copioſis faculis & cereis luminibus nox illa ſicut dies illuminaretur. Stabat Vir Dei coram præſepio pietate repletus, reſperſus lacrymis, & gaudio ſuperfuſus. Celebrantur miſſarum ſolemnia ſuper præſepe, Levita Chriſti Franciſco ſacrum Evangelium decantante. Prædicat deinde populo circumſtanti de Nativitate Regis pauperis; quem cum nominare vellet, puerum de Bethlehem, præ amoris teneritudine nuncupabat. Præfatus autem miles dominus Joannes de Græcio ſe vidiſſe aſſeruit puerulum quemdam, valde formoſum in illo præſepio dormientem; quem B. P. Franciſcus ſtricte brachiis amplexans excitare videbatur a ſomno. Hanc devoti militis viſionem plura veram probarunt, tum videntis explorata ſanctitas, tum miracula ſubſecuta. Nam fœnum, ſuper quo jacuit vivus Infantulus, propellebat mirabiliter peſtes omnes & languores animalium, & locus iſte accedentium corda, in obſequio Chriſti torpentia, excitabat ad divinum amorem. Mutatus eſt poſt ſancti Viri mortem, in pium Sacellum, & ſuper præſepis locum erectum eſt Altare, non ſine myſterio; ut ubi illa nocte animalia vere fœni pabula comederunt, ibi de cætero ad ſanitatem animæ & corporis manducent homines carnem Agni immaculati & incontaminati.

Infantem Jeſum ulnis vivum excipit.

Piſan. conf. 16. Specul. S. Franc. cap. 19.

Reprehendit in menſa curioſitatem.

XXIII. Aderant ibi quidam Miniſtri, qui convenerant de rebus ſuarum Provinciarum cum Inſtitutore tractaturi, ad quorum præſentiam, & propter diei ſolemnitatem in Chriſti Natalitio Fratres ſolito curioſius menſas ſtraverunt mappis bonis, vitrorumque varietate. Ægre hoc ferens Vir Dei, aſſumpſit ſecreto baculum & galerum cujuſdam peregrini, qui ad oſtium mendicabat, & manducantibus Fratribus ſupervenit, petiitque ad Refectorii oſtium eleemoſynam ut pauper & peregrinus. Illius Provinciæ Miniſter ex voce præceptorem cognoſcens, inquit ſubridens, Frater peregrine, magnus eſt numerus Fratrum, & ipſi indigent eleemoſynis ſibi conceſſis, attamen ingredere & ſubminiſtrabitur tibi, quod licuerit. Accedens ille ſedit in terra, & data ei eſculenta in paropſide cum fruſtulis panis, quæ alacriter comedit, noluit amplius quidpiam admittere. Prandio terminato mirabilem habuit ad Fratres ſermonem de Chriſti paupertate, & matris inopia, ſubjungens: pauperes reli-

Digitized by Google

religioſos dedecere lauta fercula præcipue in illo die, in quo beata Virgo Maria vix habebat quod manducaret, nec Chriſtus ubi cubaret, niſi in animalium brutorum præſepe. Feſtivitates demum, inquit, Chriſti, & Sanctorum melius & commodius celebrantur paupertate, quam ipſi ſectati ſunt, quam ſuperfluitate & curioſitate, quam ultra modum deteſtabantur. Similiter etiam alias feciſſe in die ſancto Paſchæ narrat Bonaventura, nam cum moram traheret in Eremitorio quodam adeo ab hominum habitatione remoto, quod commode mendicare non poſſet, memor illius, qui diſcipulis euntibus in Emmaus ipſo die in ſpecie peregrini apparuit, ab ipſis Fratribus eleemoſynam petiit ut peregrinus & pauper; quam cum accepiſſet humiliter, ſacris eos informavit eloquiis: quod tranſeuntes per mundi deſertum, tamquam peregrini & advenæ verique Hebræi, Paſcha Domini, hoc eſt, tranſitum ex hoc mundo ad Patrem, in paupertate ſpiritus continue celebrarent.

Bonav. c. 7. — *Luc. 24. 18.* — *Joan. 13. 1.*

Tribulatur a dæmone. *Chron. antiq. Marc. l. 1. c. 60.*

XXIV. In eodem loco Græcii dum nocte quadam dormire vellet, non potuit, ſed dolebat capite, & toto tremebat corpore. Vocans itaque ſocium in vicina cella recumbentem, rem narravit, juſſitque ut auferret, & extra cellam faceret pulvinar ex plumis, quod ejus capiti ſupponi voluit dominus Joannes ſupra memoratus, ejus compatiens infirmitati, namque vere credebat in eo dæmonem latere. Injectum in humerum pulvinar tamquam onus grave gravari ſuper ſe ſarcinam ſenſit, nec prius cellam exivit, quam immobilis hæſerit mutus effectus. Dum ita tardaret, nec regrederetur, Vir ſanctus dolum præſenſit, & in virtute ſanctæ obedientiæ juſſit ut protinus rediret. A malo ſeſſore dimiſſus reverſus ad Patrem, quid paſſus, enarrat, confirmatque Patris de latente diabolo judicium. Vere, inquit, heri dum Completorium recitarem, ſenſi ejus adventum, & ut reſiſterem, diligenter me præparavi. Malæ & fallaces ſunt nebulonis artes, quia non potuit mentem, Dei gratia protectam commaculare, conatus eſt corpori nocere, & ne ei ſubveniatur rebus neceſſariis, impedire; ut vel ſic in aliquod inducat impatientiæ piaculum, vel faciat quominus poſſit orare. Dimiſſo porro ſocio, in pulvinari malum latuiſſe comperiit, nam ſtatim obdormivit, & dolor omnis abſceſſit.

Supra num. 25.

Abſolvitur fr. Cæſarius a Miniſteriatu Germaniæ.

Chron. MS. Saxon. ad hunc an.

Progreſſus Ordinis in Germania ſub Alberto Piſano.

XXV. Annus hic non præteriit abſque celebratis de more Comitiis ſub feſto Pentecoſtes, in quibus frater Cæſarius de Spira, quem ſuperiori anno diximus e Germania Inſtitutorem ſuum viſendi gratia rediiſſe, abſolutus eſt a miniſteriatu Saxoniæ, cum duobus annis laudabiliter & prudenter præfuiſſet, & ei ſubſtitutus frater Albertus de Piſa, qui ſub illo etiam tempore ex Anglia remearat. Diſſoluto conventu, miſſi ſunt cum eodem hoc ipſo anno ad illas partes viri inſignes, & eruditione præſtantes frater Marcus de Mediolano, frater Jacobus de Tarviſio, frater Angelicus Juriſperitus, & alii quamplures Fratres. Ipſe autem Albertus ſimul ac veniſſet in Germaniam, convocatis ſenioribus, fratre videlicet Joanne de Plano Carpinis, & fratre Thoma Vicario & Cuſtode, aliiſque nonnullis: & communicato cum eis conſilio, agit Capitulum Spiræ juxta murum apud leproſos in Nativitate beatæ Virginis, quo in loco tunc Guardianus erat frater Jordanus, qui in eodem Capitulo Miſſam decantavit. In ipſo Capitulo de Ordinis ſtatu & propagatione ſollicite cogitantes Patres, fratrem Marcum de Mediolano Cuſtodem Franconiæ, fratrem Angelum de Wormatia Cuſtodem Bavariæ & Sveviæ, fratrem Jacobum Cuſtodem Alſatiæ, fratrem Joannem de Plano Carpinis Cuſtodem

dem Saxoniæ conſtituerunt, cui eidem Joanni Clericorum Spirenſium multitudini concionari demandatum eſt. Sermone finito Dominus Epiſcopus Spirenſis Fratres Ordinis Clero & Populo ſuo ſerio recommendans, conceſſit ipſis prædicandi & confeſſiones audiendi in ſua Diœceſi auctoritatem, quorum prædicationibus & exemplis plurimi, abnegato ſæculo, ſacro ſe Ordini manciparunt. Quorum unus fuit Burchardus filius Comitis Poppenburgenſis, Cathedralis Eccleſiæ Canonicus: item Albertus magiſter adoleſcentum, vir apprime doctus: item miles quidam ſtrenuus, & alii quamplures. Orta autem ibidem turbatione ob receſſum quorumdam ab Ordine, tepuit populi gratia erga Fratres, uſque eo, ut indignanter, & averſis oculis mendicantes Fratres intuerentur, & inviti eleemoſynas adminiſtrarent. Dei autem providentia, præter omnium opinionem, ſubito gratia, quæ penitus concidiſſe videbatur, refloruit, & Fratres in majorem potius, quam priſtinum populi favorem ſunt reſtituti. Eodem item anno frater Joannes de Plano Carpinis vigilem Ordinis dilatandi curam ſuſcipiens, miſit plures maturæ diſcretionis Fratres Hildeshemiam, Brunſuicum, Goslariam, Halberſtadium, Magdeburgum, omnes Saxoniæ præclaras Civitates. Conſimiliter fecerunt frater Angelus de Wormatia Cuſtos Bavariæ & Sveviæ, & frater Marcus de Mediolano Cuſtos Franconiæ, cujus juſſu Fratres Bambergam venerunt, qui ibidem ſuſceperunt locum, ubi nunc leproſorium eſt. Reformatus eſt anno MCCCCLX. per Reverendiſſimum Epiſcopum Bambergenſem Dominum Georgium, & Vicarium Provincialem Argentinenſem.

XXVI. Miſit hoc anno ſanctus Franciſcus Fratres, ut ad petitionem oppidanorum montis Barochii & Montegiani, non longe ab Urbino, ad lævam Piſauri in Piceno, Caſtellorum non ignobilium Monaſterium conſtruerent. Datus eis ſitus amœnus in nemoroſi & delicioſi montis jugulo, in confinibus utriuſque caſtri, in quo ex communibus facultatibus commodum ædificatum eſt Cœnobium ſub invocatione ſanctæ Mariæ de Scotaneto. Ad lævam ingredientis Eccleſiam occurrit ſepulcrum beati Sancti Laici, tum in vita, tum in morte clariſſimi; ut vere ei dici poſſit *ſecundum nomen tuum, ſic & laus tua*: nam ut nomine ita & vita vere ſanctus fuit, ſigniſque & prodigiis emicuit. Cœnobium modo incolunt Fratres regularis Obſervantiæ.

Conventus Montis Barochii.

Gonzag. in Prov. March. Conv. 47. Chronic. March. MSS.

Pſal. 47. 11.

XXVII. Eodem anno ipſum Virum ſanctum Bononiam perrexiſſe aſſerunt Sigonius, & Leander Albertus in ſua hiſtoria Bononienſi, & in aperto foro frequenti prædicaſſe populo. Dumque per aliquot dies ibi ſtaret, exploraretque laxatas vitiis habenas, quotidie inſtabat prædicationi & populi correctioni, ſæpiſſime alta clamans voce: Væ tibi eſſet, & infelix fores Civitas Bononienſis, niſi habuiſſes egregium, & carum apud Deum ſequeſtrum fratrem meum cariſſimum Dominicum, qui non ceſſat pro te ſuas preces ad Dominum effundere. Nec prius Vir ſanctus ab hac Urbe reverſus, quam vitia magna ex parte fugarit. Forte tunc incidit, ut refert Sigonius, ut cum hoc anno orationem in foro frequenti aſtante concione haberet, terra ingenti agitatione concuſſa ſit, cujus rei periculo (nam ſæpe ante quoque illo anno magno ædificiorum damno tremuerat) ſimul atque populum perturbatum cognovit, haud quaquam exterritus, orare perrexit, atque eo ſtudioſius homines, cœleſtibus ejuſmodi ſignis admonitos, pravam emendare vitæ conſuetudinem oportere adjunxit.

Sigon. in Summar. hiſtor. Bononien.

Leand. decad. 1. l. 9. ad an. 1223.

Prædicat Franciſcus Bononiæ.

Sigon. lib. 2. de Epiſc. Bononien. ad hunc ann.

XXVIII. Ante hunc annum conſtructum Compoſtellæ ad CCC. a civita-

Gonzag. in Prov. S. Jacob. Conv. 5.

Conv. S. Laurentii Compoſtellani.

vitate paſſus Cœnobium alterum, divo Laurentio ſacrum, probat Gonzaga ex diplomate Regio Alphonſi Legionenſis, quo confirmat donationes quaſcumque factas præfatæ ædi a Martino Zamorenſi Epiſcopo ejus ſtructore, necnon ex ejuſdem Pontificis teſtamenti tabulis, ſimul cum dicto Regis diplomate in æde matrici Compoſtellana ſervatis. Regium privilegium ita ſe habet: *Ego Adelphonſus Dei gratia Legionis Rex una cum filiis meis, per hanc chartam perpetuo valituram, concedo & confirmo Eccleſiæ ſancti Laurentii, quam Dominus Martinus Zamorenſis Epiſcopus Compoſtellæ ædificaſtis, omnia quæ tam de patrimonio veſtro, quam donationis, vel emptionis, vel alio quocumque modo acquiſita, eidem Eccleſiæ contuliſtis, vel in futurum conferetis &c. Facta charta apud Zamoram die* XX. *Auguſti æra* MCCLIV. Computum hoc præſenti correſpondet anno, quare alio anteriori ædificatam domum oportet admittere, præſertim ſi verum ſit, quod idem Auctor refert anno MCCXXII. conſecratam fuiſſe Eccleſiam a Petro Munniz Compoſtellano Archiepiſcopo, cujus beneficiis auctum Monaſterium ait, & donatum magna parte contigui nemoris a Lupo de Moſcoſo Comite Altemirano. Religioſis ſtrictioris Obſervantiæ illorum, quos Recollectos vocant, ſubeſt locus; inter quos multi pii viri floruerunt & obierunt. Notiores hi fratres Gillius, ſive Ægidius de Conſvegra, Stephanus de Guadramiro, Petrus de Ribera, & Petrus alter de Nanclarez Cantaber. Poſtremus hic olim mihi fuit notus Salmanticæ, dum juvenum Inſtructorem ageret; vir ſane pius, regularis Inſtituti in ſe obſervantiſſimus, & in aliis ſtudioſiſſimus, aſſiduus in oratione, in jejuniis & vigiliis indefeſſus, in macerando corpore ultra modum ſerius. Pœnitentiis crebris incurabiles contraxit languores, quibus ſuccubuit Compoſtellæ, ſepultus in præfata æde anno MDCXIX. non ſine magno populi in funere concurſu, qui pauperem lacernam pia deprædatione in minutula præſegmina proſcidit.

Additio ad hiſtoriam.

Gonzag. in Prov. Franc. Pariſ. Conv. 1.
Idem in Prov. Carthag. Monaſt. 25.

XXIX. Hoc item anno prædictus Auctor initium accepiſſe refert Conventum Sagienſium in Normannia, de quo largius agemus ad annum MCCXXVI. Etiam eodem ædificatum vult Monaſterium Aſſumptionis Beatæ Mariæ Clariſſarum apud oppidum ſancti Clementis in Hiſpania, ſed errorem irrepſiſſe in numeros facile colligere eſt ex iis, quæ ipſe dicit circa fundationem Franciſcanorum Cœnobii ad annum MDIII. quod tamen iſto Monialium prius & antiquius facit. Pro numeris itaque MCCXXIII. ſupponendos putem MDXXIII. ut ad illum annum ſerius probabo. Certius & ſtabilius id quod de fundatione Conventus Atrebati, quod in comitatu Arteſiæ civitas eſt nobilis & inſignis, refert Ferreolus Locrius ex Chronicis MS. Hannoniæ a fratre Jacobo Guiſio, docto noſtri Sodalitii Hiſtorico, ante annum MCCCXC. concinnatis, & tribus integris Tomis pergamenis diviſis, quæ apud Franciſcanos Montium Hannoniæ diligenter reſervantur. Franciſcani inquit anno MCCXXIII. in Atrebatenſium ſuburbiis a ſancto Vincentio nomen habentibus (propter quod & ibidem commorantes Minores Fratres ſancti Vincentii principio ſunt vocati) magno populi applauſu, exinde fructu excipiuntur, iiſdemque Cœnobium ad ipſas oppidi, qua Orientem ſpectat, foſſas & portam ſancti Nicolai, beato Pacifico negotium promovente, conſtruitur. Sed anno MDXXIV. diruitur ob bellorum pericula, quæ a vicinis Gallis imminebant; & in oppidi quaſi meditullio vetuſtæ cujuſdam arcis fundo, aliud honeſtiore forma reſtituitur. Aliquanto poſt tempore, nova ejus Eccleſia conſecrata eſt Dominica, Sanctorum omnium feſtum

Conventus Atrebaten.
Locrius ad ann. 1223. & 1524.
Guiſius lib. 21. c. 142.
Meyer. in collec. MSS. ex Georgio Tempſeca.

feſtum præeunte, ſub titulo beatæ Catharinæ virginis & martyris. In prioris vero Cœnobii loco ad futuram memoriam crux ferrea defixa eſt, ad quam quotannis, die fidelium animabus votiva, Fratres proceſſionaliter conveniunt, pro iiſdem preces fuſuri. „ Aubertus Myræus in ſuo „ de origine Ordinum Mendicantium libello agens de hoc Conventu, „ prioris & poſterioris ſtructuræ tempus aliud aſſignat; & primi Domi„ cilii locum, ſive fundum, appellatum aſſerit *Mons Capellæ*: & ſecundum „ dicatum ſancto Bartholomæo. Priori adhæreo narrationi, quippe ex „ domeſtico & vetuſto teſte excerptæ.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI. *Myr. citatus.*

ARGUMENTUM.

Præſcribitur Monialibus Damianitis Regula Minoritanæ conſimilis. Abiit in Montem Alvernæ Franciſcus, ubi poſt longam rerum cæleſtium contemplationem, & rigidæ abſtinentiæ diſciplinam, noſtræ redemptionis pignora, cicatrices quinas accepit a Chriſto, quarum fides plurima in univerſa habetur Eccleſia. Diſcedens a Monte multa patrat mirabilia, deinde incipit ægrotare ad mortem, & certus redditur de gloria æterna acquirenda. Antonius Patavinus magno fructu prædicationis munus exercet. Extruuntur hoc anno nobiles Minoritarum ædes, & Fratres mittuntur Coloniam, Thuringiam, & Lindaviam.

I. E Græcio, ſub menſe Februarii, redierat Franciſcus Aſſiſium, ubi quotidie rogabatur a virginibus Damianitis, ut ad inſtar Fratrum Minorum, firmam vivendi normam acciperent, eiſque præter illa quæ verbo tradidit, alia adderet ſcripto, Regulamque præſcriberet, per quam abſente, vel e vivis diſcedente tanto Magiſtro, quæ præſentes erant, & quæ ſequerentur, poſſent gubernari. Ille re prius collata cum Cardinale Hugolino (qui virginum fervorem majores ſubminiſtraſſe ad ardua conatus perſpexit, nec eas contentas eſſe Regula Benedictina, neque propria Hugolini inſtitutione, quam libentius aliæ, præter illas Aſſiſiates Virgines, admittebant) propriam eis condidit Regulam. Uterque tam Cardinalis quam Franciſcus ſupererat operi, & leges obſervandas ſimul ferebant, aptantes Minoriticas fœmineæ fragilitati. Licet has ipſa Clara optarit & petierit, tamen Cardinalis, dum eas ſimul cum ſancto Franciſco ſcriberet, non poterat ſe cohibere a lacrymis, conſiderans Virginum fervorem, muliebri infirmitate ſuperiorem. Dum hærebat in verbo aliquo vel periodo Franciſcus, Hugolinus ſuam operam interponebat, & circa quædam mitiganda, vel cautius præcipienda, ſuum dabat conſilium, qui etiam ex inſtitutione, quam ſuperius diximus aliis Monialibus præſcripſiſſe, quædam huic Regulæ inſeruit. Pietatem & lacrymas Cardinalis, dum hanc Regulam conſcriberet, referunt Philippus a Peruſio, in illa, quam ſuperius exſcripſimus, epiſtola ad Gondiſalvum Miniſtrum, & Marianus ex Bernardo de Beſſa. Regulam ipſam lectori hic ſubminiſtramus.

Petunt Damianitæ Regulam.

Ann. 1219. n. 44.

CA-

CAPUT I.

Regula & vita Sororum pauperum.

IN NOMINE DOMINI, AMEN.

INcipit Regula & forma vitæ Ordinis Sororum pauperum, quæ quidem eſt ſanctum Evangelium Domini noſtri Jeſu Chriſti obſervare, vivendo in obedientia, ſine proprio, & in caſtitate. Clara, indigna ancilla Chriſti, promittit obedientiam & reverentiam Domino Papæ Honorio, ac Succeſſoribus ejus canonice intrantibus, & Eccleſiæ Romanæ. Et ſicut in principio converſionis ſuæ una cum Sororibus ſuis promiſit obedientiam] fratri Franciſco, ita eamdem promittit inviolabiliter obſervare Succeſſoribus ſuis. Et aliæ Sorores teneantur ſemper Succeſſoribus fratris Franciſci, & ſorori Claræ, & aliis Abbatiſſis canonice electis ei ſuccedentibus obedire.

CAPUT II.

Qualiter recipi debeant.

SI qua divina inſpiratione, venerit ad Sorores, volens vitam illam accipere, Abbatiſſa Sororum omnium conſenſum requirere teneatur, & ſi major pars conſenſerit, habita licentia Domini Cardinalis Protectoris poſſit eam recipere. Et ſi recipiendam viderit, diligenter examinent eam, vel examinari faciant de fide Catholica, & eccleſiaſticis Sacramentis. Et ſi

Examinetur recipienda.

hæc omnia credat, & velit ea fideliter confiteri, & uſque in finem firmiter obſervare, & virum non habeat, vel ſi habet, & jam Religionem intravit auctoritate Diœceſani Epiſcopi, voto continentiæ jam emiſſo, ætate etiam longæva, vel infirmitate aliqua, ſeu fatuitate ab hujuſmodi obſervantia non impediente, diligenter exponat ei tenorem hujuſmodi vitæ. Et ſi ido-

Matth. 19. 21.

nea fuerit, dicatur ei verbum ſancti Evangelii, quod vadat & vendat omnia

Nihil de ejus bonis retineant Moniales.

ſua, & ea ſtudeat pauperibus erogare. Quod ſi facere non potuerit, ſufficit ei bona voluntas. Et caveant Abbatiſſa, & ejus Sorores, ne ſollicitæ ſint de rebus ſuis temporalibus, ut libere faciat de rebus ſuis, quidquid Dominus inſpiraverit ei. Si tamen conſilium requiratur, mittant eam ad aliquos diſcretos, & Deum timentes, quorum conſilio bona ſua pauperibus erogentur. Poſtea capillis tonſis in rotundum, & depoſito habitu ſæculari, concedant ei tres tunicas, & mantellum. Deinceps extra Monaſterium, ſine utili, manifeſta, & probabili cauſa eidem exire non liceat. Finito vero anno probationis, recipiatur ad obedientiam, promittens vitam & formam hujus paupertatis in perpetuum obſervare. Nulla infra tempus probationis veletur: mantella etiam poſſint Sorores habere pro alleviatione & honeſtate

Habitus Monialium.

ſervitii, & laboris. Abbatiſſa vero de veſtimentis diſcrete eis provideat, ſecundum qualitates perſonarum, & loca, & tempora, & frigidas regiones, ſicut neceſſitati viderit expedire. Juvenculæ in Monaſterio receptæ, infra tempus ætatis legitimæ tondeantur in rotundum, & depoſito habitu ſæculari, induantur panno religioſo, ſicut viſum fuerit Abbatiſſæ. Cum vero ad ætatem legitimam pervenerint, indutæ juxta formam aliarum, faciant profeſſionem ſuam; & tam ipſis, quam aliis novitiis Abbatiſſa ſollicite magiſtram provideat de diſcretioribus totius Monaſterii, quæ in ſancta converſione, & honeſtis moribus juxta formam profeſſionis Sororum, eas diligenter

Digitized by Google

genter informet. In examinatione & receptione Sororum ſervientium extra Monaſterium ſervetur forma prædicta, quæ poſſunt portare calceamenta. Nulla cum Sororibus reſidentiam faciat in Monaſterio, niſi recepta fuerit ſecundum formam hujus profeſſionis. Et amore ſanctiſſimi & dilectiſſimi pueri Jeſu, pauperculis pannis involuti, in præſepio reclinati, & ſanctiſſimæ Matris ejus, moneo, deprecor, & exhortor Sorores meas, ut veſtimentis ſemper vilibus induantur.

CAPUT III.

De divino Officio & jejunio, & quoties communicent.

Sorores litteratæ faciant divinum Officium ſecundum conſuetudinem Fratrum Minorum, ex quo poterunt habere Breviaria, legendo ſine cantu, & quæ occaſione rationabili non poſſunt aliquando legendo dicere Horas ſuas, liceat eis ſicut aliæ Sorores recitant, dicere Pater noſter. *Quæ vero litteras neſciunt, dicant viginti quatuor* Pater noſter *pro Matutino, pro Laudibus quinque; pro Prima vero, Tertia, Sexta, Nona pro qualibet iſtarum ſeptem, pro Veſperis autem duodecim; pro Completorio ſeptem. Pro Defunctis dicant etiam in Veſperis ſeptem* Pater noſter, *& requiem æternam: pro Matutino duodecim. Sorores litteratæ teneantur dicere Officium Defunctorum. Quando vero aliqua ex Sororibus migraverit, dicant quinquaginta* Pater noſter. *Omni tempore Sorores jejunent. In Nativitate Domini, quacumque die venerit, bis refici poſſint. Cum adoleſcentibus debilibus, & ſervientibus extra Monaſterium, ſicut videbitur Abbatiſſæ, poſſit miſericorditer diſpenſari. Tempore vero manifeſtæ neceſſitatis non teneantur Sorores jejunio corporali. Duodecim vicibus ad minus de Abbatiſſæ licentia confiteantur in anno, & cavere debent, ne alia verba tunc inſerant, niſi quæ ad confeſſionem & ſalutem pertinent animarum. Sex vicibus communicent, videlicet in Nativitate Domini, in quinta feria Majoris Hebdomadæ, in Reſurrectione Domini, in Pentecoſte, in Aſſumptione Beatæ Virginis, & in feſto omnium Sanctorum. Pro communicandis infirmis Sororibus, Capellanis intus liceat intrare.*

Modus recitandi divinum Officium.

Orandum pro defunctis.

Semper jejunandum.

Quoties confitendum.

CAPUT IV.

De electione Abbatiſſæ.

IN electione Abbatiſſæ teneantur formam canonicam obſervare. Procurent ipſæ habere Generalem Miniſtrum, vel Provincialem Ordinis Fratrum Minorum, qui verbo Dei eas informet ad omnimodam concordiam, communem utilitatem in electione facienda; & nulla eligatur niſi profeſſa. Et ſi non profeſſa eligeretur, vel aliter daretur, ei non obediant, niſi primo profiteatur formam hujus paupertatis. Qua decedente, electio alterius fiat Abbatiſſæ. Et ſi aliquo tempore appareret univerſitati Sororum prædictam non eſſe ſufficientem ad ſervitium & communem utilitatem ipſarum, teneantur prædictæ Sorores, juxta formam prædictam, quam citius poterunt, aliam ſibi Abbatiſſam & matrem eligere. Electa vero cogitet quale onus in ſe ſuſceperit, & cui redditura eſt rationem de grege ſibi commiſſo. Studeat etiam aliis magis præeſſe virtutibus, & ſanctis moribus, quam ex officio; ut ejus exemplo provocatæ Sorores, potius ex amore obediant, quam timo-

Profeſſa canonice eligatur in Abbatiſſam.

Inſufficiens deponenda.

Electæ, quæ cogitanda, & facienda.

Digitized by Google

timore. De privatis amoribus caveat, ne dum in parte plus diligit, in toto ſcandalum generet. Conſoletur afflictas: ſit etiam ultimum refugium tribulatis, ne ſi apud eam defuerint remedia ſanitatum, deſperationis morbus prævaleat in infirmis. Communitatem ſervet in omnibus, præcipue autem in Eccleſia, Dormitorio, Refectorio, Infirmaria, & veſtimentis: quod ſimili modo ſervare ejus Vicaria teneatur.

Convocandum ad capitulum.

Semel in hebdomada ad minus, Abbatiſſa Sorores ſuas teneatur ad capitulum convocare; ubi tam ipſa, quam Sorores de omnibus & publicis offenſis, & negligentiis debeant humiliter confiteri. Et quæ tractanda ſunt pro utilitate & honeſtate Monaſterii, ibidem conferat cum omnibus Sororibus. Sæpe enim Dominus, quod melius eſt, minori revelat.

Non contrahenda debita.

Nullum debitum grave fiat, niſi de communi conſenſu Sororum, & manifeſta neceſſitate, & hoc per Procuratorem.

Non admittenda depoſita.

Caveat autem Abbatiſſa cum Sororibus ſuis, ne depoſitum aliquod recipiat in Monaſterio, ſæpe enim de his turbationes & ſcandala oriuntur.

Officiales Diſcretæ eligendæ.

Ad conſervandam autem unitatem mutuæ dilectionis, & pacis, de communi conſenſu omnium Sororum omnes officiales Monaſterii eligantur. Et eodem modo octo ad minus Sorores de diſcretioribus eligantur, quarum in his quæ forma vitæ Sororum requirit, Abbatiſſa ſemper uti conſilio teneatur. Poſſint etiam Sorores & debeant, ſi eis utile & expediens videatur, Officiales & Diſcretas aliquando removere, & alias loco ipſarum eligere.

CAPUT V.

De ſilentio, & modo loquendi ad locutorium, & ad cratem.

Tempus & locũ ſilentii.

AB hora Completorii uſque ad Tertiam, Sorores ſilentium teneant, exceptis ſervientibus extra Monaſterium. Sileant etiam continue in Eccleſia, Dormitorio, & in Refectorio tantum, dum comedunt, præterquam in Infirmaria, in qua pro recreatione & ſervitio Infirmarum, loqui diſcrete ſemper Sororibus liceat. Poſſint etiam ſemper, & ubique breviter ſubmiſſa voce, quod neceſſe fuerit, inſinuare.

Quando & qualiter ad cratem loquendum.

Non liceat Sororibus loqui ad locutorium, vel ad cratem ſine licentia Abbatiſſæ, vel ejus Vicariæ. Et licentiatæ ad locutorium loqui non audeant, niſi præſentibus & audientibus duabus Sororibus. Ad cratem vero non præſumant accedere, niſi præſentibus ad minus tribus, per Abbatiſſam, vel ejus Vicariam aſſignatis, de illis diſcretis, quæ ſunt electæ ab omnibus Sororibus pro conſilio Abbatiſſæ. Hanc formam loquendi teneantur pro poſſe Abbatiſſa & ejus Vicaria obſervare.

Modus vel cuſtodia cratis.

Et hoc de crate rariſſime. Ad portam vero nullatenus fiat. Ad cratem vero pannus interius apponatur, qui non removeatur, niſi cum proponitur verbum Dei, vel aliqua alicui loqueretur. Habeant etiam oſtium ligneum diverſis, vel duabus ſeris ferreis, valvis & vectibus optime conjunctum, ut nocte maxime duabus clavibus obſeretur, quarum unam habeat Abbatiſſa, aliam vero Sacriſta. Et maneat ſemper obſeratum, niſi cum auditur divinum Officium, & pro cauſis ſuperius rememoratis. Nulla ante Solis ortum, vel poſt Solis occaſum, loqui ad cratem ullatenus debeat. Ad locutorium vero ſemper pannus, qui non removeatur, interius maneat. In quadrageſima ſancti Martini, & quadrageſima majori, nulla loquatur ad locutorium, niſi Saterdoti, cauſa confeſſionis vel alterius manifeſtæ neceſſitatis, quod reſervetur in prudentia Abbatiſſæ, vel ejus Vicariæ.

CA-

Digitized by Google

CAPUT VI.

Qualiter Sorores non recipiant poſſeſſionem aliquam, vel proprietatem per ſe, vel per interpoſitam perſonam.

Abbatiſſa cum omnibus Sororibus ſollicitæ ſint ſanctam paupertatem, quam Domino Deo promiſerunt, cuſtodire, & eamdem teneantur Abbatiſſæ futuræ, & Sorores omnes uſque in finem inviolabiliter obſervare, videlicet in non recipiendo, ſeu habendo poſſeſſionem, vel proprietatem per ſe, nec per interpoſitam perſonam: ſeu etiam aliquid, quod rationabiliter proprietatis dici poteſt, niſi quantum terræ pro honeſtate & renovatione Monaſterii, neceſſitas requirit. Et illa terra non laboretur, niſi pro horto ad neceſſitatem ipſarum. Arcta & perpetua paupertas.

CAPUT VII.

De modo laborandi.

Sorores, quibus dedit Dominus gratiam laborandi, poſt horam Tertiam laborent de laboritio, quod pertinet ad honeſtatem, & communem utilitatem, fideliter & devote; ita quod, excluſo otio animæ inimico, ſanctæ orationis & devotionis ſpiritum non extinguant, cui debent cetera temporalia deſervire. Et id quod manibus ſuis operantur, aſſignare in Capitulo Abbatiſſæ, vel ejus Vicariæ coram omnibus teneantur. Item fiat de eleemoſyna aliqua miſſa pro Sororum neceſſitatibus ab aliquibus, ut in communi pro eiſdem recommendatio fiat: & hæc omnia pro communi utilitate diſtribuantur per Abbatiſſam, vel ejus Vicariam de conſilio Diſcretarum. Laborandum fideliter. Abbatiſſa de laboritio diſponat.

CAPUT VIII.

Qualiter Sorores nihil ſibi approprient, & de infirmis Sororibus.

Sorores nihil approprient ſibi, nec domum, nec locum, nec aliquam rem; ſed tamquam peregrinæ & advenæ in hoc ſeculo, in paupertate & humilitate Domino famulantes, mittant pro eleemoſyna confidenter. Nec oportet eas verecundari, quia Dominus pro nobis ſe fecit pauperem in hoc mundo. Hæc eſt illa celſitudo altiſſimæ paupertatis, quæ vos cariſſimas Sorores meas, heredes & reginas regni Cælorum inſtituit, pauperes rebus fecit, virtutibus ſublimavit. Hæc ſit portio veſtra, quæ perducit in terram viventium. Cui dilectiſſimæ Sorores totaliter inhærentes, nihil aliud pro nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti in perpetuum ſub Cælo habere velitis. Non liceat alicui Sorori litteras mittere, vel aliquid recipere, aut extra Monaſterium dare, ſine licentia Abbatiſſæ. Nec quidquam liceat habere, quod Abbatiſſa non dederit, aut permiſerit. Et ſi a parentibus ſuis, vel ab aliis aliquid mitteretur, Abbatiſſa faciat illi dari; ipſa autem, ſi indigeat, uti poſſit; ſin autem, Sorori indigenti caritative communicet. Si vero aliqua pecunia tranſmiſſa fuerit, Abbatiſſa de conſilio Diſcretarum, in illis quorum indigeat, illi faciat provideri. Nihil proprium reputent. Nihil emittendum, dandum, recipiendum, ſine licentia Abbatiſſæ.

De infirmis Sororibus tam in conſiliis, quam in cibariis & aliis neceſſariis, quæ earum requirit infirmitas, teneatur firmiter Abbatiſſa ſollicite Serviendum & providendum infirmis.

cite per ſe, vel per alias inquirere, & juxta poſſibilitatem loci caritative & miſericorditer providere: quia omnes tenentur providere & ſervire Sororibus ſuis infirmis, ſicut vellent ſibi deſerviri, ſi ab aliqua infirmitate tenerentur. Et ſecure manifeſtet una alteri neceſſitatem ſuam; quia ſi vera mater diligit & nutrit filiam ſuam carnalem, quanto diligentius debet quælibet Soror diligere, & nutrire Sororem ſuam ſpiritualem? Quæ infirmæ ſunt, in ſaccis & paleis jaceant, & habeant ad caput capitalia cum pluma. Et quæ indigent pediolis laneis & culcitris, uti poſſint. Infirmæ vero prædictæ, cum ab introeuntibus Monaſterium viſitantur, poſſint ſingulæ aliqua bona verba ſibi loquentibus, breviter reſpondere. Aliæ vero Sorores licentiatæ, Monaſterium intrantibus loqui non valeant, niſi præſentibus & audientibus duabus diſcretis Sororibus per Abbatiſſam, & ejus Vicariam aſſignatis. Hanc formam loquendi teneantur per ſe Abbatiſſa, & ejus Vicaria obſervare.

Quomodo cubandum.

Fugienda colloquia intrantium.

CAPUT IX.

De pœnitentia Sororibus imponenda.

Si qua Sororum contra formam profeſſionis noſtræ mortaliter, inimico inſtigante, peccaverit, per Abbatiſſam, vel alias Sorores bis aut ter admonita, ſi non ſe emendaverit, quot diebus contumax fuerit, in terra panem & aquam, coram Sororibus omnibus in Refectorio comedat, & graviori pœnæ ſubjaceat, ſi viſum fuerit Abbatiſſæ. Interim dum contumax fuerit, oretur ut Dominus ad pœnitentiam cor illius illuminet. Abbatiſſa vero & ejus Sorores cavere debent, ne iraſcantur propter peccatum alicujus: quia ira & conturbatio in ſe, & in aliis impediunt caritatem. Si contigerit, quod abſit, inter Sororem & Sororem verbo vel ſigno occaſionem turbationis vel ſcandali aliquando ſuboriri, quæ turbationis cauſam dederit, ſtatim antequam offerat munus orationis ſuæ coram Deo, non ſolum humiliter proſternat ſe ad pedes alterius veniam petens, verum etiam ſupplicìter roget ut pro ſe intercedat ad Dominum, quod ſibi indulgeat. Illa vero memor illius verbi Domini: Niſi ex corde dimiſeritis, nec Pater cœleſtis dimittet vobis, *liberaliter Sorori ſuæ omnem injuriam ſibi illatam dimittat. Sorores ſervientes extra Monaſterium longam moram non faciant, niſi cauſa manifeſtæ neceſſitatis requirat. Et honeſte debeant ambulare, & parum loqui ut ædificari valeant ſemper intuentes. Et firmiter caveant ne habeant ſuſpecta conſortia vel conſilia aliquorum, nec fiant commatres virorum aut mulierum, ne hac occaſione murmuratio vel turbatio oriatur. Nec præſumant rumores de ſæculo referre in Monaſterio; & firmiter teneantur de his, quæ intus dicuntur vel aguntur, extra Monaſterium aliquid non referre, quod poſſit aliquod ſcandalum generare; & ſi aliqua ſimpliciter in his duobus offenderit, ſit in providentia Abbatiſſæ miſericorditer ſibi pœnitentiam injungere. Si autem ex conſuetudine vitioſa haberetur, juxta qualitatem culpæ, Abbatiſſa de conſilio Diſcretarum, illi pœnitentiam injungat.*

Peccantes corrigendæ.

Rixantes reconciliandæ.

Matth. 5. 24.

Matth. 6. 15.

Servientibus extra Monaſterium quæ obſervanda.

CA-

Digitized by Google

CAPUT X.

De viſitatione Sororum ab Abbatiſſa.

Abbatiſſa moneat & viſitet Sorores ſuas, & humiliter & caritative corrigat eas, non præcipiens eis aliquid quod ſit contra animam ſuam, & hujus profeſſionis formam. Sorores vero ſubjectæ recordentur, quod propter Deum abnegaverunt proprias voluntates. Unde firmiter ſuis Abbatiſsis obedire teneantur in omnibus, quæ obſervare promiſerunt, & non ſunt animæ contraria, & ſuæ profeſſioni. Abbatiſſæ vero tantam familiaritatem habeant circa ipſas, ut dicere poſſint eis & facere ſicut dominæ ancillis ſuis. Nam ita debet eſſe, quod Abbatiſſa ſit omnium Sororum ancilla. Moneo vero & exhortor in Domino Jeſu Chriſto, ut caveant Sorores ab omni ſuperbia, vana gloria, invidia, avaritia, cura, & ſollicitudine hujus ſeculi, detractione & murmuratione, diſſenſione & diviſione. Sint vero ſollicitæ ſemper ad invicem ſervare mutuæ dilectionis unitatem, quæ eſt vinculum perfectionis. *Et neſcientes litteras, non curent litteras diſcere, ſed attendant, quod ſuper omnia deſiderare debent, habere ſpiritum Domini, & ſanctam ejus operationem, orare ſemper ad eum puro corde, & habere humilitatem, & patientiam in tribulatione, & in infirmitate, & diligere eos, qui nos reprehendunt, & arguunt, quia dicit Dominus:* Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum: qui autem perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.

Abbatiſſæ caritative corrigant.

Subditæ humiliter obediant.

De quibus cavendum Sororibus.

Ad Coloſſ. 3. 14.

Matth. 5. 10.

Ibid. 10. 22.

CAPUT XI.

De Oſtiaria.

Oſtiaria ſit matura moribus & diſcreta, ſitque convenientis ætatis, quæ ibidem in cella aperta ſine oſtio in die reſideat. Sit ei & aliqua ſocia idonea aſſignata, quæ cum neceſſe fuerit, vicem ejus in omnibus exequatur. Sit autem oſtium duabus ſeris, & diverſis ferreis valvis & vectibus optime conjunctum, & in nocte maxime duabus clavibus obſeretur, quarum unam habeat portaria, aliamque Abbatiſſa. In die ſine cuſtodia minime dimittatur, & una clave firmiter obſeretur. Caveant autem ſtudioſiſſime, & procurent, ne unquam oſtium ſit apertum, ubi minus fieri poterit congruenter. Nec omnino aperiatur alicui intrare volenti, niſi conceſſum fuerit a Summo Pontifice, vel a Domino Cardinali. Nec ante Solis ortum Monaſterium ingredi liceat, nec poſt Solis occaſum Sorores intus aliquem remanere permittant, niſi exigente manifeſta, rationabili, & inevitabili cauſa. Si pro benedictione Abbatiſsæ, vel pro aliqua in Monialem conſecranda, vel alio etiam modo conceſsum fuerit Epiſcopo alicui Miſsam interius celebrare, quam paucioribus & honeſtioribus poterit ſit contentus ſociis, & miniſtris. Cum autem intra Monaſterium ad opus faciendum neceſſe fuerit aliquos introire, ſtatuat tunc Abbatiſsa ſollicite perſonam convenientem ad portam, quatenus illis & non aliis ad opus deputatis aperiat. Caveant ſtudioſe omnes Sorores, ne tunc ab ingredientibus videantur.

Leges Oſtiariæ.

Qui in Monaſterium admittendi.

CAPUT XII.

De viſitatione.

Leges Viſitatoris & Capellani.

Viſitator Sororum ſemper ſit de Ordine Fratrum Minorum ſecundum voluntatem & mandatum Domini Cardinalis. Et ſit talis, de cujus honeſtate & moribus plena notitia habeatur. Cujus officium erit tam in capite, quam in membris corrigere exceſſus commiſſos contra formam profeſſionis. Qui ſtans in publico loco, ut videri ab aliis poſſit, cum pluribus & ſingulis loqui liceat, quæ ad officium viſitationis pertinent, ſecundum quod melius viderit expedire. Capellanum etiam cum uno ſocio clerico bonæ famæ, diſcretionis providæ, & duos Fratres laicos ſanctæ converſationis & honeſtatis amatores in ſubſidium paupertatis, ſicut hactenus ab Ordine Minorum miſericorditer habuerunt, ab eodem Ordine poſtulent. Nec liceat Capellano ſine ſocio Monaſterium ingredi: & intrantes in loco ſint publico, ut ſe poſſint alterutrum, & ab aliis intueri.

Pro confeſſione infirmarum, quæ ad locutorium ire non poſſunt, pro communicandis eiſdem, & pro extrema unctione, & pro animæ recommendatione liceat eiſdem introire. Pro exequiis vero, & Miſſarum ſolemniis defunctarum, vel ad fodiendam, vel aperiendam ſepulturam, ſeu etiam coaptandam, poſſint ſufficientes idoneæ perſonæ, Abbatiſſæ providentia introire. Ad hæc Sorores teneantur ſemper habere illum de ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus pro Gubernatore, Protectore & Correctore, qui fuerit a Domino Papa Fratribus Minoribus deputatus, ut ſemper ſubditæ & ſubjectæ pedibus ejuſdem ſanctæ Eccleſiæ, ſtabiles in fide Catholica paupertatem & humilitatem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ejus ſanctiſſimæ Matris in perpetuum obſervemus.

In Protectorem ſumendus Cardinalis.

II. Præſcripta hac Regula, ſtatutiſque circa tres Ordines a ſe inſtitutos rebus omnibus neceſſariis, & commendata ſerio eorum cura fratri Eliæ, ſibi pauliſper vacandum judicavit. Mos erat Angelico viro nunquam otiari a bono; quin potius inſtar ſupernorum ſpirituum in ſcala Jacob, aut aſcendebat ad Deum, aut deſcendebat ad proximum. Nam tempus ſibi conceſſum ad meritum, dividere ſic prudenter didicerat, ut aliud proximorum lucris laborioſis impenderet, aliud contemplationis tranquillis exceſſibus dedicaret. Unde cum, ſecundum exigentiam locorum & temporum, alienæ condeſcendiſſet procurandæ ſaluti, inquietationibus derelictis turbarum, ſolitudinis ſecreta petebat, locumque quietis: quo liberius Deo vacans, extergeret ſi quid pulveris ſibi ex converſatione hominum adhæſiſſet. Aſſumptis itaque quibuſdam ex ſociis, perrexit ad Cœnobium Cortonenſe, de quo ſæpius præfati ſumus, ſed in via juxta caſtrum Limiſanum, ſeu Voluſianum, occurrit ei mulier quædam nobilis, Deo devota, ut ſuum ei explicaret dolorem, ac remedium poſtularet. Habebat quidem virum valde crudelem, quem adverſarium patiebatur in ſervitio Chriſti; & ideo petebat a Sancto, quatenus oraret pro illo, ut ſua Deus cor ipſius dignaretur emollire clementia. Cui Franciſcus: Vade cum pace, indubitanter expectans de viro tuo conſolationem tibi de proximo adfuturam. Et adjecit: Dices ei ex parte Dei & mea, quod nunc eſt tempus clementiæ, poſtmodum æqui-

Bonav. c.13.
Geneſ. 28. 12.
Tempus otioſe non prodigit Franciſcus.
Bonav. c.11. Legen. antiq.

Digitized by Google

æquitatis. Benedictione accepta revertitur mulier, invenit virum, denunciat verbum. Cecidit ſuper eum Spiritus ſanctus, & novum factum de veteri, ſic facit cum manſuetudine reſpondere: Domina, ſerviamus Domino, & ſalvemus animas noſtras. Suadente igitur ſancta uxore, pluribus annis cælibem vitam agentes, eodem die ambo ad Dominum migrarunt. Crudelem virum manſuefacit.

III. Ad Cellas Cortonenſes ut pervenit vir ſanctus, totum ſe dedit contemplationi & mentis recollectioni. Poſt aliquale tempus ſtatuit in eremum Alvernæ ſecedere, *ut a loco tranquillitatem quæreret orandi; tranquillitatis quippe mater eremus eſt, quietis portus, omnis turbationis expultrix*; ſed in agro Aretino ob fractas vires juſſit peti ſibi humile jumentum ad reliquum iter. Nullum hujus generis animal in pago potuit haberi; ſed fuit qui equum libenter offerret. Hoc ſolo uſus eſt poſt ſuam converſionem, nam cum vehi oporteret, humiliora ſemper ad Fratrum exemplum conſcendebat animalia. Dum vero reduceretur equus, in loco illo pluribus diebus mulier quædam hærebat in partu, intenſis oppreſſa doloribus; de cujus ſalute, aut de prole emittenda ſpes nulla ſupererat. Propinqui parturientis, viſo equo, cui Vir ſanctus inſederat, extractum frænum ſuperpoſuerunt mulieri, magna fide credentes, quod Vir ſanctus manibus tetigerat, extreme laboranti profuturum. Nec ſpes eos fefellit, nam ad fræni contactum omni remoto periculo fœtum emiſit mulier incolumis. *Chryſoſt. hom. 51. in Matth.* *Bonav. c. 12. Legen. Greg. IX.* Parturiens liberatur ex tactu fræni, quo uſus eſt Franciſcus.

IV. Jugum Alvernæ ſuperanti, & cellulam ingredienti multæ diverſi generis aves adventui gratulantes, ut jam ſupra tetigimus, circa domunculam volitabant, & concentu ſonoro, miriſque geſtibus pium hoſpitem invitare ac allicere videbantur ad moram. Quo viſo dixit ad ſocium: Cerno, frater, voluntatis eſſe divinæ, quod hic aliquandiu commoremur; tantum ſorores aviculæ, de noſtra videntur præſentia conſolari. Cum igitur contraheret illic moram, Falco ibidem nidificans, magno ſe illi amicitiæ fœdere copulavit. Nam ſemper horam nocturno tempore, in qua Vir ſanctus ad divina Officia ſurgere ſolitus erat, cantu ſuo præveniebat & ſono, quod famulo Dei gratiſſimum erat; eo quod tanta ſollicitudo, quam circa eum gerebat, omnem ab ipſo torporem deſidiæ excuteret. Cum vero ſervus Chriſti infirmitate plus ſolito gravaretur, parcebat Falco, nec tam tempeſtivas indicebat vigilias; ſiquidem velut inſtructus a Deo, circa diluculum ſuæ vocis campanam levi tactu pulſabat. Divinum certe videtur fuiſſe præſagium, tam in exultatione multimodi generis avium, quam in cantu Falconis; cum Dei laudator & cultor pennis contemplationis ſubvectus, tunc foret illi apparitione ſeraphica ſublimandus. *Bonav. c. 8. Legen. antiq. An. 1213. n. 31. & 1215. n. 13.* In Monte Alvernæ applaudunt ei aves.

V. In monte illo profundæ continue vacans orationi, ſupernæ contemplationis dulcedine abundantius ſolito ſuperfuſus, & cœleſtium deſideriorum ardentiori flamma ſuccenſus, ſupernarum cœpit immiſſionum cumulatius dona ſentire, ad quæ magis magiſque anhelans quotidie, veluti terram faſtidiens in aera ferebatur juxta menſuram interni favoris & gratiæ, plus minuſve elevatus in altum. Frater Leo ſecretorum conſcius, comeſque individuus teſtatur, ſe eum aliquando vidiſſe ad hominis ſtaturam in altum evectum, ita ut poſſet ipſe ejus pedes amplecti & oſculari, aliquando eum fagos altas ſuperaſſe, aliquando ad ſecundam vel tertiam aeris regionem evolaſſe, ita ut oculis attingi non poſſet. Quando ad pedes pertingebat, fortiter & pie eos complectens, & la- *Legen. 3. Socior. Rodulph. fol. 8. Gonzag. in Prov. Tuſc. de Conven. Alvern.* Sæpius in altum ferebatur Franc.

& lacrymis irrigans orabat, dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori, per merita hujus ſanctiſſimi Viri, & tantillum tuæ gratiæ mihi digneris inſtillare. Cum vero tactum omnem & viſum effugiebat, proſternens ſe in terra eo loco, a quo elevabatur Vir ſanctus eamdem devote recitabat orationem. Una dierum ita elevatus, dum deſcendiſſet, & a raptu rediiſſet, agebat claro ſermone cum Christo de ſtatu & protectione Ordinis poſt ſuam mortem. Cui Chriſtus ſedens ſuper menſam quamdam lapideam paululum a terra erectam, in qua Vir ſanctus ſolebat comedere, familiari colloquio dixit: Franciſce, ſcias Inſtitutum hoc ad finem mundi duraturum: nullum hujus Inſtituti induſtrium perſecutorem diu vita victurum; ejus vero fautores, & ſi in peccatis ſint, tandem cœleſti gratia ſpiritum compunctionis, donumque remiſſionis obtenturos; ex Fratribus, qui prave & perdite vixerit, vel convertendos ejus mores, vel ipſum Ordini valedicturum. Diſparente Domino, & volente fratre Leone menſam hanc ſternere, prohibuit, lavandamque dixit aqua, vino, oleo, & balſamo in gratiam quatuor privilegiorum enumeratorum. Cum vero Leo hæreret, nec hæc ſibi ſuppetere reſponderet, accipiens lecythum olei, effudit deſuper dicens: *Hic eſt ara Dei*. Præter hanc, alias habuit Vir Dei mirabiles apparitiones ſuper hoc lapide, propter quas ſemper habitus eſt in magna reverentia. In hoc ipſo loco Dominus Robertus de Petra mala, ejuſque conjux Domina Catharina ſacram ædiculam extruxerunt, & crate ferrea lapidem obtexerunt; hinc poſtea translatus in ſacrarium, ſignatus eſt his characteribus: *Menſa beati Franciſci, ſuper quam habuit mirabiles apparitiones; ſanctificanſque ipſam, effudit oleum deſuper, dicens*: *Hic eſt ara Dei*. Privilegia vero, quæ enarravimus, quiſpiam imperitus, ſed antiquiſſimus Poeta his verſibus complexus eſt:

Multa ei circa Religioné Chriſtus promittit.

Franciſco fundente preces (ut tempore multo
Mos inolevit ei) cæleſtis filius ipſum
Exultare jubet: Annuntio quatuor, inquit,
Dona ſuperna tibi. Stabit tuus Ordo per ævum:
Nullus ibi Frater, cui ſit perverſa voluntas,
Stare diu poterit: Vix Ordinis hoſtibus annos
Vivere dimidios præſtabitur. Ejus amici
Vivent, & vitam concludent fine beato.

VI. Imminente Aſſumptionis Virgineæ feſto tranſtulit ſe in abditiſſimum montis locum, ubi ex rudi materia nullo labore conſtructo humili tuguriolo ſtructores & ſocios juſſit ut recederent, nec uſque ad Archangeli Michaelis ſolemnitatem (in cujus honorem ab Aſſumptionis die uſque ad Archangeli profeſtum decrevit jejunare) quiſquam ex eis regrederetur, aut ſub quovis prætextu illuc deducerent ullum mortalium. Magna religione & conſtanti conſuetudine ſolebat illos jejunii dies Archangelo conſecrare, ultra quos, ferme omnes anni dies jejuniis & corpori macerando addixit. Novem etenim quadrageſimalis abſtinentiæ tempora ſibi quotannis diſtinguebat. Primam illam fidelibus communem ex Eccleſiæ præcepto. Secundam, quam dicebat Spiritus ſancti, quæ incipiebat a feria quarta poſt Paſcha Reſurrectionis uſque ad vigiliam Pentecoſtes. Tertiam Petri & Pauli Apoſtolorum, ab octava Pentecoſtes uſque ad Apoſtolorum vigiliam. Quartam Aſſumptionis beatæ Mariæ, a primo die poſt feſtum Apoſtolorum uſque ad veſperas prædictæ ſolemnitatis. Quintam hanc, quam diximus Archangeli Michae-

Jejunat in honorem S. Michaelis.

Novem abſtinentiæ tempora ſibi Franc. propoſuit.

Digitized by Google

chaelis. Sextam omnium Sanctorum, ab ipſo dedicationis Archangeli die uſque ad illam ſolemnitatem. Septimam Nativitatis Dominicæ, cui etiam ſuos Sectatores ex Regulæ præcepto adſtrinxit, quæ incipiebat ab ipſo die commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, & terminabatur in vigilia Nativitatis. Octavam Regum Magorum, a die ſancti Stephani uſque ad Epiphaniam. Nonam Chriſti in deſerto jejunantis, quæ ſumebat initium ab altero die poſt Epiphaniam, & durabat per continuos quadraginta dies, quos Dominus ſuo ſancto jejunio conſecravit, ad quorum jejunium ſuos Conſodales hortatus eſt, non obligavit.

VII. Strictiori, hoc anno, jejunio in ſolo pane & aqua voluit tranſigere illam Archangeli quadrageſimam; quare præcepit fratri Leoni, quem ſolum ſecum retinuit, ut ſemel ad veſperam panem ei afferret & aquam, & præ tugurii relinqueret oſtiolo. Nocte vero media eum veniret invitatum ad laudes divinas, & matutinas preces ſolvendas, non tamen repente introiret, ſed e foris intonaret verſiculum illum *Domine labia mea aperies*; & reſpondente illo alteram verſiculi partem, ingrederetur: tacente autem, regrederetur. Ad unguem omnia obſervabat pius ſocius, nihil tam curans, quam ei in omnibus adeſſe & obedire; ſed ſæpius reverti oportebat nocte intempeſta, nam actus in extaſim, & extra ſe raptus Vir ſanctus multoties non reſpondebat. Studioſum hoc ſocii obſequium ſolvit Vir ſanctus, eum liberando a graviſſima tentatione non carnis ſed ſpiritus, quam verecundia victus pio Patri non audebat expandere. Dum vero deſideravit ſcriptum aliquod habere ſancti Viri manu exaratum, per quod tribulationem illam credebat evadere, vel ſaltim facilius ferre, ſanctus Magiſter cœlitus diſcipuli malum, & deſiderium edoctus, præcepit cum atramento chartam afferri, & ſcripſit benedictionem, quæ ſequitur, prapoſito magno & myſterioſo *Thau* charactere T. *Benedicat tibi Dominus & cuſtodiat te: oſtendat faciem ſuam tibi, & miſereatur tui; convertat vultum ſuum ad te, & det tibi pacem. Dominus benedicat Fratrem Leonem*. Porrigenſque ſcripturam Leoni, inquit: Accipe chartulam iſtam, & dum vixeris eam cuſtodi diligenter. Non prius munuſculum accepit, quam omnis tentatio evanuerit, cujus tam manifeſtam virtutem expertus magno ſemper habuit in pretio, & numquam a ſe ſeparari permiſit. Poſt mortem ejus diligenter in hunc uſque diem inter reliquias aſſervatum in Sacrario ſancti Franciſci Aſiſii, miraculoſe multis perfectam reddidit ſanitatem.

Liberat a tentatione Fr. Leonem.

Bonav. cap. 11. Piſan. conf. 18. Rodulph. in vita beati Leonis.

VIII. Qui aliorum medicatus eſt malis, non parvas ipſe moleſtias ſenſit, ſæpius impetitus a Diabolo, qui non ſolum interius ſervo Dei mala multa aſtute ſuggeſſit, verum & in horrenda ſpecie ei ſæpius apparuit, & cum illo manu ad manum conflixit. Tranſeunti ſemel Viro ſancto per arctam quamdam ſemitam ad oram ingentis præcipitii, repente in terribili occurrit effigie, quem cum ad ſuas artes non poſſet reducere, injectis in eum manibus, voluit e monte in profundiſſimum hiatum deturbare. Nihil erat quod Vir ſanctus prehenderet, ſeu quod a caſu teneret; quare terſam petræ molem amplexatus illi ultro cedenti, ſemet immerſit, & tamquam molli ceræ digitos impreſſit, quo dumtaxat remedio manifeſtum evaſit vitæ periculum. Ad ſuum uſque tempus, ait Piſanus, hujus rei veſtigium, & formam digitorum, manuumque impreſſionem in petra duraſſe. Victa hac tentatione ſtatim Angelus acceſſit, citharæ melodia tremulam refocillavit animam tanta muſicæ ſuavitate & cordis ſuſpenſione, ut ſi diutius duraret præ nimia dulcedine animam acturum ſibi videretur.

Vinc. l. 30. cap. 108. Piſan. l. 1. conf. 7. Miglius lib. 1. c. 12.

Voluit eum Diabolus præcipitare.

Ad

IX. Ad orationem reverſus gratias Deo egit propter ſingularem exhibitam conſolationem, ſuperatumque præcipitii periculum. Deinde omni conatu & humili prece inveſtigabat Dei circa ſe voluntatem, non

Leg. Greg. IX. Bonav. cap. 13. Prov. 25. 27.

ut curioſus majeſtatis perſcrutator opprimendus a gloria, ſed tamquam fidelis ſervus & prudens, ut beneplacens exhiberet obſequium, & in omnibus divino ſe conformaret beneplacito. Immiſſum eſt igitur menti ejus divinum oraculum, quod in apertione libri Evangelici revelaretur ei a Chriſto quid de eo in ipſo, & de ipſo maxime foret acceptum. Oratione itaque peculiari cum magna devotione de hac re præmiſſa, ſacrum

Aperto Evangeliorum libro inveſtigat Dei voluntatem.

Evangeliorum librum de altari, quod in Oratorio erat, ſumptum in ſanctæ Trinitatis nomine aperiri fecit per fratrem Leonem. Sane cum in trina libri apertione, ſemper Domini paſsio occurreret, intellexit Vir Deo plenus quod ſicut Chriſtum fuerat imitatus in actibus vitæ, ſic conformis ei eſſe deberet in afflictionibus & doloribus paſsionis, antequam ex hoc mundo tranſiret.

X. Hic paululum hærendum, & ultra rei ſeriem, quam ex utraque Bonaventuræ Legenda retulimus, inquirendum eſt de tempore & Auctore tanti prodigii, atque de ipſarum plagarum qualitate. Circa annum omnes conveniunt hunc ipſum eſſe, ſuæ vitæ, ut expreſſe tradit citatus Bonaventura, penultimum: de die major eſt dubitatio, nullum certum tradit Bonaventura, neque Eccleſiaſticum hujus myſterii officium ullum aſſignat, *ſed quodam mane circa feſtum exaltationis ſanctæ Crucis* inquit

Corius in hiſt. Mediolanen. p. 2. pag. 195. Piſan. conf. 31.

rem eveniſſe. Peculiari obſervatione ſcripſit Bernardinus Corius id factum in die ſanctæ Euphemiæ, qui Septembris eſt ſextus decimus, unde tamen hoc acceperit, non indicat. Bartholomæus Piſanus refert revela-

Inflicta vulnera in die exaltationis ſanctæ Crucis.

tum anno Domini MCCLXXXII. cuidam pio Fratri laico ſummo diluculo in die exaltationis ſanctæ Crucis, Angelum hunc ſignum Dei vivi accepiſſe; cum ab Heraclio Imperatore a Perſis allata Chriſti Salvatoris Crux, in Monte Calvariæ magno honore reſtituta fuit: cujus etiam re-

Anton. cit. cap. 7. §. 4. Marc. l. 2. c. 55.

velationis meminit ſanctus Antoninus, quam non videtur legiſſe Marcus Ulyſſiponenſis, dum in vigilia ejuſdem Feſti rem factam enarrat. In ipſo triumphi & exaltatæ Crucis Feſto ſacra hæc inſculpta fuiſſe ſtigmata probabilius exiſtimarim, tum ex prædicta revelatione; tum quia decuit, ut illo die, quo exaltata eſt ſacra Crux in Calvariæ Monte, renovaretur ejus memoria, & vulnera in eadem accepta infligerentur etiam in Alvernæ Monte, qui eodem ipſo die, quo Chriſto impreſſa ſunt, ſenſit illius dolores, non aliter quam Calvariæ Mons, ut teſtatur cum aliis Illuſtriſſimus

Baron. Ann. 34. Marc. p. 1. lib. 8. c. 43.

Cardinalis Baronius, ſciſſus dum terra motu quateretur. At nullo horum dierum hujus tanti myſterii Feſtum celebratur, ſed XVII. Septembris ſolemnitatem indixit Benedictus XI. & poſtea univerſus Ordo in Capitulo Generali anno MCCCXXXVII. Caturci celebrato, quia ceteri dies, quos numeravimus, aliis feſtivitatibus erant præoccupati.

Blaſ. Viegas in Apoc. cap. 12. comment. 1. ſect. 18.

XI. Auctor vero hujus tanti beneficii non ex mortalibus ullus, neque ex ſpiritibus cœleſtibus (quantumvis voluerit quidam ex recentioribus Theologis ex levi conjectura hoc Archangelo Michaëli tribuendum)

Chriſtus ipſe vulnerũ inſculptor.

neque alius quiſquam fuit ab ipſo Chriſto, qui per ſe immediate in forma Seraphim apparens, ſancto Viro quina vulnera inſculpſit, ut præter officium Eccleſiaſticum, quod pro celebranda horum ſtigmatum impreſſione, jam ubique recitatur, multa diplomata Pontificia ſacrum certumque volunt, & ipſe Vir ſanctus ſupradicto Fratri laico poſt mortem ſuam revelavit his verbis: Chriſtus ſicut vulnera in Cruce ſuſcepit, ita mani-

bus

Digitized by Google

bus ſuis benedictis in corpore meo impreſſit: primo manibus, deinde pedibus, poſtea lateri vehementiſſimo corporis cruciatu. Large rem proſequitur Franciſcus Maurus, & plures refert Chriſti ad Franciſcum in ipſa apparitione ſermones, tandemque brevi & docto carmine, poſt expreſſum internum cordis dolorem, cruentum corporis cruciatum explicat, licet non eo ordine, quo in ſuperiori revelatione pio illi Monacho facta impreſſa vulnera recenſeat.

Fran. Maur. lib. 11. Franciſciad. in fine.

Tum ſimul introrſus circum præcordia magnus
Cogitur, atque ardens dolor oſſibus æſtuat imis.
Principio affixi penitus tota intrat imago
Regis eum: mentique hærent divina profundæ
Alloquia: æthereus dehinc juſſis nuntius inſtat.
Tum ſubit, atque animo telum Crucis ingruit horrens;
Primæ autem, ante alia, interius ſub pectore quinæ
Inſedere notæ, & ſævum fecere dolorem.
Ingemit ergo heros, clauſumque cor æſtuat intus,
Euripi more, & venis erumpit apertis
Reſtagnans dolor; ac primum latus haurit hiatu,
Vulnus agens, plantaſque fodit, palmaſque terebrat.
Transfixæque manus, ſimul & veſtigia acutis
Vectibus apparent, tranſutaque vulnera ferro.
Mox quinæ effulgent plagæ, radiiſque coruſcant.
Quales mane roſæ primo ſub ſole rubeſcunt;
Purpureive inter ceu narciſſos hyacinthi.
Sive coma rutilant quali modo Plejades ortæ.

XII. Circa vulnerum qualitatem præter ea, quæ jam tranſcripſimus ex Bonaventura, notant alii plagas has non ſigna, nec cicatrices fuiſſe, ſed patula vulnera & perfoſſa, perpetuum manantia ſanguine, corporis patentes aperturas. Ad ſanguinem ſiſtendum quotidie alligari debuiſſe teſtatum faciunt, præter alios, Speculum vitæ ſancti Franciſci, Piſanus & Antoninus, cujus hæc verba fratri Leoni ſoli, tamquam fideliori amico, beatus Franciſcus ſua ſtigmata committebat tangenda, ut novas petiolas, id eſt linteola, apponeret, amotis aliis ſanguine cruentatis. Nam qualibet die inter clavos illos mirabiles, & carnem reliquam, ad tenendum ſanguinem & mitigandum dolorem, tales illi petiolas renovabat. Die vero Jovis de ſero, & per totum diem Veneris, nullum apponi remedium permittebat; ut illo die crucifixionis, in ſacris ſtigmatibus ſentiret Crucifixi dolores. E lateris vulnere ſtillabat ſanguis, non adeo minutim ſemper, nec per guttas, ſed in tantum ſæpe, ut beati Viri tunica & ſubligaculum cruore infecta ruberent. Collegerunt ſocii ex hoc ſanguine quod poterant, magno ſtudio & reverentia in ampullis eum ſervantes. Una habetur in Conventu Caſtri veteris Patrum Conventualium Cuſtodiæ Aquilanæ, ex qua bonam partem ſanguinis magnis precibus, pioque aſtu accepit XXXIV. ab hinc annis Excellentiſsimus D. Dux Cæſius & Aquaſpartanus, qui magna ſolemnitate per publicas plateas in ſolemni & numeroſa ſupplicatione Fratrum & candidatorum Archiconfraternitatis Stigmatum, quorum multi viri Nobiles & Principes, circumfertur quotannis hic in Urbe in ipſa ſolemnitate Stigmatum, magno miraculo illo die ebulliens & liquefactus, ut etiam evenit alteri parti, quæ remanſit in loco Caſtri veteris. Porro hanc Romanam, quam præ manibus habui, ſingulari in reverentia apud ſe ſervat Excellentiſsimus he-

Stigmata erant patentes aperturæ.

Spec. S. Franc. ad med. Piſan. conf. 8. Ant. cit. §. 9.

Digitized by Google

heros præfatus. Nec exiguum ipſum laterale vulnus, ſed adeo magnum tres ut caperet digitos, ſicut ex pio aſtu, quem ſtatim referemus cujuſdam ex Viri ſancti ſociis plene conſtiterat.

Prodigioſa hæc ſtigmata.

XIII. Illud etiam in his plagis prodigioſum, quod in plantarum & palmarum medio infixi vulneribus prominebant clavi, non vere ferrei, ſed ferreis ſimiles, nigri, duri, fortes, ſolidi, capitati, cuſpidati, quorum materia, ut dixit Alexander IV. *De ſubjecto propriæ carnis excrevit, vel de materia novæ creationis accrevit.* Horum clavorum cuſpides non directæ, ſed reflexæ tanto ſpatio, ut ſcribunt ſanctus Bernardinus Senenſis, Piſanus, & alii, ut retorto acumini digitus commode poſſet immitti. Moveri poterant clavi huc illuc in quamlibet partem, nam dum a parte qualibet premerentur, ut ait ſanctus Bonaventura, protinus quaſi nervi continui & duri, ad partem oppoſitam reſultabant. Sed licet moveri poterant, non tamen amoveri, aut extrahi, ut pio probavit experimento ſancta Clara poſt ſancti Viri mortem, quod nos tunc referemus. Non impediebant tamen infixi clavi manuum aut digitorum functiones, licet excreſcentia in pedum plantis repercuſſa acumina, ambulanti erant moleſtiæ. Illud item mirum, quod per integrum biennium immedicata, nec unguentis, aut aromate fota non computruerint, nec putuerint, neque malum, imo optimum & fragrantiſſimum, teſte Roberto a Licio, ſpirarint odorem: & quod tot hiantibus ſanguinolentiſque vulneribus tam diu Vir ſanctus ſupervixerit.

Alexand. IV. in bulla: Benigna opera.

Bernardin. to. 2. ſerm. 60. art. 2. cap. 3.

Bonav. cap. 15.

Anno 1226.

Robert. ſerm. 1. de S. Franc. c. 2.

XIV. Rara hæc & alias inaudita prodigia Lucam Tudenſem Epiſcopum (quem quidam ſolum Diaconum fuiſſe ejuſdem Eccleſiæ immerito putarunt) induxerunt, ut in illo opere quod adverſus Albigenſes ſcripſit, & habetur in tomo XIII. Bibliothecæ veterum Patrum ſane ſatis encomiaſtice exclamaret. *O quam laudabilis beatiſſimus iſte Sanctus, in quo tanta bona cæleſtia redundarunt, ut de ſpirituali plenitudine terrena ſapientia fere ſimplicis hominis & indocti totus orbis bonorum abundantia ſpiritualium, quaſi multarum aquarum inundantia, ſe gaudeat abundare. Ubique per eum veritas fulget Evangelii, ſanctarum ſcripturarum inundantia repletur terra, & evaneſcit aſtutia falſitatis. Decenter & pulchre a creatura laudatur, quem Creator noſtris temporibus tanta excellentia decoravit. Præ ceteris enim ſanctis ſignis paſſionis Dei, & hominis antonomaſtice ſublimatus, velut Sol meridianus torpentia corda hominum calore fidei inflammavit. Signa paſſionis Chriſti fide ſenſibili demonſtravit, ne ſtigmata humanæ redemptionis vetuſtate de fidelium mentibus delerentur. Jam enim multi retro ibant veritati contraria ſentientes. Nutabant plures, qui etiam videbantur Doctores, & quaſi ſomniantes convertebantur ad fabulas, & ſuperfluas novitates. Suſcitavit autem Dominus miſericorditer beatiſſimos Franciſcum & Dominicum ſanctiſſimi Ordinis Prædicatorum primum, per quos mundo pro magna parte in errorum & ambiguitatis tenebris conſtituto, lumen veritatis illuxit, de cordibus ſingulorum ſcelerum labes deterſit clementia Redemptoris, & obſtruxit diverticula falſitatis. Maxima quidem pars mundi ad falſa, vel dubia divertebat. Alii diverſis erroribus implicati procaciter contendebant Chriſtum in vera carne non fuiſſe paſſum. Alii nulla fulti auctoritate aſſerebant tribus tantum clavis cruci fuiſſe affixum, & non dextrum latus ejus, ſed ſiniſtrum lancea vulneratum, ſed omnipotens Deus,* qui infirma mundi eligit, ut fortia quæque confundat, *per ſervum ſuum, litterarum elementis fere rudem Franciſcum occulta fide, ita illorum eluſit argumenta fallacia, ut etiam inviti cedant manifeſtiſſimæ veritati. Si autem quis*

Vide Marianam in præfat. hujus operis.
Tudenſ. lib. 2. cap. 11.

Encomia Tudenſis de S. Franciſco.

1. Cor. 1. 27.

quis forſitan adhuc audeat dicere iſta miraculoſe, & non ad inſtar paſſionis Chriſti in beato Franciſco fuiſſe geſta, audiant quod in ejus obitu legitur manifeſte: Reſultabat in eo revera forma crucis, & paſſionis Agni immaculati, qui lavat crimina mundi, dum quaſi recenter a cruce videretur depoſitus, manus, & pedes clavis confixos habens, & dextrum latus, quaſi lancea vulneratum.

Omni profecto acceptione dignum, & quavis exceptione majus hoc docti Viri, & Epiſcopi Hiſpani teſtimonium, atque eo certius & fide dignius, quo ſub hoc ipſo tempore ad ſecundum, vel tertium annum a Franciſci morte ſcriptum. Egit enim cum Viri ſancti ſociis; præcipue cum fratre Elia ſibi familiari, dum Hieroſolymis per Aſſiſium rediret in Hiſpaniam, quem proinde ſumme laudat, ut alias ponderabimus. Adducit etiam in confirmationem horum ſtigmatum tunc vivos omnis generis homines teſtes oculatos, & plagarum contrectatores, ut mira ſit impudentia Philippi Mornæi hæretici eadem negantis in ſuo illo myſterio iniquitatis pag. 345. cui breviter plures invictos rei teſtes objicit Leonardus Coquæus vir doctus in Antidoto contra progreſſum quinquageſimum. Porro Tudenſis ita ad comprobationem ſuæ opinionis de quatuor Chriſti clavis præfatur: *Illud etiam beatiſſimi Patris Franciſci, cujus humilitate ac ſimplicitate ſanctiſſima Deus noſtris temporibus mundi contrivit ſuperbiam & ſcientiam reprobavit, qui ſtigmata Jeſu Chriſti in ſuo geſtavit corpore ſpecialius ad fulciendum teſtimonium veritatis, in medium proferamus, ut veritas enucleatius luceat, & falſitas offuſcetur: etenim vero ut in ejus ſacra reperitur Legenda, & multorum Religioſorum, Clericorum, Laicorum & ſæcularium, qui manibus contrectare meruerunt, vel corporis oculis ante quinquennium aſpexerunt, pium perhibet teſtimonium, in manibus & pedibus beati Franciſci, quatuor apparuerunt ſigna clavorum in Chriſti milite demonſtrantia perfectam de luctamine mundi victoriam, & ſui Regis Jeſu Chriſti ſequelam exiſtere ſigno quatuor clavorum Dominicæ paſſionis.*

Idem lib. 3. cap. 14. & 15.

Leonardus Coquæus.

Tudenſis lib. 2. c. 11.

XV. Præter hæc, multa alia inauditum & ſingulare hoc Franciſci privilegium commendant & extollunt, Pontificum plurima diplomata, quæ nos ſuis annis dabimus diſtincta, & Hiſtorici omnes, quos viderim, Eccleſiaſtici tam vetuſti, quam recentiores, aliique Scriptores, quos ad ſatietatem refert, tranſcriptis etiam eorum verbis, venerabilis & pius Pater Antonius Daza peculiari de hoc argumento libello. Metro rem tantam docto depinxerunt carmine præter alios ex Minoritis Franciſcus Maurus Hiſpellas, & Laurentius Maſſorillus Fulginas, Baptiſta Mantuanus Carmelita, Franciſcus Bencius Jeſuita, Franciſcus Petrarcha poëmate docto apud me MS. Sed & multi coætanei proceres Eccleſiæ Cardinales & Epiſcopi, quorum alias clariorem dabimus notitiam, poſt ſancti Viri mortem myſterium hoc pio carmine, & Eccleſiaſticis hymnis, qui in Officio divino concinnuntur, celebrarunt. Tandem, quod caput eſt, ſancta Mater Eccleſia inſtituto feſto & ſolemni hujus myſterii celebrandi indicto ritu, voluit ut quotannis ejus memoria renovaretur, quod a Benedicto X., alias XI. præceptum, dum multis in locis negligeretur, Paulus V. ut corda fidelium in Chriſti crucifixi accenderentur amorem, intercedente Philippo III. Hiſpaniarum Rege Catholico, negotiumque promoventibus Illuſtriſſimo Domino Gabriele de Trejo S. R. E. Cardinali, & Reverendiſſimo Patre Antonio a Trejo Ordinis ſupremo Rectore, modo Epiſcopo Carthaginenſi, ejuſdem Cardinalis fratre ger-

Maur. lib. 12. & 13.
Maſſoril. lib. 1. ſacrorum hymnorum hymno 24.
Mantuan. l. 10. Faſtorum.
Bencius lib. 4. Carmi. epigram. 25. & 26.

Inſtituitur feſtum ſacrorum Stigmatum.

mano, adſcribentibus ceteris ſacrorum Rituum præfectis Cardinalibus, reſtituit. A multis annis præclariſſimi & ſingularis hujus Dei muneris in ſanctum Franciſcum commemoratio fit in tabulis Eccleſiæ. Ea habetur ad XVII. Septembris in martyrologiis Franciſci Maurolici, Petri Galeſinii in additionibus ad martyrologium Uſuardi, utriuſque impreſſionis Joannis Molani, & in Romano vetuſto apud me MS. In Romano item impreſſo anno MDIX.; & tandem, ut in novo per Cæſarem Baronium recudendo atque illuſtrando, eodem die reponeretur hoc feſtum, mandavit Sixtus V., ſcriptis ſua manu ſequentibus verbis, quibus illud voluit recenſeri: *Commemoratio impreſſionis ſacrorum Stigmatum, quibus ſanctus Franciſcus Ordinis Minorum Inſtitutor in ejus manibus, pedibus, & latere mira Dei gratia in monte Alverniæ in Hetruria impreſſus eſt.* Officium, quod modo in hac ſolemnitate recitatur, compoſuit Gerardus Odonis Ordinis Minorum Generalis Miniſter paulo poſt primam Benedicti inſtitutionem.

XVI. Poſtquam igitur verus Chriſti amor in admirabilem hanc imaginem transformavit amantem, quadraginta dierum numero, juxta quod decreverat, in ſolitudine conſummato, ſuperveniente quoque ſolemnitate Archangeli Michaëlis, deſcendit Angelicus Vir Franciſcus de monte ſecum ferens Crucifixi effigiem, non in tabulis lapideis vel ligneis manu figuratam artificis, ſed in carneis membris deſcriptam digito Dei vivi: & quoniam *Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt*, ideo ſecreti Regalis Vir conſcius ſignacula illa ſacra pro viribus occultabat. Verum quia Dei eſt ad gloriam ſuam magna revelare, quæ facit Dominus ipſe, qui ſignacula illa ſecrete impreſſerat, miracula quædam aperte per ipſa monſtravit, ut illorum occulta & mira vis ſtigmatum manifeſta pateret claritate ſignorum.

Bonav. c. 13.

Franciſc. tabula ſcripta digito Dei vivi.

Tob 12. 7.

Cõfirmantur miraculis ſtigmata.

XVII. In provincia namque Reatina peſtis invaluerat valde gravis, quæ oves, & boves omnes ſic conſumebat crudeliter, quod nullum poterat remedium adhiberi. Vir autem quidam timens Deum, nocte fuit per viſionem commonitus, ut ad Eremitorium Fratrum feſtinanter accederet, & loturam manuum ac pedum famuli Dei Franciſci, qui tunc temporis morabatur ibidem, acceptam, ſuper animalia cuncta aſpergeret. Mane itaque ſurgens, venit ad locum, loturaque hujuſmodi per ſocios ſancti Viri latenter obtenta, oves & boves languentes ex ea reſperſit. Mirabile dictu! Statim ut aſperſio animalia languida, & in terra jacentia, quantumcumque paululum attingebat, priſtino recuperato vigore ſurgebant continuo, & tamquam nihil mali ſenſiſſent, ad paſcua feſtinabant. Sicque factum eſt, ut per virtutem mirandam aquæ illius, quæ ſacras plagas contigerat, omnis prorſus plaga ceſſaret, peſtilenſque morbus a gregibus fugaretur.

Oves ſanat aqua ſtigmatum.

Circa præfatum montem Alvernæ, antequam Vir ſanctus ibi contraheret moram, nube ex ipſo monte ſurgente, grandinis violenta tempeſtas fructus terræ conſuetudinarie devaſtabat. Sed poſt illam apparitionem felicem, non ſine incolarum admiratione, grando ceſſavit, ut cœleſtis illius viſionis excellentiam, & ſtigmatum ibidem impreſſorum virtutem, ſerenati, præter morem, ipſa cœli facies declararet. Contigit quoque eum tempore hyemali, propter debilitatem corporis, & aſperitatem viarum, cujuſdam hominis pauperis ſubvectum aſello, ſub rupis cujuſdam prominentis pernoctare crepidine, ut nivis & noctis ſupervenientium quoquo modo declinaret incommoda, quibus præpeditus ad hoſpitii

Tempeſtas circa montem Alvernæ ceſſat.

tii locum non valuerat pervenire. Cum autem Vir ſanctus, hominem illum queruloſis ſubmurmurantem gemitibus hinc inde ſeipſum jactare ſenſiſſet, tamquam qui tenui operimento contectus quieſcere præ frigoris acerbitate nequibat, divini amoris fervore ſuccenſus manu illum protenſa palpavit. Mirabile certe! repente ad illius ſacræ manus contactum, quæ Seraphici calculi gerebat incendium, omni fugato frigore tantus in Virum intus & extra calor advenit, ac ſi quædam in eum vis flammea ex fornacis ſpiraculo proceſſiſſet. Nam illico & corpore & mente confortatus, ſuavius inter ſaxa & nives uſque mane dormivit, quam unquam in proprio lecto jacuerit, ſicut ipſe poſtmodum aſſerebat. Certis itaque conſtabat indiciis ſacra illa ſignacula illius impreſſa fuiſſe virtute, qui operatione ſeraphica purgat, illuminat, & inflammat, cum ipſa forinſecus expurgando a peſte ſalutem, ſerenitatem, & calorem corporibus efficacia mira conferrent, ſicut & poſt mortem evidentioribus eſt demonſtratum prodigiis, ſuo loco poſterius adnotandis.

Algentem calefacit Franc. manus attactu.

Iſai. 6. 6.

XVIII. Ipſe vero licet theſaurum inventum in agro multa diligentia ſtuderet abſcondere, latere tamen non potuit, quin aliqui ſtigmata manuum viderent & pedum, quamquam manus quaſi ſemper portaret contectas, & pedibus ex tunc incederet calceatus. Viderunt enim dum viveret, Fratres plurimi, quia licet eſſent propter ſanctitatem præcipuam viri per omnia fide digni, tamen ad omne dubium amovendum, ſic eſſe ae ſe vidiſſe, tactis ſacroſanctis, juramento firmarunt. Viderunt etiam ex familiaritate, quam cum Viro ſancto habebant aliqui Cardinales, laudes ſacrorum ſtigmatum proſis, & hymnis, & antiphonis, quas ad ipſius ediderunt honorem, veraciter inſerentes, qui tam verbo quam ſcripto perhibuerunt teſtimonium veritati. Summus etiam Pontifex Dominus Alexander, cum populo prædicaret coram multis Fratribus, de quorum numero erat ſanctus Bonaventura, velut ipſe teſtatur, affirmavit ſe, dum Sanctus viveret, ſtigmata illa ſacra ſuis oculis conſpexiſſe. Viderunt in morte pluſquam quinquaginta Fratres, virgoque Deo devotiſſima Clara cum ceteris ſororibus ſuis, & ſeculares innumeri, ex quibus, quemadmodum ſuo loco dicetur, quamplurimi & oſculati ſunt ex devotionis affectu, & contrectaverunt manibus ad teſtimonii firmitatem. Vulnus autem lateris tam ſollicite occultavit, ut illud nemo poſſet niſi furtim contueri, dum viveret. Unus ex fratribus, Joannes de Laude dictus, qui ei ſedulo miniſtrare ſolebat, cum pia eum cautela, ut ad excutiendum extraheret tunicam, induxiſſet, attente reſpiciens vidit plagam, cui etiam tres veloci contactu digitos applicans, tam viſu, quam tactu vulneris quantitatem agnovit. Conſimili cautela vidit eamdem fr. Elias, nec non frater Ruffinus, ut habetur in Legenda Gregorii IX., dum multa prece petiit, ut Vir ſanctus cum eo tunicam commutaret. Fr. Leo, Viri ſancti ſocius, admirandæ ſimplicitatis, dum infirmitatis cauſa languentes ſcapulas contrectaret, manu per caputium miſſa & caſualiter vulneri ſacro illapſa, magnum ei dolorem inflixit, proinde portabat ex tunc femoralia ita facta, ut uſque ad axillas pertingerent ad vulnus lateris contegendum. Fratres quoque qui illa lavabant, vel tunicam excutiebant pro tempore, quia tunc inveniebant eam ſanguine rubricatam, indubitanter per evidens ſignum in cognitionem ſacri vulneris pervenerunt; quod poſtmodum in morte revelata facie, & ipſi cum aliis plurimis contemplati ſimul & venerati ſunt. In Eccleſia ſancti Georgii Clariſſarum Aſſiſii vidi adhuc ſervari quoddam genus cataplaſmatis, ſeu emplaſtri

Viſa hæc ſtigmata a multis.

Bonav. cit.

Vulnus lateris viſum a pleriſque.

Digitized by Google

ſtri, vulgo Italico antiquo camocium dictum, quod ad leniendum lateralis plagæ dolorem, & ſanguinem retinendum Viro ſancto fecit virgo ſanctiſſima Clara; ſimiliter & calceos, ejuſdem virginis induſtria ita factos, ut ſuperiorem pedum partem, ne videretur, cooperirent, & inferiorem ita a terra elevarent, ut prominentes clavorum cuſpides greſſum non omnino impedirent.

Franc. ſignifer Chriſti.

XIX. Libet etiam hic adnectere ejuſdem ſancti Doctoris Bonaventuræ ad Franciſcum apoſtrophen: *Eja nunc*, inquit, *ſtrenuiſſime miles Chriſti ipſius, per arma invictiſſimi Ducis, quibus munitus & inſignitus omnes adverſarios ſuperabis, fer vexillum Regis altiſſimi, ad cujus intuitum omnes pugnatores divini exercitus animentur. Fer nihilominus ſigillum ſummi Pontificis Chriſti, quo verba & facta tua, tamquam irreprehenſibilia & authentica, merito ab omnibus acceptentur.* (Gal. 6. 17.) *Jam enim propter ſtigmata Domini Jeſu, quæ in corpore tuo portas, nemo debet tibi eſſe moleſtus; quin potius quilibet Chriſti ſervus omni eſſe tenetur affectione devotus. Jam per hæc ſigna certiſſima, non duobus, aut tribus teſtibus ad ſufficientiam, ſed quamplurimis ad ſuperabundantiam comprobata teſtimonia Dei in te, & per te credibilia facta nimis,* (Pſal. 92. 5.) *omne tollunt infidelibus velamen excuſationis, dum credentes in fide ſtabiliunt, ſpei fiduciam ſurſum agunt, & ignem caritatis accendunt.* (In appar. §. 5. n. 4.) *Jam vere impleta eſt prima viſio, quam vidiſti, videlicet quod dux in militia Chriſti futurus, armis deberes cæleſtibus, ſignoque crucis in inſignibus decorari.* (Dux in Chriſti militia.) *Jam in principio tuæ converſionis Crucifixi viſio compaſſivi doloris gladio mentaliter te transfigens, ſed & auditus vocis de cruce, tamquam de throno Chriſti ſublimi, & ſecreto propitiatorio procedentis,* (In appar. §. 4. n. 10. & 17.) *juxta quod tuo ſacro firmaſti eloquio, vera indubitanter fuiſſe creduntur. Jam in tuæ converſionis progreſſu, & crucem, quam vidit frater Silveſter ex ore tuo* (An. 1209. n. 39.) *mirabiliter procedentem, & gladios in crucis modum tua viſcera transfigentes, quos ſacer vidit Pacificus, teque ſecundum crucis figuram in aëre ſublevatum, cum de crucis titulo ſanctus prædicabat Antonius,* (Infra hoc anno n. 42.) *juxta quod proſpexit Angelicus vir Monaldus non phantaſtica viſione, ſed revelatione fuiſſe cælica conſpecta, vere creditur & firmatur. Jam denique circa finem, quod ſimul tibi oſtenditur & ſublimis ſimilitudo Seraph, & humilis effigies Crucifixi interius te incendens, & exterius te conſignans, tamquam alterum Angelum aſcendentem ab ortu Solis, qui ſignum in te habeas Dei vivi,* (Apoc. 7. 2.) *& prædictis dat firmitatem fidei, & ab eis accipit teſtimonium veritatis. Ecce jam ſeptem apparitionibus crucis Chriſti in te & circa te,* (Septies ei facta crucis apparitio.) *ſecundum ordinem temporum mirabiliter exhibitis, & monſtratis, quaſi ſex gradibus ad iſtam ſeptimam, in qua finaliter requieſcis, perveniſti. Chriſti namque crux in tuæ converſionis primordio tam propoſita, quam aſſumpta, & dehinc in converſationis progreſſu per vitam probatiſſimam bajulata, in te ipſo continue & in exemplum aliis demonſtrata, tanta certitudinis claritate oſtendit Evangelicæ perfectionis apicem te finaliter concluſiſſe, ut demonſtrationem hanc Chriſtianæ ſapientiæ in tuæ carnis pulvere exaratam nullus vere devotus abjiciat, nullus vere fidelis impugnet, nullus vere humilis parvi pendat, cum ſit vere divinitus expreſſa, & omni acceptione condigna.*

An ſoli Franciſco inflicta vulnera.

XX. Circa rarum & mirandum hoc Franciſci privilegium novi multoties non ſine turba & commotione controverſum, an ita fuerit ſingulare, ut nulli alteri fuerit commune? Sane a multis referuntur plures ſtigmatizati. An vero ita penetrantia & expreſſa habuerint vulnera, ejuſdemque qualitatis cum his, quæ ex tot & tam irrefragabilibus teſtimoniis Pontificum Romanorum, & ſanctorum Virorum Franciſco referuntur inflicta, nullus

nullus hucuſque plene probavit, nec credendum docuere Pontifices. *Ant. tit. 24. c. 2. §. 3.* Mihi videtur ſanctum Antoninum, ætate poſteriorem iis Sanctis, quibus tenacius hoc privilegium communicatum aſſeritur, controverſiam aperte diluiſſe, cujus de hac re verba ſubjicio. *Quoddam ſingulare conceſſum fuit beato Franciſco, quod nulli inter natos mulierum legitur fuiſſe donatum, & hoc eſt impreſſio ſtigmatum ſacrorum. Quamvis enim Paulus dicat de ſe ad Galatas:* Ego ſtigmata Domini mei Jeſu Chriſti in corpore meo porto, *Gal. 6. 17.* *nullus dicit quod habuerit corporaliter Paulus ſigna paſſionum in manibus, & pedibus, & latere; ſed dicuntur ſtigmata paſſiones multæ & afflictiones, quas patiebatur ab hominibus, pluſquam alii Apoſtoli. Qua ratione etiam & ſimilitudine idem dicit:* Crucifixus *ſum*, *Ibid. n. 14.* *non quod fuerit crucifixus in corpore, ſed in deſiderio & tolerantia multarum tribulationum, quas appellat crucem, quia cruciant: unde Alexander Papa ait: Crux dicitur a cruciatu; magnum vero cruciatum ſuſtinet, qui vim patitur 3. quæſt. 1. Nulli. Dicitur etiam de aliquibus devotis hominibus, quod ſentiebant magnum dolorem in manibus, pedibus, & latere, ac ſi haberent ibi vulnera, ſed tamen non ita impreſſa corporaliter, ut in beato Franciſco. Quia enim videbatur extincta memoria paſſionis Chriſti in mentibus hominum præ tepiditate eorum, voluit Dominus excitare & incaleſcere hanc recordationem per impreſſionem manifeſtam cicatricum in corpore beati Franciſci. Ipſo enim orante, & transformato per amorem in Chriſtum Jeſum paſſum, cum eſſet in monte Alverniæ apparuit Dominus Jeſus in modum Seraphim, ſcilicet cum ſex alis, crucifixus, & impreſſit in manibus, & pedibus, & latere ſigna ſuæ paſſionis, in quibus ſentiebat maximum dolorem. Et licet annis aliquot, quibus ſupervixit poſt eorum receptionem præ humilitate occultaret quantum poſſet, tamen Deo operante, non potuit ita latere, quin aliqui ex Fratribus magis familiares viderint, & palpaverint. Et ita Eccleſia hoc indubie approbavit & declaravit, feſtum de hoc celebre inſtituendo. Quod cum quidam Litteratus dubitaret, per expreſſum miraculum certificatus fuit de veritate hujus rei, prout in Legenda ejus habetur. Sic ergo* volavit ſuper pennas ventorum, *Bona. c. 16. legen. Pſ. 17. 11.* *quia videlicet tranſcendit alios Sanctos in hoc privilegio, quod in corpore ſuo fuerunt corporaliter impreſſa inſignia paſſionis, & tandem in fine vitæ tranſiens de hoc mundo volavit anima ejus ſuper Cherubin inter Seraphin;* In cœlo Cherubin tranſcendit. *& ſic credi poteſt locatus ſuper pennas ventorum tranſcendens prærogativa ſpeciali perfectiones Sanctorum & privilegia eorum ob impreſſionem Stigmatum, quod de nullo Sanctorum legitur ita expreſſe. Unde ſicut Dominus Jeſus, ut ait Bernardus, ante Patrem oſtendens latus & vulnera ſua, quæ ſuſtinuit in paſſione pro hominibus, inclinat eum ad pietatem erga nos, ita & beatus Franciſcus oſtendens ſtigmata ſibi impreſſa Dominicæ paſſionis, habet inducere & patrem, & filium ſuum ad miſericordiam & clementiam erga peccatores. Et ideo cum devotione quilibet recurrere ad eum debet, ut faciat ei Deum propitium, & perducat ad regna cœlorum.* Hæc Antoninus. In controverſia hac diutius immorari haud omnibus erit gratum: ſi occaſio ſe obtulerit, vel rerum ſtatus expoſtulaverit, opportuniori loco tractabitur ſolidius.

Bernard. tract. de dilig. Deo.

Orãs pro hominibus Deo vulnera oſtendit.

XXI. Porro hiſtoria montis Alvernæ refert, Franciſcum inde poſt *Migl. lib. 3. c. 1.* tot accepta beneficia deſcendentem, locum valde commendaſſe ſodalibus, multoſque habuiſſe in ſubjecta planitie obvios ruricolas, & paſtores, ad quos tantæ gratiæ fama jam certa pervenit, quique ipſo myſterii tempore ad auroræ crepuſculum coruſcantem clariſſima luce montem conſpexerant, cujus hanc fuiſſe cauſam poſtea explorarunt. Manus oſculari volentibus extremos digitorum articulos porrigebat, ceteram namque manum

Sanat Franciſcus puerulum hydropicum.

num linteolis habebat obtectam. Tranſiens deinde per villam vicinam in finibus Aretinis ſolo ſacrarum manuum tactu ſanavit repente oblatum ſibi puerum octennem, per quatuor annos hydropicum. Deinde venit montem Acutum, ubi ſumma alacritate exceptus fuit a ſuo amico Comite Alberto, ejuſdem loci Domino, ad quem cum iam antea ſæpius divertiſſet, prædicebat ſe amplius non regreſſurum propter ſuas infirmitates, & mortem vicinam. Dolens hoc audiit Albertus vaticinium, atque ut perpetuæ abſentiæ liniret dolorem, petiit obnixe, ut aliquid in ſui memoriam poſſet accipere. Nihil ſibi eſſe quod daret, reſpondit Franciſcus, præter pauperculam & laceram veſtem, quam ſi vellet, modo aliud daretur corporis operculum, libenter erogaret. Nihil magis gratum potuit heroi contingere, quam illum accipere habitum, ſub quo tantus Vir pignora noſtræ redemptionis accepit; quare accerſito ſartore, & comparato ſtatim panno, veſtem Viro ſancto efformavit, quam ſequenti die fecit, ut ille pro ſuo admitteret habitu. Enarrari non poteſt quam ſe hoc dono divitem judicavit, & quanti pauperem fecerit lacernam poſt Viri ſancti mortem, ſerico & aureo involutam in ipſo altari ſuæ Eccleſiæ honorifice recondens. Per plures generationes poſſederunt Domini montis Acuti prædictum habitum, donec tandem venit in poteſtatem Sereniſſimorum Ducum Hetruriæ, quo modo alias dicemus, quem ſumma in æſtimatione & pretio habent, argenteis thecis incluſum, nec omnibus, ſed viris principibus, vel religioſioris notæ hominibus ejuſdem videndi, multis accenſis cereis, præſentibus item ipſis Ducibus, vel ipſorum filiis faciunt poteſtatem.

Dat habitum ſuum Comiti montis Acuti.

Quam in pretio habeatur.

XXII. A monte Acuto venit Vir Dei ſubvectus aſello ad montem Caſalem per Burgum ſancti Sepulcri, caſtrum utique populoſum, ubi obvias habuit turbas in eum præ devotione ruentes. Tractus autem & detentus ab eis, compreſſus quoque ac multipliciter attrectatus, inſenſibilis videbatur ad omnia, & velut exanime corpus de iis, quæ fiebant circa ipſum, nihil penitus advertebat. Unde cum jam diu tranſito caſtro turbiſque relictis perveniſſet ad quoddam domicilium leproſorum, quaſi aliunde rediens cœleſtium contemplator, ſollicitè requiſivit quando propinquaret ad Burgum. Mens quidem ipſius cœleſtibus fixa ſplendoribus varietates non ſenſerat locorum, nec temporum, nec occurrentium perſonarum. Quod ipſi accidiſſe frequentius, ſociorum ejus experientia multiplex comprobavit. Suſpendebatur namque multoties tanto contemplationis exceſſu, ut ſupra ſemetipſum raptus, & ultra humanum ſenſum aliquid ſentiens quid ageretur circa ſe exterius ignoraret.

Bona. c. 10. Maria. c. 25.

Raptus in extaſim nihil ſentit.

XXIII. Illo ipſo die venit ad montem Caſalem, ubi invenit Fratrem quemdam horribili & incognita infirmitate laborantem; ſæpe enim ad terram allidebatur, & volutabatur ſpumans. Aliquando membra extendebantur, aliquando contrahebantur, aliquando flectebantur mollia, & palpabilia, alias dura nimis rigebant. Quandoque totus extenſus & rigidus, pedibus æquatis capiti, elevabatur in altum ultra hominis ſtaturam, & ſubito recidebat in terram. Erant qui dicerent morbum eſſe comitialem, alii verius judicabant a Dæmone obſeſſum. Doluit vir miſericors ad tantum ſui filii periculum: quare buccellam ei panis, de quo ipſe edebat, tranſmiſit. Tantam vero guſtatus panis contulit ægro virtutem, ut deinceps hujus infirmitatis non ſenſerit moleſtiam,

Bona. c. 12. Leg. Greg. IX.

Sanat Fratrem malo morbo laborantem.

XXIV. Protractis aliquibus diebus in præfato oppido appulit ad civitatem Caſtelli, in qua ductus eſt in hoſpitis ædes garrula mulier, obſeſ-

Digitized by Google

obſeſſa Diabolo. Rogatus Vir ſanctus, ut miſeræ mederetur, ſocium præmiſit ut videret, vel audiret garrientem, & exploraret an vere eſſet a Dœmone vexata, vel malas illas artes effingeret. Illa ad ſocii præſentiam dentibus fremens, torvo vultu cœpit barrire ad modum ſpirituum immundorum, deinde riſum ſimulans, præcepit ut Frater abiret, nec ſe illius curare dixit præſentiam, ſed alterius, qui latebat in cubiculo. Hoc audito Vir ſanctus ex oratione ſurgens, proceſſit in publicum, ubi mulier valde immodeſte & inhoneſte garriebat; quem ut vidit, ſtatim decidit in terram tremens, illius agnoſcens virtutem. Illic autem reprehenſum Diabolum, quod Dei creaturam ita auderet torquere, juſſit ut confeſtim abiret. Viri ſancti mandatis ſtatim obtemperavit, magno cum fragore indignabundus recedens. Ibidem etiam ſanavit puerum a gravi ulcere, facto Crucis ſigno ſuper faſciam, qua pars læſa fovebatur. Illa autem remota invenerunt parentes in ipſo ulceris loco ſuccreviſſe carnem ad roſæ rubeæ modum, quo miro diſcrimine a cetera carne per omnem vitam circa ſe perpetratum miraculum confirmabat.

Leg. Greg. IX. Marian. cit.

Liberat a Diabolo obſeſſam.

Et puerum ulceratum.

XXV. In Urbe hac per integrum menſem ſtetit, a qua recedens verſus ædem ſanctæ Mariæ Angelorum ſocium habuit fratrem Leonem, qui crucem, velut ipſe refert, videbat auream mira colorum varietate pulcherrimam, quæ Virum Dei præcedebat in itinere, & coram ſtante ſtabat, coram ambulante incedebat, donec dictam ingreſſus eſt ædem: per quod voluit Deus ſocio ſignificare magnum ſancti Viri erga crucem affectum, & crucem exhibere voluiſſe præſentem oculis corporis, qui coram habebat ſemper in corde, & vulnera in eadem Chriſti inflicta exterius habebat in carne. Chriſto igitur interius exteriuſque jam concrucifixus, non ſolum ſeraphico amore ardebat in Deum, verum etiam ſitiebat cum Chriſto crucifixo multitudinem ſalvandorum. Faciebat proinde, quoniam propter excreſcentes in pedibus clavos ambulare non poterat, corpus emortuum per Civitates & Caſtra circumvehi, ut ad crucem Chriſti ferendam ceteros animaret. Fratribus quoque dicebat: Incipiamus, Fratres, ſervire Domino Deo noſtro, quia uſque nunc parum profecimus. Flagrabat etiam deſiderio magno ad humilitatis redire primordia, ut leproſis ſicut a principio miniſtraret, corpuſque jam præ labore collapſum, revocaret ad priſtinam ſervitutem. Proponebat Chriſto duce ſe facturum ingentia, & fatiſcentibus membris, ſpiritu fortis & fervidus novo ſperabat certamine de hoſte triumphum. Neque enim languor vel deſidia locum habent, ubi amoris ſtimulus ſemper ad majora perurget. Tanta autem in eo carnis ad ſpiritum erat concordia, tanta obebientiæ promptitudo, quod cum ille ad omnem niteretur ſanctitatem pertingere, ipſa non ſolum non repugnaret, ſed præcurrere niteretur. Ut autem Viro Dei cumulus meritorum accreſceret, quæ omnia vere in patientia conſummantur, cœpit infirmitatibus multimodis laborare tam graviter, ut vix in eo membrum aliquod remaneret abſque ingenti paſſionis dolore. Ad hoc tandem per varias, & diuturnas, & continuas ægritudines deductus eſt, ut conſumptis jam carnibus, quaſi ſola cutis oſſibus cohæreret. Cumque duris corporis angeretur doloribus, illas ſuas anguſtias non pœnarum cenſebat nomine, ſed ſororum.

Legen. 3. Sociorum.

Præcedit eum crux aurea.

Bonav. c. 14.

Circumfertur per oppida.

Fracto erat corpore, non animo.

Incipit ægrotare ad mortem.

XXVI. Gravis & moleſtus præ ceteris doloribus fuit pœna oculorum, & viſus detrimentum, dum in carne infirma ſpiritus promptus & fortis magna intendebat, & operabatur in proximorum ſalutem. Nam dum licuit ſuo vectus aſello undequaque diſcurrebat pœnitentiam prædicans, Dei

Legen. 3. Sociorum.

regnum annuncians, & amorem ſuum Crucifixum eſſe repræſentans. Ita fervide & indefeſſe hæc annunciabat, ut aliquando uno die quinque vel ſex percurreret oppida, videreturque non hominum more loca perluſtrare, ſed prætervolare; ad modum illius, qui dixit: *Qui perfecit pedes meos tamquam cervorum*. Et iterum: *Dilataſti greſſus meos, & non ſunt infirmata veſtigia mea*. Sed licet de die in diem homo interior tot pietatis operibus magis perficeretur & renovaretur, tamen tantis laboribus, & continuis pœnitentiæ flagellis, neceſſe fuit ut tandem homo exterior corrumperetur. Quare quantumvis deſiderio fervens proponebat ſecum illud propheticum: *Lingua mea meditabitur juſtitiam tuam, tota die laudem tuam*. Jam amplius hoc prædicandi munus non poterat obire præ lacrymarum fluentis, & oculorum dolore cæcutiens. Nolebat tamen quantumvis rogaretur a Fratribus, permittere ut ſibi ſubveniretur medicinæ beneficio, converſationem ſuam jam habens in Cœlo, anxio ſpiritu diſſolvi cupiens & eſſe cum Chriſto.

Pſal. 17. 34.

Pſal. 34. 28.

XXVII. Frater vero Elias, quem, ut habent Legendæ antiquæ, & Gregorii IX., matris loco ſemper habebat propter ſollicitam, quam de eo gerebat curam, & quem cæteris ut patrem ipſe præpoſuit, Viri ſancti doloribus, & Fratrum jacturæ, ſi tantum deperderent Inſtitutorem, ex corde compatiens egit cum eo rationibus & precibus, ut ſibi medelam adhiberi permitteret, ſignificans rem licitam eſſe, ac meritoriam, Altiſſimumque de terra creaſſe medicinam, & virum prudentem non abhorrere illam. Deinde, poteſtate ſibi ab ipſo conceſſa in hac utens occaſione, humiliter præcepit ei per ſanctam obedientiam, ne repugnaret. Suas etiam preces, & conſilia adjunxit Cardinalis protector Hugolinus, monens ut cogitaret, ne potius ad peccatum, quam ad meritum tanta ſui reputaretur incuria. Utrique tandem Vir ſanctus obtemperavit, qui curarunt pauperculam ei ædificari cellulam juxta ſanctum Damianum, ut virgo Clara & conſociæ, juxta tenerum mulierum affectum, & ſincerum filiarum amorem, ſui patris curam ſuſciperent. Dati inſuper ſocii, qui continuo aſſiſterent, fr. Maſſæus, fr. Ruffinus, fr. Leo, & fr. Angelus Reatinus. Jacuit ibi per dies quadraginta, abſque requie tamen & ſomno, ingraveſcente quotidie oculorum cruciatu, & ſi aliquando dormire tentabat, non poterat præ moleſto ſtrepitu multorum murium hinc inde diſcurrentium, lecto etiam & menſæ tam audacter & faſtidioſe inſilientium, ut plane conſtiterit Dæmonum fuiſſe tentamenta. Tot itaque malis Vir ſanctus circumdatus, vultum & mentem ad cœlos extollens, humiliter ita deprecatus eſt: Domine Deus meus, in auxilium meum reſpice, & da gratiam ut infirmitates iſtas valeam patienter tolerare. Cui ſtatim reſponſum: Franciſce, quo poterunt æſtimari pretio, per quæ regnum impretiabile obtinetur? Scias æſtimabiliores hos tuos dolores univerſis mundi opibus, neque deberi eas vendi pro Orbe univerſo, etiamſi ita partes ejus transformarentur, ut montes omnes fierent aurum puriſſimum, lapides omnes evaderent pretioſi, & vaſti maris aquæ converterentur in balſamum. Ad quæ Franciſcus: In hoc pretio habeo, Domine, quos tu immittis cruciatus, novi enim te hic mea punire peccata, ut pro tua miſericordia ignoſcas in æternum. Lætare ergo, inquit vox ſuperna, hac itur ad cœlum, quo tibi ſternitur via, & ſemita paratur. Quibus auditis in fervore ſpiritus ſurrexit e lecto, Claramque vocavit, cum qua ſermonem de Dei circa homines providentia, & pia dignatione protraxit, donec ad prandium vocarentur. Statim ut conſederunt, ad primam vel

Leg. antiq. Leg. Greg. IX. Maria. c. 25.

Eccl. 38. 4.

Rogatur ut permittat ſibi adhiberi aliquã medicinam.

Dolores & morbi quo in pretio habendi.

Digitized by Google

vel alteram buccellam ſuſpenſus hæſit oculis in cœlum fixis, magno & ingenti dicens clamore: Benedictus, glorioſus, & ſuperexaltatus ſit Dominus. Deinde vehementi motu proſiliens de menſa, & in terra procumbens, extra ſe raptus eſt, & immobilis factus per integram horam. In ſe reverſum dum fr. Leonardus moneret indecori clamoris & motus, reſpondit: Frater mi, magna tantæ commotionis ſubfuit cauſa, quam tibi revelo, nulli dum vixero, expandendam. Si Imperator, vel Rex quiſpiam ſubdito, vel ſervo ſuum regnum conferret, nonne juſte gauderet? Quid ergo ego fecerim ultra debitum, cui Dominus ſuum regnum certo promiſit? Non potui me continere, quin præ cordis jubilo exultarem, clamarem, & reſilirem; condonandum eſt paſſionis vehementiæ quidquid ultra modeſtiæ metas viſus ſum perpetraſſe. Neque per hæc ad votum ſatisfeci, niſi ampliores Dei laudes adjiciam. Laudabo nomen ejus aſſidue, magnificabo eum in laude, & pſallam Deo meo quamdiu fuero. Sedens itaque cœpit pauliſper ſecum meditari, deinde in laudes divinas prorumpens, juſſit ut ſocius calamo, quæ ſequuntur exciperet. Illa nos Latina damus, ſed Italica Vir ſanctus humili metro dictavit.

Promittitur ei regnum æternũ.

Laudat impenſe Deum.

Altiſsime Omnipotens, bone Domine, tuæ ſunt laudes, gloria, honor, & omnis benedictio. Tibi ſoli referendæ ſunt, & nullus homo dignus eſt te nominare. Lauderis Domine Deus meus propter omnes creaturas tuas, & ſpecialiter propter honorabilem fratrem noſtrum Solem, qui dieſcere facit, & nos illuminat per lucem; pulcher eſt & radians, & magni ſplendoris tuique Domine ſymbolum præfert. Laudetur Dominus meus propter ſororem Lunam, & Stellas, quas in cælo creavit claras & bellas. Laudetur Dominus meus propter fratrem ventum, aerem, nubes, ſerenitatem, & propter omnia tempora, per quæ omnibus creaturis miniſtrat alimentum. Laudetur Dominus meus propter ſororem aquam, quæ eſt multum utilis, humilis, precioſa, & caſta. Laudetur Dominus meus propter fratrem ignem, per quem noctem illuminat, roſeus eſt, rutilus, invictus & acer. Laudetur Dominus meus propter noſtram matrem terram, quæ nos ſuſtentat & alit, producitque varios fructus, varicolores flores, & herbas.

XXVIII. Laudibus his cantici Solis nomen indidit, ob Solis inter ceteras creaturas eminentiam, deſiderabatque valde, ut ab omnibus addiſceretur, quotidie recitaretur a Fratribus, & politiori metro componeretur a fratre Pacifico, docto illius ſæculi poëta, a Friderico II., ante Ordinis ingreſſum, propterea laureato & Rex verſuum dicto. Paucos poſt dies evenit, ut magnæ excitarentur turbæ Aſſiſii inter Epiſcopum & Urbis Conſules. Ille interdixit his ſacra, hi interdixerunt omnem cum Epiſcopo paciſcendi rationem, juſſeruntque ut nihil illi ſuiſve venderetur, aut viciſſim ab eis emeretur. Tanto diſſidio Vir ſanctus compatiens dolebat neminem eſſe, qui de pace ſuper inducenda tractaret. Addens itaque præcedentibus verſiculum hunc: *Lauderis mi Domine propter illos, qui pro tuo amore offenſas dimittunt, & patienter ſuſtinent tribulationem & infirmitatem. Beati illi, qui in pace ſuſtinuerunt, quia a te, Altiſsime, coronabuntur*: juſſit ut ſocii confidenter pergerent ad proceres Civitatis, & ſuo nomine rogarent, ut ad Epiſcopum vellent accedere. Quibus conſtitutis in conſpectu Pontificis, abſque rubore velut Dei præcentores alternis illi canerent choris prædictum canticum cum adjuncto verſiculo. Juſſa peregerunt ſocii, conveneruntque in unum ad ſancti Viri preces, quas non audebant repellere, qui inter ſe diſſidebant, auditiſque ſimplicibus & candidis ejus carminibus, quibus Deus occultam impertiit virtu-

Legen. 3. Sociorum.

Componit diſſidium exortum inter Aſſiſiates.

tem, mirabiliter in mutuos irruerunt amplexus, utrimque veniam expoſcentes.

Certus redditur de gloria acquirenda.

XXIX. Poſt hæc ductus Fulgineum per fratrem Eliam, ut loci vel aëris mutatione melius haberet, aliquod dolorum ſenſit lenimen; ſed omnino non tollendos ad mortem uſque hac intellexit ratione. Magnus immiſſus Eliæ ſopor, deinde facta viſio cujuſdam grandævi ſenis, aſpectu venerabilis, infula Pontificia, & albis veſtibus induti, monentis cum patientia tolerandos Franciſco labores per biennium, quo expleto per mortem liberandum, & ad conſummatam, doloriſque expertem requiem transferendum. Retulit, quæ vidit, Viro ſancto, qui ſimiliter ſibi indicatum reſpondit, exultanſque in ſpiritu tam de promiſſa ſibi denuo gloria æterna, quam de ſtatuto tempore, quo ex hoc ergaſtulo oporteret exire, adjunxit ad ſuperiora carmina, quæ ſequuntur: *Lauderis mi Domine, propter ſororem noſtram mortem, quam nullus vivens poteſt evadere. Væ illis, qui moriuntur in peccato mortali. Beati illi, qui in hora mortis ſuæ inveniunt ſe conformes tuæ ſanctiſſimæ voluntati; mors enim ſecunda non poterit eis nocere. Laudate & benedicite Dominum meum, gratificamini & ſervite illi omnes creaturæ cum magna humilitate.*

Et licet Franciſcus propter multam auſteritatem vitæ præteritæ, cruciſque Dominicæ bajulationem continuam, imbecillis jam eſſet corpore, nequaquam eſt territus; ſed ad martyrii ſuſtinentiam vigoroſius animatus. Excreverat quidem in eo inſuperabile amoris incendium boni Jeſu, in lampades ignis atque flammarum; ut aquæ multæ caritatem ejus tam validam extinguere non valerent. (Cant. 8. 7.)

XXX. Paucos poſt dies veniens fr. Leo ut nocte media Matutinum recitarent, præ foribus ſalutationem illam præmiſit, quam Virum ſanctum docuiſſe ſupra præmonuimus. Illo vero nihil reſpondente, voluit pius ſocius per rimulas explorare quid ageret. Vidit domunculam fulgentiſsima luce ſplendentem, & ex clariſſima flamma ignis, quæ a ſummo cœlo ad caput ejus radiabat, voces & reſponſa prodiiſſe, Franciſcum vero humi proſtratum ſæpius repetentem: Domine quis es tu dulciſſime Deus meus, & quis ſum ego vermiculus & indignus ſervus tuus? Inſuper eumdem in ſinum ter manum miſiſſe, & verſus flammam extendiſſe. Peractis arcanis colloquiis, & cunctis diſparentibus, tacite volentem recedere ſenſit Vir ſanctus Leonem, & increpavit ſecreta & occulta rimantem. Venia petita & obtenta humiliter rogavit, ut ad majorem Dei gloriam, quæ vidit ſibi vellet interpretari. Annuit Vir ſanctus & dixit: Deus in flamma illa mihi apparuit, pro ſua benignitate multa mihi revelavit myſteria, & profundiorem ſui mihi communicavit cognitionem, ad quam admirabundus exclamavi: Quis es tu Domine, & quis ego ſum? Nihil enim aliquando me tantopere juvit, ut qualis ſim, vel quam non ſim ullius entitatis, aut pretii cognoſcerem, quam infinitum & incomprehenſibile divinæ perfectionis pelagus, vel a longe, aut in ſpecie contemplari. Dum ergo Dominus dignatus eſt mihi, quantus ſit, pro mea capacitate, monſtrare, non potui non flectere mentis aciem ad conſiderandum quam nihilum ſit omnis creatura in conſpectu Dei. Dehinc illi placuit me ita contemplantem jubere, ut quidquam tot bona mihi largienti vellem offerre. Reſpondi, tantam meam eſſe inopiam, ut præter laceram veſtem, ſolum ſupereſſet corpus & anima, quæ jampridem lubens & volens eidem conſecravi. Urgenti, ut amplius quidpiam offerrem, & ex ſinu extraherem, quod habebam, obtuli quem inſperato, & cum ſtupore inve-

Hoc anno n. 7.
Migl. lib. 1. c. 3.
Marian. c. 24.
Profunda Franciſci meditatio.

inveni nummum aureum pulcherrimum: ſecundo item, & tertio ſimiliter petenti ejuſdem magnitudinis duos alios porrexi, tunc quando brachium extendentem & in flammam immittentem vidiſti. Gratias demum agenti propter tot beneficia, & quod voluerit ut de ſuis donis ac datis ego reddidiſſem, inſinuavit mihi tres nummos illos ſibi gratiſſimos, tres ſignifire vivendi normas, quas voluit ut ego ſecundum ejus ſanctam voluntatem inſtituerem, & amplius per eoſdem nummos obumbrari ſacra illa vota paupertatis, obedientiæ, & caſtitatis, quæ a veris Religioſis, prout decet, obſervantur. His ita relatis Leoni juſſit ut abiret, nec amplius ita ſecreto, & quaſi furtive arcanas obſervaret actiones.

XXXI. Veſpere erant exaltationis ſanctæ Crucis, quando Angelus Dei apparuit Viro ſancto, & velut ipſe narravit poſtea quibuſdam ex ſociis, præmonuit ut ſe præpararet ad omnia, quæcumque Deo placeret in ipſo operari. Ad omnia ſe paratum reſpondit, nec in minimo divinæ reluctaturum voluntati, dummodo gratia cœleſtis adeſſet quæ bona quæque volentem, & duriora non reſpuentem, adjuvaret: indignum porro ſe eſſe, circa quem divina occuparetur cogitatio; tamen ſervum licet inutilem eſſe, & proinde rogaturum ut fieret ei ſecundum Dei beneplacitum.

Præmonetur ab Angelo futuri myſterii.

Marian. cit. Migl. lib. 1. c. 7. Piſan. conf. 31.

XXXII. *Cum igitur Seraphicis deſideriorum ardoribus ſurſum ageretur in Deum, & compaſſiva dulcedine in eum transformaretur, qui ex caritate nimia voluit crucifigi: quodam mane circa feſtum Exaltationis ſanctæ Crucis, dum oraret in latere montis, vidit Seraph unum, ſex alas habentem tam ignitas, quam ſplendidas, de cœlorum ſublimitate deſcendere. Cumque volatu celerrimo perveniſſet ad aeris locum, Viro Dei propinquum, apparuit inter alas effigies hominis crucifixi, in modum crucis manus & pedes extenſos habentis, & cruci affixos. Duæ alæ ſuper caput ipſius elevabantur, duæ ad volandum extendebantur, duæ vero totum velabant corpus. Hoc videns vehementer obſtupuit, mixtumque mœrore gaudium cor ejus incurrit. Lætabatur quidem in gratioſo aſpectu, quo a Chriſto ſub ſpecie Seraph cernebat ſe conſpici; ſed crucis affixio compaſſivi doloris gladio ipſius animam pertranſibat. Admirabatur quamplurimum in tam inſcrutabilis viſionis aſpectu, ſciens quod paſſionis infirmitas cum immortalitate ſpiritus Seraphici nullatenus conveniret. Intellexit tandem ex hoc, Domino revelante, quod ideo hujuſmodi viſio ſic divina providentia ſuis fuerat præſentata conſpectibus, ut amicus Chriſti prænoſceret, ſe non per martyrium carnis, ſed per incendium mentis totum in Chriſti crucifixi ſimilitudinem transformandum.*

Bonav. c. 13. & in legen. Minor.

Vincent. lib. 30. c. 119.

Ant. tit. 23. c. 2. §. 8.

Apparet ei Seraph.

XXXIII. *Diſparens igitur viſio poſt arcanum & familiare colloquium, mentem ipſius Seraphico interius inflammavit ardore, carnem vero crucifixo conformi exterius inſignivit effigie, tamquam ſi ad ignis liquefactivam virtutem præambulam ſigillativa quædam eſſet impreſſio ſubſecuta. Statim namque in manibus ejus & pedibus apparere cœperunt ſigna clavorum; quemadmodum paulo ante in effigie illa viri crucifixi conſpexerat. Manus enim & pedes in ipſo medio clavis confixæ videbantur, clavorum capitibus in interiori parte manuum & ſuperiori pedum apparentibus, & eorum acuminibus exiſtentibus ex adverſo. Erantque clavorum capita in manibus & pedibus rotunda & nigra, ipſa vero acumina oblonga, retorta, & quaſi repercuſſa, quæ de ipſa carne ſurgentia carnem reliquam excedebant. Dexterum quoque latus, quaſi lancea transfixum rubra cicatrice obductum erat; quod ſæpe ſanguinem ſacrum effundens tunicam, & femoralia reſpergebat,* ut poſtmodum Fratres ſocii ea lavantes indubitanter adverterent, quod

Inſignitur quinque vulneribus.

Clavi in manibus & pedibus quales.

Vulnus laterale quale.

Digitized by Google

ſicut in manibus & pedibus, ſic in latere famulus Domini expreſſe haberet impreſſam ſimilitudinem Crucifixi „ Totam myſterii ſeriem ſancti Bo„ naventuræ verbis ita placuit exſcribere, ad retundendas vanas quo„ rumdam imaginationes, qui ex vehementi imaginatione Paſſionis „ Dominicæ ſuſpicantur erupiſſe hæc vulnera in corpore ſancti Fran„ ciſci. „

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Vulnera Franciſco inflicta divinitus.

Vorag. ſer. 264. Fonſec. to. 4. vitæ Chriſti lib. 2. ſerm. in Domi. infra Oct. Nativ. Dom.

XXXIV. *Cernens autem Chriſti ſervus, quod ſtigmata carni tam luculenter impreſſa ſocios familiares latere non poſſent; timens nihilominus publicare Domini ſacramentum, in magno poſitus fuit dubitationis agone, utrum videlicet, quod viderat, diceret vel taceret? Vocavit proinde aliquos ex Fratribus, & generalibus verbis loquens dubium coram eis propoſuit, & conſilium requiſivit. Quidam vero ex Fratribus, Gratia illuminatus & nomine, intelligens quod aliqua miranda vidiſſet, pro eo quod videbatur admodum ſtupefactus, dixit ad Virum ſanctum: Frater non ſolum propter te, ſed etiam propter alios ſcias tibi oſtendi aliquando Sacramenta divina. Timendum propterea jure videtur, ne ſi, quod pluribus profuturum accepiſti, celaveris, pro talento abſcondito reprehenſibilis judiceris. Ad cujus verbum motus Vir ſanctus, licet alias dicere ſolitus eſſet:* ſecretum meum mihi, *tunc tamen cum multo timore ſeriem retulit viſionis præfatæ; addens quod is, qui ſibi apparuerat, aliqua dixerit, quæ nunquam dum viveret, alicui hominum aperiret. Credendum ſane, tam arcana illa fuiſſe ſacratiſſimi Seraph in cruce mirabiliter apparentis eloquia, quod forte non liceret hominibus ea loqui.*

Iſai. 24. 16.

Rem ſociis cum timore narrat.

XXXV. Reverſus Aſſiſium voluit ſpirituale inire colloquium cum primogenito ſuo fratre Bernardo, ſed in cella non repertum quæſivit in ſilva vicina contemplandis rebus divinis familiari, ſecundo & tertio ita hominem vocans; frater Bernarde veni & loquere iſti pauperi cæco. Non reſpondit ille altiſſimis immerſus meditationibus, totusque in Deo fixus; quod virum Dei aliquantum turbavit, mœſtumque reddidit. Volens itaque recedere, juſſit ſocium, qui eum manuducebat ob viſus defectum, ut parumper abiret, donec oraret, cauſamque ſciſcitaretur cur a Bernardo negligeretur? Facta ei ſtatim vox illa de cœlo: ut quid turbaris homuncio, deſerenduſne propter creaturam Creator? Fr. Bernardus dum a te vocaretur, mecum colloquebatur, ego, ne ad te veniret, detinui, tum ad ejus ſolatium, tum ad tuam doctrinam, ut ſcias non ſemper a Deo ſui juris viros ſpirituales eſſe, ut ad nutum hominis obediant; propterea que eis multa condonanda, atque actiones illorum non eſſe ad communes regulas menſurandas. Ad hæc Vir ſanctus totus contremiſcens hinc inde a ſocio ductus per ſilvam diſcurrit, donec Bernardum invenit, ad cujus pedes procidens humiliter facti veniam petivit, præcepitque diſcipulo, ut in terra ſupinum jacentem ter conculcaret, pedemque ori ſuperponeret. Fecit ita flens Bernardus, reniſus primum quantum potuit, ſed urgebat obedientia magiſtri, quam judicavit non licere contemni.

Profunda extaſis Bernardi.

XXXVI. Injunctum hoc anno ſancto Antonio publicæ prædicationis munus, quod ille in Gallia cis & trans Alpes vere apoſtolice, vere ſpiritum Dei aſſequutus exercuit, in concionibus ſuis eam adhibens juſtitiæ æquitatem, ut ſive magnis, ſive parvis loqueretur, veritatis jaculis indifferenter omnes feriret. Arguebat incredulos, obſecrabat pios, impios objurgabat, ut copioſiſſime, ita ferventiſſime, ſingulis accommodata & convenientia ſalutaris doctrinæ monita depromens. Qui enim jam

Surius in ejus vita cap. 7. Leg. MS. c. 17.

Efficax Antonii prædicatio.

Iſai. 41. 15.

Digitized by Google

jam ante, ut ſupra dictum eſt, paſſionis calicem tantopere concupierat, nullius magnitudinis, etiamſi mortis impenderet diſcrimen, pro veritate cedebat, ſed mirabili ſtrenuitate etiam potentium tyrannidi ſeſe opponebat. Nulla prorſus flectebatur perſonarum acceptione, nulla adulatione molliebatur; non popularis tranſverſum rapiebat favor & opinio, ſed juxta Prophetæ vocem: *Quaſi plauſtrum triturans novum, habens roſtra ſerrantia montes comminuit, & colles quaſi pulverem poſuit*. Videbatur quaſi alter quidam prodiiſſe Elias zelo Dei fervens, inflammatuſque igne Spiritus ſancti ignitis ſermonibus accendebat & urebat auditorum tepida, torpentia, frigida & obſcura corda. Perſonas quaſdam ſublimes reprehenſione dignas tanta nonnunquam ſeveritate objurgavit, ut plerique alii celebres Concionatores illum audientes ad intrepidam illius conſtantiam trepidarent, vultuſque ſuos quodam puſillanimitatis rubore perfuſi obtegerent.

Anno 1220. n. 56.

Iſaia 41. 15.

XXXVII. Cum ſemel Bituris in Synodo prædicaret ad Archiepiſcopum, inordinatæ vitæ virum, nec ſæpius monitum mala corrigentem, ſermonem convertit in ſpiritus fervore, dicens: Tibi loquor cornute; cœpit autem tanta dexteritate, miroque & placido artificio ejus vitia carpere, atque tam inevitabilibus & apertis ſacræ Scripturæ locis deteſtanda eſſe monſtrare, ut omnino hominem flexerit ad cordis compunctionem & vitæ melioris propoſitum: & ita doluit de male tranſacta, ut e roſtris deſcendentem Concionatorem contritus exceperit, atque in partem deducto conſcientiæ ſecreta detexerit. Adfuit ſanis & ſalutaribus conſiliis Antonius, quibus egregie profecit in virtute Epiſcopus per omnem vitam factus aliis in bonum exemplum.

Legen. MS. c. 10.

Epiſcopum libere reprehendit & flectit.

XXXVIII. Prædicans hoc anno in Provincia Arelatenſi Fratribus in Comitiis congregatis, de titulo ſanctæ Crucis, & Salvatoris paſſione præclarum habuit ſermonem. Eo autem concionante apparuit bonus magiſter ejus Franciſcus ad oſtium domus Capitularis, quem vir probatæ virtutis Frater Monaldus divina commonitione reſpiciens vidit corporeis oculis in aëre ſublevatum, extenſis velut in cruce manibus benedicentem Fratres. Tanta vero, & tam inſolita Fratres omnes conſolatione ſpiritus repletos ſe fuiſſe ſenſerunt, ut de vera ſancti Patris præſentia, certum eis intra ſe ſpiritus teſtimonium perhiberet: licet poſtmodum id non ſolum per evidentia ſigna, verum etiam per ejuſdem ſancti Patris verba, exteriori fuerit atteſtatione compertum. Credendum ſane quod omnipotentis Dei virtus, quæ Ambroſium pium & ſacrum Antiſtitem tumulationi glorioſi conceſſit intereſſe Martini, ut pium Pontificem pio veneraretur officio; etiam ſervum ſuum Franciſcum prædicationi præſentavit veracis ſui præconis Antonii, ut approbaret veritatis eloquia, præcipue crucis Chriſti, cujus erat bajulus & miniſter.

Bonaven. cap. 4. Surius in vita S. Anton. cap. 10.

Prædicante Antonio benedicit fratribus abſens Franciſcus.

Greg. Turonen. in vita S. Martini l. 1. c. 3.

XXXIX. Circa hunc annum creditur Minores Panormi ſedem accepiſſe ſancti Franciſci tempore, ut ſcribit Rodulphus. Illud certum ante annum MCCXXXV. tempore Gregorii IX. eos ibi ſtetiſſe: nam & ſub illo anno extant ejuſdem Pontificis litteræ ad Archiepiſcopum Meſſanenſem, ut permitteret Fratribus conſtruere ſibi ædem in quodam ſitu extra Civitatem. Nova iſta conceſſio peperit invidiam apud Clericos ſæculares, qui ædificantes multis oppetebant injuriis, nec creſcere permittebant ædificium. Ut occurrat morbo Clericorum jubet Pontifex Archiepiſcopum, cogitque illata damna reparare; verum paucos poſt annos commodiori in loco aliud conſtruxerunt Fratres Cœnobium intra Civitatem,

Rodulph. in Cuſtod. Panormit.

Conven. Panormi.

cujus primarium lapidem a ſe benedictum poſuit Fr. Ruffinus Placentinus, Capellanus Pœnitentiarius & Vicarius Apoſtolicus Ordinis Ciſtercienſis, cujus confectum de hac re inſtrumentum memorat Fratres emiſſe domos octo cum viridario in Urbe Panormi in contrata ſeu regione illa civitatis, quæ vulgo dicitur *La torre de Maniace*. Alexander IV. anno MCCLV. Neapoli exiſtens XII. Kalend. Junii eximit hujus loci Fratres ab omni juriſdictione Ordinariorum, & ſibi propriiſque regularibus Prælatis ſubjicit immediate. Jacet in hoc Conventu admirabilis puella Eliſabetha Tertiaria, quæ XIII. ætatis ſuæ anno obiit non ſine ſanctitatis opinione. Floruerunt etiam ibidem viri doctrina & auctoritate præſtantes, inter quos inſignis fuit Lucianus Richardus. Circa idem etiam tempus in ulteriori Sicilia alia duo loca occuparunt Minores, Drepani unum in ea Civitatis parte, quæ dicitur del Palazzo, cujus Eccleſia abſoluta eſt anno MCCLXXII. die XV. Martii ſub titulo ſancti Franciſci. Alterum Taurominæ, poſt multos annos conceſſum Fratribus de Obſervantia. „ Conſtructum eſt intra oppidi muros, miniſtratis ſumptibus partim ex communi ærario, partim piorum liberalitate. Hic aliquandiu hæſit ſanctus Antonius Ulyſſiponenſis, cum martyrii deſiderio cupiebat in Africam trajicere, & propria manu cupreſſos ac malos medicas, quæ adhuc vireſcunt, & multis medentur infirmitatibus, plantavit. Hic etiam ſepultus eſt beatus Cherubinus Meſſanenſis miraculis clarus; cujus corpus ex communi cœmeterio exhumatum, honorifico conditum eſt mauſolæo, & maxima habetur in veneratione. „

[Margin: Conven. Drepani. — Conven. Taurominæ. — ADDITIO Patris Lucæ Waddingi. — Gonzag. in Prov. Sicil. Con. 10. — B. Cherubinus Meſſanenſis.]

XL. Eodem item tempore extructus Conventus Namurci (quæ Urbs in Belgio ad Moſam fluvium caput eſt Comitatus Namurcenſis & Senatus Provinciæ Sedes) Apoſtolis Petro & Paulo ſacer per Philippum Comitem Namurcenſem. Deinde anno MCCCCXC. ad preces Margaritæ Eduardi IV. Angliæ Regis ſororis, & Caroli Burgundiæ Ducis relictæ viduæ translatus eſt ad Fratres. Fuit hujus Conventus, & poſtea Nivellenſis Guardianus Fr. Franciſcus Waloncapelle ſecundus Namurcenſis Epiſcopus, vir in utroque regimine & Pontificatu ſtrenuus, & prudens rerum agendarum peritus.

[Margin: Conve. Namurcenſis. — Gonzag. in Prov. Flandriæ Con. 5.]

XLI. Hoc ipſo anno Fr. Albertus de Piſis habito Provinciali Capitulo Herbipoli in feſto Aſſumptionis, convocatis Cuſtodibus, Guardianis & Prædicatoribus miſit Fratres Nurembergam, ubi prope Cappellam ſancti Pauli juxta Pegneſum fluvium, per Civitatem ipſam labentem, poſtea ſolemne Monaſterium conſtruxerunt. Fratrem etiam Joannem de Plano Carpinis Cuſtodem Saxoniæ abſolutum Coloniam miſit, & Fratrem Jacobum tunc Cuſtodem Alſatiæ, virum jucundum, manſuetum, modeſtum & pium, ſecundum Saxoniæ Cuſtodem ordinavit, additis illi ſenioribus quibuſdam Fratribus tam Clericis, quam Laicis, qui vitæ virtutumque exemplo facile ſibi omnium animos devinxerant. Deſtinavit quoque Fratrem Jordanum Guardianum Moguntinum cum ſeptem aliis Fratribus in Thuringiam, qui VI. Novembris iter arripientes in die ſancti Martini Erphordiam (licet auctor Compilationis Chronologicæ anno MCCXXIII. ibidem manſionem accepiſſe ſcribat) venerunt, qui propter inſtantem hyemem & ædificandi incommoditatem, extra muros in domo Sacerdotis leproſorum ſunt collocati, donec de ſtatu meliori ipſis provideretur. Tempore etiam illo, Fratrum quidam de Tridento venerunt Lindaviam, ibidemque recepti accerſerunt duo ex ipſis caſtrum Michelſtain, quos Dominus caſtri Bartholomæus, quamquam bello cum hoſtibus in craſtinum

[Margin: Chron. Saxo. MS. ad hunc ann. — Mittuntur Fratres Coloniam. — Et Thuringiam. — Item Lindaviam.]

num

num eſſet conflicturus, magna devotione ſuſceptos humaniter tractavit. Peracta cœna, intime eos rogabat Domina, ut Deum optimum pro ſalute viri ſui ſerio deprecari dignarentur, quod ipſum Dominus ab inſtantis belli periculis miſericorditer protegeret.Cui Frater,ſenior divino oraculo edoctus, reſpondit: ne paveas Domina, confide Deo, & meritis beati Patris noſtri Franciſci, & ſcito indictum prælium minime effectus ſuos habiturum, ſed, pace divinitus facta, utraſque partes arma depoſituras, & cum ſalute omnium domum redituras. Altero die, exercitu jam per acies diſpoſito, animiſque ad pugnam impatienter ferventibus, Fratribus vero cum Domina in caſtro orationi ardenter incumbentibus, ecce ſpiritus pacis Comitem quemdam unum ex adverſariis prædicti Domini de Michelſtain arripuit, qui pauciſſimis comitatus venit talibus eum allocutus: Domine, inquit, ſatis ſuperque hactenus inſipientiæ noſtræ pœnas luimus: territoria noſtra deſolata, bona ſubditorum direpta, multa hominum millia cæſa, & mutua adhuc cæde ardemus? Nec prius deſiſtere eſt animus, quam extremæ nos manibus noſtris interemptioni dederimus? Numquid non conſultius ſempiternæ pacis fœdera percutere? ſanguinolentas manus continere? & hoſtilium irreptionum dies ſecuros agere? Cui inopinatæ ſententiæ Dominus de Michelſtain, divino quoque inſtinctu percitus, haud gravatim ſubſcripſit, atque eo modo turbulentiſſima viginti & duorum annorum bella, quæ non exiguo ſanguine conſtiterant, unico quaſi momento reſtincta ſunt, & pacis legibus firmiſſime pactis maxima omnium lætitia ad ſua ſe quiſque recepit. Quo effecto miraculo,DominusBartholomæus tanta amoris teneritudine Fratres diligere cognitus eſt, ut tractu iſto totos quadraginta annos Monachi Franciſcani Fratres Dominorum de Michelſtain vulgo appellarentur. Aliquot inde annis elapſis, & beato Franciſco in cœlis jam glorificato, filia ejuſdem Domini cuidam militi nupta beato Franciſco, & Ordini maxime fuit devota; eidem a confeſſione fuerat frater Fridebaldus Ordinis Minorum, vir devotiſſimus & perfectus: poſt cujus e vita deceſſum accidit, ut unus filiorum ejuſdem Dominæ ſquinantiæ morbo graviſſime laboraret, ut dum voce interclusa loqui amplius non poſſet,de vita eſſet deſperatum. Mater diſcrimine filii concuſſa, ſpiritualibus potius quam corporalibus medicinis rem eſſe agendam duxit. Gutturi itaque filii capillum unum, cum almutio defuncti Patris Fridebaldi circumligat, & e veſtigio in galli cantu, nox enim Nativitatis Domini erat, ſub re divina pro filii ſalute ſupplicatura ad Templum convolat, ibique anxie oranti famulorum unus ſubitam filii ſanitatem plaudentibus manibus lætiſſimaque fronte nunciat. Illa domum properans, invenit quæ dixerat ſervus: filius de impoſito emplaſtro, quale eſſet a matre edoctus, mira narrare incipit; pro certo, inquit, noveris mater, vix e limine pedem te ferente, apparuiſſe mihi Patrem Fridebaldum, alio quodam puſillo Fraterculo comitatum, & bono me animo eſſe jubentem; ad quem ſic parvulus iſte: Frater mi, ait, Fridebalde, ubi male filius tuus habet? quo demonſtrante tumorem gutturis mei, puſillus ille manu ſua contingens, confeſtim me ſanavit, videbaturque maſſa ulceris rotunda ex faucibus meis provolare; vidi & plagam in manu iſta, & clavum ſubnigrum e volæ medio prominentem. Fuit juvenis iſte bellator felix, & magnanimus, qui poſt hæc, ſeculo derelicto, Ordinem Joannitarum ſuſcepit, nunc Spiræ, nunc Wormatiæ, nunc Argentinæ degens.

S. Franciſcus liberat juvenem gutturis malo.

XLII. Sumpſit exordium hoc anno Provincia Scotiæ penetrantibus illuc

Scotiam penetrant Minores.

Gonzag. in Prov. Scot. Joan. Hajus in Chron. Scot. in princ. Boet. l. 13. Hiſtor. Scotorum.

illuc Fratribus, ut ex annalibus antiquis refert Joannes Hajus Scotus in concinnata a ſe brevi hiſtoria ejuſdem Provinciæ, quam dum Provincialem ageret Colonienſem dedit ad Illuſtriſſimum Dominum Gonzagam anno MDLXXXVI. quæ apud me eſt MS. Primos hos Fundatores miſſos a ſancto Franciſco, refert Hector Boetius, ſed apud nullum illorum nomina aut conditionem licuit detegere, nec eſt qui prima incrementa illius Provinciæ exacte deſcribat.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Minores quando in Scotiam penetrarunt. *Scoti Chronicon lib. 9. cap. 47.*

„ Thomas Dempſterus in libro primo „ ſui Apparatus de Religione, ait, Gonzagam lapſum annis ſeptem, „ penetraſſeque Franciſcanos regnum illud Scotiæ anno MCCXXXI.; id- „ que ex Scoti Chronico confirmat, idque ipſum habetur in vetuſto Co- „ dice MS. Bibliothecæ Roberti Cottoni in Anglia.

Dedit hoc anno Honorius Pontifex Minoribus licentiam celebrandi in ſuis locis & Oratoriis cum Altari viatico. Diploma datum Laterani tertio Nonas Decembris videre eſt in hujus tomi appendice.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Sanctus Pater recipit hoc anno ſacra ſtigmata. *Mon. MSS. Prov. Boemiæ an. 1694.* Pragam Boemiæ Fratres proficiſcuntur.

„ I. HOc anno, quo ſanctus Pater Franciſcus in famoſo Alverniæ „ monte, caritate in Deum totus abſorptus ſacris ſtigmatibus „ Jeſu Chriſti Crucifixi omni ævo memorabilibus, & ſemper admirandis „ decorabatur, ejus quidam pauperculi Fratres, Patris ſui præcepto „ obaudientes, ex Italia Pragam Boemiæ Religionem propagaturi pro- „ fecti, a Præmiſlao Otthogari, ſive Otthiſchgari perbenigne excepti „ fuere, eiſdemque Conventum cum prægrandi Eccleſia Divo Jacobo „ Apoſtolo nuncupata, quæ etiamnum in Urbe veteri extat, & a Patri- „ bus Conventualibus colitur, regia magnificentia conſtruxit, ut noviſ- „ ſima Provinciæ Boemiæ ſtrictioris Obſervantiæ monimenta mihi tranſ- „ miſſa anno MDCXCIV. aperiunt.

Boemiæ Regnum in Germania deſcribitur. *P. Bertius in deſcript. Boem. fol. 315.* Praga C. Arch. *Nova Topogr. in Mart. Rom. Ferrari.* In tres dividit. Urb. novam, veterem, parvam. In veteri horolog. eſt admirabile.

„ II. Verumtamen antequam ulterius procedam, Boemiam & Pra- „ gam curioſitati legentium aperire conſtitui, ut libentius proſequantur „ iter. Boemia igitur regnum Germaniæ finibus incluſum, ſilva Hercy- „ nia undique cingitur: longitudo ejus, quæ & Hercyniæ ambientis „ diameter eſt, XXXI. M. P. Boemicorum. Regio amæna, fertilis, mu- „ nita, fluvium nullum aliunde recipit, plurimos autem extra ſe diffun- „ dit.... Crocum mittit ſucco, odore, colore optimum. Argenti adeo „ eſt affluens, ut vix alia metalla intra venas terra abdat. Aurum etiam „ quibuſdam in locis effoditur, cujus fruſtum unum decem pondo Regi „ aliquando allatum memoratur. Flumina præcipua ſunt, Albis, quem „ ipſi *Labe* dicunt, hic ad urbem Auſtriæ e montibus erumpit: Multavia, „ qui Ptolomei Caſſurgis eſſe creditur: Egra, Saſſava, Giſera omnes „ fluvii, quorum nonnulli auri etiam ramenta fuerunt, ciceris magnitu- „ dine, quæ nulla purgatione ulteriori indigent. Urbes habet alias Re- „ gi ſubjectas, alias Proceribus, & Nobilibus: Primaria earum Praga, „ olim *Marobudum* nuncupata, Archiepiſcopalis, & Regia clariſsima, „ Multavia fluvio diviſa, in valle amœna & patentiſſima, in tres diſtin- „ cta Urbes novam, veterem, & parvam. Vetus reliquis major dexte- „ ram fluminis ripam tenet, foſſaque a nova dirimitur: In ea horolo- „ gium prorſus admirabile, curſum, & aſpectum luminarium inter alia „ indicans. Nova, & ipſa ampla in colles aſſurgit, plura continens Mo- „ naſteria, Regum domicilium, & Fanum ſancti Viti auguſtiſſimum. „ Parva ſiniſtrum latus amnis tenet, veteri ponte lapideo XVI. ingenti- bus

Digitized by Google

,, bus arcubus conſtante elegantiſſime nectitur. Quævis proprio Senatu
,, prædita per ſe adminiſtratur; arcem in monte habet, & ad eam accli-
,, vi admodum colle itur: in Templo, artis monumentum eſt ſingulari ar-
,, tificio extructum, quo aliquot Imperatores ſepulti ſunt. His ad exi-
,, larandum, & inſtruendum animum enarratis.

Unaquæque habet propriũ Sen.

Arx in Monte.

,, III. Reverendus admodum Pater Franciſcus Caſimirus Biernacki
,, ſacræ Theologiæ Doctor, & Provinciæ Poloniæ Patrum Conventua-
,, lium alumnus in ſuo Speculo Minorum, agens de Fratrum Minorum
,, in Boemiam adventu, eum in annum MCCXXXII. ab obitu ſancti Patris
,, Franciſci VI., ab obitu vero D. Antonii Patavini anno primo, rejicit:
,, *Creſcentibus enim*, ſcribit ille, *ſancti Patris Franciſci & etiam ſancti An-*
,, *tonii Patavini miraculorum fulgoribus, Fratres Minores intrant Boe-*
,, *miam, & inde Poloniam pervagantur, & ſtatim, anno ſequenti, Soror*
,, *Agnes, filia Regis Boemiæ Præmiſlai Ottbogari, recipit Ordinem ſanctæ*
,, *Claræ, & Monaſterium Sororum apud Sanctum Franciſcum Pragæ conſti-*
,, *tuit, ut teſtatur frater Joannes Furſtenhain, a quo paulum diſſidet* Wad-
,, *dingus*, ut ipſe ait; pergenſque enarrare ſubjungit: *Primus Miniſter*
,, *Provincialis Provinciæ Boemiæ, & Poloniæ fuit frater Joannes Lombar-*
,, *dus cognomento Planchart.... Conventum Pragæ ſancti Jacobi ſuſcepit,*
,, *quem illo tempore ſororis Agnetis frater, Rex Venceslaus ædificavit, po-*
,, *tius conſummavit, in eoque primum Capitulum celebravit in feſto ſancti*
,, *Jacobi Apoſtoli. De hoc Conventu ſancti Jacobi Apoſtoli extat tabulæ an-*
,, *notamentum in pariete introſcriptum his præciſis, anno a partu Virginis*
,, MCCXXV. *Præmislaus Ottbogarus Rex Boemiæ III. hoc Monaſterium in*
,, *honorem Dei Omnipotentis, & ſancti Jacobi Majoris inſtruere incæpit,*
,, *& in illud anno* MCCXXXIII. *Fratres Conventuales Ordinis ſancti Fran-*
,, *ciſci introduxit: cujus ædificii ſtructuram poſtmodum Venceslaus Ottbo-*
,, *garus filius, & Rex Boemiæ IV. conſummavit.* Hæc Caſimirus Bierna-
,, cki ſupracitatus.

Ex Caſimiro Biernacki Fr. Min. ann. 1232. introduc. Boemiã.

Caſimirus Biernacbi ſpec. min. art. 17. fol. 213. n. 2.

Agnes ſoror Venc. Regis, & Præmislai filia fit Monialis de an. 1232.

Joan. Furſtenbain in Chron. MSS. an. 1501. in arch. Cracoviæ apud Convent.

Wadd. ad an. 1234. n. 4.

,, IV. Verumtamen, ea circa quæ ex Auctore præfato notavi, non-
,, nihil ſcrupuli occurrere legenti poſſe videtur, ex eo præſertim quod
,, Boemiam, & Poloniam in unam Ordinis Provinciam colliget, argu-
,, mento deducto a quodam ſigillo majori Provinciæ, in cujus peripheria
,, litteris pervetuſtis inſcriptum legitur: *Sigillum Miniſtri Provincialis*
,, *per Boemiam, & Poloniam*. Sed hujuſmodi aſſertum, ne dicam nullius,
,, infirmi roboris eſt, & reputabitur, niſi ipſius ſigilli antiquitate pro-
,, bata, ex Hiſtoricis fide dignis, illud congruere eorum temporum Mi-
,, noriticæ Religionis rebus oſtendatur: quod quidem impoſſibile eſſe
,, videtur; etenim ad illud uſque tempus Miniſtri Provinciarum non per
,, communia ſuffragia, ſed ex diſpoſitione immediata Miniſtri Generalis,
,, vel ejus Vicarii factos fuiſſe legimus, nec apud ullum noſtræ Religio-
,, nis Scriptorem, a ſancto Patre noſtro Franciſco, nec a fratre Elia con-
,, ſtet, quemquam in Miniſtrum Provincialem per Boemiam, & Poloniam
,, miſſum fuiſſe. Item ex Waddingo idem Auctor ex occaſione Agnetis
,, Venceslai ſororis, Præmislaique Boemiæ Regis filiæ, fatetur apud
,, ipſum, Gregorii Papæ IX. diplomata in ejuſdem Regiæ infantis ſtatum
,, monacalem in Ordine ſanctæ Claræ percupientis favorem, expedita,
,, quæ legiſſe puto, duo ſunt, & eorum primum ipſi Agneti directum
,, juxta Regis, & Capituli Eccleſiæ Pragenſis expoſitionem, & ſuum vo-
,, tum incipit. *Gregorius &c. Cariſſimæ in Chriſto filiæ Agneti Sorori*
,, *cariſſimi in Chriſto filii noſtri, Illuſtris Regis Boemiæ, &c. Sincerum*

Min. Provinciales a Min. immediate eligebantur.

Duo diplomatã a Greg. PP. IX.

,, *animi ſui fervorem, &c. Dat. Spoleti Kalendis Septembris Pontif. an.*
,, VIII. In quo non ſolum, quæ Rex in favorem voti Sororis, & Capitulum
,, conceſſerant, confirmavit, ſed etiam cumulavit: & in eumdem mo-
,, dum verbis competenter mutatis, quod eſt alterum diploma, de his
,, ipſis rebus fratri Joanni Miniſtro Saxoniæ, & fratri Thomæ Cuſtodi
,, Boemiæ ſcripſit dicens: *ſe magno cum gaudio ſenſiſſe ſincerum animi fer-*
,, *vorem ejuſdem Agnetis, devotioniſque fragrantiam, & ſpem magnam*
,, *accepiſſe, quod cum unctio ſancti Spiritus docuerit Agnetem ad hanc vi-*
,, *tam ſectandam, per ejus ſtudium Religio juxta ſuum deſiderium ibi plan-*
,, *tata, de bono ſemper in melius ſuſcipere debeat incrementum.* Quapro-

Jubet Pontifex ut Agnes præficiatur Abbatiſſa.

,, pter jubet, ut apoſtolica auctoritate in Abbatiſſam illius Monaſterii
,, præficiant eamdem: conceſſa ſibi tamen poteſtate, ut ſuper eo, quod
,, certis diebus juxta Regulam in pane & aqua erat jejunandum, & ſu-

Et concedit ut poſſit diſpenſare &c.

,, per uſum calceamentorum & pellium, juxta diſcretionem ſibi datam a
,, Domino valeret diſpenſare.
,, V. Et ſupra hic adductis, quæ inficiari minime poſſunt, iis tempo-

Boemia, & Polonia uniuntur in unam Prov.

,, ribus Boemiam, & Poloniam in unam Provinciam haud unitas fuiſſe,
,, ſcribente Summo Pontifice fratri Joanni Miniſtro Saxoniæ, & Thomæ
,, Cuſtodi Boemiæ ſuper eadem re, liquido conſtat. Joannem autem
,, illum Miniſtrum Saxoniæ fuiſſe nuncupatum Lombardum, quod ex

Rodulph. pag. 293. in Cuſtodia Gremen. Prov. Boemiæ ut citatur.

,, Lombardia illuc transfretaverat, & cognomento *Planchart*, de quo,
,, ut ipſe refert, agit Rodulphus, non detracto, maxime quod in his
,, partibus cognomen *Planchard*, ſive *Blanchard* ſit ſatis clarum, & hæc
,, mea divi Thomæ Apoſtoli ſtrictioris Obſervantiæ Provincia in Pede-
,, montio ad Alpes, ultima parte Longobardiæ habuerit Reverendum ad-

Jo: Blanchard. fr. Min. in Prov. Ref. S. Thomæ Apoſtoli.

,, modum Patrem fratrem Joannem Franciſcum *Blanchard* Virum nedum
,, in ſacris eruditiſſimum, & religioſitate clariſſimum, unum e præcipuis
,, ejuſdem Provinciæ Fundatoribus, atque Regiorum Ducum Sabaudiæ
,, Theologum, cujuſque frater Sacri Senatus Præſes extitit: at de his ſa-

Furſten. ſup. cit.

,, tis. Diſplicet etiam ſecundo, præfatum Auctorem *Furſtenbaium* ſcri-
,, pſiſſe, Fratres Minores haud ante annum MCCXXXII. Boemiam intraſſe:
,, cum ſibi ſatis perſuaſum eſſe debuiſſet aliter, ab inſcriptione funda-
,, tionis Conventus ſancti Jacobi, quam idem ipſe affert, & nos ex eo-
,, dem hic ſupra retulimus, ſola mentis reflexione ſuper mores aulæ
,, Principum, in quibus motus in pietatem, & religionem haud facile
,, fiant, niſi ſua præſentia cauſa maxime urgeat: quamobrem ſi Præmiſ-
,, laus Rex anno MCCXXV. Conventum fundare cœpit, poterat arguere

Minores ante an. 1225. ingreſſi ſunt Boemiam.

,, Fratres Minores per aliquod tempus ante, Boemiam, & Pragam in-
,, traſſe, ibidemque locum habitationis utcumque habuiſſe: maxime,
,, quod ex variis Chronologis fuerit coactus poſtea ſcribere, ante præ-

Furſten. 16. n. 3.

,, fata tempora exiguas domos, & informes Conventus, adhuc regia
,, munificentia clariori apparatu non ſplendeſcentes, habuiſſe.

Wadd. ad ann. 1288. n. 39.

,, VI. Ex quodam diplomate Nicolai IV. noſter Waddingus Cœno-
,, bii Turonenſis in annum MCCLXXXVIII. memoriam rejicit, non dubi-
,, tat nihilominus antiquius eſſe. Ex noviſſimis vero Provinciæ Turo-
,, nenſis monimentis anno MDCLXXX. tranſmiſſis, hunc ſibi vindicat
,, annum.

Turon. C. Archiep. deſcribitur.

,, VII. Turones autem, vel Turoni, Gallis *Tours*, Archiepiſcopalis
,, Galliæ Celticæ perantiqua Civitas, ampla, præclara, elegans, lanifi-
,, cio, & mercatura celebris, quam ſemicircularis figuræ ampla ſuburbia
,, cingunt, medio fere intervallo inter Aureliam, & Andegavos diſſita

ad

,, ad Ligerim fluvium notiſsimum ſedet: ab Aurelia quidem in Occiduum
,, ſolem bidui: at a Lutetia Pariſiorum in Occidentem hybernum quatri- *Ex nova Topogr. in Mart. Rom. Ferrerii.*
,, dui itinere diſtat: ob ſoli, & loci amænitatem, hortus, & pomerium
,, Galliæ, ſicut & regionis caput habetur, cujus Archiepiſcopus unde-
,, cim Suffraganeos habet.
,, VIII. Hujus ergo Civitatis intra mœnia Fratribus Minoribus hoc
,, anno MCCXXIV. ut Chronica Cathedralis Eccleſiæ docent, locus fa- Cœnobium præfatum hoc anno conſtruitur.
,, ctus eſt, & Cœnobium conſtructum, ſed cujus expenſis, publicis ne,
,, vel privatis non apparet: id enim diuturnitas temporis obliteravit:
,, ſed nec ea domus ullum Fundatorem, præter majeſtatem Regis agno- *Mon. ſup. citat. Prov. Turon.*
,, ſcit, cum alioquin nobiliſſimarum æque ac antiquiſsimarum familiarum
,, Vindocienſis, Malliacenſis, & Ambaſienſis antiquos proceres, ſingu- Rex ejus fundator.
,, lares benefactores & patronos, ex pervetuſtis eorum monumentis,
,, vel gentilitiis inſigniis, extitiſſe conſtet: quorum præcipue, & alio-
,, rum caritativis ſubſidiis, ſucceſſivis temporibus quinquaginta Religio- Familiæ Vindocien. Malliacen. & Ambaſien. ſingulares benef.
,, ſos in Dei famulatum, & apoſtolatus miniſterium, ædificationemque
,, populorum alebat. Erat hoc Cœnobium totius Provinciæ, cui & no-
,, men ab Urbe dedit, caput, & Miniſtrorum Provincialium ſedes,
,, religioſitate, & doctrina maxime ſplendens; hiſque de cauſis natura *Vide infra ad ann. 1447.*
,, ſua admirationem moventibus plurimum in honore habebatur.
,, IX. Interea Tertii Ordinis beati Patris Franciſci numero creſcen-
,, tibus & virtute alumnis, Summo Pontifici placuit, ut & ipſi tempo- Ut tempore Interdicti Tertiarii admittant.
,, ribus Interdicti admitterentur *Cum illorum &c.* Kalendis Decembris:
,, & rebus Catholicæ Religionis in Oriente decreſcentibus, piiſsimum *Indicul.*
,, Regem Francorum Ludovicum per binas Apoſtolicas litteras in ea- Item duo diplomata ad Ludovicum Regẽ Francorum.
,, rumdem reparationem extimulavit: *Utinam fili cariſſime &c.* & *Di-*
,, *vina procul &c.* IX. Auguſti.

ARGUMENTUM.

Ægrotat Franciſcus apud Civitatem Reatinam, & fontem Columbæ, miraculis utrobique clarus. Mitigatis parumper doloribus, per Civitates fertur verbum Dei diſſeminaturus. In Civitate Pennenſi, & Oppido Celani præclare operatur, aliis item locis peragratis, juxta Nuceriam, plus ſolito, ſuo morbo laborat. Reducitur, ne extra moriatur, per Cives Aſſiſiates, & in Epiſcopio decumbit. Antonius Patavinus miro cum fructu per Italiam, & Galliam prædicat, miraculis, opere, & ſermone hæreticos confundit: adverſo vento denuo pellitur in Siciliam, ubi plura extruit Cœnobia. In Thuringia, & per Saxoniam Ordo mirifice creſcit. Egregiæ puellæ Burgundæ Minoriſſæ præclara conſtantia in ſectando hoc Inſtituto refertur; & memorantur multis in locis extructa Domicilia, & Minoribus conceſſa per Pontifices privilegia.

I. TOto hoc anno doloribus variis laboravit Franciſcus uſque ad Autumnum, quo tempore rogantibus, ſed & urgentibus Domino Cardinali Hugolino, & Fratre Elia, tranſtulit ſe in Civitatem Reatinam pro medicandis oculis per peritos illius Urbis Medicos & Chirurgos. Id ut reſcivit populus, proceſsit obviam turmatim, quem ut ille declinaret, divertit ad Eccleſiam ſancti Fabiani ad duo milliaria ab Urbe diſtantem. In Curia Pontificis (qui tunc reſidebat Reate, ut noſtri monent Auctores & mi-

Legen. 3. ſocior. Legen. Greg. IX.

Venit Franciſcus Reate.

Digitized by Google

& mihi indubiam facit fidem ejuſdem regeſtum per litteras ibidem datas a menſe Julii uſque ad Februarium anni ſequentis, divulgato ejus adventu, multi ex Optimatibus, & aliqui ex Cardinalibus eum viſum abierunt. Horum comites & ſervi, a vineola Parochi, domui in qua Franciſcus jacebat continua, cohiberi non poterant, ne ad appetitum & ad ſatietatem uvas decerperent. Per avidos hujuſmodi vindemiatores, ut ſuperius prælibavi, factum eſt, ut abſque uvis remaneret. Doluit ad damnum Presbyter, ſed conqueſtus apud Virum ſanctum, interrogatur quanti æſtimaret detrimentum? Reſpondit, quatuordecim menſuras quotannis ſe collegiſſe ad ſufficiens ſuæ domus miniſterium. Addit bonus hoſpes, ſatis ſibi diſplicere, adventum ſuum damnum hoc ſuperinduxiſſe; attamen a Domino ſperandum jacturæ remedium, quem firmiter inquit, credo, ultra illas quatuordecim menſuras, alias additurum ex paucis illis, qui ſuperſunt, racemis. Quam bonus Iſrael Deus his qui recto ſunt corde probavit bonus ille Sacerdos, dum ex diſſipata vinea, juxta verbum Prophetæ, viginti collegerit menſuras, ex qua nunquam antea ultra quatuordecim accepit.

An. 1217. n. 18.

Reparat damnū hoſpiti illatum.

II. Acceſſit tandem Franciſcus ad Civitatem, honorificentius, quam vellet, receptus a Pontificiis, hoſpitium admiſit in domo cujuſdam devoti Civis, dicti Thedaldi Saraceni, in qua dolorum variis oppreſſus moleſtiis, languidulus jacebat, deſiderabatque, ad jucunditatem ſpiritus excitandam, alicujus muſici inſtrumenti melos audire. Dum vero honeſtatis decentia id fieri per miniſterium non pateretur humanum, affuit Angelorum obſequium ad Viri ſancti placitum adimplendum. Nocte etenim quadam, vigilante ipſo, & meditante de Domino, repente inſonuit cithara quædam harmoniæ mirabilis, & ſuaviſſimæ melodiæ. Non videbatur aliquis, ſed tranſitum & reditum citharœdi ipſa hinc inde auditus volubilitas innuebat. Spiritu in Deum directo, tanta fuit in illo dulciſono carmine ſuavitate perfuſus, ut aliud ſe putaret ſeculum commutaſſe. Hoc & Fratres ſibi familiares non latuit, qui per certa frequenter conſpiciebant indicia eum tam exceſſivis & crebris conſolationibus a Domino viſitari, ut nec ipſas omnino occultare valeret.

Marian. cap. 26. Bonav. cap. 5.

Pulſat ei citharam Angelus.

III. Nihilo melius hic ſe habens, abiit ad eremitorium fontis Columbæ, ſecundo ab illa Urbe lapide, ubi cum conſilium daretur a Medicis, & inſtanter ſuaderetur a Fratribus, ut pateretur ſibi per remedium ſubvenire cocturæ, humiliter vir Dei aſſenſit, quia ſalutiferum hoc ſimul & aſperum eſſe cernebat. Vocatus itaque venit Chirurgus inſtrumentum ferreum igni ſubmittens ad faciendam cocturam. At Chriſti ſervus corpus jam horrore concuſſum confortans, ſicut amicum cœpit ignem alloqui, dicens: Mi frater ignis, præ ceteris rebus æmulandi decoris virtuoſum, pulchrum, & utilem te creavit Altiſsimus, eſto mihi hac hora propitius, eſto curialis. Precor magnum Dominum, qui te creavit, ut tuum mihi calorem temperet, quo ſuaviter urentem valeam ſuſtinere. Oratione finita, contra igne candeſcens ferreum inſtrumentum ſignum crucis edidit, ac deinceps intrepidus perſiſtebat. Profundatum eſt crepitans ferrum in tenera carne, & ab aure uſque ad ſupercilium coctura protracta, quantum irrogaverit ignis ille dolorem, Vir ipſe ſanctus expreſſit. Laudate, inquit ad Fratres, Altiſsimum, quia vere dico vobis, nec ignis ardorem ſenſi, nec carnis ullum dolorem: & converſus ad Medicum, ſi non eſt, inquit, caro bene decocta, imprime iterum. Expertus Medicus in invalida carne virtutem ſpiritus tam potentem miratus eſt, & di-

Indidem.

Non ſenſit ignis aduſtionem.

Digitized by Google

& divinum hoc miraculum extulit, dicens: Dico vobis, Fratres, vidi mirabilia hodie. Quia enim ad tantam devenerat puritatem, ut caro ſpiritui, & ſpiritus Deo harmonia mirabili concordarent, divina ordinatione fiebat, ut creatura Creatori ſuo deſerviens, voluntati, & imperio ejus mirabiliter ſubjaceret. Refert Legenda antiqua maximopere deſideraſſe Virum ſanctum Eliæ, Reate tunc apud Pontificem res Ordinis agentis, præſentiam; officioſe enim & peramanter in ſuis infirmitatibus, medicinisque admovendis ei aſsiſtebat, & veluti mater confovebat, nihil pietatis aut religioſi prætermittens obſequii, ſed ob temporis brevitatem non potuit vocari. Ceteri qui tunc aderant ſocii, præ compaſsione & horrore ferri candentis amantiſsimo Patri applicandi, e cubiculo exierunt, non valentes intereſſe ſpectaculo. Solis itaque remanentibus cum ipſo Medico & Chirurgo, redeuntes Fratres leniter corripuit, dicens: Puſillanimes, & modicæ fidei, quare fugiſtis? Nonne poterat ille temperare mihi fratris ignis ardorem, qui Babylonicos pueros inter ipſas flammas ſervavit illæſos? *Legen. antiq.* *Dan. 3.*

IV. Redeunte altero die eodem Medico, & narrante cujuſdam Vetulæ inediam, quæ ad ſe quidquam acceptura pervenerat, Vir ſanctus vocato Guardiano dixit: Frater mi, reſtituamus alienum hoc, mantellum intellexit, quod ego retinebam, donec æquioris tituli poſſeſſor appareret. Jam apparuit pauperrima quædam ſoror noſtra, ad quam, rogo, ut mittas hoc meum palliolum, cum quibuſdam panibus ex eleemoſyna collectis, quæ dum Fratres portaverint, dicant; quod ſuum erat ſibi dari; reputo enim quæ nobis conferuntur in noſtrum cedere uſum, donec indigentior ſupervenerit. Fecit itaque Guardianus, ne ſanctum Virum contriſtaret, ſed ei cogitandum erat quomodo pallium alterum, & tunicam, quam ſimiliter ſanctus Pater alii tranſmiſerat pauperi, conquireret. De his cogitanti inopinate occurrit ad Cœnobioli januam, qui ex Civitate tranſmiſſas a quibuſdam ex Pontificiis deſerebat tot panni ulnas, quot ſancto Patri, & ceteris incolis veſtiendis ſufficiebant. *Legen. 3. ſocior. Marian. cit.* Mittit veſtes ſuas pauperibus.

V. Idem ſuadebat Medicus, ut abſtineret a lacrymis, quas continuo pro abſtergendis effundebat peccatis, niſi extremam vellet incurrere oculorum jacturam. Cui Vir ſanctus reſpondit: Non eſt, frater Medice, ob amorem luminis, quod habemus commune cum muſcis, viſitatio lucis æternæ repellenda vel modicum; quia non ſpiritus propter carnem, ſed caro propter ſpiritum beneficium lucis accepit. Malebat ſiquidem corporalis viſus lumen amittere quam lacrymas, quibus oculus mundatur interior, ut Deum videre valeat, quam repreſſa devotione ſpiritus impedire. Etiam infirmis oculis lacrymabatur. *Bonav. cap. 5. Legen. antiq.*

VI. Juſſit ſemel ut Fratres Medicum hunc ducerent ad prandium, quibus ſuam objicientibus paupertatem, neque quidquam tanto homine, erat enim dives valde, & magnæ opinionis in Urbe, ſe dignum habere; inquit Vir ſanctus, ipſo hoſpite præſente. Modicæ fidei, quare dubitaſtis, nec obedientiæ amplius tribuiſtis? Abite, ducite fratrem, & dominum noſtrum Medicum in triclinium. Illis abeuntibus, & pio hoſpite tenue prandiolum ob Fratrum devotionem admittente, ecce ipſa hora, qua ad pauperem ſedebant refectionem, ad oſtium pulſatur. Dum accurrit Oſtiarius, invenit mulierem in caniſtro portantem bene condita cibaria, quæ ad Dei Virum mittebat quædam heroina e quodam Caſtro ultra ſex milliaria diſtante. Ille ad ſe allata juſſit hoſpiti apponi, & dici Dominum de ſuis curam egiſſe. Prorſus ita credidit Medicus, Fratribus ſubjun- *Marian. cit.* Hoſpitem inopinato reficit prandio.

ſubjungens: Fratres mei, neque nos hujus Viri ſanctitatem aſſequimur, neque voſmet, qui cum eo converſamini, plene penetraſtis quantum virtutis lateat in homine.

Bonav. cap. 7. Marian. cit.

Medici obſequium miro modo compenſat.

VII. Sedulo curam ſancti Patris agebat bonus hic Vir, frequentiſſime eum inviſens, & de ſuis expenſis pharmaca miniſtrans. Cum autem Chriſti ſervus impotens eſſet ad rependendam mercedem labori condignam, liberaliſſimus Deus, ne ipſum ſine præſenti remuneratione dimitteret, pium ejus obſequium hoc ſingulari beneficio vice pauperis compenſavit. Hujus enim Medici domus, quam tunc temporis ex omni lucro ſuo de novo conſtruxerat, parietum patula ſciſsione e ſummo uſque deorſum, adeo de proximo minabatur ruinam, quod non videbatur per humanæ artis induſtriam poſsibile ipſius caſui obviare. Ipſe vero de ſancti Viri meritis plene confidens, cum magnæ fidei devotione petivit a Sociis ejus aliquid ſibi concedi, quod idem Vir Dei manibus contrectaſſet. Cum igitur modicum de capillis ipſius multa precum obtentum inſtantia poſuiſſet de ſero intra muri ſciſſuram, mane conſurgens tanta invenit aperturam illam ſoliditate concluſam, ut nec reliquias ibi poſitas poſſet extrahere, nec ſciſſuræ prioris veſtigium aliquod invenire. Factumque eſt, ut qui ruinoſo corpuſculo ſervi Dei ſedulo miniſtraret, ruituræ domus propriæ pericula præcaveret.

Legen. antiq. Bonav. cap. 11.

Sanat lubricum, ſed mala prophetizat, ſi revertatur ad vomitum.

VIII. Rediit ſanctus Pater poſt aliquot dies in Urbem Reatinam, decumbebatque in Epiſcopio, ad quem Præbendarius quidam nomine Gedeon, lubricus & mundanus, infirmitate gravi correptus lectulo decubans, cum ad eum fuiſſet delatus, lacrymoſe rogabat cum ſimul aſtantibus, ut ab ipſo crucis ſignaculo ſignaretur. Ad quem ille: Cum vixeris olim ſecundum deſideria carnis, non veritus judicia Dei, quomodo te cruce ſignabo? Verum propter devotas intercedentium preces ſigno te crucis ſignabo in nomine Domini. Tu tamen ſcito, te graviora paſſurum, ſi ad vomitum redieris, liberatus. Propter enim peccatum ingratitudinis ſemper pejora prioribus inferuntur. Signo itaque crucis ſuper eum facto, ſtatim qui contractus jacuerat, ſurrexit ſanus, & in laudem Dei prorumpens; ego, inquit, ſum liberatus. Inſonuerunt autem oſſa renum ejus, audientibus cunctis, veluti cum manu ligna ſicca franguntur. Paucis autem interlapſis temporibus, Dei oblitus, corpus impudicitiæ reddidit. Cumque ſero quodam cœnaſſet in domo cujuſdam Canonici, noctеque illa dormiret ibidem, ſubito ſuper omnes corruit tectum domus. Ceteris autem evadentibus mortem, ſolus ille miſer interceptus atque interemptus eſt. Juſto igitur Dei judicio *facta ſunt noviſſima hominis illius pejora prioribus*, propter ingratitudinis vitium, Deique contemptum, cum de accepta venia gratum eſſe oporteat, & duplo diſpliceat flagitium iteratum.

Luc. 11. 26.

Legen. 3. ſocior. Legen. Greg. IX.

Liberat fratrem quemdam a Dæmonis inſidiis.

IX. Mitigatis hic aliquantulum doloribus, fecit pius Pater ſe evehi per Caſtella & Oppida, ut animas Chriſto lucrifaceret. Umbriam, confineſque terminos, & loca quædam regni Neapolitani percurrenti, in loco Pennenſi venit veniam petiturus quidam adoleſcens, bonæ, ut videbatur, indolis, & expectationis, qui ab Ordine receſſit, ſeductus a Diabolo, promittens ſibi, ſui juris facto, majus virtutis incrementum. Ad ejus conſpectum aufugit Vir ſanctus, clauſo ſuper ſe cellulæ oſtiolo. Admirantibus Fratribus, in publicum poſtea prodiens dixit: Ne miremini Fratres, quod fugerim, vidi enim, juvenem hunc peſſimum habuiſſe ſeſſorem, & voluntatis aurigam, horribiliſsimum Diabolum, qui a Religio-

Digitized by Google

gione ſeductum ducere conabatur ad præcipitium, fateor vobis, me ejus conſpectum ferre non potuiſſe, atque proinde fugam arripuiſſe. Oravi, qua potui inſtantia, pro miſello, ut tali liberaretur ſeductore; conceſſitque mihi Dominus, quod petivi. Vocatum itaque ad ſe adoleſcentem, totius rei monuit, hortatuſque eſt, ut ſibi deinceps a Dæmonis caveret inſidiis, nec amplius a ſuis Fratribus ſeparari contingeret, alias in certum, quod jam Dei miſericordia evaſit, ducendum eſſe præcipitium. Salutaribus conſiliis ille acquievit, & reliquum vitæ tempus religioſe ſub diſciplina regulari tranſegit.

In alio illius Religionis loco invenit ex ſuis ſectatoribus unum nimia conſcientiæ infirmitate, & continuis ſcrupulis fluctuantem. Vocatum ad ſe Vir ſanctus paterne repræhendit, quod majori animi conſtantia, & conſcientiæ ſerenitate non contempſerit Diaboli ſuggeſtiones, & callidas artes, quibus eum nitebatur turbare. Juſſit itaque ut nihili cuncta illa, quæ ſcrupulos illos nimios ingerebant, æſtimaret, neque ita cruciaretur in iis confitendis, excuteretque ruborem, quo perfundebatur, quando illa nunc huic, nunc illi aperiebat Sacerdoti. Imo, inquit illi, niſi vere his inanibus, & importunis ſuggeſtionibus aliquatenus conſenſeris, ad conſcientiæ quietem duxerim, & tibi dixerim, ut nullas amplius confitearis. Multorum ſane prudentum & doctorum virorum eſt hæc doctrina pro liberandis infirmis conſcientiis ab importunis & moleſtis ſcrupulis, qui hominem totum occupant, & ad Chriſtianæ pietatis officia reddunt ineptum. Sanum & ſalutare expertus eſt illud eſſe conſilium Religioſus hic, nam parvi pendendo, neque tremule, ut ſolebat, quidpiam horum amplius confitendo, liberavit ſe ab onere gravi; quo moleſtius aliud nullum, multi pii viri diuturno experti ſunt tempore.

Legen. antiq. Marian. cit.

Quomodo cujuſdam curavit ſcrupulos.

X. Inter Marſorum populos in Latio, cum ad Celanum Oppidum, populi frequentia & opibus nobile, dominii nobiliſſimæ familiæ Ciborum Genuenſium, Vir ſanctus in hac excurſione prædicaturus cum ſocio veniret, miles quidam ſupplici eum devotione, cum inſtantia magna, invitavit ad prandium; venit itaque ad militis domum, omniſque familia pauperum hoſpitum exultavit in ingreſſu. Ante vero quam cibum ſumerent, juxta ſolitum morem, Vir mente devotus, offerens Deo preces & laudes, oculis ſtabat elevatis in cœlum. Oratione completa, benignum hoſpitem familiariter advocatum in partem, ſic alloquutus eſt: Ecce frater hoſpes, tuis victus precibus, ut manducarem, domum tuam intravi: meis nunc cito monitis acquieſce, quoniam non hic, ſed alibi manducabis: confitere nunc peccata tua, veræ pœnitentiæ dolore contritus, nec in te remaneat quidquam quod veridica confeſſione non pandas. Reddet tibi Dominus hodie vicem, quoniam tanta devotione ſuos pauperes ſuſcepiſti. Acquievit continuo Vir ille ſermonibus Sancti, ſocioque ipſius univerſa peccata in confeſſione detegens, diſpoſuit domum ſuam, & ad mortem ſuſcipiendam ſe, quantum valuit, præparavit. Intraverunt tandem menſam, & incipientibus aliis manducare, hoſpes ſubito ſpiritum exhalavit, juxta verbum hominis Dei, repentina morte ſublatus. Sicque factum eſt, hoſpitalitatis gratia promerente, ut juxta verbum veritatis *Prophetam recipiens, mercedem Prophetæ acciperet*, dum per ſancti Viri prænunciationem propheticam, miles ille devotus ſibi contra mortem inopinatam providit, quatenus armis pœnitentiæ præmunitus perpetuam damnationem evaderet, & in æterna tabernacula introiret.

Legen. antiq. Marian. c. 11.

Hoſpitem ſuum prædicit moriturum.

Matth. 10. v. 41.

Digitized by Google

Legen. antiq. Legen. Greg. IX.

Pauperculæ mulieri ſuas, & ſocii veſtes largitur.

XI. In hoc eodem Oppido acceſſit ad eum paupercula quædam ferme integro nudo corpore, ſuam inediam repræſentans, & petens aliquid, quo poſſet operiri; ſtatim Vir ſanctus mantellum ſuum obtulit, dicens, ut quantocius vadat & curet ex eo ſibi tunicam, vel veſtem conſui. Reſpondenti, palliolum illud non ſufficere, dedit etiam & ſocii, inquiens: Frater, ut hujus cooperiatur nuditas, ſufferamus aliquantulum temporis algorem: non eſt verorum pauperum adeo pannis interioribus, & exterioribus calefieri, dum præ oculis habent, quibus præ nimia paupertate non licet carnem ſuam cooperire. Tunc etiam repente ſanavit nanum quemdam, nomine Albertum adeo corpore contractum, ut nullo modo caput poſſet erigere. Pluviam item petentibus miraculoſe obtinuit, & quaxantes ranas, dum prædicabat, a rumore compeſcuit.

Plura miracula patrat Celani.

Legen. antiq. Marian. c. 7.

XII. Tandem in reditu ad Apennini montis radices in Oppidulo quodam ſupra civitatem Nuceriæ, intumuit pedibus, & excreſcentibus ſuccumbere oportuit doloribus. Timentes autem Aſſiſiates, ne apud exteros moreretur, miſerunt ex Senatu quoſdam cum militibus, qui eum domum reducerent. Hi cum redirent, Virum Dei comitantes, ad humile Oppidum comitatus Aſſiſii, nomine Sartianum, devenerunt, ubi ad prandii horam requieverunt. Nihil erat in Oppidulo venale, quo veſci potuiſſent, nec quidquam, duplo oblato denario, a pauperibus agricolis poterant extorquere. Conqueſtis de hoc apud Virum ſanctum dixit: ideo nihil inveniſtis, quia plus in muſcis veſtris, quam in Domino confiditis; muſcas nempe denarios vocavit. Sed revertimini, ait, per domos quas circuiſtis, & amorem Dei offerentes pro pretio, humiliter eleemoſynam poſtulate. Nec falſa id æſtimatione verecundum putetis, aut vile, quoniam univerſa in eleemoſynam, poſt peccatum, dignis, & indignis eleemosynarius ille magnus largiflua pietate conceſſit. Deponunt erubeſcentiam milites, & eleemoſynam ſponte petentes, plura pro Dei amore, quam denariis, emunt. Siquidem divino nutu corde compuncti pauperes Incolæ, non ſolum ſua, ſed & ſeipſos liberaliter obtulerunt. Sicque factum eſt ut inopiam, quam pecunia relevare non poterant, Franciſci pauperies opulenta suppleret.

Plus obtinetur mendicando quã emendo.

Leg. 3. Socior.

Providetur Fráciſcus inopinate de piſcibus.

XIII. Ductus in Epiſcopium, ibi per multos jacuit dies, ſollicite devoto Antiſtite omnia miniſtrante. Quodam autem die cibos faſtidiens, dixit ſolum ſe ſenſiſſe appetitum ſquali piſcis manducandi. Non prius dixit, quam ingrederetur nuncius Miniſtri Reatini fr. Gerardi, afferens tres hujus ſpeciei piſces magnos, & paſtillum pulpamenti gammarorum ſpeciebus aromaticis conditi, per quod experti ſunt ſocii providam Dei circa ſuos curam, qui hæc quæ aſpera tunc hyeme videbantur non adeo inventu facilia ad ſancti Viri deſiderium fecit, ut eſſent in promptu.

Surius c. 17. Legen. MS. c. 2.

Cantic. 2. 15.

Sanctus Antonius magno cum fructu prædicat in Gallia.

XIV. Hoc anno magno cum fructu prædicavit in Gallia, præcipue in partibus Toloſanis, Franciſci diſcipulus Antonius, cui præcipuum ſemper ſtudium & conatus erat perpetuus, ut perniciosiſſimas *vulpeculas quæ demoliuntur vineam Domini Sabaoth*, nempe hæreticos peſtilentes, & falſas eorum doctrinas pro viribus oppugnaret, funditus deſtrueret, ac radicitus extirparet. Adeo inſtructus erat efficacibus ſcripturæ divinæ ſententiis, & ſolidis ac perſpicuis rationibus, ut qui nefanda eſſent hæreſi imbuti, coram illo conſiſtere, aut os aperire non auderent: itaut ad illum quoque pertinere videretur, quod Dominus promiſit diſcipulis ſuis: *Ego dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes adverſarii veſtri*. Detegebat mirum in modum hæreticorum fraudes

Lucæ 21. v. 15.

des & verſutias, conatus retardabat, errores abominandos cum multa vituperatione traducebat, nec facile quemquam ea tempeſtate uſpiam invenire licuiſſet, qui tam acriter & perpetuo illos inſectaretur, tamque continuam perſecutionis procellam illis excitaret. Unde factum eſt, ut paſſim ab omnibus *indefeſſus hæreticorum malleus* diceretur.

XV. Nec ſine fructu fuit labor Viri Dei pleriſque hæreticis cum ipſorum fautoribus ad veritatem & obedientiam ſanctæ matris Eccleſiæ revertentibus. Apud Biturices, ut auctor eſt Petrus Roſſetus Pariſienſis vetuſtus auctor, qui ante CXL. annos egregium de hoc poëma ſcripſit Pariſiis inter alia ejus opera excuſum anno MDXIV., quod tamen alii Toloſæ, alii item alibi eveniſſe volunt) dum in diſputationem acerrimam de ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento, Vir ſanctus incidiſſet cum hebræo quodam, nomine Guialdo, jam pene vicerat hominem, parumque aberat, quin ille catholicæ veritati accederet, cum poſt multa & varia, per quæ elabi nitebatur, argumenta, in hæc ille verba prorupit. Miſſa faciamus verba, & ad res veniamus. Si tu miraculo teſtatum efficere potueris, in Euchariſtia verum haberi Corpus Chriſti, omni perfidia abjurata, mox cervicem meam catholicæ fidei jugo ſubmittam. Reſpondit Vir Dei cum multa fiducia; Confido in Chriſto Salvatore, me pro tui & aliorum converſione, id quod poſtulas ab ejus miſericordia impetraturum. Tum ſurgens hæreticus, & manu ſilentium indicens, ait: Ego jumentum quoddam triduana inedia macerabo; poſt triduum vero producam illud in populi conſpectum, & paratas eſcas oſtendam illi, tuque ex adverſo ſtabis cum tuo illo, ut dicis, Corpore Domini; ſi jumentum poſthabito pabulo ſuo properaverit ad adorandum Deum ſuum, eccleſiaſticæ fidei totus accedam. Aſſenſit his Vir Dei abſque mora, jamque dies præfixus aderat, & in plateam latiſſimam undique fiebat hominum concurſus. Adeſt etiam Vir Dei Antonius, ingenti Catholicorum frequentia ſtipatus; nec abeſt hæreticus cum nequiſſima ſuorum caterva. Prope aderat Sacellum, in quod Vir ſanctus ingreſſus cum multa devotione obtulit Miſſæ Sacrificium: eo peracto egreditur ad populum cum ſumma reverentia geſtans Corpus Domini. Producitur e conclavi mulus bene famelicus, congruumque illi pabulum offertur. Tum imperato ſilentio Vir Dei, cum multa fiducia, bruto illi animanti ita dixit; in virtute & nomine Creatoris tui, quem in manibus, licet indignus, revera teneo, tibi præcipio, ut confeſtim humiliter huc accedas, & eam, quam par eſt, illi præſtes reverentiam; ut hinc perſpicue intelligat perverſitas hæreticorum, omnem creaturam ſuo ſubdi Creatori, quem dignitas Sacerdotalis in altari contrectat. Necdum Chriſti Servus dicendi finem fecerat; & ecce jumentum illud, neglecto pabulo, uſque ad poplites, ſubmiſſo capite, acceſſit, & coram illo vivifico Corporis Chriſti Sacramento genu curvavit. Mox immenſo gaudio exultant Catholici, hæretici animi dolore contrahuntur. Laudatur & benedicitur præpotens Deus, fides catholica extollitur, hæretica pravitas pudore, & opprobrio afficitur ſempiterno. Hæreſiarcha autem ille, coram omnibus abjurata perfidia, ſanctæ Eccleſiæ mandatis deinceps paruit, & tractis poſt ſe ad Chriſtum parentibus, inſignem Eccleſiam in ſancti Petri honorem extruxit, aliamque minorem non longe ab illa ædificarunt ejus Nepotes, ad cujus fores in petra miraculi ſeriem vel memoriam ſculpi fecerunt, ut polito hoc carmine prænominatus cecinit Roſſetus.

Petr. Roſſet. Sar. cit. Marc. lib. 5. c. 19.

Magno prodigio oſtendit Corpus Chriſti in Euchariſtia.

—— Sacris tandem ſe fontibus ipſum
Et natos jubet, & pariter cum conjuge natas
Luſtrari, totamque domum ſervire tonanti:

Paucis interpoſitis

Sumptibus immenſis Petro ſublimia Templa
Condidit, æthereas tangunt quæ vertice nubes.
Non procul hinc Templum exiguum poſuere Nepotes
Et celſo ſtatuere loco ſpirantia ſigna.
In foribus ſtat equus, ſupplex ante ora dicati
Corporis effigies cultus monumenta verendi:
Illi ſpreta fero calathis portatur avena.

Leg. MS. c. 10. & 11. Sur. c.7.

XVI. Plures alios, præter hunc, hæreticos, & hæreſum magiſtros ad fidem veram reduxiſſe tum in partibus Toloſanis, tum Mediolani, tum aliis in locis Italiæ referunt ejus vitæ Scriptores. Dei nutu quondam Ariminum Romanulæ nobilem urbem pervenit, ubi cum multos cerneret hæreſi correptos; mox, totius Oppidi convocato populo, ferventi ſpiritu ad eos concionari cœpit, verſutaque hæreticorum dogmata luculenter confutavit. Eas autem in auditorum pectoribus efficax ſermo, & doctrina ſalutaris fixit radices, ut profligatis tetris erroribus, non pauci ad fidei integritatem ſint reducti. In quibus etiam Bonivillum hæreſiarcham, quem triginta annis errorum tenebræ obcœcaverant, ad ſanitatem revocavit; effecitque, ut uſque ad mortem Eccleſiæ mandatis ſteterit devotus.

Multos hæreticos convertit.

Specul. S. Franc. par. 2. c. 52. Leg. MS. c. 1. Marc. c. 18.

XVII. Ibi tunc accidiſſe prodigioſum illud miraculum de piſcium confluxu ad verbum Dei audiendum ſcribunt plures; nam cum hæretici, quibus reducendis laborabat, eum contemnentes audire nollent, ad alveum fluminis, quod Civitati adlabitur, ad ipſum maris oſtium convocatis hominibus, convocavit etiam & piſces dicens: Audite verbum Domini piſces maris & fluminis, adeſte, auſcultate quod duri homines audire contemnunt. Miro ordine compoſitis ſtationibus pro ſuis qualitatibus, variis ſpeciebus & corporum menſuris in ictu oculi apparuerunt piſces innumeri, elevatis extra aquam capitibus, minoribus propius, majoribus longius immobiliter hærentibus in undis, ad concionem excipiendam parati. Expoſuit ille e ſacra ſcriptura plura eis exhibita Creatoris beneficia, qui vaſtum, & nobile eis elementum ſignavit in habitaculum, qui plura eis præparavit refugia contra tempeſtatum incommoda, & ſupervenientia pericula; qui claram & diaphanam fecit aquam, ut quo eundum eſſet, viderent; qui de eſcis providit neceſſariis, qui in diluvio, ceteris animantibus pereuntibus, illæſos ſervavit; qui privilegiis inſuper eos multis honoravit: nam & fugientem Prophetam ſuo vehi carcere ad deſtinatum locum per piſcem fecit, per eos ſimiliter ſuæ occurrit paupertati, cenſum ſolvens pro ſe & Apoſtolorum Principe ex advecto per piſcem numiſmate; ſed & poſt breve tempus aſcenſurus ad Patrem, ex piſcibus voluit manducare, reſurrectionem, & humanitatem hinc veram eſſe demonſtrans. Propter hæc & alia multa, quam tenerentur gratiis ſolvendis Creatori, magna dixit energia. Illi, veluti rationalia animalia, applaudentes rationibus, & capita moventes cuncta, ſe percipere videbantur oſtendere, nec concione finita, recedere voluerunt, niſi benedictione obtenta. Adhæc obſtupentibus hæreticis, efficacius dixit, nec deſtitit donec, abjurata hæreſi, præcipui ſectarii ſe catholicæ religioni aſſererent.

Prædicat piſcibus.

Jonæ 2. Matth. 17.

XVIII. Mul-

Digitized by Google

XVIII. Multa hujus generis miracula in alia tempora differimus, id modo dixerim de uberrimo fructu ejus ſermonum, quod odia inexplicabilia, & implacabiles inimicitias extinxerit; quod multos diuturna captivitate miſeros libertati reſtituerit; quod res alienas per uſuras & nefariam vim ereptas reſtituendas curaverit. Reddebantur pignora, remittebantur debita, in variis negotiis conſilia a Viro Dei expetebantur, & promittebant omnes ſe ſtaturos arbitrio illius. Compeſcebantur ſcorta a flagitioſo concubitu; fures & inſignes prædones retrahebantur a contrectione rei alienæ: & hunc in modum quadrageſimam quamdam Patavii feliciſſime exigens, gratam Domino meſſem ſollicitus adduxit. In tanta autem undique concurrentium turba id fuit admiratione dignum, quod nullus ſeſe comprimentium clamor audiebatur, nulla cernebatur diſſolutio, riſus nullus, nullæ voces percipiebantur, nulli infantium vagitus, quibus vel parum ejus conciones interpellarentur. Stabant omnes arrectis auribus, intentiſſimis perpetuo in Virum Dei oculis, ſine ullo tædio cum multa devotione eum ſuſtinentes, perinde ac ſi non homo, ſed Angelus lapſus e ſummo cœlo, ad illos concionaretur. Neque id mirum, quandoquidem tanta illum Dominus gratia perfuderat, ut lingua facundiſſima, voce clariſſima, ſua verba, inſtar tubæ cujuſdam, expromens ab omnibus & audiretur & intelligeretur.

Surius c.13.

Quantus prædicationis S. Antonii fructus.

Quantus auditorum concurſus.

XIX. Neque id admiratione vacat, cum in longinqua regione natus & educatus multo tempore fuiſſet, quod italico idiomate adeo polite potuit, quæ voluit pronunciare, ac ſi extra Italiam nunquam poſuiſſet pedem. Tantam vero utriuſque ſexus multitudinem ad confitenda peccata ſua remiſit, ut nec Fratres, nec alii Sacerdotes, qui non pauci eum comitabantur, illis audiendis ſufficerent. Dicebant autem qui ad agendam pœnitentiam veniebant divino juſſu admonitos, & ad Antonium tranſmiſſos, id ſe in mandatis habere, ut per omnia ejus conſiliis parerent. Nonnulli, poſt ejus deceſſum e vita, quibuſdam Fratribus ſecretius dixerunt, beatum Antonium, ipſis dormientibus, appruiſſe, & nomina Fratrum, ad quos illos mittebat, indicaſſe. Die quodam ſancti Viri concione adeo quidam mente compunctus fuit, ut cum ad confitendum peccata ſua ex ejus conſilio ſe compararet, præ ſuſpiriis & ſingultibus nec unum poſſet verbum proferre. Cumque Vir ſanctus ei diceret, ut peccata ſua in ſcripta redigeret, eaque ſibi legenda offerret, fecit ille ut erat juſſus; ſed cum chartulam Vir Dei acciperet, ita ſcripturam omnem abolitam, & prorſus obliteratam invenit, ac ſi prorſus nihil ſcriptum fuiſſet. Cœperunt tum primum homines catervatim ſe ſe verberando, & pia cantica devote depromendo procedere: atque ea laudabilis conſuetudo a tanto auctore profecta, deinceps ſuis eſt aucta incrementis. Novi quantumvis vitæ ſancti Antonii auctor apud Surium flagellatorum originem ad eumdem Sanctum referat, Polidorum Vergilium antiquiorem facere, & ad Apoſtolorum tempora reducere. At ante ſancti Antonii tempus, non adeo clara apud Auctores memoria habetur, hujuſmodi Congregationum, aut hominum ſe in ſocietate flagellantium. Ultra centum poſt annos flagellantium ſecta pernicioſa exorta eſt, incerto Auctore, qui plures effutiebant, ſpargebantque hæreſes, de quibus Bernardus Lutzemburgus, Prateolus, Alphonſus a Caſtro ſuis de hæreſibus libris, Genebrardus ad annum MCCLXIII. & MCCCXXXV. Nauclerus anno MCCCXLVI. qui largius refert eorum in Germania incrementum. Peculiarem contra hos ſcripſit tractatum Joannes Gerſon, & condemnati fuerunt a Romanis Ponti-

Mire hortatur ad peccatorum confeſſionem.

Flagellantium origo.

Polidor. lib.7. de rerum invent.c.6

Pontificibus, præſertim Clemente VI. at devote & chriſtiane ſe flagellantes, etiam in publicis ſupplicationibus, ad peccatorum ſatisfactionem, veluti docuit Antonius, ſemper ab ejus tempore permiſit & laudavit Eccleſia.

Marian. lib. 2. c. 3. Trajicit in Siciliam. *Rodul. fol. 281. & 282.* Plura extruit Monaſteria.

XX. E Provincia trajiciens hoc anno in Italiam, jam ſecundo tempeſtuoſo mari, & vento parum ſecundo, delatus eſt in Siciliam uti ſcribit Marianus. Ibi quædam extruxit Monaſteria, veluti locorum traditio, & Fratrum fert fama. Cephaludi ſeu Cephalæ unum, ubi ultra trecentos annos perpetuo viruit cypreſſus ejus manibus plantata, ſed ob aërem inſalubrem pauci ibi commorantur Fratres; alium Noti in ameniſſimo ſitu: tertium Leontini, cui anno MCCLV. per Alexandrum IV. unita fuit ædicula ſancti Andreæ cum Eccleſia conjuncta. Narratur, quod in conſtructione Eccleſiæ magnus lapis, inverſo plauſtro, percuſſerit aurigam, & ita contriverit, ut vix oſſa cohærerent, ſed ad invocationem ſancti Franciſci mirabiliter fuit ſanitati reſtitutus. In eodem Regno in urbe Pactarum obtigit ei illud miraculum, quod cum quidam odio haberet ſanctum Virum doleretque, in pretio haberi ab Epiſcopo, ſtravit inſidias ejus honori. Invitavit eum, ut ſecum pranderet die Veneris, recumbenti autem altilem appoſuit caponem dicens, Evangelicum eſſe præceptum: *Manducate, quæ apponuntur vobis*, nec id licere Antonio tranſgredi, ac proinde omnino illum quamtumvis ſexta feria debere carnibus veſci. Ille, explicato evangelico textu, propter infirmi corporis debilitatem, avem comedit. Clam hoſpes ſtatim cum ſuis cœpit murmurare, & ad Epiſcopum perrexit, ipſius capi oſſibus fidem facturus, non adeo ſanctum eſſe hominem, velut populus cogitabat. Verſis ſtatim oſſibus in ſpinas piſcium, homo obſtupuit, obmutuitque; rediens domum ſuam, culpam detexit, veniamque popoſcit. Aliud huic ſimile miraculum ſancto obtigit Franciſco, quod nos narravimus, tomo I.

Idem fol. 280. *Luca 10. v. 7.* *Ann. 1215. n. 1. Tom. 1.*

Chron. MSS. Saxon. Amplificatur Ordo per Thuringiam.

XXI. Res Germanicæ feliciter hoc anno ſucceſſerunt: nam frater Jordanus de Yane vallis Spoletanæ Guardianus Moguntinus, quem ſuperiori anno diximus cum ſeptem Fratribus Thuringiam miſſum, ibidem Ordinem amplifice extendendo, ſolertiſſime incubuit: Fratres etenim ab eo ex Erphordia, ubi jam intra Civitatem tranſlati erant, ad regionem iſtam perluſtrandam ablegati, pluribus in locis ſunt recepti, Iſenaci, Gothæ, Northemii, Mulhuſii, quos ſubſequebatur, & nonnumquam præcedebat frater Hermannus ſacerdos novitius, concionator egregius, qui antea Iſenaci capellanus Dominorum domus Teutonicæ, Spiritus Sancti afflatu, relinquens conditionem opulentiſſimam, omnibus admirantibus, pauperculo ſe Ordini humiliter addixit, & ſuis concionibus largiſſimum ædificationis fructum ex populo reportavit. Hoc anno miſſus eſt a fratre Alberto de Piſis Miniſtro Teutoniæ, fratri Jordano, tunc Cuſtodi Thuringiæ in ſubſidium, & conſolationem frater Nicolaus de Rheno, dictus humilis, quod ea virtute ſingulariter præemineret, ſacerdos & juriſperitus. Huic fratri Nicolao occurrit frater Jordanus Cuſtos intra Gotham & Iſenacum, & cum ſe in oſculo caritatis mutuo ſalutaſſent, tum fratrem Nicolaum coram fratre Jordano cum ſilentio, & columbina quaſi ſimplicitate ſedentem, alloquitur ſocius ſuus frater Petrus de Iſenaco jucundæ hilaritatis homo, quem ejus ſimplex humilitas minime latebat, ut quid, ait, frater Nicolae, non agnoſcis Regem & Dominum noſtrum? Libenter & agnoſco, reſpondit ille, & ſervio Domino meo. Tunc Petrus: En, inquit, cui in faciem ſedes, ipſe eſt; eſt enim

Fratri Nicolai de Rheno ſimplex humilitas.

Cuſtos

Digitized by Google

Cuſtos noſter. Hiſce verbis ceu telo fixus Nicolaus, attonitus & tremens in genua ſe convolvit, & culpæ ſuæ longum quaſi catalogum texens, humiliter veniam petit, demumque litteras, ſuæ obedientiæ indices fratri Jordano Cuſtodi ſollicitæ præſentatas reddit; quibus lectis, Erphordiam mittitur, certam propediem ſententiam ibidem præſtolaturus: & poſt tres ſeptimanas miſit ei frater Jordanus Cuſtos obedientiam, ut loci iſtius ſit Guardianus, quam reverenter ſuſcipiens ait; & quid eſt quod fecit mihi Pater noſter? Cujus tanta humilitate ipſe Cuſtos eum in modum confuſus dicitur, ut infra ſex hebdomadas Erphordiam petere non auderet, imo oculos in eum convertere erubeſceret.

Additio Patris Lucæ Waddingi.

„ XXII. Circa Conventus vero Erphordienſis originem, aliqualem „ invenio diſcrepantiam; nam Chronica hæc, quæ citamus MS. Saxo- „ nica, indicant, ſub hoc anno jam translatos fuiſſe in Urbem; ſed aliæ „ ad me ex Germania miſſæ notulæ ex vetuſtis Chronicis MSS. excerptæ, „ dicunt, nonniſi hoc anno receptos Fratres in loco extra muros juxta „ Portam, quæ dicitur *Crempehentor*, & ibi moratos uſque ad tertium „ annum quo translati ſunt ad commodum locum, ſibi a Vicedominis de „ Apoldia donatum juxta fluvium Geram. Ad Chori ſiniſtram etiam- „ num ita legitur: *Chorus iſte confectus eſt, & Altare in honorem beati* „ *Joannis Baptiſtæ, & ſancti Michaelis, & omnium Angelorum, ſancti* „ *Stephani, & ſanctæ Catharinæ Virginis.*

Fratris Jacobi de Terviſio mors.

„ XXIII. Eodem hoc anno frater Jacobus de Terviſio Cuſtos Saxo- „ niæ, finita miſſa, quam infra octavam dedicationis Eccleſiæ a ſe in „ nova Magdeburgenſium Civitate, ſupra foſſas vel foveas veteris Ci- „ vitatis „ erectæ, & ab Alberto Archiepiſcopo in feſto Exaltationis Crucis conſecratæ, celebraverat, viribus cœpit repente deſtitui, & in hoſpitium Fratrum, quod in veteri Civitate penes ſancti Petri Eccleſiam habebant, delatus XII. Kalendas Octobris, vigilia ſancti Matthæi Apoſtoli obdormivit in Domino; Fratres vero vix locum aut uſum ſepulturæ habentes, habita deliberatione, Dominum Conradum Epiſcopum Hildesheimenſem convenire ſtatuunt, tunc temporis Magdeburgi agentem, inſtante jam Synodo die ſancti Mauritii inchoanda, ad quam plures quoque Epiſcopi jam confluxerant. Qui idem Hildesheimenſis Præſul fratrem Jacobum, ut patrem ſumma cum veneratione dilexerat ſemper, & omnibus ſuæ curiæ addictis ſevere injunxerat, ut ſive dormiret, ſive manducaret, ſive aliud quid ageret, & Fratres adeſſent, ſibi indicarent, & interpellare non vererentur. Quare hac ſpe firmati Fratres, eumdem accedunt, & jam dormientem excitari faciunt, & patris Jacobi mortem denunciant. Ille in lacrymas ſolutus: Ecce, inquit, hoc eſt ſomnium, quod vidi, ego veniam & ſepeliam eum: viderat enim in ſomnis mortuum quemdam albis involutum, & dictum eſſe ſibi: vade, ſolve ipſum. Funere igitur delato ad Eccleſiam Fratrum in nova Civitate, quam ipſe frater Jacobus fundaverat & dedicari fecerat ab eodem Epiſcopo, honorifice eſt ſepultus. „ Monent Chronica vetuſta MS. „ Magdeburgenſia hoc in loco novæ Civitatis Fratres per quinquennim „ permanſiſſe, & poſtea translatos ad locum ſtabilem prope latam pla- „ team veteris Civitatis. „ Fratres vero Saxoniæ animo conſternati & quaſi orphani, amiſſo amantiſſimo Patre, ſupplicaverunt Alberto de Piſis Miniſtro Teutoniæ, ut ipſis de Cuſtode dignaretur miſericorditer providere. Miniſter autem, cum in animum induceret fratrem Nicolaum Guardianum Erphordienſem illis præficere Cuſtodem, per litteras ei id mune-

Conradi Epiſcopi erga Minores amor.

Additio Patris Lucæ Waddingi.

Digitized by Google

muneris demandare non videbatur conſultum, utpote qui tanta eſſet humilitate, ut eam præfecturam minime ſuſciperet: maluit igitur ipſemet, ſuſcepto itinere, humilem Nicolaum convenire, ſi forte familiari alloquio ejus animum ad hujus officii ſarcinam ſubeundam queat inflectere. Deveniens ergo Erphordiam, adhibito fratre Jordano, cœpit loqui cum Nicolao de Saxoniæ cuſtodia ejus curæ demandanda. Ipſe vero ſe humiliter excuſante, ſeque modis omnibus inſufficientem affirmante, utpote qui etiam nec numerare ſciret, multo minus Domini aut Prælati officio fungi: tunc ſimulavit Miniſter maximam animi indignationem, & quaſi aſperioribus verbis increpans eum: neſcis ergo, ait, eſſe Dominus? Numquid igitur Domini ſumus, qui officiis in Ordine præſumus? Dic ergo, Frater mi, cito culpam tuam, qui ſervitia Ordinis Dominia & Prælaturas dixeris. Cui humiliter in terram procidenti, & culpam ſuam dicenti, Miniſter Cuſtodiam Saxoniæ in pœnitentiam dedit, quam ipſe, prout ſemper conſuevit, ſumma cum obedientia ſubivit, cujus adventus Fratres Saxoniæ maxima lætitia, & conſolatione cumulavit. Factus ergo tertius Saxoniæ Cuſtos frater Nicolaus, a priſtina humilitate minime ſibi deſiſtendum ratus, ad utenſilia, & pedes Fratrum lavandos primus fuit: & ſi cui Fratri peccanti pro pœnitentia humi ſeſſionem, aut diſciplinam injungeret, eamdem pœnitentiam cum ipſo humiliter exſolvebat: & licet humilitatem & obedientiam in omnibus ipſemet ſervarit, acerrimus tamen vindex, & ultor pertinacis inobedientiæ fuit, ut Fratrem contumacem, etiam cum pœnitentia, difficulter in gratiam reciperet: tantum malum æſtimans inobedientiam, & tantum bonum obedientiam, ut & rebus & exemplis oſtenderet, Fratres debere in omnibus ſimpliciter obedire, nihilque abſque obedientia Deo gratum eſſe.

Frater Nicolaus fit Cuſtos Saxoniæ.

XXIV. Rem miram refert ſub hoc anno Matthæus Paris de puella quadam nobili orta genere in finibus Burgundiæ, quam Parentes de poſſeſſionibus non modicis hæredem ſibi conſtituere decernentes, cuidam viro ex illuſtri proſapia genito, nuptam tradere voluerunt. Sed puella, quæ ab annis puerilibus ſtudiis fuerat liberalibus imbuta, in ſecreta cordis puritate virginitatem ſuam Deo dedicaverat, parentum clam deſerens palatium, in habitu peregrino, ut ſe liberius a paternis conſpectibus amoveret, contulit ſe ad contubernium quorumdam Fratrum de Ordine Minorum: ubi, ipſa exigente, de illius rigore Ordinis ad plenum erudita, calceamenta depoſuit, ſaccum, & cilicium induit, atque crines, in quibus luxuria regnare ſolet, deſpicabiliter præſcidit, & quibuſcumque modis potuit, naturalem, quem habebat, corporis decorem in omnem ſtuduit deformitatem transferre. Sed cum ad hæc nimis inaniter laboraſſet, dum non potuit, prohibente natura, elegantiſſimam ſui corporis diſpoſitionem, quæ in omni dimenitate videbatur quaſi incomparabilis, abſcondere, illam ſolummodo, quæ intus erat, carnis munditiam perenni Sponſo, qui in cœlis eſt, conſecrare diſpoſuit. Et hoc propoſitum, ut liberius perduceret ad effectum, ſpontaneam paupertatem elegit, officium ſanctæ prædicationis aſſumpſit, veſtium aſperitatem induit, in lecto pro ſtrato mattam, pro cervicali ſaxum habuit; atque vigiliis continuatis, & jejuniis carnem affligens, orationibus inſiſtens in rerum ſupercœleſtium contemplatione ſtuduit infatigabiliter converſari. Tamdem cum per multorum curricula annorum in omni perfectione & vitæ ſanctitate Deo placere, & Evangelium pacis per Civitates & Caſtella, & præcipue ſexui muliebri prædicare ſtuduiſſet: invidit ejus perfectioni humani

Paris anno 1225.

Mirabilis quædam puella Burgunda fit Minoriſſa.

humani generis inimicus, & per ſeptem menſes in tot, ac talibus rerum ſecularium tentationibus puellam exagitare curavit, quod niſi ei divinum adfuiſſet auxilium, omnia bona vitæ præcedentis ſtudia amiſiſſet. Reduxit namque ei ad mentem Diabolus diebus ſimul, & noctibus prædia parentum ſuorum, quæ reliquerat, fœcundiſſima, vinearum fertilium emolumenta, ſpatia pratorum amæniſſima, & florum diverſorum varietate diſtincta, fontium ſcaturientium, & rivulorum ſuaviter murmurantium oblectamenta, lignorum in nemoribus proceritatem, prolis fœcunditatem, viriles amplexus, ac veneris inter marem & fœminam delectationem, lectorum nobilium mollitiem, adſtantium joculatorum jucunditatem, annulorum & lapidum pretioſorum decorem: piſcium & volatilium, ferarumque ſilveſtrium guſtum delectabilem, & ſuavem. In his igitur tentationibus, & aliis conſimilibus, puella fere deſperata, & in diverſas meditationes inducta, utrum derelicta repeteret, an in propoſito Religionis perſeveraret, ineffabili mentis, & corporis cruciatu diebus ſingulis, & noctibus torquebatur; ſed miſerator & miſericors Dominus, qui ſperantes in ſe, ultra quam poſſunt pati, non permittit tentari, oculum puellæ reſtituit rationis, ut cerneret quanta in rebus temporalibus, & delectationibus ſupradictis curioſa ſit ſollicitudo, in carnali commixtione turpitudo, quanto res temporales ſudore acquiruntur, & cum quanto dolore amittuntur; quanta ſit coram Domino munditia virginalis, qui matrem ſuam fœcundam eſſe voluit, & in virginitate permanere diſpoſuit; quæ merces ſequitur fructum boni operis, quæ dulcedo ſit in ſtudio ſancto, ac divinæ contemplationis; quæ ſocietas civium ſupernorum, quam ſuavis ſit, & delectabilis ſanctarum refectio animarum, & regnare cum Chriſto, ubi frigiditas nullum afficit, fames & ſitis neminem affligit, ira, rixa, vana gloria, invidia, ſuperbia, accidia, avaritia, cupiditas, & ebrietas nullum premit. Hæc & his ſimilia virgo beata ſæpius mente revolvens, & inter tentationum turbines virtutum præteritarum cuſtos exiſtens, armis accincta divinis, artes Diaboli fraudulentas omnes feliciter ſuperavit, & ipſum ad tartara confuſum direxit. Tandem poſt dies paucos, cum puella præfata ab omnibus eſſet diabolicis incurſionibus penitus abſoluta, Diabolus ad eam reverſus ſalutavit illam, & dixit: Salve, inquit, Domina mea, & Deo cœlorum virgo dilectiſſima: ego vero ſum ille Satanas, qui te jam per ſeptem menſes in tot tentationes, licet inaniter induxi, ut a bono te propoſito revocarem, & in eis laqueis irretirem. Sed quoniam inanibus meis fraudulentiis a te victus defeci, hoc mihi pro pœna a Domino cœleſti inflictum eſt, ut numquam de cetero mihi liceat aliquot hominum genus tentare, vel quempiam a bonis actibus impedire. Habeo præterea mandatum a Domino, cui obedire neceſſe eſt, quodcumque mihi præceperis cum feſtinatione, ſine mora ſubire. Hæc audiens puella, ait ad Dœmonem: Conſervet me Deus a veſtro conſortio & famulatu, novit enim ille quod talem miniſtrum numquam dilexi. Et his ita geſtis contigit, puellam Civitatem quamdam ingredi, & gratia hoſpitandi domum cujuſdam matronæ ingreſſa hoſpitium poſtulans, impetravit. Veſpere autem facto juvenis quidam prædictæ matronæ filius, de negotiis conſuetis domum rediens, cum vidiſſet virginem, quam mater ejus caritative hoſpitaverat, cœpit admirari in habitu adeo deſpicabili, & faciei ſimul pallore & macie, omnium membrorum ejus naturalem diſpoſitionem, in qua opus naturæ in tantum laudavit, quod a planta pedis uſque

Valide tentatur a Dœmone.

A Domino adjuvatur.

Ei mancipatur Diabolus.

Impenſe ſollicitatur ad venerem.

uſque ad verticem in nullo deliquit, ſed ex totius corporis ſui diſpoſitione etiam generis nobilitatem evidenter expreſſit. Quid ergo? Exarſit juvenis in concupiſcentia virginis, & accedens ad eam de conſenſu carnali puellam convenit. Illa e contra juveni conſtanter, quod petiit, denegans, affirmavit ſe virginitatem ſuam ab ætate tenera Domino conſecraſſe: & præterea cum voto ſuæ Religionis & Ordinis caſtitas ſit annexa, votum refringere eſſe nefarium aſſerebat. Et his dictis receſſit, ut nocturnam caperet requiem, ubi in quodam angulo mattam ſub ſe pro ſtrato, & ſaxum pro cervicali, juxta ſui Ordinis rigorem, capiti ſupponebat. Tunc juvenis ille libidinis igne ſuccenſus, ſtatuit immutabiliter in corde ſuo, quod ſi de liberalitate a puella conſenſum obtinere

Sed mire liberatur.

nequiret, ipſe cum ea rem ageret violenter. Et veniens ad illam, expreſſit ei quod facere cogitabat. At fœmina religioſa in angaria mentis conſtituta, metuebat plurimum, ne ejus puritas virginalis per ardorem adoleſcentis in aliquo læderetur, & reducens ad mentem, quod ſibi a Diabolo dictum fuerat, quod videlicet ad nutum ejus quicquid præciperet illico adimpleret, extulit vocem, & dixit: Diabole, inquit, ubi es? Et continuo Dœmon reſpondit, dicens: Adſum Domina, quid tibi placet? Et puella: libera me, inquit, cito a nebulone iſto, qui me inquietat, ſomnum capere non permittens. Et continuo Dœmon juvenem per pedes truculenter arripiens, non ſine læſione illum longius a puella projecit. Sicque ter nocte illa, Dœmone procurante, dilecta Deo puella ab adoleſcentis ardore liberata in craſtino receſſit ab urbe, ſalva ſibi pudicitia virginali.

Conv. Londin.

Harpsfeld. ſecul. 13. c. 11. & in catalogo religioſ. ædium.

XXV. Extructæ etiam hoc anno plures Minoritarum ædes: Angliæ intra nobiliſſimæ urbis Londini mœnia, juxta novam portam, vulgo Anglico Nerogate, egregii Cœnobii fundamenta jecerunt Comes Richmundiæ, & nobiles quidam Londinenſes; auxit tamen multis poſt annis Margareta uxor ſecunda Edoardi primi Regis, complevitque Iſabella Edoardi II. uxor. In regno Neapolitano ad oppidum Iſchiæ populi communitas, vocatis ad ſe Fratribus, domicilium extruxit, quod ſubeſt Cuſtodiæ Neapolitanæ Patrum Conventualium. Item in regno Siciliæ Syracuſis circa hunc annum Fratres admiſſi. Conventus magnæ domus Venetiis Patrum Conventualium hoc anno incœptus ſub felici principatu Domini Jacobi Theupoli Ducis Venetorum digne a Bergomenſi commendati, qui Petro Ziano Duci ſucceſſit. Eccleſia magna quibus hodie utuntur, initium accepit anno MCCL., primarium jaciente lapidem die tertio Aprilis, Octaviano ſanctæ Mariæ in via lata Diacono Cardinali Apoſtolicæ Sedis Legato, aſtantibus tribus Epiſcopis. Conſecrata autem fuit anno MCCCCXCII. die XVII. Maii per Petrum de Trano Ordinis Minorum Epiſcopum Telexinum. Floruerunt in hoc Conventu plures viri graviſſimi & ſanctiſſimi, beatus Clariſſimus de Cluſia, & beatus Gentilis de Marchia, qui ſua prædicatione multos convertit ad Chriſtum, cujus oſſa Venetias translata ſunt per Dominum Marcum Cornelium, qui poſtea fuit Dux Venetiarum. Vixerunt ibidem frater Nicolaus Mutio, qui opera Divi Gregorii in epitomen redegit, & magiſter Ludovicus Donatus, ex Ordinis Generali Miniſtro, creatus Eccleſiæ Cardinalis. Poſteriori etiam hoc elapſo ſeculo claruerunt Cornelius Divus egregius concionator, & Marinus Claudus zeloſiſſimus fidei defenſor, contra hæreticam pravitatem inquiſitor.

Alii Conventus.

Chron. MS. Sicil. Rodulph. fol. 275. & 282.
Idem fol. 271.
Bergomen. in ſupplem. ad hunc annum.

Conven. Venetiarum.

XXVI. Ad hunc annum refert Joannes Jacobus Chiffletius in ſua hiſto-

Digitized by Google

ſtoria Veſontionis, exordium Conventus Minorum in illa Civitate, quæ metropolis eſt Sequanorum in Gallia. Per ea, inquit, tempora dum adhuc Seraphicus ille Franciſcus in terris ageret, ipſius Inſtituti religioſi ſectatores Civitate donati ſunt, illiſque a Senatu populoque Biſontino Templum, & percommodæ ædes erectæ, quod opus ita inter ſeſe partitĩ ſunt Cives, ut quibus ampla domi res eſſet, ii pecunias conferrent in ædificii ſumptus; ceteri fortunæ tenuioris ſuas ipſi manus, atque operam præſtarent. Hæc ex archivo civicæ domus: neque enim Franciſcanis noſtris ulla reliqua ſunt illorum temporum monumenta; quæ ipſis qua flammarum,anno MDXX., qua undarum injuria periēre: annis quippe MCCLXIII., MCCCCLVI., & MDLXX., erumpentium e ſuis alveis aquarum ea vis fuit, ut in Templum ac domeſtica cubicula illapſæ, eorum chartas omnes, ac diplomata infecerint, atque expunxerint; cujus rei fidem facit diſtichon ad quemdam domus illius parietem adſcriptum, ſexto ut minimum pede a pavimento; nam eo uſque devenerant aquæ anno illo MDLXX. tertia die Decembris: Conven. Biſontinus.

Dubit erat dubius, noſtras ſorberet an ædes
Cum tot aquas iſtam vexit ad uſque notam.

Eam Franciſcanorum domum nonnulli Sequanicarum, quidam etiam Tranſalpinarum omnium antiquiſſimam faciunt. Utut ſit ea de re, illud ſane certum, ut ex domus civicæ carthophylacio retulimus, vivente adhuc beato Franciſco, fuiſſe excitatam: qui cum anno MCCXXVI. ad cœlos emigrarit, veroque ſimile putemus, non levibus adducti conjecturis, prius Dominicanos domicilium Veſontione accepiſſe, anno MCCXXIV. quam Franciſcanos; has certe extructas ædes putamus ipſo anno MCCXXVI., aut proxime præcedenti; cum Joannes Halgrinus Biſontinæ præeſſet Eccleſiæ. „ Fulginei in Umbria Ægidius Epiſcopus hoc anno „ inchoavit Collegium Virginum ſub clauſura, quæ poſtea delegerunt „ vivere ſub prima Regula ſanctæ Claræ, cujus tum fama clarebat; & „ demum ſub Regula Urbani IV. Eccleſiam dicavit ſanctæ Catharinæ: „ primis tamen auſpiciis vocabatur Monaſterium Virginum. ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI. *Jacobil. de Epiſ. Fulgin. Monaſt. S. Cathar. Fulginei.*

XXVII. Quidam Galliarum Prælati hoc anno moleſtos ſe exibuerunt contradictores privilegii Apoſtolici, quod ſuperiori anno diximus Minoribus conceſſum, ut in altari viatico poſſent celebrare, frivolis quibuſdam interpretationibus illud enervare cupientes, contra quos epiſtolam dedit Pontifex ad Archiepiſcopum Remenſem Reate III. Kalendas Septembris, quarum initium: *In his quæ ad cultum*. Alii adhuc Prælati ſeverius dictum impugnabant privilegium, promulgantes in Fratres ipſos & hoſpites ſuos,in majorem Apoſtolicæ Sedis injuriam, excommunicationis ſententiam. Quorum temeritati ut obveniret Epiſcopus Pariſienſis jubet Pontifex, datis ad eum litteris incipientibus: *Non deberent*. Reate XIV. Kalendas Octobris; eamdem etiam injunxit provinciam Epiſcopo Tornacenſi, miſſo eodem diplomate Nonis Octobris. Pontifex ſuis litteris Minores liberat a moleſtiis.

XXVIII. Deſtinavit etiam hoc anno Pontifex quoſdam ex Prædicatoribus, & Minoribus in Miramolini regnum ad fidem veram diſſeminandam, quibus quædam privilegia conceſſit, monens ne eis abuterentur. Diploma ipſum hoc ſubjicio ex regeſto Pontificio num 99. Mittuntur Fratres ad regnum Miramolini.

Digitized by Google

Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus, & in Regno Miramolini a Sede Apoſtolica deſtinatis.

Vineæ Domini cuſtodes, licet immeriti, poſiti & cultores, neceſſe habemus in eam mittere operarios, diſtribuendo ſingulis miniſteria ſecundum virtutem, juxta quam valeant officioſius operari. Attendentes igitur, quod abnegantes vos ipſos, animas veſtras pro Chriſto ponere cupitis, ut lucri faciatis ſibi animas aliorum, eo quod nullum ſacrificium Deo conſtat eſſe acceptius, quam lucrum quærere animarum: Vos in Regnum Miramolini Sedis Apoſtolicæ tranſmittit auctoritas, ut evangelizantes illic Dominum Jeſum Chriſtum, quantum ipſe dederit, convertatis incredulos, erigatis lapſos, ſuſtentetis debiles, puſillanimes conſolemini, & fortes nihilominus confortetis. Ut autem miniſterium veſtrum confidentius exequamini, concedimus, ut in prædicta dumtaxat regione vobis liceat prædicare, baptizare Saracenos ad fidem noviter venientes, & reconciliare apoſtatas, injungere pœnitentias, & excommunicatos illos abſolvere, qui ad Sedem Apoſtolicam commode non poſſunt accedere; liceatque vobis in terra illa in eos, quos hæreticos eſſe conſtiterit, excommunicationis ſententiam promulgare. Inhibemus quoque, ne cui Chriſtiano liceat vos de terra illa ejicere violenter. Præcipimus autem vobis in virtute ſanctæ obedientiæ, ut his nullatenus præſumatis abuti, ſed tamquam inconfuſibiles operarii Jeſu Chriſti, ita irreprehenſibiliter vos geratis, quod a ſummo patre familias retributionis denarium mereamini, & nos majora vobis poſſimus committere confidenter. Datum Reate Nonis Octobris Pontificatus noſtri anno x.

Concedunrur eis privilegia.

Ejuſdem tenoris dederat jam ante anno præterito aliud diploma cuidam fratri Dominico Priori Ordinis Prædicatorum, & fratri Martino in Regnum Marrochianum deſtinatis, ſub dabis Tibure IV. Idus Junii. Habentur in regeſto Pontificio nu. 385.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Albert. de Piſis celebrat Cap.

Wadd. ad ann. 1224. n. 45.

Herbip. C. E. in Germ. magna.

Nova Topogr. in mar. rom. Ferrerii.

F. Jord. de Yane mit. in Turing. cum 7. aliis.

Wadd. ad ann. 1225. n. 21.

,, I. ANno proxime præterito Waddingus enarravit Fratrem Alber-
,, tum de Piſis Miniſtrum Teutoniæ, habito provinciali Ca-
,, pitulo Herbipoli Civitate epiſcopali Germaniæ magnæ in Franconia
,, ad Menum fluvium, inter Francfordiam, & Norimbergam, a Franc-
,, fordia XVI. in Ortum hibernum, a Norimberga XII. M. P. germani-
,, corum diſtante, totius regionis primaria; cujus Epiſcopus Franco-
,, niæ Dux appellatur, & ipſa *Wurtzburg*; expediſſe inter alios fr. Jorda-
,, num de Yane Vallis Spoletanæ Guardianum Moguntinum in Thurin-
,, giam cum ſeptem aliis Fratribus, qui VI. Novembris iter agreſſi, in
,, feſto ſancti Martini Erphordiam pervenientes, extra muros urbis in
,, domo cujuſdam ſacerdotis leproſorum, manſionem ad tempus habuere.
,, Hoc autem anno eorum profectus enarrans loca acquiſita Iſenaci, Go-
,, thæ, Northemii, Mulhuſii, enumerat; His regionis, & locorum
,, brevem deſcriptionem addere placuit.

Moguntia C. Archiepiſ. præcepit cet. Imper. elector.

,, II. Moguntia, ubi Jordanus Guardianum agebat, Maguntia
,, etiam, & Mocontiacum Latinis, *Magonza* Italis, *Mentz*, ſeu *Mautz*
,, Germanis, & *Mayence* Gallis dicitur; Civitas eſt Archiepiſcopalis
,, Germaniæ ſuperioris ad Rheni ripam citeriorem, contra Meni flumi-
,, nis oſtium, optime munita, ampla, nobilis, & academia non obſcu-
ra:

Digitized by Google

ra: cujus Archiepiſcopus ceteros Imperii Electores præcedit, pollet que non modo dominatione terrena, ſed etiam eccleſiaſtica auctoritate: media eſt inter Bingium, & Francfordiam IV. M. P. german. diſtans, Wormatia in Boream IX., a Treveris in Ortum XXII. a Praga in Occidentem LXXII. a Colonia Agrippina in phenicem XXVI.: in ea multa antiquitatis monumenta, multa Collegia, ſacræ ædes, & Clerus frequens: reſpectu vero cœli, & ſitus in Orbe eſt in longitudine gr. 29. 30. & lat. Sept. 49. 45. Ab hac igitur Urbe in Thuringiam ablegatus Jordanus cum ſociis in feſto ſancti Martini illuc pervenit, Erphordiam tenens, triginta quinque Leucis germanis a Moguntia diſtantem, in long. grad. 33. 20. & latit. arctoa grad. 50. 50.

III. Porro Thuringia Lantgraviatus titulum habet, regio optime exculpta, ut quæ intra longitudinem duodecim milliarium germanicorum, Comitatus habeat duodecim, Abbatias totidem, urbes CXLIV. ac præterea bis M. pagos, & arces CCL. Primaria ejus Civitas eſt Erphordia, *Erfurdt* Germanis, totius Germaniæ maxima ad Geram fluvium intermeantem, academia, & emporium regionis. Mons imminet excelſus, in quo arx quondam munitiſſima: in hac urbe Moguntini Antiſtitis ſuffraganeus morari ſolet: media fere inter Caſellani Haſſiæ primariam, & Miſnam Miſniæ Metropolim in Ortum ad XVII. M. P. germanicorum diſtantem: a Lipſia in Occaſum hibernum ad XIII. recedit: media quoque inter Bambergam, & Brunopolim occurrens, XVI. M. P. intervallo. Hæc ornata quondam a Clodoveo Francorum Rege, anno ſcilicet CCCCXXXVIII. magna ſæpe damna ab incendiis paſſa eſt, graſſante igne, adeo ut ſemel ſex ædificiorum millia abſumpta ſint: ſed ut fit ſemper, poſt cineres emicuit elegantior.

Thur. ſeu Lantgrav.

P. Bert. in deſcript. Saxon. fol. 309.

Erphord. Civ. prim.

Ipſa olim ornata a Clodoveo Rege.

Nova Topogr. in mart. rom. Ferrerii.

P. Bert. cit.

IV. Ab hac igitur urbe, intra quam (relicta leproſorum domo extra mœnia) hoc anno locum acceperat Jordanus, licet Haroldus titubet, ab eo Fratres ablegati ad luſtrandam regionem, eos præeunte, vel ſubſequente fratre Hermanno ſacerdote novitio, & concionatore egregio, qui ante Iſenaci capellanus Dominorum Domus Teutonicæ, Spiritu ſancto afflatus, relicta conditione opulentiſſima, pauperculo Ordini humiliter ſe addixerat, perennem Religioſi ſedem fixerunt Iſenaci, in Occidentem ab Erphordia leucis Germanicis VII. recedentis, & ad fluviolum, qui ſuperato intervallo unius leucæ cum dimidio, influit in Verrem, ſiti; Gothæ itidem in Occidentem leucis III. Northemii, *Northauſen* Incolis, in Septentrionem leucis X. cum dimidio: & Mulhuſiii, *Mulhauſon* noſtratibus, Civitatis Imperialis in eorum Leucis VIII. ad fluvium, Germanis *Unſtrut*, jacentis. Hæc in gratiam curioſitatis, comitis nihilominus pietatis, legentium adnotare placuit; ceterum de fratre Jordano recurret ſermo.

In ea locum accepit frater Jordanus.

Fr. Herm. adhuc novitius inter alios floret.

Convent. Iſenaci accipitur.

Vide inf. ad ann. 1230. *n.* 6. *&* 7.

V. Interea, cum in argumento huic anno præfixo memor & Waddingus, D. Antonium Patavinum miro cum fructu per Italiam, & Galliam prædicaſſe, nil tamen de prædicatione per Italiam, excepta Sicilia, in corpore habeat; hic prætermiſſa referre neceſſarium duxi. Miſſum fuiſſe Antonium a ſancto Patre noſtro Franciſco Vercellas ſub diſciplina celeberrimi Thomæ Abbatis S. Andreæ, Monaſterii Canonicorum Regularium ſancti Victoris Pariſienſium, ad illud ab Ugone *Seſſa* urbis Antiſtite, ob eorum exemplaritatem, regularemque obſervantiam vocatorum, ut M. Aurelius Cuſanus ſcripſit, Waddingus enarravit, eumque uno, vel altero annis tantum audiviſſe: non quidem

Wadd. in argum. ad hunc an. 1225.

S. Antonius Patavinus Vercel. ſtudens.

M. Aurel. Cuſan. ſer. 76. in Ugone n. 10. fol. 204.

„ dem quod Vercellis extra propria clauſtra fuerit; cum ab anno „ MCCXIV. ſanctus Franciſcus ab eodem Ugone ad Eccleſiam ſancti Matthæi locum habitationis obtinuiſſet, ut ſupra oſtendimus: ibi igitur „ commorans, ſtatutis horis, ad audiendum præfatum Abbatem ſe conferebat.

Hoc anno ibid. reperitur, iter habens per Gallias.

Wadd. ad ann. 1222. n. 31.

„ VI. Hoc autem anno profecturus in Gallias Vir Dei per Vercellas tranſiit, Magiſtrum, cui plurimum ſe debere agnoſcebat, inviſit, & „ Ugonem Epiſcopum reveritus, ab iis, nec non primoribus urbis rogatus, in præclariſſimo ſancti Euſebii Fano, ſacros ad populum ſermones habuit: ejus in dicendo zelum, evidentiam, ac efficaciam, cum omnibus perſuaſum, notiſſimumque ſit, utriuſque veteris, & novi Teſtamenti arcam extitiſſe prætereo: referam nihilominus ex M. Aurelio „ Cuſano ſuperius citato, inter concionandum in præfata Eccleſia D. „ Euſebii, inſigne miraculum coram cuncto populo edidiſſe: cadaver enim cujuſdam adoleſcentuli ſepulturæ tradendum, miſertus collacrymantibus illius funus, vocis imperio ad vitam revocavit. Ad tantum prodigium obſtupuere omnes, voceſque in divinas laudes extollentes benedicebant Altiſſimum, qui Servo ſuo in ædificationem ſuorum fidelium, nedum ſapientiæ cœleſtis theſauros, ſed etiam in mortem admirabile imperium contulerat, & granditate facinoris attentius „ conſiderata, eum ut hominem, cui benedixiſſet, reputabant. Hinc „ enarrante fama, apud Variſium in tractu Mediolanenſis Ducatus, ad „ levamen, & ſalubritatem ægrotorum, cujuſdam putei aquis, facta ſuper eas ſalutifero Crucis ſigno, benedixiſſe: conſimilis favoris gratiam exoptantes apud ſe, benedictionem alterius, quem in urbe habebant, putei, ab eo rogantes, obtinuerunt; tranſlata ſubinde ſiniſtris de cauſis Fratrum habitatione ad Eccleſiam ſanctæ Luciæ, vel „ ſancti Salvatoris in loco, qui dicebatur *il Mercatello* dignitati Archidiaconatus Vercellenſis adſcripto; ubi nunc devota Eccleſia ſancto Patri noſtro Franciſco, & in Conventu ad ipſam, idem præfatus puteus, „ his ultimis temporibus mearum elucubrationum viſitur; ejuſdemque „ aquæ ut ſalutiferæ, ab omnibus, ſed præſertim a febre correptis exquiruntur.

Mortuum ad vitam revocat.

Benedicit aquis putei ſicut feceerat Variſii.

Ex M. Aurel. Cuſan. ſup. cit. n. 10.

Ex eodem in Jacobo Viala. ſer. 77. n. 10. fol. 211.

Digitized by Google

ARGUMENTUM.

Jacens Aſſiſii ſuos S. Pater Franciſcus exteroſque mirum in modum inſtruit circa res divinas. Moribundo adſtant, & collacrymantur filii, quibus multa verbo, & ſcriptis ſalutaria præſcribit documenta. Mittit ad abſentes boni conſilii litteras. Futuri, vel eligendi Generalis conditiones deſcribit. Benedicit ſæpius Fratribus, & conſolatur adſtantes. Vocat ex Urbe ad funus Jacobam a Septemſoliis. Nudus in nuda poſitus humo de mundo triumphat. Sinceras & candidas ultimæ ſuæ voluntatis tabulas præſcribit. Tandem cunctis erga eum completis chriſtianæ pietatis officiis, ſanctiſſime moritur, & in fulgidæ ſtellæ ſpecie anima vehitur in Cælum, cum comitantibus aliis ex Conſodalibus, corpuſque futuræ gloriæ, omnibus mirantibus, certa præferens indicia, ſepelitur ad ſanctum Georgium. Scribit ad omnes Provincias de ejus morte fr. Elias. Sanctæ Eliſabethæ jam nuptæ recenſentur præclaræ virtutes. Prædicatoribus & Minoribus apud Miramolini Regnum prædicantibus conceditur barbam nutrire, pecunias recipere. Incheat Regnum ſuum ſanctus Ludovicus Rex Galliarum.

I. NEquaquam diminuti, ſed aucti hoc anno Viri Dei Franciſci languores, quibus compatientes Conſodales, ſed præcipue frater Elias Ordinis Vicarius, egerunt cum eo, ut ſe transferri Senas permitteret, ubi ſalubrioris aëris, & peritorum medicorum ope ſpes eſſe poſſet, ſi non recuperandæ valetudinis, ſaltim remittendæ infirmitatis. Victus filiorum precibus, ſe illuc duci conſenſit novo vere ad Aprilis initium, ubi cum languidulus jaceret, & magis magiſque cruciaretur oculorum dolore, iterum ferrum candens ab utraque aure uſque ad ſupercilia duxerunt Chirurgi nullo ejus dolore, neque fructu. *Marian. c. 27.*

II. Inviſebant eum plures, ſed præ ceteris Patres Dominicani, quibus præſens erat ſui Inſtitutoris cum Viro ſancto arcta neceſſitudo. Ex his unus interrogavit eum, quomodo intelligendus erat ille locus Ezechielis prophetæ. *Si non annunciaveris impio, ut avertatur a via ſua impia, & vivat: ipſe impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem ejus de manu tua requiram*: excuſavit ſe humiliter Vir Dei, a Doctoribus, dicens, petendum ſacræ ſcripturæ ſenſum. Inſtitit ille, ut ſuum diceret, quem ſummopere præ multis, quos conſuluit, cupiebat audire. Ita porro ſubjunxit: ſi verba hæc debent generaliter intelligi, ego illa ita cenſeo declaranda, quod ſervus Dei ſic debet vita & exemplo in ſeipſo ardere & fulgere, ut luce exempli, & lingua ſanctæ converſationis omnes impios reprehendat: ſic enim ſplendor vitæ ejus, & odor famæ ipſius annunciabit omnibus iniquitates ſuas. Cujus oppoſitum ſi fecerit, populos aut proximos ſcandalizando, divinæ ultionis non evadet judicium. Doctam hanc expoſitionem adnotavi in Opuſculis ſancti Viri conformem eſſe menti graviſſimorum Eccleſiæ Doctorum, quos ibidem recenſui. *Rodul. de Ora. S. Franc. Piſan. Conf. 12. c. 24. Ezech. 3. 18.* Egregie ſcripturam explicat. *Tom. 3. colloqu. 39.*

III. Alius ejuſdem Inſtituti ſacræ Theologiæ Doctor de quibuſdam quæſtionibus difficilibus eum interrogavit, ad quas Vir ſanctus tanta claritate doctrinæ reſpondit, ut vehementer ſtuperet vir ille peritus, & cum admiratione referret; vere Theologia ſancti Patris iſtius, puritate, & contemplatione, tamquam alis in altum ſubvecta, eſt aquila volans: noſtra vero ſcientia ventre graditur ſuper terram. Licet enim eſſet imperitus ſermone, ſcientia tamen enodabat dubia quæſtionum, & abſcondita *Bonav. cap. 11. Legen. antiq.* Alta ſancti Franciſci Theologia.

Digitized by Google

dita producebat in lucem. Nec abſonum ſi Vir ſanctus ſcripturarum a Deo intellectum acceperat; cum per imitationem Chriſti perfectam, veritatem ipſarum deſcriptam geſtaret in opere, & per ſancti Spiritus unctionem plenariam, doctorem earum apud ſe haberet in corde.

Scrupulum latentem conſcientiæ detegit.

IV. Altero die ille idem ſacræ Theologiæ Doctor dubitando perquiſivit, an verum eſſet quod referebatur de ipſo, nimirum quædam de æterna beatitudine acquirenda prædixiſſe cuidam ſuo familiari? Cui ille non ſolum ea dixiſſe aſſeruit, verum etiam quærenti alienum eventum, proprium exitum prophetando prædixit. Quod ut certius cordi ejus imprimeret, quemdam ſecretum conſcientiæ illius ſcrupulum, quem nulli viventi vir præfatus expreſſerat, & mirabiliter revelando explicuit, & ſalubriter conſulendo reſeravit. Ad quorum omnium firmitatem accidit, quod vir ille religioſus, ſicut Chriſti famulus ei prædixit, ſic finaliter conſummavit.

Legen. antiq. Piſan. Conſ. 12. cap. 23. & conſor. 16. Spec. S. Franc. 1. p. c. 10.

Præſcribit modum Monaſteria conſtruendi.

V. Tractabat tunc nobilis quidam civis Senenſis, nomine Bonaventura, de transferendo alio Fratrum Cœnobiolo ſeu Oratorio, aſſignatoque Fratribus loco conſtruendi Domicilii, Dei famulum convenit, ut quo modo fabricari vellet ab ipſo perciperet. Cui ille: pro agello, quem ad Monaſterii ſitum ſatis commodum judico, gratias tibi habemus innumeras, honoratiſſime frater, modumque fabricandi paucis oſtendam. Ex hoc fundo debent Fratres conſiderare quot jugera ſibi ſufficiunt, in hac ipſa conſideratione ad ſanctam attendentes paupertatem, quam Domino ipſis placuit vovere, in nullo violantes bonum exemplum, quod proximis decet exhibere. Qua re bene perpenſa, loci diœceſanum adeant Epiſcopum, dicentes: Domine heros quidam nobis dedit pro Dei amore, & ſalute animæ ſuæ locum aptum ad Monaſterium conſtruendum; ad vos primo recurrimus, qui Pater & Dominus eſtis animarum omnium gregis vobis commiſſi, & Patronus Paterque piiſſimus omnium Fratrum noſtrorum, qui in hoc loco modo commorantur, aut poſtea commoraturi ſunt, ut cum benedictione Dei & veſtra tuguriolum, aut Monaſterium pauperculum nobis ædificare poſſimus; Dominus enim vocavit nos in adjutorium fidei Eccleſiæ & Prælatorum & Clericorum ſanctæ Eccleſiæ: tenemur ergo ipſos quantum poſſumus diligere, honorare, & venerari. Vocantur etenim ideo Fratres Minores, quia ſicut nomine, ita & exemplo & opere præ ceteris hominibus hujus ſeculi humiles eſſe debent. Et quia ab initio meæ converſionis poſuit Dominus in ore Epiſcopi Aſſiſii verbum ſuum, ut mihi bene conſuleret, & ſapienter confortaret in ſervitio Jeſu Chriſti; propter hoc & alia multa excellentiora, quæ in Prælatis conſidero, non tantum Epiſcopos, ſed & pauperculos ſacerdotes diligere volo, & venerari, & pro dominis meis revereri. Accepta deinde benedictione & licentia Epiſcopi, vadant & faciant mitti magnam carbonariam in circuitu terræ, quam pro ædiculæ ſitu acceperunt, & pro muro bona ſepe circumdent, & circumvallent in ſignum ſanctæ paupertatis & humilitatis. Domos etiam conſtrui faciant pauperculas ex luto & lignis, & aliquas cellulas, in quibus Fratres poſſint aliquando orare & laborare ad majorem honeſtatem, & ad vitandam otioſitatem; Eccleſias etiam anguſtiores ædificare debent: nec enim ſermonum ergo, aut alia quacumque occaſione Templa ſpecioſa, aut magnæ capacitatis vel molis ædificare debent; majorem etenim humilitatem & melius exemplum populo præbebunt, cum in aliis vel alienis Eccleſiis prædicaverint. Et ſi aliquando Prælati, vel Clerici Religioſi, aut Seculares ad loca ipſorum ve-

venerint, domus paupereulæ & cellæ anguſtæ eis prædicabunt, & animas adventantium magis, quam verba compoſita ædificabunt.

VI. At licet ita humilia vellet Vir ſanctus ſuorum ædificia, nihilominus Principum, Fundatorumque beneficentia ſuperabat Fratrum vota, non ſecundum eam quam hi profitebantur, & amabant paupertatem, ſed ſecundum ſuam pietatem & magnificentiam, ſplendida, & excelſa eis extruentes Monaſteria. Quod dum frater Leo ab adventantibus hoſpitibus, præcipue Ultramontanis, acciperet, ſcire cupiens quid ſancto Inſtitutori de his videretur, ei retulit quæ audivit. Ad quem, ceteroſque circumſtantes Fratres inquit: Fratres mei audite, ex noſtris quidam modo multa & magna ædificant Cœnobia, & poſt nos venient alii Fratres noſtri, qui magnas facient domos in quibus nobiles ſeculares honorifice habitare poterunt, & tunicas ſibi facient valde bonas. Sed ſufficit in tempore illo, quod Fratres mei cuſtodiant ſe a peccatis mortalibus.

Marian. c.27. Piſan. Conf. 16. & 19.

Toleranda etiam ædificia majora.

VII. Cœpit autem tunc dictus Dominus Bonaventura ædificium ædis, quam modo inhabitant Patres Conventuales, adjutus ſubſidio aliorum Civium Senenſium, cui ultimam manum appoſuit Magiſter Fr. Franciſcus Samſon. „ Inchoatam hanc ædem anno MCCXXXVI. aſſerit Maſſiccius „ Filomatus, eoque loco præextitiſſe Eccleſiam ſancti Petri ad Ovile, „ civibus deprecantibus a Pontifice Romano Fratribus conceſſam; de „ qua re ipſum diploma ſe aſſerit vidiſſe. „ Templum autem mangnificum & amplum, quod modo proſpicitur, veteri & humili demolito, cœptum eſt anno MCCCXXVI. cujus fundationi interfuit dominus Joannes Gajetanus Cardinalis Legatus Apoſtolicus. Ante fores Eccleſiæ adeſt nobile ſepulcrum marmoreum, in quod Pius II. veniens Senas, Silvii patris oſſa ex Corſiniano Senas deferri juſſit, & Victoriæ matris ex domo Forteguerrarum, quæ jacebat ante aram, extulit; qui hic utrique parenti nobile ſepulcrum ædificari juſſit candido marmore, quod ex liguſticis montibus allatum fuit. Epitaphium vero ipſemet Pius dictavit hoc diſtichon:

Silvius hic jaceo, conjux Victoria mecum eſt.
Filius hoc clauſit marmore Papa Pius.

Conven. Senenſis.

Rodul. fol.261.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Filomat. lib. de orb. S.Franc. diſcurſ. 4.

VIII. Dum ita langueret Vir ſanctus, quidam illius urbis heros tranſmiſit ei phaſianum vivum in aucupio tunc captum, ut aliquantulum recrearetur; nam delectabatur ſupra modum ſanctus Pater in hujuſmodi animalibus, quæ vel manſuetudine, vel cantu, ſeu colorum varietate, aut aliis hujuſmodi qualitatibus eum excitare poterant ad laudes Creatoris. At volucris continuo ut Virum ſanctum audivit & vidit, tanta ei amicabilitate cohæſit, ut nullo modo pateretur ab ipſo ſejungi; nam pluribus vicibus extra locellum Fratrum in vinea poſitus, ut abiret ſi vellet, rapido ſemper curſu redibat ad Patrem: tamquam ſi ab eodem omni fuiſſet tempore educatus. Deinde cuidam collatus viro, qui ex devotione ſervum Dei viſitare ſolebat; velut ſibi moleſtum foret a pii Patris abſentari conſpectu, eſcam recuſavit omnino. Reportatus tandem ad famulum Dei, ſtatim ut conſpexit eumdem, quibuſdam hilaritatis prætenſis geſtibus, avide manducavit.

Marian. cit. Bonav. cap.8.

Phaſianus non patitur a Franciſco ſejungi.

IX. Creſcentibus doloribus, tota quadam nocte laboravit in vomitu ſanguineo, ex quo adeo debilis evaſit, ut nihil videretur ſupereſſe, quin animam efflaret. Acceſſerunt dolentes & flentes filii, & poſt alta ſuſpiria, dixerunt: Pater & præceptor optime quo in agone poſitus ſis, no-

Marian. cit. Legen. antiq.

ſtro malo & dolore videmus. Tibi ſub tantis doloribus laboranti intimo ex corde compatimur, ſed & nobis dolemus: te enim ad requiem poſt tot ærumnas & labores vocato, nos pupilli erimus abſque patre, & oves errantes abſque paſtore. Quis amplius nos ſuis ſalutaribus erudiet diſciplinis? Quis mœſtos conſolabitur? Quis infirmos conſolidabit? Sufficiebat nobis pro divitiis, & malorum omnium remedio, te videre præſentem, te audire docentem, te ſequi præeuntem. Ubi amplius te requiremus lumen oculorum noſtrorum, gloria paupertatis, laus ſimplicitatis, & honor vilitatis noſtræ? Ubi eris confortans? Ubi viam veritatis oſtendens, ubi noſtris malis compatiens? Cui nos Pater deſeris, aut cui deſolatos relinquis? In Chriſto Jeſu per evangelicam doctrinam nos genuiſti, ſed nondum plene natos abſque tuo præſidio exponis laboribus, hominum inſidiis, & vexationibus mille hoſtis communis: prævidemus enim poſt tuum diſceſſum invaſuros gregem lupos rapaces. Relinque itaque nobis memoriale tuæ doctrinæ, quam abſque præceptore jam facti obſervemus, & infunde nobis benedictionem tuam, qua ab hoſtium ſaltim muniamur inſidiis. Ad hæc elevatis oculis in filios juſſit pius Pater ad ſe vocari fratrem Benedictum de Piratro, qui ei in infirmitate hac miniſtrabat, & coram ſacra faciebat, cui ut acceſſit, ait: ſcribe, Sacerdos Dei, qualiter benedico omnibus Fratribus meis, qui modo ſunt in Religione, & qui venturi ſunt uſque in finem ſeculi. Et quoniam propter debilitatem, & moleſtas infirmitates loqui non valeo, in his tribus verbis patefacio breviter voluntatem, & intentionem meam cunctis Fratribus tam præſentibus, quam futuris; videlicet, ut Fratres ſemper ſe diligant ad invicem, ſicut ego dilexi, & diligo illos: ſemper diligant & obſervent dominam meam paupertatem; & ſemper Prælatis & Clericis ſanctæ Matris Eccleſiæ fideles & ſubjecti exiſtant. Benedicat & cuſtodiat eos Pater & Filius & Spiritus ſanctus. Amen.

Moribundo collacrymantur filii.

X. Mitigatis aliquantulum doloribus, voluit etiam abſentes ſuis litteris inſtruere; nam quotidiani Fratrum profectus etiam in lectulo dolorum ardebat deſiderio, nec aquæ multæ tribulationum poterant extinguere caritatem erga conſodales. Ad congregandos itaque in Capitulo generali tunc celebrando, ſequentes dedit epiſtolas.

In nomine ſanctæ Trinitatis, & ſummæ Unitatis Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen.

Reverendis, & multum diligendis Fratribus univerſis, Generali Miniſtro Ordinis Minorum Domino ſuo, & ceteris Miniſtris Generalibus, qui poſt eum erunt; & omnibus Miniſtris, & Cuſtodibus, & Sacerdotibus Fraternitatis ejuſdem in Chriſto humilibus; & omnibus ſimplicibus & obedientibus primis & noviſſimis; Frater Franciſcus homo vilis & caducus veſter parvulus ſervus, ſalutem in eo, qui redemit, & lavit nos in ſanguine ſuo, Dominus Jeſus Chriſtus Altiſſimus Filius, nomen illi, qui eſt benedictus in ſæcula. Amen.

Audite domini, Filii & Fratres mei, auribus percipite verba mea. Inclinate aures cordis veſtri, & obedite voci Filii Dei; ſervate in toto corde veſtro mandata ejus, & conſilia ejus perfecta mente implete. Confitemini ei, quoniam bonus, & exaltate eum in operibus veſtris. Tamquam filius ſe nobis offert Dominus Deus. Deprecor itaque omnes Fratres cum oſculo pedum, & cum caritate, qua poſſum, ut omnem reverentiam & omnem ho-

Tob. 13. 6.

Summe veneranda Euchariſtia.

honorem, quantumcumque poteritis, exhibeatis Corpori & Sanguini Domini noſtri Jeſu Chriſti, in quo, quæ in cælis, & quæ in terris ſunt pacificata, & reconciliata Omnipotenti Deo. Rogo etiam in Domino omnes Fratres meos Sacerdotes, qui ſunt, & erunt, & eſſe cupiunt Altiſſimi, quòd quandocumque voluerint Miſſam celebrare, puri & pure faciant cum reverentia verum Sacrificium ſanctiſſimi Corporis & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti; ſancta intentione & munda, non pro ulla terrena re, neque timore vel amore alicujus hominis, quaſi placentes hominibus; ſed omnis voluntas, quantum adjuvat gratia Omnipotentis, ad eum dirigatur, & ſoli ipſi Deo ſummo tantum placere deſideretis, quia ipſe ſolus operatur ibi, ſicut ſibi placet. Quoniam ſicut ipſe Dominus dicit. Hoc facite in meam commemorationem; *ſi quis aliter fecerit, Judas traditor efficitur. Recordamini fratres Sacerdotes, quoniam ſcriptum eſt in lege Moyſi, quod tranſgredientes in corporalibus, ſine ulla miſeratione per ſententiam Domini moriebantur.* Quanto majora & pejora meretur pati ſupplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & Sanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & Spiritui ſancto contumeliam fecerit? *Deſpicit enim homo pollutus, & conculcat Agnum Dei; quoniam ſicut dicit Apoſtolus, non dijudicans & diſcernens ſanctum panem Chriſtum ab aliis cibariis, vel operibus indignis, indignus manducat, cum Dominus per Prophetam dicat:* Maledictus homo, qui opus Dei facit negligenter, *vel fraudulenter. Et propter Sacerdotes, qui nolunt ponere ſuper id cor in veritate, condemnat nos dicens:* Maledicam benedictionibus veſtris. *Audite Fratres mei: Si beata Virgo Maria honoratur, ut dignum eſt, quia ipſum portavit in ſanctiſſimo Utero ſuo: ſi beatus Joannes Baptiſta contremuit, & non audebat tangere Domini verticem; ſi ſepulcrum, in quo per aliquod tempus jacuit, ſic veneratur: quantum debet eſſe ſanctus, & juſtus, & dignus, qui non jam moriturum, ſed in æternum victurum & glorificatum,* in quem deſiderant Angeli proſpicere, *contrectat manibus, corde & ore ſumit, & aliis ad ſumendum præbet? Videte dignitatem veſtram fratres Sacerdotes,* & eſtote ſancti, quia ipſe ſanctus eſt. *Et ſicut ſuper omnes propter hoc myſterium honoravit vos Dominus Deus, ita & vos propter hoc myſterium diligite eum, reveremini, & honorate. Magna miſeria, & miſeranda infirmitas, quando ipſum ſic præſentem habetis, & aliquid aliud in toto mundo curatis. Totus homo paveat, totus mundus contremiſcat, & cælum exultet, quando ſuper altare in manibus Sacerdotis eſt Chriſtus Filius Dei vivi. O admiranda altitudo! O ſtupenda dignatio! O ſublimitas humilis, quod Dominus univerſitatis, Deus & Dei Filius ſic ſe humiliat, ut pro noſtra ſalute ſub modica panis formula ſe abſcondat! Videte Fratres humilitatem Dei,* & effundite coram illo corda veſtra, *& humiliamini, ut & vos exaltemini ab eo. Nihil ergo de vobis retineatis vobis, ut totos vos recipiat, qui ſe vobis exhibet totum. Moneo præterea & exhortor in Domino, ut in locis, in quibus morantur Fratres, una tantum celebretur Miſſa in die, ſecundum formam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ. Si vero in loco plures fuerint Sacerdotes, ſic ſit, per amorem caritatis, alter contentus, audita celebratione Sacerdotis alterius; quia abſentes & præſentes replet, qui eo digni ſunt Dominus noſter Jeſus Chriſtus: Qui licet in pluribus locis reperiatur, tamen indiviſibilis manet, & aliqua detrimenta non novit, ſed unus verus, ſicut ei placet operatur, cum Domino Deo Patre & Spiritu ſancto Paraclito, in ſæcula ſæculorum. Amen.*

Coloſſ. 1. 20.
Miſſa pure celebranda.
Luc. 22. 19.
Deut. 17. 5. & cap. 19. 15.
Hebr. 10. 29.
1. Cor. 11. 29.
Jer. 48. 10.
Malach. 2. 2.
Sacerdotum dignitas.
1. Petr. 1. 12.
Levi. 11. 44.
Pſ. 61. 9.

XI. Monui in commentariis ad hanc epiſtolam numero 27. illud

quod de una celebranda Miſſa in quolibet Cœnobio commendat, caute legendum eſſe, ob depravatum ſenſum hæreticorum, qui hoc loco abuſi ſunt ad ſtabiliendum ſuum dogma de abjurandis Miſſis privatis: pluribuſque rationibus probavi, ſanam & catholicam fuiſſe ſancti Patriarchæ in hac admonitione doctrinam. Multus eſt Philippus Abbas bonæ ſpei, Bernardo coævus libro de continentia Clericorum, in probanda conſuetudine priſcorum Monachorum de una in Monaſteriis Miſſa celebranda, quod ſane clare ex Gregorio ibidem confirmat. Sed aliam ab ea, quam nos illo dedimus loco, hujus rei aſſignat rationem. Sic nimirum, inquit, a concurſu populi volebant removeri, ut nec Miſſarum occaſione poſſent eis ſeculares aliquatenus admiſceri; idcirco, & paucis inter eos dabatur ſacris Ordinibus ſublimari, & ad Miſſas eorum non erat mos populum convocari. Neque hæc etiam, inconſone afferri poſſet ratio exhortationis ſancti Franciſci, qui omni ſtudio popularem fugiebat tumultum; attamen magis genuinam putamus eam, quam ipſi epiſtolæ in ſancti Viri Opuſculis ſubjunximus.

Cur juſſerit in hac epiſtola Fráciſcus unam celebrari miſſam.

Philipp. cap. 81. & ſeqq.

Opuſ. S. Franc. t. 1. Epiſt. 12.

XII. Paucos etiam poſt dies, aliam, quæ ſequitur, Vir ſanctus ſubmiſit epiſtolam ad univerſos ſuos ſodalitii viros, exhortans eos ad divini nominis dignam venerationem, ad debitam ſacrorum reverentiam, ad puram Regulæ obſervantiam, & ad divini Officii recitationem.

Reverendis & multum diligendis, Miniſtro Generali, & ceteris Fratribus Ordinis Minorum frater Franciſcus in Chriſto ſalutem.

Joan. 8. 47.

Ad majora teneantur Religioſi quam laici.

Q*Uia qui* ex Deo eſt, verba Dei audit; *debemus proinde nos, Fratres amantiſſimi, qui ſpiritualius divinis ſumus officiis deputati, non ſolum audire & facere, quæ dicit Deus, verum etiam ad inſinuandam in nobis altitudinem Creatoris noſtri, & in ipſo ſubjectionem noſtram, vaſa & officialia cetera cuſtodire, quæ continent verba ſua ſancta. Propterea moneo omnes Fratres meos, & in Chriſto conforto, quatenus ubicumque invenerint divina verba ſcripta, ſicut poſſunt, venerentur; & quantum ad eos ſpectat, ſi non ſunt repoſita bene, vel inhoneſte jacerent in loco aliquo diſperſa recolligant, & reponant, honorantes in ſermonibus Dominum, qui locutus eſt. Multa enim* ſanctificantur per verba Dei, *& virtute verborum Chriſti altaris conficitur Sacramentum. Confiteor præterea Deo Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, & beatæ Mariæ perpetuæ Virgini, & omnibus Sanctis in cælo & in terra, & Generali Miniſtro hujus Religionis noſtræ, ſicut venerabili Domino meo, & omnibus Sacerdotibus Ordinis noſtri, & omnibus aliis Fratribus meis benedictis omnia peccata mea. In multis offendi mea gravi culpa ſpecialiter, quod Regulam, quam Domino promiſi, non ſervavi; nec Officium, ſicut Regula præcepit, dixi, ſive negligentia, ſive infirmitatis meæ occaſione, ſive quia ignorans ſum, & idiota. Ideoque per omnia oro, ſicut poſſum, Generalem Dominum meum Miniſtrum, ut faciat Regulam ab omnibus obſervari: & Clerici dicant Officium cum devotione coram Deo, ut poſſint per veritatem mentis placere Deo, & non cum laſcivitate vocis aures populi demulcere, & non attendentes melodiam vocis, ſed conſonantiam mentis, & vox concordet menti, mens vero concordet Deo.* Ego *enim promitto hæc firmiter cuſtodire, ſicut dederit mihi gratiam Deus: & hæc Fratribus, qui mecum ſunt, obſervanda tradam in officio & ceteris aliis conſtitutis. Quicumque autem Fratrum hæc obſervare noluerint, non teneo eos Catholicos, nec Fratres meos; nolo etiam ipſos videre, nec loqui,* donec

Nomina & ſcripta divina honoranda.

1. Tim. 4. 4.

Regula obſervanda & divini Officii cura habenda.

Digitized by Google

donec pœnitentiam egerint. Hoc dico de omnibus aliis, qui vagando vadunt, poſtpoſita Regulæ diſciplina, quoniam Dominus noſter Jeſus Chriſtus dedit vitam ſuam, ne perderet ſanctiſſimi Patris obedientiam. Ego frater Franciſcus homo vilis, & indigna creatura Domini Dei dico per Dominum Jeſum Chriſtum Generali Miniſtro totius Religionis noſtræ, & omnibus Generalibus Miniſtris, qui poſt eum erunt, & ceteris Cuſtodibus & Guardianis, qui ſunt & erunt, ut hoc ſcriptum habeant, operentur & ſtudioſe reponant. Et exoro ipſos ut, quæ ſcripta ſunt in eo, ſollicite faciant cuſtodiri, ac diligentius obſervari. Et ſecundum beneplacitum omnipotentis Dei, nunc ſemper, donec fuerit mundus iſte, benedicti vos a Domino, qui feceritis iſta; & in æternum Dominus ſit vobiſcum. Amen.

XIII. Per hæc videre licet Virum ſanctum, nunquam feriatum a bono, ſed ad finem uſque dilexiſſe ſuos, & lucrum quæſiiſſe animarum. Quo ad licuit, lingua adfuit & exemplo, quod modo poteſt, calamo utitur pro lingua, & prece pro exemplo. Frater vero Elias admonitus extremi periculi, quam celerrime Senas ſe contulit; ad cujus præſentiam valde recreatus & confortatus Vir ſanctus, annuit petenti, ut ſe deduci permitteret ad cellas cortonienſes. Moram traxit ibidem, Elia ſuorum parentum & amicorum ope plene & ſollicite omnia miniſtrante. Sed crevit hic malum ventre turgente; deinde humor defluxit ad crura pedeſque; ſtomachi item & hepatis dolor recruduit. Rogavit itaque ut Aſſiſium ferretur, quod ſumma cura & ſollicitudine fieri curavit Elias. Lætata eſt univerſa Civitas in ſancti Viri regreſſu, valde enim timuit ſe tanto theſauro orbandam, ſi extra urbem obiret. Summo omnium obviam procedentium applauſu exceptum, Epiſcopus in ſuas ædes ferri curavit; ad quas cum frater Rigerius Bononienſis Marchiæ Anconitanæ miniſter veniret, magnam excuſſurus tentationem ad ſancti Patris conſpectum, modo paterne ab eo reciperetur, perſuaſit enim diabolus, Virum ſanctum eum odio habuiſſe, quia damnandum præſciebat, ut malus ſpiritus ſuggerebat, admonitus ſui filii periclitantis, duos ex ſociis Maſſæum & Leonem in occurſum ejus miſit, qui eum benigne reciperent: Ite, inquit, obviam fratri Rigerio, qui huc me viſum venit, & ex mea parte illum amplexantes & oſculantes, dicite illi, quod ipſum præ omnibus Fratribus totius mundi totis diligo viſceribus. Quod dum fecerunt, titubantis animus firmatur in fide, & totus homo ſubito eſt liquefactus ex gaudio. Deo ergo gratias agens, quod proſperum fecerit iter ſuum, ad ſanctum Virum pervenit, qui magis fervore incenſus, quam corporis robore firmatus, in occurſum ejus exiliit, & in collum ejus procumbens, paterno dixit affectu: Cariſsime fili Rigeri, inter omnes Fratres noſtros te intime ex corde diligo. Deinde fronti ejus crucis imprimens ſignum, & eodem in loco infigens oſcula; cariſsime fili, inquit, hæc tentatio data eſt tibi ad magnum tuum profectum; at ſi non vis hujuſmodi lucrum, nullam tibi impoſterum hæc tentatio, neque alia quævis inferet moleſtiam. Mirabile dictu! præſens ſtatim evanuit tentatio, nec ulla poſtea ſucceſſit afflictio.

Leg. Greg. X. Maria. c. 28.

Senis venit Fráciſcus Cortoná, inde Aſſiſium.

Piſa. conf. 8. Ant. c. 2. §. 3. Vincent. Bellua. l. 31. c. 100.

Magnam fr. Rigerii tentationé depellit.

XIV. Manſit ibi per plures dies Rigerius familiariter agens cum ſancto Viro, cujus circa Regulæ obſervantiam, menſuramque paupertatis, dum clare ut ſuam diceret intentionem rogaret, mentem expandit, nihil dicens verum Fratrem Minorem penes ſe debere habere, præter ea, quæ pro tenui veſtitu exprimuntur in Regula. Multa tamen, inquit beatus

Qualem volebat paupertatis menſuram.

Legen. antiq. Marc. lib. 4. c. 32.

tus Leo, Fratribus permittebat, ne animos exulceraret, aut ſcandalum gigneret, exemplo ſemper oſtendens in ſemetipſo, quod in aliis deſiderabat. Quod & alteri Fratri in hac infirmitate interroganti, cur curam Fratrum depoſuerit, aut plura contra ea, quæ primos docuit Fratres toleraverit? Reſpondit aliquantulum indignabundus: *Quidam ex vobis Fratres admirantur, & me interrogant, quare non corrigo defectus, qui in Ordine ſiunt? Quibus indulgeat Dominus, quoniam mihi contrarii ſunt, & adverſarii, & me implicare volunt in his, quæ non pertinent ad officium meum. Quouſque enim habui Prælationis officium ſuper Fratres, & ipſi permanſerunt in vocatione & profeſſione ſua, licet a principio meæ converſionis ſemper infirmus fuerim, cum parva mea ſollicitudine ſatisfaciebam eis exemplis & prædicationibus. Sed poſtquam conſideravi quod Dominus multiplicavit numerum Fratrum, & ipſi propter tepiditatem, & inopiam ſpiritus, incipiebant declinare a via recta, & ſecura, per quam conſueverant ambulare, & per ampliorem viam, quæ ducit ad mortem incedentes, non attendebant vocationem & profeſſionem ſuam, & bonum exemplum meum, quod illis continue oſtendebam; ideo recommendavi Ordinis prælationem & regimen Domino & Miniſtris. Unde licet tempore, quo renunciavi officio Fratrum, excuſarem me coram Fratribus in Capitulo generali, quod propter infirmitates meas curam de ipſis habere non poteram; tamen ſi ſecundum voluntatem meam Fratres vellent ambulare, nunc propter ipſorum conſolationem & utilitatem nollem, quod alium Miniſtrum haberent, niſi me uſque ad diem mortis meæ. Si enim bonus & fidelis ſubditus voluntatem Prælati ſui cognoſcit & obſervat, parvam ſollicitudinem oportet Prælatum habere de ipſo. Imo tantum gauderem de bonitate Fratrum propter lucrum ipſorum & meum, quod ſi jacerem in lecto infirmus, non me pigeret ſatisfacere eis; quia officium meum, id eſt prælationis, eſt ſpirituale tantum, videlicet dominari vitiis, & ipſa ſpiritualiter corrigere & emendare. Poſtquam autem ipſa emendare & corrigere predicatione, admonitione, & exemplo non poſſum, nolo carnifex fieri ad puniendum & flagellandum, ſicut poteſtas hujus ſeculi. Sed confido in Domino quod adhuc inimici inviſibiles, qui ſunt caſtaldi Domini ad puniendum in hoc ſeculo, & in futuro, eos qui tranſgrediuntur mandata Dei, ſument de ipſis vindictam; facientes illos corrigi ab hominibus hujus ſeculi in opprobrium & verecundiam ipſorum & revertentur ad profeſſionem & vocationem ſuam. Verumtamen uſque ad diem mortis meæ non ceſſabo exemplo & operatione docere Fratres, ambulare per viam, quam mihi Dominus oſtendit, quam & ego jam docui & oſtendi eis verbo & exemplo, ut ſint inexcuſabiles coram Domino; & ego non teneor de ipſis ulterius coram Domino reddere rationem.*

Ubert. lib. 5. arb. vitæ Chriſti c. 3. Alvar. Pela. l. 2. de planc. Eccl. c. 71. Vide in Opuſc. collation. 25.

Quare toleraverit aliquos Fratrum defectus.

Matth. 7. 13.

XV. Tunc etiam de futuro digno ſucceſſore interrogatus ab aliis deſcripſit qualis eſſe debeat; optimas boni Rectoris notas brevibus his verbis aſſignans. *Tam magni & multimodi exercitus ducem, tam magni & dilatati gregis paſtorem filii mei nullum ſufficientem intueor, ſed unum, in quo reluceat qualis debeat eſſe iſtius familiæ dux & paſtor, vobis depingam. Homo iſte debet eſſe vitæ graviſſimæ, diſcretionis magnæ, famæ laudabilis, privatis affectionibus carens, ne dum in parte plus diligit, in toto ſcandalum generet. Homo, qui ſanctæ orationis ſit amicus, ita tamen quod certas horas animæ ſuæ, certas gregi ſibi commiſſo diſtribuat. Nam primo mane debet ſanctiſſimum Sacrificium miſſæ præmittere, & ibidem longa devotione ſeipſum, & gregem divinæ protectioni affectuoſius commendare. Poſt orationem vero ſeipſum ſtatuat ab omnibus depilandum, omnibus reſponſurum.*

Leg. Greg. IX. Marc. lib. 2. c. 13. Specul. S. Franc. 1. p. c. 67.

Qualis eſſe debeat Generalis Miniſter.

Vide collat. 26.

Non

Digitized by Google

Non debet eſſe acceptator perſonarum, ita quod non minus curet de ſimplicibus & idoneis, quam de ſcientibus & ſapientibus. Cui ſi donum ſcientiæ eſt conceſſum, tamen plus in moribus pietatis, & ſimplicitatis, patientiæ, & humilitatis imaginem ferat, foveatque virtutes in ſe & in aliis, atque in practicando eas continue ſe exerceat; ad hæc alios plus exemplo, quam ſermonibus incitando. Sit execrator pecuniæ, quæ noſtræ profeſſionis eſt præcipua corruptela, & tamquam caput & exemplar imitandum ab omnibus nullis unquam loculis abutatur. Sufficiat autem ſibi pro ſe habitus & libellus, pro aliis vero ſcriptorium & ſigillum. Non ſit aggregator librorum, nec lectioni multum intentus, ne forte detrahat officio, quod prærogat ſtudio. Conſoletur pie afflictos, cum ſit ultimum remedium tribulatis; ne ſi apud eum defuerint remedia ſanitatis, deſperationis morbus prævalcat in infirmis. Ut protervos flectat ad manſuetudinem, ſeipſum proſternat, & aliquid ſui juris relaxet, ut animas Chriſto lucrifaciat. Ad refugas Ordinis, velut ad oves, quæ perierunt, viſcera pietatis expandat, & numquam miſericordiam neget illis, ſciens tentationes illas pervalidas, quæ ad tantum caſum poſſunt impellere animam; quas ſi ipſum permitteret Dominus experiri, forte in majus præcipitium laberetur. Vellem, ipſum tamquam Chriſti Vicarium ab omnibus cum devotione & reverentia honorari, atque ſibi in omnibus & ab omnibus cum omni benevolentia, juxta ejus neceſſitatem, & ſtatus noſtri condecentiam, provideri. Verumtamen oportet, eum non arridere honoribus, neque favoribus pluſquam injuriis delectari; ita quod propter honores non mutentur ejus mores, niſi in melius. Si quando vero lautiori & meliori cibo indigeret non in abſconſo, ſed in publico loco aſſumat, ut aliis tollatur verecundia providendi ſibi in infirmitatibus & debilitatibus ſuis. Ad eum maxime pertinet latentes conſcientias diſtinguere, & ex occultis venis eruere veritatem. Omnes accuſationes in principio habeat ſuſpectas, donec veritas ex diligenti examinatione incipiat apparere. Aures etiam non præbeat multiloquiis, & multiloquos in accuſationibus ſpecialiter habeat ſuſpectos, nec faciliter credat eis. Talis denique debet eſſe, quod propter cupiditatem retinendi honorem, virilem formam juſtitiæ & æquitatis nullatenus inficiat, vel relaxet. Ita tamen quod in nimio rigore nullius anima occidatur, & in ſuperflua manſuetudine non naſcatur torpor, atque ex laxa indulgentia non proveniat diſſolutio diſciplinæ; ſicque ab omnibus timeatur, ut ab ipſis timentibus diligatur. Officium autem prælatoris ſemper putet & ſentiat ſibi fore potius oneri, quam honori. Vellem etiam, eum habere ſocios præditos honeſtate, rigidos adverſus voluptates, fortes in anguſtiis, & compaſſivos delinquentibus; habentes æqualem affectionem ad omnes, nihil de labore ſuo recipientes niſi puram corporis neceſſitatem, & nihil appetentes niſi laudem Dei, Ordinis profectum, Animæ propriæ meritum, & Fratrum omnium perfectam ſalutem: omnibus convenienter affabiles, & omnes convenienter ad eos cum ſancta jucunditate recipientes, atque formam & exemplum obſervantiæ Evangelii juxta profeſſionem Regulæ in ſemetipſis pure, & ſimpliciter omnibus oſtendentes. Ecce talis eſſe debet Generalis Miniſter, & tales debet habere ſocios.

XVI. Occaſione item tunc arrepta, quos in Miniſtris Provincialibus deſiderabat mores, & partes regiminis ita numeravit: *Vellem*, Fratres, *Provinciales Miniſtros affabiles eſſe minoribus, & tanta benevolentia præditos, ut eorum affectui non vereantur ſe committere delinquentes. Vellem eos moderatos eſſe in præceptis, propitios in offenſis, ferre magis peccatores, quam inferre injurias; hoſtes vitiis, medicos vitioſis. Tales denique*

que eſſe vellem, quorum vita ceteris eſſet ſpectaculum diſciplinæ. Hos tamen vellem omni honore venerari & diligi, ſicut qui pondus portant ſollicitudinis & laboris. Summis eos præmiis apud Deum reputarem eſſe dignos, qui tali forma, talique lege traditas ſibi animas gubernarent.

Legen. antiq.

Toleranda minora mala, ne eveniant majora

XVII. Quidam erant tunc Provinciales Miniſtri, qui veluti hæreditario ſibi contingeret jure Provinciarum regimen, ita perpetuo illud volebant retinere, ut ſine moleſtia & turba ad ſubditorum vitam non poterant reduci. De quibus agens cum ſancto Viro quidam ex ſociis, tale accepit reſponſum: vivant, inquit totus fremens, pro libito, tempus erit quo pœniteant: minoris eſt damni paucorum, quam multorum perditio; ſi hos tentaretur ab officio dimovere, multas excitarent turbas, quibus ſimplices & bonos Religioſos, qui nunc eis quiete obediunt, ſcandalizarent.

Marian. cit.

Mirabilis viſio fratris Leonis.

XVIII. Orans frater Leo juxta lectum ſancti Patris, actus in extaſim vidit flumen altum & latum, quod plures tentabant Fratres tranſuadare. Quidam magnis ſarcinis onuſti, ſtatim ad oram ſubmergebantur, alii ulterius procedebant, alii ad fluminis alveum perveniebant, prius vel poſterius, citius aut tardius a fluminis abſorpti voragine, juxta majus, minuſve pondus ſarcinarum, quas ferebant. Alios vidit exoneratos, quam citiſſime, & ſine periculo transfretaſſe. Gemens autem, & dolens in ipſa extaſi, ad periculum, & ſubmerſionem ceterorum; ad ſe reverſus interrogatur a ſancto Viro, quid viderit? Retulit humiliter totius rei ſeriem, quam ita Vir ſanctus expoſuit. Quæ vidiſti vera ſunt, nam flumen eſt mundus, Fratres onuſti ſunt illi, qui rebus inhiant terrenis profeſſionem ſuam negligentes, & evangelicam violantes paupertatem; hi demerguntur in hoc mundo cura & ſollicitudine bonorum temporalium, & in inferno condignas pœnas patientur. Qui ſine periculo tranſierunt illi ſunt, qui nihil commune volunt cum mundo, contenti tenui victu & veſtitu, nudum Chriſtum nudi ſequentes portantes jugum Domini ſuave, & onus leve.

Specul. 1. p. c. 99. Marian. cit.

Conſolatur ſibi ſervientes.

XIX. Cum quodam die per nimios dolores infirmitatum ſuarum quieſcere non poſſet, videretque Fratres propter hoc plurimum diſtrahi & fatigari, magis diligens animas Fratrum ſuorum, quam corpus proprium, timebat ne forte ex moleſtiis, quas occaſione ipſius ſubibant, in impatientiam aliquam, aut Dei offenſam ruerent. Dixit itaque eis magno pietatis affectu: Cariſſimi Fratres & Filioli mei, non vos tædeat has ſubire moleſtias propter me, quoniam Dominus pro ſervulo ſuo rependet vobis mercedem laborum veſtrorum, & in hoc ſeculo, & in futuro. Et ſi enim per impedimenta infirmitatis meæ vobis operari non valetis, credite, vos hoc modo amplius lucrari, quam ſi vobis laboraretis: quia qui adjuvat me, adjuvat totam Religionem, & vitam Fratrum. Dico etiam vobis pro expenſis, quas mei occaſione facitis, Dominus erit debitor veſter. Hæc dicebat ſanctus Pater, erigere volens ſpiritus eorum, timens ne propter moleſtias illas inter ſe murmurarent, dicentes, ſe non poſſe orare, vel exercitiis aliis intendere: ſicque per tædium & impatientiam amitterent magnum fructum exigui laboris ſui.

Bonav. c. 14.

XX. Cum etiam ſemel gravius ſolito dolorum urgeretur aculeis, quidam Frater ſimplex dixit ad eum; Frater ora Dominum, ut mitius tecum agat: manum enim ſuam plus debito ſuper te gravare videtur.

Quo

Quo audito Vir ſanctus, cum ejulatu, exclamans ait: Niſi noſcerem in te ſimplicem puritatem, tuum ex nunc abhorrerem conſortium, qui auſus fueris circa me divina judicia reprehenſibilia judicare. Et licet totus eſſet attritus gravis prolixitate languoris, projiciens ſe in terram, oſſa debilia duro caſu colliſit, & deoſculans humum: Gratias, inquit, tibi ago Domine Deus, de omnibus his doloribus meis, teque mi Domine rogo, ut centuplum, ſi tibi placuerit, addas: quia hoc erit mihi acceptiſſimum, ut affligens me dolore, non parcas, cum tuæ ſanctæ voluntatis adimpletio ſit mihi conſolatio ſuperplena. Videbatur propterea Fratribus, quod quaſi alterum Job viderent: cui cum languor creſceret carnis, creſcebat ſimul & vigor mentis.

Gratias agit Deo propter infirmitatem.

Job. 1. & 2.

XXI. Beata Clara audiens jam imminere cariſſimi Patris mortem, doluit magna cordis amaritudine, cum ceteris Sororibus conſiderantibus, ſe tanto Patre & Magiſtro orbandam, quem jam non liceret amplius videre. Miſerunt itaque ad ſanctum Virum, qui ſuum dolorem exprimeret, petentes ut ſaltem eis ſuam benedictionem impertiret. Ille tenellis compatiens Virginibus, quaſdam miſit ad eas Domini laudes, metro a ſe compoſitas, ſimul cum quibuſdam verbis exhortatoriis, quæ nos ſubterfugerunt, quibus ſua eis voluntas innoteſceret, qualiter vivere in humilitate, & unanimi caritate converſari deberent. Conſiderabat nimirum earum converſionem, ac ſanctam converſationem, non tantum cedere in Religionis exaltationem, ſed etiam in magnam univerſalis Eccleſiæ ædificationem. Sciens itaque, eas ab exordio ſuæ converſionis arctam valde & pauperculam vitam ducere, ſemper erga illas ſingulari pietate, & compaſſione afficiebatur. Proinde in prædictis verbis eas rogabat, ut quemadmodum illas Dominus ex variis locis in unum congregaverat ad ſanctas virtutes caritatis, paupertatis & obedientiæ excolendas, ita ſollicite in illis ſemper viverent, & morerentur. Specialiter hortabatur, ut de eleemoſynis, quas de manu Domini recipiebant, cum hilaritate, & gratiarum actione diſcrete ſuis corporibus providerent. Denique ut incolumes in laboribus, quos pro infirmis ſubibant, & ipſæ infirmæ in ſuis infirmitatibus exiſterent patientes. Quarumdam litterarum ad ſanctam Claram a ſancto Viro miſſarum, an earum, quas tunc miſerit, an aliarum non conſtat, fragmenta ceteris ſancti Viri epiſtolis interſeruimus: poſterioris argumentum huic rerum ſtatui affine videtur. Promiſit etiam tunc beatæ Virgini, ſe ab illa videndum, quod completum eſt, delato poſt mortem corpore ad Eccleſiam ſancti Damiani a ſacris Virginibus videndo, velut mox dicemus.

Spec. c. 100. Leg. antiq.

Conſolatur Sorores ſancti Damiani.

XXII. Videns populus & Poteſtas Civitatis quotidie magis ac magis deficientem, timentes ne exanime alio deferretur corpus, Cuſtodes adhibuerunt milites armatos in circuitu Palatii, qui die, noctuque tantum cuſtodirent theſaurum. Monitus autem Vir ſanctus a medico Joanne Bono Aretino, & Fratribus de inſtante morte, prorupit in Dei laudes, & vocatis concentoribus ſummo jubilo, altaque voce canebat, additis quibuſdam verſiculis ad Solis canticum, videlicet: *Lauderis mi Domine propter ſororem noſtram mortem, quam nullus vivens poteſt evadere. Væ illis, qui moriuntur in peccato mortali. Beati illi, qui in hora mortis ſuæ inveniunt ſe conformes tuæ ſanctiſſimæ voluntati; mors enim ſecunda non poterit eis nocere. Laudate & benedicite Dominum meum, & gratificamini, & ſervite illi omnes creaturæ cum magna humilitate.* Frater vero Elias timens melodiam & cantus hos levitati adſcribendos ab

Digitized by Google

imperito populo, familiaribuſque Epiſcopi, rogavit eum, ut miſſa hæc faceret. *Cum magno ſpiritus fervore*, inquit ei Vir ſanctus, *Permitte mihi, Frater, in Domino gaudere, & ei gratias reddere propter conſcientiæ tranquillitatem: quoniam per Dei miſericordiam & gratiam ita unitus ſum Domino meo, ut juſta de cauſa in ipſo altiſſimo & benigniſſimo bonorum omnium datore poſſim jucundari; neque corculus ſum, aut adeo puſilli animi, ut accedentem mortem tremulus horreſcam.*

Leg. Greg. IX. Marian. cit. Geneſ. 49. Deut. 28.

XXIII. In extremo jam poſitus, nimio dolore undique preſſus, ſola cute oſſibus hærente, vocatis ad ſe Fratribus ſingulis, ſecundum eorum qualitates & officia, benedixit, velut alter Patriarcha Jacob, & velut alter Moyſes univerſam congregationem benedictionibus amplis ſacravit. Cum a ſiniſtris ipſius genuflexus hæreret Elias, manibus cancellatis, & dextra ejus capiti immiſſa dum omnino cœcutiret, quis eſſet? Interrogavit. Reſponſum, Eliam eſſe: *Bene, inquit, ſe res habet, & bene requieſcit ſuper eum dextera mea. Te fili mi*, addidit, *in omnibus & ſuper omnia benedico, & ſicut in manibus tuis Fratres meos, & Filios augmentavit Altiſſimus; ita & ſuper te, & in te omnibus benedico. In cælo, & in terra benedicat te Rex omnium Deus. Benedico te ſicut poſſum, & pluſquam poſſum; & quod non poſſum ego, poſſit in te qui omnia poteſt. Recordetur Deus operis, & laboris tui, & in retributione juſtorum ſors tua ſervetur. Omnem benedictionem, quam cupis, invenias, & quod digne poſtulas impleatur.*

Benedicit Fratribus & Eliæ.

XXIV. Magna ſane & ampla fuit hæc benedictio, quam impertiit Eliæ, mirumque quomodo adeo impenſe benedictus a ſancto Patriarcha, maledictionem poſtea incurrerit Dei omnipotentis, & ſanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus excommunicatus a Pontifice, dum tranſiit ad partes Friderici. Vere miſer *noluit benedictionem, & elongata eſt ab eo, induit maledictionem tamquam veſtimentum, & ſicut aqua intravit in interiora, & ſicut oleum in oſſibus ejus.* Attamen non ſine fructu fuit ſancti Viri benedictio, dum tamdem ejus precibus, & meritis Elias poſt tot demerita, ſalutem eſt conſequutus æternam, veluti ſuo loco referemus.

Pſal. 108. 18.

XXV. Sciens autem jam mortem imminere rogavit, ut portaretur in Fratrum Cœnobiolum, ædemque ſanctæ Mariæ Angelorum, volens ibi ſpiritum reddere cœlo, ubi vitæ ſpiritualis præcipuum accepit magiſterium. Cum vero in planitiem deſcenderent, interrogavit, an pervenerint ad hoſpitale leproſorum. In ipſo loco dum ſe eſſe dixerunt portitores; flectite, inquit, faciem meam ad Civitatem, & in terra conſtituite. Tunc erectus in feretro oravit pro populo & urbe; deinde flens pauliſper, prævidens mala & bella ſuperventura, benedixit ei dicens: Benedicta tu a Domino Civitas Deo fidelis, quia per te, & in te, animæ multæ ſalvabuntur, & in te multi ſervi Altiſſimi habitabunt, & de te non pauci juſti eligentur ad vitam æternam.

Et Civitati Aſſiſii.

Specul. 1. p. c. 103. Marc. lib. 2. c. 67.

XXVI. Decumbens apud Fratres, ſocium juſſit, ut atramentarium cum charta afferret, monituro ſæpius ſupra memoratam Dominam Jacobam de Septemſoliis de imminenti jam morte, æquum eſſe dicens, ut hæc ei daretur conſolatio, quæ diſceſſuro multas præbuit in vita. Scripſit itaque hoc, quod ſubjungo epiſtolæ fragmentum:

Monet inſtantis mortis Jacobam de Septemſoliis.

Domi-

Dominæ Jacobæ, ſervæ Altiſſimi frater Franciſcus pauperculus Jeſu Chriſti, ſalutem, & ſocietatem Spiritus Sancti in Domino Jeſu Chriſto.

Scias, cariſſima, quod mihi Chriſtus benedictus per ſuam gratiam vitæ meæ terminum futurum in proximo revelavit: Quapropter ſi vis me invenire vivum, viſis his litteris ad ſanctam Mariam de Angelis venire feſtina. Nam ſi poſt diem Sabbati veneris, me vivum invenire non poteris, & porta tecum pannum, & cilicium, in quo corpus meum involvas, & ceram pro ſepultura. Rogo etiam quod portes de illis comeſtionibus, quas mihi conſueviſti dare, quando infirmabar Romæ.

XXVII. Hæſit hic, elevatis oculis in cœlum, juſſitque ut ſcriba calamo parceret, & nullus mitteretur Romam tabellarius; jam enim parabatur, addens jam ſibi conſtare ferme præ foribus eſſe heroidem, cuncta, quæ ſcribebantur, portantem. Paulo poſt, pulſato oſtio, janitor ita eſſe comperit, magno enim comitatu vidit adveniſſe nobilem fœminam duobus filiis aſſociatam, portaſſeque multam ceram pro funere, & pro funerali habitu pannum griſeum illius (inquit ſpeciali quadam obſervatione codex MS. chronologicus, ante annum MCCCCXX. ſcriptus Venetiis, ad me delatus) coloris, quem geſtant Fratres Ciſtercienſes ultramontani, cibumque illum quem affectabat, vulgari nomine tunc Romanis, ut monent Legendæ antiquæ, dictum mortariolum ex ſaccaro, amigdalis, aliiſque hujuſmodi mixturis compactum. Ut nunciavit hæc ſancto Viro oſtiarius, interrogavit, an intra Monaſterii clauſtra reciperet fœminam, non obſtante rigoroſa ab ipſo edita conſtitutione, de nulla admittenda in Monaſteriis Fratrum, præcipue in illo ſanctæ Mariæ Angelorum. Reſpondit, hanc a tali lege eximendam, & digne introduci in Fratrum domicilium, cujus ædes Fratribus ſemper patebant. Introducta ad ſanctum Virum, ſtatim procidit ad pedes ſacris characteribus inſignitos, quos tenere oſculata, lacrymis, velut altera Magdalena, rigavit. Interrogata demum a Fratribus, quomodo non vocata advenerit, & quæ advexit, paraverit, dixit: omnia ſibi noctu cœlitus injuncta, Angelumque monuiſſe ne quidquam illorum prætermitteret. Inſervivit itaque diligentiſſime per aliquot dies ſancto Patri, putanſque per plures ſupervicturum, voluit remittere omnem familiam in Urbem. Prohibuit Franciſcus dicens, non ultra quatuor ſibi vitæ dies ſupereſſe, quibus tranſactis, juſtis ſibi ſolutis, poſſet & ipſa regredi cum ſuis.

Marian. c.30. Leg. antiq.

Cœlitus monita nobilis fœmina adeſt.

Introducitur ad ſanctum Virum.

XXVIII. Libuit hic admonere, ab omnibus noſtris Auctoribus juſte laudari hanc heroinam, nullum autem, vel leviter inſinuaſſe cujus fuerit familiæ, aut progeniei, ſed communiter de Septemſoliis cognominari. Ego diligentiſſime in Urbe perquiſivi, an hujus cognominis fuerit aliqua apud Romanos familia, neque veſtigium ullum potui detegere. Judicaverim, ſi conjecturare licet, non familiæ, aut progeniei agnomen illud eſſe de Septemſoliis, ſed loci, vel regionis Urbis, ubi herois habitabat, eo additamento exprimi notitiam. Non obſcura eſt memoria apud Auctores illius Urbis partis, quæ Septiſolium dicebatur, juxta clivum Scauri, de quo Auctor Opuſculi de locis ubi Martyres paſſi ſunt, apud Cencium Camerarium, ita ſcribit in codice quem MS. accepi ex Vaticano folio 39. col. 4. *Clivus Scauri, qui eſt inter Amphiteatrum, &*

Quæ qualiſve fuerit hæc Matrona.

Septiſolium in qua Urbis regione fuerit.

Digitized by Google

ſtadium ante Septemſolium, ubi eſt cloaca, ubi jactatus fuit ſanctus Sebaſtianus, qui revelavit corpus ſuum Lucinæ &c. Et paucis interpoſitis, de quibuſdam arcubus Septemſolii loquitur; & fol.39. col.3. addit: *Ante Coloſſæum Templum erat Solis, ubi fiebant ceremoniæ ſimulacrorum, quod ſtabat in faſtigio Coloſſæi. Septiſolium fuit Templum Solis, & Lunæ, ante quod fuit Templum Fortunæ.* A Templo hoc circumſtans Urbis pars etiam nomen ſortita, in quo erat titulus Diaconiæ ſanctæ Luciæ in Septiſolio, de quo videri poterunt Onuphrius Panvinius de ſeptem Eccleſiis cap.3. & Ciaconius in Gregorio IX. qui eumdem creatum Pontificem, ait, juxta Septiſolium in eadem Diaconia ſanctæ Luciæ in Septiſolio, alias Orthea. Et in Innocentio III. hujus tituli Cardinalem fuiſſe refert Leonem Brancaleonem Romanum, ſancti Franciſci carum amicum. Ab hac itaque Urbis regione, ſeu ab incolatu cognominatam præclaram hanc fœminam putem de Septemſoliis, vel proprius de Septiſolio.

Marian. c.30. Leg. antiq. Dividit inter Socios panem benedictum.

XXIX. Franciſcus vero pridie antequam moreretur, vocatis ad ſe Fratribus, denuo benedixit, & panis a ſe crucis ſigno conſecrati fragmenta dedit ſingulis, ut in ſignum unitatis, & concordiæ, de eodem comederent. Devote id fecerunt omnes contemplantes in ſancto Viro Chriſtum cum ſuis ultimam cœnam peragentem. Solus Elias non comedit flens ad tanti Patris diſceſſum proxime futurum. Fruſtum quod manu devote tenebat, petiit ab eo frater Leo, quod diligenter aſſervatum, fuit poſtea infirmis multis cauſa ſalutis. Collacrymantibus deinde omnibus, vocavit fratrem Bernardum: ubi eſt, inquit, primogenitus meus Bernardus? Cui accedenti: Veni, inquit, fili mi, ut benedicat tibi anima mea antequam moriar. Quo poſito ad lævam, & fratre Ægidio ad dexteram lecti partem genibus flexis, cancellatis manibus, velut alter Jacob eis benedixit, poſita dextera ſuper caput fratris Bernardi, quem ex tactu cognovit. Concurriſſe cum fratre Bernardo fratrem Eliam, alias dixi in Opuſculis ſancti Franciſci, ex Auctoribus quos ad finem benedictionis ſextæ recenſui; modo ex Legenda Gregorii IX. ex illa, quæ Sociorum dicitur, & Mariano citato, duplicem benedictionem impertiiſſe, manibus in crucis modum actis, probabilius putaverim, primam Eliæ, ſecundam Bernardo in hunc modum: *Benedicat te Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti in omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto.* Sicut primus, & electus in ordine iſto ad dandum bonum exemplum evangelicum, & ad imitandum Chriſtum in evangelica paupertate, cui non ſolum tua liberaliter obtuliſti, ſed & temetipſum in odorem ſuavitatis contuliſti. Ita benedictus ſis a Domino Jeſu Chriſto, & a me ſuo pauperculo ſervo benedictionibus ſempiternis, ingrediens & egrediens, vigilans & dormiens, vivens & moriens. *Qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur, & qui maledixerit tibi, non erit immunis. Eſto Dominus Fratrum tuorum*, & tuo imperio cuncti ſubjaceant. Quoſcumque volueris recipere ad Ordinem iſtum, recepti ſint, & quoſcumque emittere volueris, emittantur. Nullus ſuper te poteſtatem habeat, & quocumque volueris libere poſſis pergere, & morari. Scripſit quidam ex circumſtantibus benedictionem, quæ in poſteriora ſervata eſt ſecula, quam Rodulphus perperam putavit ipſius ſancti Patriarchæ manu fuiſſe exaratam.

Denuo eis benedicit. *Geneſ. 49.* *Epheſ. 1. 3.* *Geneſ. 27. 29.*

Rodul. fol.60. in vita B. Bernardi. Leg. antiq. Marian. cit. Laudat fratrem Bernardum.

XXX. Diſcedente cum fletu Bernardo, Vir ſanctus vertens ad ceteros Fratres ſermonem: Volo, inquit, & præcipio, ſicut poſſum, ut quicumque fuerit Generalis Miniſter diligat, & honoret fratrem Bernardum,

Digitized by Google

nardum, tamquam meipſum, teneantque ipſum Miniſtri omnes, & Fratres totius Religionis, tamquam alterum me, quem veluti animæ dimidium vobis relinquo. Pauci ſunt, qui virtutem & ſanctitatem ejus poſſint rimari. Ea tanta eſt, ut die, ac nocte magnas, & moleſtas ei ſtruere inſidias non ceſſet Satanas, continuiſque concutiat tentationibus, ſed Dei adjutorio omnes ad magnum ſuum lucrum valide ſuperabit, perfectaque pace, & ſpiritus ſerenitate mirabiliter perfruetur. Omnia hæc non ſine admiratione circumſtantium, qui Bernardo poſtea erant familiares, adimpleta ſunt, ut ſuo loco largius dicemus.

XXXI. Commendavit deinde impenſe omnibus Fratribus, & eorum Prælatis ædem ſanctæ Mariæ Angelorum, quam ſanctiſſimæ Virgini inter præcipuas ſibi ſacras, ſumme caram eſſe, cœleſti percepit revelatione, magno ſpiritus fervore, ut notavit Legenda Gregorii IX. ſubjungens: *Volo quod iſte locus ſit ſemper immediate ſub poteſtate Generalis Miniſtri & Servi, & deinde ille majorem ſollicitudinem & curam habeat providendi ibidem de bona & ſancta familia. Clerici eligantur de melioribus & ſanctioribus, & magis honeſtis Fratribus, & qui ſciant melius dicere officium ex illis, qui ſint in tota Religione; ut non ſolum ſeculares, ſed etiam alii Fratres libenter, & cum magna devotione videant & audiant eos. De Fratribus etiam Laicis, ſanctis hominibus, diſcretis, humilibus, & honeſtis eligantur, qui ſerviant illis. Volo etiam quod nulla perſona, & nullus Frater intret in illum locum, niſi Generalis Miniſter, & Fratres qui ſerviunt illis, & cum Miniſtro quando viſitaverit eos. Volo ſimiliter, quod Fratres Laici, qui ſerviunt eis, teneantur nunquam dicere eis verba otioſa, vel nova hujus ſeculi, vel quæcumque alia, quæ non eſſent utilia animabus eorum. Et propterea ſpecialiter volo, quod nullus intret in illum locum, ut ipſi melius conſervent puritatem & ſanctitatem ſuam; & quod in illo loco nihil penitus fiat, vel dicatur inutiliter, ſed ipſe locus teneatur purus, & ſanctus in hymnis, & laudibus Domini. Et cum aliquis ipſorum Fratrum migraverit ad Dominum, volo, quod loco ipſius mittatur illuc alius ſanctus Frater a Generali Miniſtro. Nam ſi alii Fratres declinaverint aliquando a puritate, & honeſtate, & ſanctitate vitæ, volo, quod iſte locus benedictus ſit, permaneat ſemper ſpeculum, & bonum exemplum totius Religionis, & quoddam candelabrum ante thronum Dei, & beatam Virginem ſemper ardens & lucens, per quod Dominus propitietur defectibus, & culpis omnium Fratrum, atque conſervet ſemper, & protegat hanc Religionem, & plantulam ſuam. Videte, filii, ne unquam hunc locum relinquatis: ſi ab una parte foras expellemini, per aliam reintrate. Nam locus iſte ſanctus eſt, & habitatio Chriſti, & Virginis Mariæ Matris ejus. Hic cum pauci eſſemus, augmentavit nos Dominus altiſſimus. Hic luce ſapientiæ ſuæ illuminavit animas pauperum ſuorum: hic igne ſui amoris noſtras voluntates accendit: hic qui oraverit corde devoto, quod petierit, obtinebit; offendens, gravius punietur. Propter quod, o filii, habete hunc locum omni reverentia & honore digniſſimum, tamquam vere Dei habitaculum, ab ipſo & ejus Matre ſingulariter prædilectum. Atque ibidem toto corde veſtro, in voce exultationis & confeſſionis confitemini Deo Patri & ejus Filio Domino Jeſu Chriſto in Spiritus Sancti unitate. Amen.*

Piſan. conf. 11. c. 39. Marc. lib. 2. c. 16. Marian. c. 20. Bonav. c. 2.

Commendat Fratribus ædem Portiunculæ.

XXXII. Sane multo tempore ita factum, ut teſtatur Thomas Celanus in ſua Legenda his verbis: ſervabatur, inquit, ibidem rigidiſſima in omnibus diſciplina, tam in ſilentio & labore, quam in ceteris regularibus Inſtitutis. Nemini, niſi Fratribus ſpecialiter deputatis, illuc patebat

Legen. antiq.

Diſciplina regularis ædis Portiunculæ.

patebat ingreſſus; & omni ſeculari perſonæ omnis penitus præcludebatur introitus. Non permittebatur, ut Fratres exiſtentes ibidem, qui ſub certo numero arctabantur ad ſecularium relationem prurirent, nec contemplatione intermiſſa cœleſtium, ad inferiorum commercia per rumigerulos traherentur. Non licebat alicui ibidem otioſa verba proferre, nec referre prolata per alios. Sine intermiſſione diebus, ac noctibus exiſtentes in loco divinis erant laudibus occupati, & odore miro fragrantes vitam ducebant angelicam. Et in Legenda Gregorii IX. refertur, unum, vel alterum regulare ſtatutum illius ſacræ ædis, quo a primo ferme incolatu illius loci voluit Vir ſanctus ab eo abigere omnem otioſitatem, & inania verba. Primum, ut ad fugiendum otium, ſtatim a prandio Fratres omnes in aliquo modeſto, vel religioſo opere, ſeu converſatione ſe exercerent, ne ſaturitas panis eos ad otioſa verba, aut animi torporem, vel rixoſam garrulitatem, pro communi hominum poſt prandium vitio, deduceret. Secundum, quod ſi quis verbum aliquod otioſum aut minus religioſum proferret, ipſe in ſe animadvertens, recitaret orationem Dominicam, addito verſiculo *Gloria Patri*. Si vero ab alio ſuæ culpæ moneretur, pro ſe peccante, deinde pro admonente orationem eamdem bis recitaret. At ſi excuſationis palliolo culpam vellet obtegere, aut contemneret, admonitus dicere quod debebat, quod cogeretur duplicare penſum, & laudes Domino elata voce coram omnibus in publico loco decantare: nec non eamdem ſubiret pœnam qui Fratrem delinquentem corrigere nollet, aut prudens omitteret.

Legen. Greg. IX.

XXXIII. Multa & magna erant propter quæ Vir ſanctus adeo ſanctam commendaret ædiculam. Ibi crevit & exinde dilatatus eſt Ordo Minorum; ibi Ordo incæpit Monialium; illic plura præſtita ei cœlitus beneficia; illic ſæpius colloquia habuit Angelorum; illic multoties viſa Virgo ſanctiſſima; ibidem ſe videndum aliquoties Chriſtus exhibuit; ibidem etiam impetrata Indulgentia illa magna Portiunculæ ad proximorum ſalutem. Præcipua hæc capita quiſquam rudi, & impolito ita complexus eſt carmine:

Sanctus ſanctorum vere eſt locus iſte locorum,
Digne magnorum cenſetur dignus honorum,
Felix [1] agnomen, felicius eſt ſibi [2] nomen
Et modo [3] cognomen ſortitur muneris omen.
[4] Angelicum numen hic circumfundere lumen,
Et pernoctando ſolet hymnos voce ſonare.
Poſtquam tota ruit, Franciſcus eam reparavit:
Ex tribus una fuit, quas ipſe Pater relevavit.
Hanc Pater elegit, cum ſacco membra ſubegit:
Hic corpus fregit, mentique ſubeſſe coegit.
Hoc intra Templum genitus fuit Ordo Minorum,
Dum patris exemplum ſectatur turba virorum.
Clara Dei ſponſa fuit hic primaria tonſa,
Pompis exuta mundi, Chriſtumque ſecuta.
Sic partum clarum Fratrum ſimul & Dominarum
Sacra [5] parens fudit, Chriſtum quibus orbe refugit,
Hic fuit [6] arctata veteris mundi via lata,
Et dilatata virtus in [7] gente vocata,
Regula conflata, paupertas ſancta renata,
Gloria proſtrata, [8] Crux in medium revocata.

1. *De Angelis.*
2. *S. Maria.*
3. *Portiuncula.*
4. *Excubiæ & pſalmodia Angelorum.*
5. *Quia in hoc Templo utrumque ortum Inſtitutum.*
6. *Tribus videlicet arctis votis.*
7. *In iis qui vocati ſunt ad Religionem.*
8. *Excitata memoria Paſſionis Dominicæ.*

Si-

Digitized by Google

Sicubi turbatur Franciſcus & accidiatur,
Hic tranquillatur, iſtic ſua mens revocatur,
Hic demonſtratur verum, de quo dubitatur;
Imo donatur, quidquid Pater ipſe precatur.

XXXIV. Tandem Vir ſanctus, ut veritatis exemplo monſtraret quod nihil erat illi commune cum mundo, in illa infirmitate tam gravi, quæ omnem languorem concluſit, ſuper nudam humum ſe totum nudatum in ſpiritus fervore proſtravit, quatenus hora illa extrema, in qua poterat adhuc hoſtis iraſci, nudus luctaretur cum nudo. Decubans ſic in terra, ſaccina veſte depoſita, faciem ſolito more levavit in cœlum; & intendens illi gloriæ totus, manu ſiniſtra dexteri lateris vulnus, ne videretur, obtexit, & ait ad Fratres: *Ego quod meum eſt, feci, quod veſtrum eſt, Chriſtus edoceat.* Illacrymantibus autem ſociis Sancti, qui miro fuerant telo percuſſi, unus ex eis, quem Vir Dei Guardianum ſuum eſſe dicebat, votum ipſius divina inſpiratione cognoſcens, feſtinus ſurrexit, & acceptam cum chordula, & femoralibus tunicam, pauperculo Chriſti obtulit, dicens: Hæc tibi tamquam pauperi commodo, & tu illa ſuſcipias obedientiæ ſancto mandato. Gaudet ex hoc Vir ſanctus, & jubilat præ lætitia cordis, quoniam fidem tenuiſſe dominæ paupertati uſque in finem ſe vidit, palmaſque levans ad cœlum, Chriſtum ſuum magnificat, pro eo quod exoneratus ab omnibus, liber vadit ad ipſum. Fecerat autem hæc omnia paupertatis zelo, ut nec habitum quidem vellet habere, niſi ab alio commodatum. Voluit certe per omnia Chriſto Crucifixo eſſe conformis, qui pauper, & dolens, & nudus in cruce pependit. Propter quod & in principio converſionis ſuæ nudus remanſit coram Antiſtite, & in conſummatione vitæ nudus voluit de mundo exire, Fratribuſque ſibi aſſiſtentibus in obedientia caritatis injunxit, ut cum viderent eum jam eſſe defunctum, per tam longum ſpatium nudum ſuper humum jacere permitterent, quo unius milliarii tractum ſuaviter quis perficere poſſet. O vere chriſtianiſſimum Virum, qui & vivens Chriſto viventi, & moriens morienti, & mortuus mortuo, perfecta eſſe ſtuduit imitatione conformis, & expreſſa promeruit ſimilitudine decorari!

Bonav. cap. 14. Legen. Greg. IX.

Moriens ponitur in nuda humo.

Rara paupertate de mundo triûphat.

Nudus Chriſto ſimilis voluit mori.

XXXV. Hora denique ſui tranſitus appropinquante, denuo fecit Fratres omnes exiſtentes in Cœnobio ad ſe vocari, & eos conſolatoriis verbis pro ſua morte demulcens, paterno affectu ad divinum eſt hortatus amorem. De patientia, paupertate, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ fide ſervandis; de perſeverantia in inceptis, & ſufferentia in ſuperventuris tribulationibus habenda ſermonem protraxit; deinde ſui teſtamenti tabulas has condidit, quibus a ſocio Fratre Angelo calamo exceptis, ultimam expreſſit voluntatem.

XXXVI. *Dominus dedit mihi Fratri Franciſco ita incipere facere pœnitentiam: quia cum eſſem in peccatis, nimis mihi videbatur amarum videre leproſos, ſed Dominus adduxit me inter illos, & feci miſericordiam cum illis. Et recedente me ab ipſis, id quod videbatur mihi amarum, converſum fuit mihi in dulcedinem animæ & corporis; & poſtea parum ſteti, & exivi de ſeculo. Et Dominus dedit mihi talem fidem in Eccleſiis ſuis, ut ita ſimpliciter adorarem & dicerem: Adoramus te ſanctiſſime Domine Jeſu Chriſte hic, & ad omnes Eccleſias tuas, quæ ſunt in toto mundo, & benedicimus tibi, quia per ſanctam crucem tuam redemiſti mundum. Poſtea dedit mihi Dominus, & dat tantam fidem in Sacerdotibus, qui vivunt ſecundum formam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, propter Ordinem ipſorum, quod ſi facerent mi-*

Cõverſionis initium.

Modus adorandi in Eccleſiis.

Reverentia erga Clericos.

Digitized by Google

mihi perſecutionem, volo recurrere ad ipſos. Et ſi haberem tantam ſapientiam, quantam Salomon habuit, & invenirem pauperculos Sacerdotes hujus ſeculi, in Eccleſiis, in quibus morantur, nolo prædicare contra voluntatem ipſorum. Et ipſos, & omnes alios volo timere, amare, & honorare, ſicut meos Dominos. Et nolo in ipſis conſiderare peccatum, quia Filium Dei cerno in ipſis, & Domini mei ſunt. Hæc propter hoc facio, quia nihil video corporaliter in hoc ſeculo de ipſo altiſſimo Filio Dei, niſi ſanctiſſimum Corpus & Sanguinem ſuum, quod ipſi recipiunt, & ipſi ſoli aliis adminiſtrant. Et hæc ſanctiſſima myſteria volo ſuper omnia honorari & venerari, & in locis pretioſis collocari. Sanctiſſima nomina & verba ejus ſcripta, ubicumque invenero in locis illicitis volo colligere, & rogo, quod colligantur, & in loco honeſto collocentur. Et omnes Theologos, & qui miniſtrant nobis ſanctiſſima verba divina, debemus honorare & venerari, ſicut eos, qui miniſtrant nobis ſpiritum & vitam. Et poſtquam Dominus dedit mihi curam de Fratribus, nemo oſtendebat mihi quid deberem facere; ſed ipſe Altiſſimus revelavit mihi, quod deberem vivere ſecundum formam ſancti Evangelii. Et ego paucis verbis, & ſimplicibus feci ſcribi, & Dominus Papa confirmavit mihi. Et illi, qui veniebant ad recipiendum vitam iſtam, omnia quæ habere poterant, pauperibus erogabant, & erant contenti tunica una intus & foris repetiata, qui volebant, cum cingulo & bracis, & nolebamus plus habere. Officium dicebamus nos Clerici ſecundum alios Clericos: Laici dicebant Pater noſter; *& ſatis libenter manebamus in Eccleſiis pauperculis, & derelictis, & eramus idiotæ, & ſubditi omnibus. Et ego manibus meis laborabam, & volo laborare, & omnes alii Fratres firmiter volo, quod laborent de laboritio, quod pertinet ad honeſtatem. Et qui neſciunt diſcant, non propter cupiditatem recipiendi pretium laboris, recurramus ad menſam Domini, petendo eleemoſynam oſtiatim. Benedictionis, & pacis ſalutationem hanc revelavit mihi Dominus, ut diceremus:* Dominus det tibi pacem. *Caveant ſibi Fratres ut Eccleſias, & habitacula, & omnia alia, quæ pro ipſis conſtruuntur penitus non recipiant, niſi eſſent ſicut decet ſanctam paupertatem, quam in Regula promiſimus, ſemper ibi hoſpitantes ſicut advenæ & peregrini. Præcipio firmiter per obedientiam Fratribus univerſis, quod ubicumque ſunt, non audeant petere aliquam litteram in Curia Romana per ſe, nec per interpoſitam perſonam, nec pro Eccleſia, nec pro alio loco, neque ſub ſpecie prædicationis, neque pro perſecutione ſuorum corporum: ſed ubicumque non fuerint recepti, fugiant in aliam terram ad faciendum pœnitentiam cum benedictione Dei. Et firmiter volo obedire Generali Miniſtro hujus fraternitatis, & illi Guardiano, quem ſibi placuerit mihi dare. Et ita volo eſſe captus in manibus ſuis, ut non poſſim ire, vel facere contra voluntatem ſuam, quia Dominus meus eſt. Et quamvis ſim ſimplex & infirmus, tamen ſemper volo habere Clericum, qui mihi faciat Officium, ſicut in Regula continetur. Et omnes alii Fratres ita teneantur firmiter obedire Guardianis ſuis, & facere Officium ſecundum Regulam. Et ſi aliqui inventi eſſent, qui non facerent Officium ſecundum Regulam, & vellent alio modo variare, aut non eſſent catholici; omnes Fratres ubicumque ſunt per obedientiam teneantur, quod ubicumque invenerint aliquem ipſorum, proximiori Cuſtodi illius loci, ubi ipſum invenerint, debeant præſentare. Et Cuſtos teneatur per obedientiam ipſum firmiter cuſtodire, ſicut hominem in vinculis die noctuque, ita quod non poſſit eripi de manibus ſuis, donec propria ſua perſona ipſum repræſentet in manibus ſui Miniſtri. Et miniſter teneatur firmiter per obedientiam mittere ipſum per tales Fratres, qui die noctu-*

Et erga myſteria divina.

Edoctus a Chriſto in Religionis fundatione.

Fugari vult otioſitatem.

Servari paupertatem in ædificiis.

Commendat obedientiam erga Prælatos.

que cuſtodiant ipſum, ſicut hominem in vinculis, donec repræſentent ipſum coram Domino Oſtienſi, qui eſt Dominus, Protector, & Corrector iſtius Fraternitatis. Et non dicant Fratres, hæc eſt alia Regula; quia hæc eſt recordatio admonitio, & exhortatio, & meum teſtamentum, quod ego frater Franciſcus parvulus veſter facio vobis Fratribus meis benedictis, propter hoc, ut Regulam, quam Domino promiſimus, melius catholice obſervemus. Et Generalis Miniſter, & omnes alii Miniſtri & Cuſtodes per obedientiam teneantur, in iſtis verbis non addere, vel minuere. Et ſemper hoc ſcriptum habeant ſecum juxta Regulam: & in omnibus capitulis, quæ faciunt, quando legunt Regulam, legant & iſta verba. Et omnibus Fratribus meis Clericis & Laicis præcipio firmiter per obedientiam, ut non mittant gloſſas in Regula, nec in iſtis verbis dicendo: ita volunt intelligi; ſed ſicut dedit mihi Dominus pure & ſimpliciter dicere, & ſcribere Regulam, & iſta verba, ita ſimpliciter & pure ſine gloſſa intelligatis, & cum ſancta operatione uſque in finem obſervetis. Et quicumque hæc obſervaverit, in cælo repleatur benedictione Altiſſimi Patris cæleſtis, & in terra repleatur benedictione dilecti Filii ſui, cum ſanctiſſimo Spiritu paraclito, & omnibus virtutibus cælorum, & omnibus Sanctis. Et ego Frater Franciſcus parvulus, & veſter ſervus in Domino, in quantumcumque poſſum, confirmo vobis intus & foris iſtam ſanctiſſimam benedictionem. Amen.

Et obſervantiam hujus teſtamenti.

Obſervanda regula ſine gloſſa.

XXXVII. Poſt hæc vocatos ad ſe fratres Angelum & Leonem juſſit, ut propter mortem jam propinquam laudes Domini, ſeu Canticum Solis ſibi decantarent; quibus expletis, ſuper circumſedentes Fratres manus in modum crucis extendit, quia hoc ſignum ſemper dilexit, & omnibus Fratribus tam præſentibus, quam abſentibus in Crucifixi virtute, ac nomine benedixit. Inſuper & adjecit: *Valete filii omnes in timore Domini, & permanete in eo ſemper. Et quoniam futura tentatio & tribulatio appropinquat, felices, qui perſeverabunt in his, quæ cæperunt. Ego vero ad Deum propero, cujus gratiæ vos omnes commendo.* Suavi hujuſmodi admonitione completa, juſſit Vir Deo cariſſimus Evangeliorum ſibi codicem apportari, & Evangelium ſecundum Joannem, quod incipit ab eo loco: *Ante diem feſtum Paſchæ*, ſibi legi popoſcit. Ipſe vero, prout potuit, in hujus Pſalmi vocem erupit: *Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Dominum deprecatus ſum*, & ad finem uſque complevit. *Me*, inquit, *expectant juſti, donec retribuas mihi.* Tamdem, cunctis in eum completis myſteriis, anima illa ſanctiſſima carne ſoluta, & in abyſſum divinæ caritatis abſorpta, beatus Vir obdormivit in Domino, die Sabbati IV. nonas Octobris, ætatis ſuæ anno XLV. a prima ſua converſione XX. a Religionis Inſtitutione XVIII. ut cum Bonaventura & Antonino boni quique notarunt Scriptores.

Tertio Fratribus benedicit.

Bonav. c.14.

Joan. 13. 1.
Pſal. 141. 1.

Bonav. cit.
Antonin. c.7. §. 6.

XXXVIII. Glorioſam Viri ſancti animam multos ex filiis e purgatorii ergaſtulo tunc dimiſſos aſſociaſſe, ſcribunt ex revelatione, & relatione Sancti cujuſdam ex ſibi coævis Thomas Celanus, & Bernardus a Beſſa, ille ſancti Franciſci, hic divi Bonaventuræ ſocius, e quibus rem largius retulit, ſed & pulchro minio, variiſque coloribus perbelle ante bis centum annos depinxit frater Jacobus Oddo Peruſinus in Speculo Franciſcano, vulgariter *Franceſchina*, apud me MS. Alter autem ex Fratribus, & Diſcipulis ſancti Viri (cujus nomen omiſit ſanctus Bonaventura; alii vero referunt, dicuntque fuiſſe fratrem Jacobum a Laude, ſane laude dignum, qui miraculis clarus jacet Aſſiſii ad Portiunculam) vidit animam illam beatam ſub ſpecie ſtellæ præfulgidæ a candida ſubve-

Aſſociant Franciſci animã alias conſodalium.

Oddo c.13.

Bonav. cit.
Legen. antiq.
Bern. Beſſ.

In ſtellæ fulgidæ ſpecie vehitur in cœlum.

ctam nubecula, ſuper aquas multas in cœlum recto tramite ſurſum ferri: tamquam ſublimis ſanctitatis candore prænitidam, & cœleſtis ſapientiæ ſimul, & gratiæ ubertate repletam, quibus Vir ſanctus promeruit locum introire lucis & pacis, ubi cum Chriſto ſine fine quieſcit. Miniſter quoque Fratrum in Terra Laboris tunc erat frater Auguſtinus de Aſſiſio, cujus mentionem præmiſimus tomo 1. Vir utique ſanctus & juſtus: qui in hora ultima poſitus, cum jam diu perdidiſſet loquelam, audientibus, qui aſtabant, ſubito clamavit, & dixit: Expecta me Pater, expecta: ecce jam venio tecum. Quærentibus Fratribus, & admirantibus multum, cui ſic loqueretur; audacter reſpondit: Nonne videtis Patrem noſtrum Franciſcum, qui vadit ad cœlum? & ſtatim ſancta ipſius anima migrans a carne, Patrem eſt ſequuta ſanctiſſimum.

An.1210. tom.1. n.38.& an.1216. n.3.

Simul evolat anima Auguſtini de Aſſiſio.

XXXIX. Epiſcopus Aſſiſinas ad Oratorium ſancti Michaëlis in monte Gargano tunc temporis peregrinationis cauſa perrexerat; cui beatus Franciſcus apparens nocte tranſitus ſui dixit: *Ecce relinquo mundum, & vado ad cœlum*. Mane igitur ſurgens Epiſcopus ſociis narravit, quæ vidit: & Aſſiſium rediens, cum ſollicite perquiſiſſet, certitudinaliter comperit, quod ea hora, quæ ſibi per viſionem innotuit, beatus Pater ex hoc mundo migravit. Alaudæ aves, lucis amicæ, & crepuſculorum tenebras horreſcentes, hora tranſitus ſancti Viri, cum jam eſſet noctis ſequuturæ crepuſculum, venerunt in multitudine magna ſuper tectum domus, & diu cum inſolita quadam jubilatione rotantes, gloriæ Sancti, qui eas ad divinas laudes invitare ſolitus erat, tam jucundum, quam evidens teſtimonium perhibebant. Videbantur juſta ſancto Viro ſoluiſſe, & pio Patri velut parentaſſe; idque merito, quia hoc avicularum genus præ ceteris diligebat, & quibus poterat modis, fovebat, quia in eis conſiderabat multa Minoritis, & bonis Religioſis imitanda. Dicta hæc avis galerita, ab elatis in capite plumis ad galeri, ſive galeæ ſimilitudinem. Talem formam Cuculli initio Ordinis Fratribus fuiſſe dictum eſt, tomo 1. Sed & colorem alaudarum imitabatur in habitu; qualis illis in plumis, talem volebat in veſtibus Fratrum, nativum, terrenum: ut meminerint communis originis terræ de qua ſumpti, quia Deus ita tulit ſententiam adverſus Adamum, *pulvis es, & in pulverem reverteris*. Ad hæc ubi illæ granum aliquod invenerint ad eſcam, mox in cœlum feruntur cantu, quaſi gratias agentes ſummo Deo omnium parenti, & alitori. Sic nos docent cœlum petere, deſpicere terram: Non vivere ut edamus, ſed eſſe ut vivamus: illud ſalutare monitum divini Apoſtoli obſervandum nobis; *ſive manducatis, ſive bibitis, ſive quid aliud facitis: omnia in gloria Dei facite*: ne in terris, ſed *noſtra converſatio in cœlis ſit*. Hæc contemplabatur in alaudis, hac cauſa plurimum eas amabat.

Apparet Epiſcopo Aſſiſiati.

Juſta ei ſolvunt alaudæ.

An.1208.num.4. & 5.tom.1.

Geneſ.3. v.19.

1. Cor.10. v.31. Phil.3. v.20.

XL. Corpus autem exanime Viri ſancti, Fratres ſuper nudam humum aliquantulo reliquerunt tempore, prout ipſe ſub morte rogavit; deinde elevatum, lotum, & tunica illa Jacobæ Romanæ obtectum, eidem piæ fœminæ commiſerunt ad votum amplexandum, & oſculandum. Piſanus, & Peruſinus ajunt, exenteratum, corde interioribuſque avulſis, & in altari Sacelli ad ſacrarii lævam repoſitis, ne dum Cadaver, in Civitatem transferendum, alibi ſepeliretur, remaneret pia illa ædes abſque aliqua corporis parte. Quidam ex Aſſiſiatibus, me teſte, de hoc dubitant, non improbabiliter putantes, illæſum, integrum, & clauſum remanſiſſe ſacrum corpus; idque eorum majoribus referunt perſuaſum ab aliquibus, qui illud meruerunt incorruptum videre, & palpare. Occaſionem vero

An exenteratum corpus Franciſci.

Piſan.conf.24.

Oddo.cit.

Digitized by Google

vero inde ſumptam, ut dicerentur interiora recondita in prædicto delubro, quia Vir ſanctus, dixit, cor ſuum ibi remanſurum, dum ceterum corpus voluit ſepeliendum in colle Inferni, loco malefactorum ſuppliciis deſtinato: ut ut fuerit, futuræ gloriæ ſigna manifeſtius repræſentavit caro illa ſanctiſſima, quæ crucifixa cum vitiis in novam jam creaturam tranſierat, & Paſſionis Chriſti effigiem privilegii ſingularitate præferret, & novitate miraculi Reſurrectionis ſpeciem præmonſtraret.

In corpore apparent ſigna futuræ gloriæ. *Galat. 5. v. 24.*

XLI. Cernebantur quidem in membris illis felicibus clavi ex ejus carne virtute divina mirifice fabrefacti: ſicque carni eidem innati, quod dum a parte qualibet premerentur, protinus quaſi nervi continui & duri ad partem oppoſitam reſultabant. Inventa quoque fuit patentius, in ipſius corpore, non inflicta humanitus, neque facta, plaga vulneris lateralis, inſtar vulnerati lateris Salvatoris; quod redemptionis & generationis humanæ in ipſo Redemptore noſtro protulit ſacramentum. Erat autem ſimilitudo clavorum nigra quaſi ferrum: vulnus autem lateris rubeum, & ad orbicularitatem quamdam carnis contractione reductum, roſa quædam pulcherrima videbatur. Caro vero ipſius reliqua, quæ prius tam ex infirmitate, quam ex natura ad nigredinem declinabat, candore nimio reniteſcens, illius ſecundæ ſtolæ pulchritudinem prætendebat. Membra ipſius adeo mollia & tractabilia ſe præbebant palpantibus, ut converſa viderentur in teneritudinem puerilis ætatis; & quibuſdam cernerentur evidentibus ſignis innocentiæ decorata. Cum igitur in candidiſſima carne clavi nigreſcerent, plaga vero lateris ut vernans roſeus flos ruberet, mirandum non eſt ſi tam formoſa, & miraculoſa varietas jucunditatem & admirationem contuentibus ingerebat. Lacrymabantur filii pro ſubtractione tam amabilis Patris: ſed & non modica perfundebantur lætitia dum deoſculabantur in eo ſignacula ſummi Regis. Miraculi novitas planctum vertebat in jubilum, & intellectus rapiebat indaginem in ſtuporem. Erat quippe tam inſolitum, tamque inſigne ſpectaculum contuentibus omnibus, & firmamentum fidei, & incitamentum amoris: audientibus vero admirationis materia, & excitatio deſiderii ad videndum. Audito ſiquidem tranſitu Patris, & fama diffuſa miraculi, accelerans populus confluebat ad locum, ut id cernerent oculis carnis, quod a ratione dubium omne repelleret, & affectioni gaudium cumularet. Admiſſi ſunt igitur Aſſiſinates Cives quamplurimi ad ſtigmata illa ſacra contemplanda oculis, & labiis oſculanda. Unus autem ex eis miles litteratus quidam, & prudens Hieronymus nomine, vir utique famoſus & celeber, cum de hujuſmodi ſacris ſignis dubitaſſet, eſſetque incredulus, quaſi Thomas, ferventius, & audacius coram Fratribus & aliis Civibus, movebat clavos, Sanctique manus, pedes, latus manibus propriis contrectabat: ut dum vulnerum Chriſti veracia illa ſigna palpando contingeret, & de ſui, & omnium cordibus omnis dubietatis vulnus amputaret. Propter quod & ipſe inter alios hujus veritatis, tam certitudinaliter agnitæ, teſtis conſtans poſtmodum effectus eſt, & tactis ſacroſanctis, juramento firmavit. Fratres autem, & filii, qui vocati fuerant ad tranſitum Patris cum omni multitudine populorum noctem illam, in qua almus Chriſti Confeſſor deceſſit, ſic divinis laudibus dedicarunt, ut non defunctorum exequiæ, ſed Angelorum excubiæ viderentur. Affixit autem ad feretrum quidam ex circumſtantibus verſificator bina hæc carmina.

Clavi & vulnus laterale.

Eorum forma.

Caro ejus candida, & membra tractabilia.

Confluunt multi ad ſacra vulnera contuenda.

Marian. cit.

Hic expiravit, qui mundum ſuppeditavit,
Qui ſacram mentem direxit in omnipotentem.

XLII. Mane autem facto die Dominica, turbæ, quæ convenerant, acceptis arborum ramis, & cereorum multiplicatis luminibus, cum hymnis, & canticis ſacrum corpus ad Civitatem Aſſiſii detulerunt. Tranſeuntes vero extra Civitatem per Eccleſiam ſancti Damiani, in qua Virgo illa nobilis Clara cum Virginibus incluſa morabatur, ibique aliquantulum ſubſiſtentes, ſacrum corpus margaritis cœleſtibus inſignitum, videndum, & oſculandum ſacris illis Virginibus obtulerunt. Omnes flere, omnes ereptum ſibi Patrem, & Inſtitutorem dolere; omnes item ſingulare, & cœleſte admirari prodigium, tunc recordantes promiſſi ſibi facti a ſancto Viro, ſe quantumvis morti proximum, ab illis ante earum obitum videndum. Laboravit autem Primiceria Clara pro extrahendo uno clavorum, qui prominebant ex palmis, nec potuit; intinxit tamen ſanguine linteolum, & menſus eſt ſancti Patris corpus ad cujus ſtaturam poſtea curavit fieri quoddam receptaculum ad tribunæ dorſum, ubi & ejus imaginem fecit depingi. Subtractum deinde corpus, quod diutius ſibi vellent ſacræ Virgines relinqui; Optimates Cives ſimul cum præcipuis ex Fratribus in humeros elevantes, pervenerunt ad Civitatem cum jubilo, & pretioſum theſaurum, quem portabant, in Eccleſia ſancti Georgij cum omni reverentia condiderunt; neque enim tunc in colle Inferni, ubi ſe ſepeliri volebat, aptus erat ſepulturæ locus, juſtumque erat, ut in illa Eccleſia, in qua puerulus litteras didicit, ibique poſtmodum primitus prædicavit, poſtremo ibidem locum quietis acciperet.

Fertur corpus ad ædem ſancti Damiani.

Ei inhærent Clara, & ceteræ Moniales.

Conditur ad ſanctum Georgium.

XLIII. Cœpit autem Vir beatus continuo divinæ faciei ſuperirradiante reſpectu, magnis, & multis coruſcare miraculis, ut ſublimitas ſanctitatis ejus, quæ ipſo vivente in carne, ad morum directionem per exempla perfectæ juſtitiæ innotuerat mundo, illo jam regnante cum Chriſto, ad omnem fidei firmitatem, per miracula divinæ potentiæ comprobaretur e cœlo. Multa patravit in ipſo funere, reſtitutis ſanitate pluribus infirmis, neque deinceps plurima edere ceſſavit in diverſis Orbis partibus, quæ ad Romani Pontificis aures delata, ut paulo poſt canonizaretur, effecerunt. Præcipua nos, cum de miraculorum & vitæ proceſſu, & ſancti Viri canonizatione egerimus, compendiatim referemus.

Clareſcit crebris miraculis.

XLIV. Scripſit ſtatim de ſancti Præceptoris & Inſtitutoris morte ad univerſas Provincias Vicarius Generalis Elias. Exemplar litterarum ad Provincialem Franciæ miſſarum accepimus ex Conventu Recollectorum Valencenarum in Belgio, ubi ſervantur originariæ, quas Guillelmus Spoelberch Provinciæ Germaniæ inferioris definitor tranſcripſit ineditum & limatum a ſe Speculum vitæ ſancti Franciſci & Sociorum ejus, neglectis multis apocriphis & frivolis narrationibus, quæ in vetuſta editione habebantur: quod etiam conſultius feciſſet Philippus Boſquierus Provinciæ Flandriæ in alia poſteriori, quam fieri curavit anno proxime elapſo Coloniæ Agrippinæ; a quo illud ſcire cupierim, unde accepit, fratres Fabianum, & Hugelinum cum aliis Minoritis ſancto Franciſco coævis, ejus libelli Auctores fuiſſe: ſed & Henricus Sedulius vir eruditus & pius, ejus Conditores vult Leonem, Angelum, & Ruffinum ſancti Franciſci comites perpetuos. Hi ſane ſancti Patris Legendam compilarunt, non Opuſculum hoc; ex illa multa hic inſerta, ab aliis longe poſterioribus recentiora addita. Compilator hujus Operis vixit poſt annum

Scribit Elias ad omnes Provincias de morte S. Franc.

Spoelberch. Spec. par. 2. c. 51.
Quis fuit auctor Speculi S. Franciſci.

Boſquierus Sedul. in notis ad vit. S. Franc. c. 13. n. 1.

num mccc. idque admittet Pater Boſquierus, ſi antiquum legat volumen vetuſtæ impreſſionis Venetæ anni mdiv. fol. 77. & 78. aut a ſe noviter editum centuria prima c. 96. ubi ex quodam eventu anni mccciii. confirmatur veritas Indulgentiæ ſanctæ Mariæ de Portiuncula, & c. 97. ad id ipſum aliorum inducitur teſtimonium ſub anno mcccx. Non itaque librum ſcribere potuerunt tres illi Socii a Sedulio aſſignati, neque coævi illi a Boſquiero relati, neque certo ullo argumento, aut probata operis inſcriptione hucuſque conſtitit de legitimo ejus Auctore. His incidenter de hoc opere, quod ſæpius citavimus, adnotatis, ſubjicimus ſupradictarum litterarum tranſumptum, ex quo Eliæ in ſcribendo peritiam, in Scripturis referendis eruditionem, & erga ſuum Inſtitutorem pietatem filialem, non obſcure Lector percipiet.

Dilecto ſibi in Chriſto Fratri Gregorio Miniſtro Fratrum, qui ſunt in Francia, cum omnibus Fratribus ſuis, & noſtris frater Elias peccator ſalutem.

XLV. *Antequam loqui incipiam ſuſpiro, & merito quaſi inundantes aquæ, ſic rugitus meus, quia timor quem timebam, evenit mihi, evenit & vobis; & quod verebar accidit mihi, accidit & vobis, quia longe a nobis factus eſt conſolator, & qui portabat nos, velut agnos in brachio ſuo, peregre profectus eſt in regionem longinquam. Dilectus Deo & hominibus receptus eſt ad lucidiſſimas manſiones, qui legem vitæ, & diſciplinæ docuit Jacob, & teſtamentum pacis tradidit Iſrael. Gaudendum nimis eſt propter eum, ſed dolendum nobis, quos, ipſo abſente, circumdant tenebræ, & operit umbra mortis, commune damnum, ſed meum ſingulare periculum, quem in ipſo tenebrarum medio dereliquit multis occupationibus circumdatum, & oppreſſum flagellis innumeris. Propterea deprecor, dolete mecum, Fratres, quia ego nimis doleo, & condoleo vobis, quoniam pupilli ſumus abſque Patre, & orbati lumine oculorum noſtrorum. Vere, vere lumen erat præſentia Fratris, & Patris noſtri Franciſci, non ſolum nobis, qui eramus prope, ſed & his, qui longe erant a nobis profeſſione & vita. Erat enim lux a vera luce emiſſa illuminans his, qui in tenebris erant, & in umbra mortis ſedebant, ut dirigeret pedes eorum in viam pacis. Quod & fecit, prout verus meridies oriens ex alto illuſtrabat cor ejus, & accendebat voluntatem igne amoris ſui, prædicans regnum Dei, & convertens corda patrum ad filios, & imprudentes ad prudentiam juſtorum, & in univerſo mundo paravit Domino plebem novam. Ad inſulas longe divulgatum eſt nomen ejus, & miratæ ſunt univerſæ terræ mirabilia opera ejus. Propterea nolite Filii & Fratres, triſtari quod excedat modum, quoniam orphanorum Pater Deus conſolabitur nos conſolatione ſua ſancta, & ſi fletis, Fratres, ſuper vos ipſos flete, non ſuper illum: nam media vita in morte ſumus, ipſe vero tranſiit de morte ad vitam: jucundamini, quia antequam tolleretur a nobis tamquam alter Jacob omnes filios ſuos benedixit, & omnibus remiſit culpas, quæ in eum factæ fuiſſent, vel cogitatæ ab aliquo noſtrum. Et his dictis annuncio vobis gaudium magnum, & miraculi novitatem. A ſeculo non eſt auditum tale ſignum, præterquam in Filio Dei, qui eſt Chriſtus Deus. Non diu ante mortem Frater, & Pater noſter apparuit Crucifixus, quinque plagas, quæ vere ſunt ſtigmata Chriſti, portans in corpore ſuo: nam manus ejus & pedes, quaſi puncturas clavorum habuerunt ex utraque parte confixas, reſervantes cicatrices, & clavorum nigre-*

Job. 3. 24. Thren. 1. 16. Franciſcus communis conſolator. Oſee. 11. 3. Matth. 21. 33. Eccleſ. 45. 6. Thren. 5. 3. Lux etiam e cœlo emiſſa. Luc. 1. 79. Luc. 1. 17. Eccl. 47. 17. Luc. 23. 28. Gen. 49. v. 3. Stigmatum teſtimonium.

Digitized by Google

nigredinem oſtendentes, latus vero ejus lanceatum apparuit, & ſæpe ſanguinem evaporavit. Dum adhuc vivebat ſpiritus ejus in corpore, non erat in eo aſpectus, ſed deſpectus vultus ejus, & nullum membrum in eo remanſit abſque nimia paſſione. Ex contractione nervorum membra ejus rigida erant ſicut ſolent eſſe hominis mortui, ſed poſt mortem ejus pulcherrimus aſpectus eſt, miro candore rutilans, lætificans videntes. Et membra, quæ prius rigida erant, facta ſunt mollia nimis, ſeſe vertentia huc atque illuc ſecundum poſitionem ſuam, tamquam pueri delicati. Ergo, Fratres, benedicite Deum cœli, & coram omnibus confitemini illi, quia fecit nobiſcum miſericordiam ſuam, & habete memoriam Patris, & Fratris noſtri Franciſci, ad laudem & gloriam ejus, qui magnificavit eum inter homines, & coram Angelis glorificavit illum. Oretis pro ipſo, ſicut antea a nobis poſtulavit, & ipſum orate, ut Deus nos cum ipſo efficiat ſuæ gratiæ ſanctæ participes. Amen.

(Membra tractabilia poſt mortem.) (Tob. 12. 6.)

Quarto nonas Octobris die Dominica, prima hora noctis præcedentis Pater, & Frater noſter Franciſcus migravit ad Chriſtum. Vos ergo cariſſimi Fratres, ad quos litteræ præſentes pervenerint, Iſraelitici populi ſequentes veſtigia deplorantis Moyſen, & Aaron inclytos duces ſuos, viam demus lacrymis tanti Patris ſolatio deſtituti. Licet enim pium ſit congaudere Franciſco, pium eſt tamen flere Franciſcum. Revera pium eſt congaudere Franciſco, quoniam ipſe non obiit, ſed ad cœleſtes nundinas abiit, ſaccum pecuniæ ſecum ferens, & in plenilunio reverſurus. Pium eſt flere Franciſcum, quoniam qui egrediebatur, & ingrediebatur tamquam Aaron, & ferens nobis de theſauro ſuo nova & vetera, & conſolans nos in omni tribulatione noſtra, de medio noſtri ſublatus eſt, & nunc pupilli dicimur abſque patre. Sed quoniam ſcriptum eſt: Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adjutor. *Omnes, Fratres cariſſimi, oretis inſtanter, quod ſi laguncula teſtea confracta eſt in valle filiorum Adam: ſummus tamen ille figulus aliam honorificam reſtaurare dignetur, quæ ſit ſuper multitudinem gentis noſtræ, & nos, ſicut verus Machabæus, antecedat ad prælium. Et quia non eſt ſuperfluum orare pro mortuis, pro anima ejus oretis ad Dominum. Quilibet Sacerdos dicat tres miſſas, ſinguli Clerici Pſalterium, Laici quinque Pater noſter, Clerici dicant ſolemniter vigiliam in communi. Amen.*

(Quo die mortuus.) (Gaudium, & dolor in morte Franciſci.) (Pſal. 9. 14.)

Frater Elias peccator.

(Elias magnæ apud exteros opinionis.)

XLVI. Qui huic Chirographo, aut modo credat ſubſcribendi, & ceteram legat attente epiſtolam, nullum magne pium aut humiliorem dixerat Elia: ſane apud exteros, qui hominis genium penitus non examinarant, egregie audiebat circa Fratrum regimen, & morum pietatem. Graviſſimus vir Lucas Tudenſis illius temporis Antiſtes, qui hoc ipſo vel ſequenti anno ex Hieroſolymis regreſſus, cum Elia ſermonem habuit (quippe quinquennio ab impreſſis ſancto Franciſco ſtigmatibus opus ſuum adverſus Albigenſium errores ſcripſit, ut ipſe teſtatur lib. 2. c. 11. & lib. 3. c. 14. & 15. meminit antea initi colloquii cum Elia, jam Franciſci ſucceſſore) eum vocat Virum ſanctiſſimum, beatiſſimi Patris Franciſci ſucceſſorem, & Virum venerabilem, cujus ſolius auctoritatem ſibi ſufficere judicavit, ut in gravi opere adverſus obſtinatiſſimos hæreticos ſcribendo referret in fidei noſtræ confirmationem, quæ hic oretenus eidem narraverat. Ab aliis etiam grave accepit teſtimonium, dum pietatem prætulit, quæ tanta fuit, ut omnium conſodalium ſibi conciliarit amicos, & ſuffragia, cooptatus anno ſequenti Romæ in Miniſtrum Generalem. Sed erectus ſuper Fratres ſuos *juſtificationem ſuam, quam cœpit tenere,* de-

(Job. 27. 6.)

Digitized by Google

deſeruit, neque in loco magni hujus tentorii *longos fecit funiculos ſuos, neque clavos ſuos conſolidavit* Dei timore, & ſancta humilitate; ſed *exaltatum eſt cor ejus, & lætati ſunt oculi, & ambulavit in magnis*, propter quod *remotum eſt candelabrum ejus de loco ſuo*, & ſubſtitutus eſt alter in ſede ejus, ut amplius referemus ad annum MCCXXX.

Iſaiæ 54. 2.
Pſal. 130. 1.
Apoc. 2. 5.

XLVII. Beatæ Eliſabethæ ſub tenero & pio caſtiſſimæ ſponſæ præludio ſuperius virtutes deſcripſimus; nuptæ, item & ſub inviolata lege mariti ſanctiſſimam vitam jam per quinquennium agentis cetera præclariſſima facta jam ſub hoc ultimo anno ſui cum optimo Principe Ludovicô Lantgravio conſortii, libet recenſere. Per id tempus ſacerdos Chriſti Conradus Marpurgenſis vita & eruditione præclarus fuit. Is facta ſibi a Pontifice maximo poteſtate, verbum Dei per Alemaniam prædicandi, adeo dexteritate pariter, & auctoritate concionandi valuit, ut non minus ſeveritate rebelles compeſceret, quam bonos alliceret, animaretque comitate. Verbis vita adamuſſim reſpondebat; erat enim divitiarum & ambitionis contemptor, Religionis Chriſtianæ ardens zelator, hæreticorum hoſtis, ac impugnator acerrimus. Eccleſiaſtica bona neque per ſe ambire non habita, neque ſuſcipere oblata unquam eſt adnotatus. Veſtis illi vulgarem non excedens, menſa frugalis, domeſticæ diſciplinæ fama incolumis. Huic Ludovicus clariſſimus Princeps omnes Templorum præfecturas ac Sacerdodotia, quæ ipſe conferre habebat, conferendi in quos vellet, poteſtatem dedit; utque ab Eliſabetha obedientia, matrimonio congruens, præſtaretur, aſſenſus eſt: quam illa & devotiſſime præſtitit, & ſtudioſiſſime ſervavit, non ſolum toto biennio, quo Princeps poſtea ſupervixit, verum etiam poſtea quam e vita migravit, & quidem multo promptiorem abſolutioremque. Habiturus aliquando concionem idem Magiſter, de rebus, ut ſolebat, divinis, eidem Chriſti famulæ intereſſe præceperat. Quod cum illa inopinato Sororis Viri ſui adventu præpedita, non impleſſet, ſtatim ut inobedienti remandat, incertum ſerio, an tentandi aſtu, nolle ſe deinceps quidquam ipſi jubere, quæ datam obedientiæ fidem tam facile rupiſſet; uteretur deinde libertate ſua: haud eum ſe virum eſſe, qui verba ſibi dari æquo animo poſſet ferre. Hoc nuncio vehementer Eliſabetha percuſſa, Magiſtrum poſtridie maturius adit: dejectiſque in terram profundo pudore, luminibus, veniam ſibi dari ſuppliciter poſcit. Quam cum ille veluti indignabundus averſaretur, ad pedes ejus regia mulier, nulla habita generis ſui ratione, advolvitur: ea demum humilitate veniam conſecuta, cæſis tamen prius ancillis, quarum forſan negligentia cauſam huic offenſæ dederat.

Conradus Marpurgen. laudatur.

Sur. in vita beatæ Eliſabethæ. Monta. c. 6. Theodoric. l. 3. c. 11.

Promittit ei obedientiam Eliſabetha.

Reprehenditur ob neglectã obedientiam.

XLVIII. Quis, qualiſve fuerit hic Conradus Eliſabethæ inſtructor, non omnibus compertum. Trithemius in Chronico Hirſaugienſi ad annum MCCXIV. & MCCXXXIII. Dominicanum conſtituit, modo de hoc noſtro ſermonem inſtituat. Conradum etiam Teutonicum Inquiſitorem per Germaniam a Gregorio IX. creatum, martyrio coronatum, quæ etiam hujus Viri ſunt notæ, ſuis conſodalibus adſcribunt Leander Albertus, ex eo Antonius Senenſis, & Ferdinandus Caſtillo. Attamen vel eos errare, vel hunc alium ab illo eſſe manifeſte probant temporis ratio, Auctores coævi, & Pontificia diplomata. Anno MCCXIV. non potuit auctoritate Apoſtolica prædicare per Germaniam, ut habet Trithemius, nec Inquiſitionis exercere officium; neque enim ante annum MCCXVI., vel ſequentem, confirmato jam Inſtituto, ſanctiſſimus Pater Dominicus quempiam ex ſectatoribus e Toloſa ad alias regiones tranſmiſit, ut ſcribit

Trithem. in Chrõ. Hirſaug.

Quis fuit hic Conradus.

Leand. de vir. illuſtr. lib. 2. Senenſ. in Chron. Caſtil. l. 1. c. 13. & lib. 1. c. 12. Caſtil. lib. 1. c. 25.

bit ſacri illius Inſtituti Chronologus Caſtillo. Officium etiam contra hæreticos inquirendi Conrado huic noſtro non tribuit Innocentius III. qui anno illo MCCXIV. ſedit, neque ejus Succeſſor immediatus Honorius, ſed Gregorius IX., ut videre eſt in ejus regeſto ad annum VII. Pontificatus ep. 173. Ex eodem etiam regeſto conſtat officio egregie fungentem e Moguntia venientem, ut concitatum contra ſe odium declinaret, juxta nativum ſolum Marpurch trucidatum fuiſſe anno MCCXXXIII. a militibus Dominorum de Dornbarch & amicis Comitis Seynenſis, ut refert Trithemius. Ille autem Conradus Teutonicus, de quo ſupra citati Scriptores Dominicani, occiſus eſt in publico foro, dum frequenti populo concionaretur anno MCCXXVIII. ut, præter ipſos, Bzovius confirmat. Auctores coævi Jacobus Montanus Spirenſis, Anonymus quidam Minorita ſcriptor vitæ ſanctæ Eliſabethæ MS. in noſtra Bibliotheca Lovanienſi, Theodoricus Turingus Dominicanus apud Henricum Caniſium torres, Clerici ſæcularis notas in hoc noſtro deſcribunt, & expreſſe Theodoricus ſimplici, modeſto, & humili clericali habitu contentum affirmat. Gregorius Pontifex anno VII. ſui Pontificatus ep. 337. ſcribens ad Prælatos Eccleſiarum de ejus morte, & anno IX. ep. 167. & 168. ad Archiepiſcopum Salzeburgenſem, ut procedat contra interfectores ejuſdem nullius regularis Inſtituti fuiſſe indicat apertius. Quare facile mihi perſuadeo, illum Dominicanum alterum ab hoc fuiſſe, vel omnino deceptos, qui hunc Prædicatoribus connnmerant.

Trithem. cit. in Chron. Sponbeimen. an. 1232. & 1233.

Montan. in vita S. Eliſabethæ c. 6.

Anon. in vita ejuſdem.

Theodor. lib. 3. c. 11.

Quando ei promiſit obedientiam.

Anon. cit. Theod. cit.

Abſtinet cibis ex magiſtri præcepto.

XLIX. Anno proxime elapſo huic pio viro obedientiam promiſiſſe in Cœnobio ſanctæ Catharinæ Sanctimonialium Ordinis Ciſtercienſis Civitatis Yſenacenſis, vult cum anonymo noſtro Theodoricus, dum duobus annis, vivente marito, obedientiam hanc ei ſcribit præſtitiſſe. Ludovicus autem princeps anno MCCXXVII. e vivis exceſſit. Multas certe ſub eo didicit virtutes, magnamque ſuo vim intulit corpori. Solebat in convivio præter morem nobilium fœminarum, Principi proxima reſidere: volens etiam hanc in parte ſuam erga illum caritatem demonſtrare, licet hoc ipſi non parum afferret incommoditatis. Nam accepto Magiſtri mandato, ne quo victu per vim, aut per aliud compilationis genus parto, aleretur; magno prorſus cogitationum æſtu jactari cœpit, dum menſæ aſſidens, nunc hos, nunc alios cibos attingere vereretur: dumque ad ſingula edulia conſcientiæ ſcrupulo permovetur; omnibus pariter abſtinere tam non potuit, quam non debuit. Tres ancillarum, ſocias abſtinentiæ hujus habuit, quarum tranquillitati perinde, atque ſuæ proſpectura, ex aliis quæ in dotem acceperat, tam ſibi quam illis victum miniſtrari procuravit. Principis etiam ea in re favorem ac comitatem experta ſingularem, qui ſi quippiam ſcrupulo futurum inferri menſis contigiſſet, ejus rei certiorem, vel nutu, vel inſinuatione maritali, faciebat uxorem. Deſtinabat & ipſe pari ſemet abſtinentiæ mancipare; propalam etiam teſtatus, ægre ſibi tam ſalubris propoſiti virtutem, quo minus ad rem celeriter conferret, offenſione procerum quorumdam intercipi, retardarique, qui continentiam ejuſmodi non Religioni ac devotioni, ſed ſuperſtitioni magis atque delirio adſcriberent; daturum tamen ſe operam, ut quamprimum, vellent nollent obtrectatores, quod perſancte deſtinaſſet, in lucem ederetur, pergerent illæ, ut cœpiſſent, perbrevi ſe comitem habituræ. Oeconomos adeatraſque nonnunquam Eliſabetha, dum officinas circumiret, utpote Domina domeſticæ particeps curæ, percunctari ſollicita; juſtene partus, an ſecus, eſculentorum poculentorumque proventus ſup-

Eam Princeps imitatur.

ſuppeteret? Ubi reſcivit, utraque juſte proveniſſe, indeque victum diei præſentis ſuppeditatum iri, veluti gratulabunda hoc ipſum ancillis aperiens: Hodie, inquit, Deo propitio, laute excipiemur & humaniter. Neque vero continuo illam inter exquiſitas etiam ciborum lautitias, temperantiæ ſubibat oblivio; aſtu quodam officioſo genium ſuum fraudare ſolitam. Enim vero dum nunc Principem alloquitur, nunc his lautiores buccellas apponit, nunc illis poculum officii gratia porrigit, nunc ſtatoribus, ancilliſve negotium aliquod injungit; etiam ipſa a non curantibus eſitare putari poterat: cum tamen aliis affatim expletis, ſæpius ipſa famelica triclinio exceſſerit, tortuliſve mellitis, aut arido pane ſuſtentari habuerit neceſſe. Ceterum ſi cui ademptam injuſte rem familiarem comperiſſet, confeſtim damnum omne ita reſarcire curavit, ut is, qui jacturam feciſſet non tam perdidiſſe, quam commutaſſe res ſuas videretur. *Arte fraudat ſuum genium.*

L. Advenerat feſtus quidam dies, cum Eliſabetha pretioſis ornata veſtibus, aureamque capite geſtans coronam, ac familia frequenti ſtipata, de more chriſtiano, rebus divinis interfutura, in ſubjectam arci Divorum Baſilicam ibat. Ingreſſam primo ſtatim contuitu crux Dominica, atque ex ea pendens imago Salvatoris, penitiſſime compunxit, compunctæ lacrymas excuſſit, lacrymanti talia cogitanda ſuggeſſit: En Creator, & Redemptor meus nudo corpore, brevi dumtaxat præcinctus tegimine mea cauſa ignominioſam in cruce mortem oppetit: & ego miſera, gemmis, auro, byſſo, & purpura contecta, vitam cœleſtibus indignam beneficiis, perdo magis quam ago. Illius caput intra Pilati ædes ſpinea corona diſpunxit, meum vero aurea venuſtat. Illum ab amicis deſertum, Judæorum vallarunt opprobria: me numeroſa circumdatam familia, cuncti mirantur, ſuſpiciunt, honorant. Hic meus eſt erga illum obſervantiæ fervor? Hæc animi gratitudo? Hoc vicariæ dilectionis munus? Me miſeram, me infelicem! Sic illius obedio præceptis; beneficia revolvo, veſtigia ſequor, qui me cum non eſſem, creavit, perditamque ſuo ſanguine redemit? Tantæ autem hi cogitatus intentionis erant, ut deſtituto viribus corpuſculo, ac facie tota in pallorem verſa, repente Regia Mulier humi veluti exanimis prolaberetur, cunctis qui eam ſtipabant vehementi pavore perculſis: elatamque foras tantiſper ſacris undis aſpergere perſeverantibus, dum ſtupore ceſſante, compos mentis redderetur. Hac defectione, veluti quodam oraculo perſuaſa, pretioſo deinceps amictu, quo ad ejus perſonæ, quam gerebat, honeſtas pateretur, abſtinuit: ita ut ſæpenumero ſub holoſericis veſtibus cilicium geſtarit. *Moman. c. 7.* *Compungitur vehementer ad Crucifixi contuitum.* *Cilicium ſibi circumdat.*

LI. Principem ſi quando longius proficiſcentem ſequi non poſſet, domi remanens, omnem prorſus veſtium ſibi cultum interdicebat, amictuque nativi coloris contenta: ut a plebeis haud multum differret. Tum etiam precationum aſſiduitate, verberum uſu, vigiliarum productione carnem ſpiritui ſubjugans: blandientes pro ætate voluptates, haud ſecus atque jam viduam agens, edomabat. Reverſo Principe etiamnum ipſa, quam ad tempus virtutis gratia ſepoſuerat, veſtem comptiorem reſumebat, ſcite admodum declarans, quid, abſente marito, caſtam uxorem, quid, domi agente, præferre deceat. Tentavit & opulentas quaſdam mulieres, quibus familiariter devincta erat, abſtrahere a luxu pretioſarum veſtium, exemplo ſimul & verbo. Nec eam fefellit eventus. Nam etſi difficili primum aditu, pertinaci tamen inſtantia aliquando quod volebat, perſuaſit; effecitque, ut quædam illarum voto etiam *Honeſtis utitur veſtibus.* *Alias mulieres ad exemplũ perducit.*

Tres ei liberi fuere.

perpetuæ caſtitatis ſemet obſtringerent. Tres præterea liberos ex Eliſabetha præſtantiſſimus Princeps ſuſtulit, filium unum Hermannum nomine paterni Principatus hæredem, duaſque filias quarum una Duci Brabantiæ in matrimonium collocata eſt; altera Sanctimonialium adſcita Collegio, atque in Dominam electa, illis religioſe præfuit. Ceterum Eliſabetha partu edito, poſt expletum legitimi temporis ſpatium, quo ſe limine continere conſueverunt puerperæ, ipſa per ſe geſtare ſobolem, atque nudis pedibus, amictu laneo, mediocri comitatu per declive ſaxoſi montis iter deportatam Templo inferre, illatam una cum cereo funali ponere ſuper aram ſolebat. Reverſa dehinc domum, mox paupérculam mulierem obiter adnotatam, & tunica donabat & pallio.

Quos ipſamet pie intulit Templo.

Monta. c. 8.

Erga pauperes miſericors.

Job. 31. 18.

Pauperis horrido capiti dempſit crines, lavit, fovit in gremio.

LII. Maxima ſane commiſeratione erga pauperes, atque incommodis membrorum laborantes erat, ut ei concinne admodum ſancti Job verba convenirent. *Ab infantia crevit mecum miſeratio, & de utero matris meæ egreſſa eſt mecum*. Huic virtuti, ne ſterilis eſſet, adjuncta erat munificentia, ad quam cum ſua ſponte incitaretur, ubi & Principis favor acceſſit, properanti, ut dici ſolet, calcaria ſunt addita. Pauperi cuidam phthiriaſim patienti, atque ex capite non mediocriter laboranti, captato intra pomarium ſecreto, ne quis interveniret, capillum totonderat: deletiſque pediculis, caput infirmum humiliter lotum, aliquamdiu materno in gremio foverat; cum ecce caſu illuc accedentes Ancillæ, ubi Dominam quo nolebant occupatam miniſterio vident, haud ſe continere poſſunt, quominus illam acerbiuſcule objurgent, quod exorta regio ſanguine mulier, uſque ad tondendos crines, pediculoſque conficiendos ſeſe dejiceret. Quam illa reprehenſionem placido riſu vultum ſerenans parvi fecit: Chriſto enim, non hominibus placere geſtiebat. Magnum hoc veræ pietatis exemplum: longe tamen majus quod ſequitur.

LIII. Venerant ad Principem Comites aliquot, Procerumque non pauci. Jamque convivii tempus advenerat, cum reſidentibus cunctis, abierat Eliſabetha. It, juſſu Principis ſtatorum unus accitum illam. Cui cum obviam factæ nunciaſſet, cunctos ad ipſius adventum pendere convivas, illa maturius incedens, ubi cœpit gradus, qui ad triclinium pertinebant, aſcendere; ſubito mendicus quidam importunis clamoribus eleemoſynam depoſcere auditur. Quem illa deſuper videns: neque enim antea ſub gradibus jacentem animadverterat, pauliſper expectare monet; pollicita quandoquidem impræſentiarum nihil ſibi erogandum ſuppeteret, miſſuram ſe brevi quod petebat. Ille nihilo tranquillior factus, abeuntem pertinaciſſimis inclamat vocibus, & ne miſerum ſe ſine dono præteriret, inſtantiſſime precatur. Figit gradum Eliſabetha, eique pallium non contemnendi pretii, quo veſtita erat, tranſmittit; quod ille ſumma cum alacritate ſuſcipiens, arce ſtatim exceſſit. Id cum reverſus ſtator non ſine indignatione propalam retuliſſet, ſubriſit Princeps: deſertoque mox accubitu, progreſſus occurrenti ait: quid mea Soror, tamdiu moraris? Ad quem illa: en, inquit, mi Frater, appropero, talibus enim ſeſe nominibus viciſſim appellabant. Tum Princeps: ubi loci, ait, pallium reliquiſti? Illa, porrecto indice: en, inquit, pallium noſtrum de pertica propendens. Videt ille, accedit, attractat, evoluit: illudque ipſum eſſe, quod pauperi dudum eleemoſynæ loco donatum audierat, cognoſcit illico ſtupore vehementi perfuſus, non parum addubitat, tantæne rei miraculum, an egregiam uxoris fidem prius in cœlum ferat.

Pauperi pretioſum ſuum dedit pallium.

Sed miraculoſe reſtituitur.

LIV. Otium

Monta. c.9.

Veſtes facit pauperibus.

LIV. Otium præterea chriſtianæ pietati maximo eſſe detrimento ſciens Eliſabetha, tempus omne, quod vel exercitiis ſpiritualibus, vel curationi corporis ſupererat, labore manuum terere curavit. Nec tamen ad conſuetudinem nobilium matronarum, bombycina ſericave penſa decerpere, aut lenteſcentis auri bracteolas in fila torquere, immittendiſque ſubtegminibus adhibere: ſed magis inter ancillas lanæ dedita, modo nere, modo aliarum neta in glomum colligere, collecta ad texendum deferre, texta denique cum pauperibus, tum præcipue Minorum Inſtitutum profeſſis, elargiri ſolebat. Laceras egenorum veſtes tam non gravabatur reſarcire, quam catechumenos pauperiores diſquirere, victu pariter & amictu juvare, edoctoſque plenius chriſtianæ Religionis diſciplinam, de ſacro fonte levare delectabatur. Non ei ſatis erat ad beneficia impendenda, & propenſum animum, & largam manum habere: niſi etiam, quod abſolutiſſimæ eſt caritatis, benefaciendi ſtudio ſemet obligaret. Pauperculas mulieres, quas vel parturientes, vel partu ſolutas noverat, mirum, qua humanitate inviſebat, conſolabaturque; ac comportatis ſecum rebus neceſſariis, refocillabat. Non illam a tantæ pietatis officio, aut viarum aſperitas, aut platearum ſordes, aut Domicilia male olentia unquam retardarunt. Maluit illa ſui commodi rationem habere nullam, quam ut miſellis matribus, vel minimum defectu rei familiaris incommodum ſciens prudenſque pateretur afferri.

Eorum veſtes reſarcit.

Prægnantes & puerperas inviſere geſtit.

Paupertatis ipſa ſtudioſiſſima, etſi ditiſſima eſſet.

Præſagit de ſua calamitate.

LV. Paupertatis eam deſiderio magnopere flagraſſe indicio eſt, quod plerumque inter ancillas ſecretius conſtitutam, ita ejuſce virtutis ardor corripuit, tenuit, incendit; ut depoſitis pretioſarum veſtium induviis, rudis panni tunicam indueret, capitiſque vel calanticam, vel calyptram ſordidiuſculam innecteret: ac ſi demum pro deſiderio veſtita humili gradu contentis luminibus, demiſſo vultu, ultro citroque ambularet, dicens: hoc more per plateas incedam, quum pro Deo meo injurias pati habebo: ut jam tunc præſago ſpiritu, quod poſtea evenit, prævidiſſe videatur. Suppetebant illi magnæ opes, familia frequens, voluptatum diverſarum ingens copia, denique peccandi licentia non parva: quibus tamen omnibus adeo cupide paupertatem præferebat, ut hanc non magis ſeculares animi præ iſtis contemnant, ac fugiant, quantum ipſa magnifaceret, atque experteret; id quod non obſcure ſequenti declaratur exemplo. Magnates quidam, ac purpurati ex Hungaria ab Rege Patre Eliſabethæ miſſi ad Principem venire nuntiabantur. Quo audito, Princeps uxori: doleo, inquit, Soror, ac moleſte fero, te non habere dignas genere tuo veſtes, quibus decenter ornata, nobiliſsimi Patris tui Legatis & apparere, & placere, ut cupio, poſſis. Obſtant anguſtiæ temporis, quo minus artifici manu, novis paratis, pro dignitate res confici queat. Ad quem illa; non eſt, ait, Frater, quod gravatim feras hanc indecentiam, quam ego minimi ſemper putavi: nolo enim veſtibus placere humano conſpectui, ne moribus diſpliceam Deo. Paulo poſt ſupradicti Legati arcem ingrediuntur, honorifice ſuſcepti. Qui cum injunctæ legationis expoſuiſſent mandata, confeſtim ad ipſorum petitionem Eliſabetha venire eſt juſſa. Ingreſſam totius pulchritudinis auctor tanto decore venuſtavit, ut hyacinthina veſte, & pretioſiſsimis adornata margaritis, non ſine magna omnium admiratione appareret. Principi præter ceteros in ſtuporem verſo ac ſecretius cauſam ſciſcitanti, ſubridens Eliſabetha, reſpondit: hujuſmodi ſcit Dominus meus, cum voluerit, ornamenta præparare.

Ad adventum Legatorũ Patris a Deo pretioſiſſima veſte donata.

Monta. c.18.
Miſſæ ſacrificio lubens interfuit.

LVI. Celebrationi ſalutaris hoſtiæ, cum ab ineunte adoleſcentia libenter, tum vero proceſſu ætatis libentiſsime intereſſe conſuevit: ita ut cum audiendæ rei divinæ tempus appeteret, ipſa ingreſſu ædis non ſemel ancillas anteverterit. Quo tempore, cohibita quatenus valebat, mentis evagatione, ſi quid geſtabat ornamenti, quo citra vitium muliebris decentiæ carere poterat, id omne tantiſper vel deponebat, vel occultabat, dum cœptus magni illius ſacrificii ritus perageretur: maxime vero ſingularis aliquid reverentiæ præferebat, cum aut Evangelium recitaretur, aut Chriſti Corpus tractaretur. Nimirum ad illud aures advertens, ad hoc fauces animi præparans, magno utriuſque flagrabat deſiderio: ſimul admirans in tam mirifico Sacramento exhiberi mortalibus Dei potentiam, ſapientiam in antidoti præparatione, benignitatem in gratuita, ac liberali diſpenſatione. Succurrebat hæc expendenti e regione dignitas humanæ conditionis, quam tanti æſtimavit ille, qui fecit ut perditam redemerit, redemptam ſalutari cibo ſuſtentaverit, ſuſtentatæ præſentiam ſui, copiamque conceſſerit. Hæc autem omnia magnitudo divinæ dignationis, & humanæ ingratitudo naturæ, veluti moles quædam confertiſſima exaggerabat: cum & hanc inexcuſabilem, & illam ineffabilem prorſus eſſe conſtaret. Verum quia non facile tegi vehemens animi poteſt intentio, quin aliquando exundet: contigit quandoque taliter affectam, conſecratione ſalutaris hoſtiæ peracta, luce non mediocri perfundi, adeoque ſplendeſcere, ut in faciem ejus Sacerdos quidam ob vitæ meritum tali dignus munere, ſine gravi oculorum reverberatione, minime poſſet, ut poſtea confeſſus eſt, intueri.

In quo pia ejus meditatio.
Luce magna facies ſplenduit.

LVII. Sanctiones Eccleſiaſticas & Chriſtianas obſervationes, cum ſemper Eliſabeth, tum Quadrageſimæ diebus religioſe mancipabat effectui, non modo precibus, eleemoſynis, jejunio dedita; verum etiam corpuſculum crebris virgarum verberibus caſtigans. Feſtos dies cum redemptionis noſtræ myſteria repræſentantur, tanto coluit ſtudio, tantaque animi devotione proſecuta eſt, ut ipſius in Chriſtum propenſiſſimus amor, vix unquam clarius emicaret. Quo die ultimam Chriſti cœnam recolere in uſu eſt Chriſtianis, interdicto ſibimet penitus pretioſarum uſu veſtium, ad ſimilitudinem plebejæ cujuslibet mulieris veſtita, in publicum procedebat, poſt meridianam Baſilicarum viſitationem ita humili ſchemate peragens, ut non niſi una e vulgo putari ab ignorantibus poſſet. Tum etiam accitos duodecim e pauperibus tanto dignata eſt honore, ut proſtrata pedes eorum laverit, exterſerit, oſculo impertiverit: ſingulis denique duodenos nummos, pannumque ad menſuram commodæ veſtis, atque triticeum panem donaverit. Leproſos eo die non paucos aliquando ſuſceperat, quorum manus & pedes cum abluiſſet, non eſt verita abominatiſſimorum tubera locorum oſculo contingere. Neque deinceps tales unquam averſata, ipſis perinde, atque incolumi glabraque cute nitentibus, locuta eſt, ſeditque vicina. Tum ad patientiam affatim exhortatis, ſtipem liberaliter porrigebat. Nocte, quæ Paraſceven antecedit, in oratione ad Dominicæ paſſionis meditatione tranſacta, mandabat ancillis, caverent ſollicite, ne quem ſibi toto die exhiberent honorem. Exinde concinnatos manu ſua lini faſciculos, itemque acerram thuris plenam, atque elychnia ad inſtar minutiſsimarum candelarum cerata, numeroſiſsimos denique minutioris monetæ nummos ſumens, luſtrabat nudis pedibus, una cum popularibus turbis, fana omnia, araſque ſingulas ordine venerata, impoſuit ſingulis lini faſciculum, thuris granum,

Devotio ejus in feſtis diebus.
In Cœna Domini.
Pauperibus duodecim pedes abluit.
Nudis pedibus in Paraſceve viſitat Templa.

num, ardentemque cereolum. In plateis quaquaverſum iret, perquam liberaliter nummos pauperibus erogabat. Nec deerant qui vilitatem nummorum tenacitati referrent acceptam, dicentes; Reginam munificentia regia uti debere, carioreſque nummos elargiri: popularem in Eliſabethæ vilitatem nequaquam ſanctitatis & religionis, ſed avaritiæ magis indicem eſſe. Verum illa, contempto leviſsimorum hominum judicio, quod ſapienter inceperat, perſeveranter ſectari quotannis non deſtitit; conſcia & animum Deo notum eſſe, & tam ſe in officio aſſumptæ ſubmiſsionis longe a tenacitate abeſſe, quam illi temerarii, perverſique interpretes longe aberant a judicii veritate. Luſtrationem, more Chriſtiano, priuſquam Dominicæ Aſcenſionis ſolemnitas agitur, fieri ſolitam, & ipſa laneis amicta, nudaque pedibus obſervabat: Chriſti crucem & Sanctorum reliquias indifferenter cum vulgo inſecuta; Dei quoque verbum auditura, pauperibus ſe fœminis ſemper intermiſcuit, non ignorans, cœleſte ſemen in humili cordis gleba uberius exurgere. *In proceſſionibus litaniarum nudis pedibus incedebat in vulgo.*

LVIII. Exorta fame per univerſam Alemaniam, anno a Natali Chriſti MCCXXV. cum in Apuliam Princeps ad Imperatorem profectus eſſet, Eliſabetha explendæ pietatis occaſionem nacta, frumentum omne ſuæ ditionis collectum, pauperibus erogare manu largiſsima cœpit, pluribus eorum etiam integri victus annonam quotidie præbens: quorum nulli unquam divino munere cibus defuit, etiamſi minus, quam quod in diem ſufficeret, accepiſſet. Sed cum adverteret plurimos egenorum, qui adverſa valetudine, aut membrorum incommodis, eleemoſynæ communis manerent expertes; quod aſcenſu montis, in cujus vertice arx ſita erat, præpedirentur: inſigne Xenodochium loco humillimo ſub arce quamprimum conſtruere aggreſſa eſt: cui per expenſas non mediocres, ut voluerat, perfecto, eos potiſsimum pauperes intulit, quos & morborum vexabat iniquitas, vel membrorum debilitas inſigni dehoneſtamento notabat. Quos ipſa, etſi ardui montis perdifficili deſcenſu non immerito deterreri potuit, quotidie tamen ſæpius inviſebat. Tum illi mos erat ſciſcitari a ſingulis, quonam modo ſeſe haberent, cujuſve eſcæ deſiderio tenerentur: compertoque quod veſtigabat, ea, quæ ſecum attulerat, tanta comitate partiri per ſingulos, ut matrem crederes miniſtrare filiis, non Reginam pauperibus. Ipſa defectos viribus per ſe paſcere, e ſtrato tollere, geſtare brachiis, eorum lectos excutere, pediculos, puliceſque conficere; & inter hæc omnia fœtorem teterrimum, & virus ſingulorum, etiam ſub æſtivo caumate, quo graviter diſcruciabantur ancillæ, ſereno vultu perferre: quodque aliis viſu quoque abominabile fuit, defluentem ore ſalivam, ac propendentes narium mucos calantica tergere ſua. Inter hos puſilli quoque pauperum liberi erant, quos materno ſemper affectu ita curavit educandos, ut & matrem ſinguli nominarent, & ingreſſam veluti quædam examina certatim omnes vallarent. Ex quorum numero eos ampliore humanitatis obſequio dignari adnotata eſt, quos vel ſqualor nativus deformes, vel languor debiles, vel ſcabies abominationi obnoxios reddiderat; non dedignata ſanctis contingere manibus, atque in gremio declinare ſuo, quos pediſſequæ præ horrore ne videre quidem æquo animo valebant. His aliquando xeniola quædam, ac ludicra fictilia, hyalinaque, quibus illa ætas gaudet ad ſolatium perlatura, de arce nonnihil jam deſcenderat equo ſedens; cum forte ſoluto gremio cuncta illa munuſcula repentino caſu, obviis hinc inde rupibus illiſa, delabuntur in præceps. Inventa mox, & relata, dictu mirabile!

Monta. c. 11.

Frumentũ in publica fame pauperibus erogavit.

Hoſpitium miſerioribus extruxit.

Singulos viſitans ipſamet diligenter curat.

Pueros etiã alit maxime abominabiles.

tan-

Miraculum.

tantæ ſunt integritatis probata, ut teſtæ ferrum, & vitro chalybem infuiſſe credi poſſet. Selegit quoque ex omni turba pauperum aliquos, quibus pro arce juſsis in tempore adeſſe, ciborum reliquias manu ſua diſtribuit: plurimum ſibi, ſuiſque interdum ſubtrahens, ne quiſquam expectantium non abunde refectus diſcederet.

Montan. c.12.

Singulis potus datur, nec minuitur.

Etiam longe poſitos ſuſtentavit.

Lac ipſa mulſit pauperibus.

Ornamenta ſua dedit pauperibus cũ pecuniæ deeſſent.

Funera diligenter curat, ſepelit.

LIX. Huic aliquando dedita operi, cum fragmentis ciborum diſtributis, potus quoque reſiduum, perquam modici ſingulis impertiviſſet: nihilo ferme poſtea minus in poculo remanſiſſe comperit. Duodetriginta pauperes ita in Xenodochio diſpoſuerat, ut quopiam e vivis excedente, mox alius ſuggereretur, defuncti lecto potiturus: ubi etiam pro quodam debitis obligato pecuniam ipſa diſſoluit. Nongenti quotidie mendici ſub oculis ejus alebantur, exceptis quos per latiſsimam ditionis ſuæ Provinciam paſcebat abſens: apud quos omnes tanta beneficia indefeſſæ humanitatis poſuit, ut redditus frugeſque locupletiſsimi Principatus vehementer exantlaverit; diſtractis nonnunquam & corporis ſui ornamentis, atque in pretia collectis, ne Chriſti membra fame tabeſcerent. Horum cauſa quæ mundus amplectitur, deteſtata eſt; quæ mundus deteſtatur, amplexa: ut etiam cuidam egeno lac expetenti, morem geſtura, intra præſepe olidum, non refugerit emulgendi lactis gratia, ſumpto in manus mulctrali, ad pecudis uſque papillas Regina curvari. Acceptos hoc modo pauperes uſque ad meſſem, a ſe tandem dimiſit: prius tamen vegetis, atque ad laborem idoneis, ſubuculas, calceos & faſciculas coemit: languidis vero alia quædam indumenta, largitis inſuper nummis ſingulatim, quibus deficientibus in pauperculas fœmellas pro xeniolis calanticas, ac ſericos panniculos diſtribuit; præcipiens ne talibus uterentur, ſed venditis atque in nummos redactis, ita demum neceſsitati ſuæ conſulerent, manuumque labori, quæcumque ipſarum poſſent, conſueſcerent. Quarum una pretium accepti muneris ſecum reputans, cum præ gaudio exclamaſſet, ſe una in univerſo orbe lætitiorem eſſe neminem, veluti exanimis prolabitur: ut Eliſabetha extinctam autumans, non parum ſit verita pretioſius juſto munus accipienti mortis ſe cauſam præſtitiſſe. Pauperibus, qui vitam poſuerant, non modo veſtes, quas manu ſua ad id operis paraverat, involvendi gratia, dedit, lotis ac varie attrectatis ſine faſtidio cadaveribus, verum etiam exequias fecit, ad ſepulcrum uſque funus cujuslibet proſecuta. Adeoque ad hoc pietatis officium incumbebat, ut juſtiſſimæ telæ pannum lineum tali diſpenſatione conſumpſerit, nolueritque, quantum in ipſa fuit, divitum mortuorum corpora, linteis novis contegi, ſed magis veteribus ac laceris, quo pauperibus nova, melioraque ſubſiderent.

Accuſatur apud maritum Eliſabetha rerũ profuſionis.

LX. Reverſum poſt aliquot menſes ex Apulia Principem, œconomorum excipiunt querelæ, profuſionis accuſantium Eliſabetham, ob eleemoſynarum in pauperes exhibitam largitatem. Quibus ille reſpondit: ſinite Sororem meam, ut cœpit, benefacere, modo arces mihi incolumes ſuperſint. Non deerit, ſcio, victus, quamdiu illam permiſerimus egenis ſubvenire. Dignum profecto Principe reſponſum, cui plus cordi erat uxoris pietas, quam omnes divitiæ, quas & amplas & exquiſitas habebat: malens, has liberali manu diſſipari, quæ nec viventi nec morienti ſunt fidæ, quam illam non exerceri, quæ & viventem locupletat, & morientem non derelinquit. Dignus plane & ipſe ſapientis elogio, quo ait: *Mulieris bonæ beatus vir*. Et paulo poſt: *Mulier bona in parte bona timentium Deum, dabitur viro pro factis bonis*. De quo, licet digreſſio videa-

Eccli.26. 1.
Ibid. 3.

deatur fieri, pauca ſunt perſtringenda, quibus liquido demonſtretur, eum, & tali conjuge, & citato præconio dignum fuiſſe. Ex editiore loco ducentes choream deſpicienti, muliercula quædam ceteris & forma & ornatu præſtantior, a nebulone, qui tum proxime ſpectabat, oſtenditur cum hiſce verbis: iſtius ego, Princeps optime, ut amplexu fruaris, ſi libet, procurabo. Tum ille torvis ſceleſtum ſuaſorem intuens luminibus: tace, inquit, perdite, & hac ſuggeſtione ſuperſede, ſi gaudere cupis noſtro favore. Peregre quoque apud quemdam conſanguineum ſibi comitem conſtitutus, cum noctu quieſcenti nuda ſe meretrix adjeciſſet; Gualtero, qui a ſecretis erat, propius cubanti ſurgere jubet, & amotam lenam, nummis aliquot donare: teſtatus poſtea, ſe etiamſi adulterium ob Dei timorem minime abhorreret, nolle tamen ſuam Eliſabetham tanto contriſtare dedecore. Militi etiam cuidam inhoneſtam uxoris copiam, quia ſterilis eſſet, offerenti, & ita quo carebat, hæredem aſſequi volenti, tam prudenter tamque conſtanter repugnavit, ut & ſe a criminoſo prolapſu, & illum a præſumpta vendicaret inſania. Familiarium ac domeſticorum nullus erat, qui Principe in præſentiarum conſtituto, impudicum vel geſtum effingere, & verbum expromere auderet: quod neutrum ſcelus, ſi forte commiſſum fuiſſet, impune tranſiret. Rei divinæ quotidie intereſſe voluit, quam & ſolemni & magnifico apparatu celebrari fecit. Sermo illius verax & conſtans, grati & honeſti mores, miſericordia in pauperes munifica; ad fœminas omnes verecundia ſingularis, & optimo digna Principe. Exequi juſtitiam, facere judicium, tueri pacem, ita erat illi familiare, ut Principibus aliis non minus viam demonſtraret pro fama, quam lumen proferret pro exemplo.

Principis laudationes.

Scorta profligat.

Optimum domeſticis ipſe exemplum.

LXI. Tantæ fœminæ Franciſcus audiens præclariſſimas virtutes, ſæpius de ea alloquutus eſt Ordinis Protectorem, qui eamdem etiam ſummis laudibus extollebat, & fecit ut Vir ſanctus, in ſignum gratitudinis multorum beneficiorum in ſuos Sectatores collatorum, proprium ei tranſmitteret palliolum, de quo ita habet codex MS. Lovanienſis citatus: *Mantellum ſuum reliquit cuidam ſociæ petenti aliquid in morte ab ea*, hæc adjungens verba: *Mantellum meum*, inquit, *tibi relinquo*; *nec advertas materiæ paupertatem*, *ſed paupertatis pretioſitatem diligenter attende*. *Nam tibi*, *teſte conſcientia*, *fateor*, *quod dilectus meus Chriſtus votis meis dulciter condeſcendere conſuevit*, *quoties ipſo mantello cooperta dulciſſimam faciem Jeſu conquirebam*. Ille, inquam, mantellus eſſe creditur, quem Dominus PP. Gregorius IX. dum adhuc eſſet in minori officio conſtitutus, propriis manibus de ſcapulis beati Franciſci rapuiſſe dicitur, volens & præcipiens eidem, ut ipſum humillimæ filiæ ſuæ Teutonicæ Eliſabethæ, tamquam ſuæ voluntariæ paupertati & humilitati proprium, aptum, & debitum, tranſmittere non tardaret. Intellexerat enim idem Antiſtes, quod ipſa Sancta cujuſdam ſinceriſſimæ dilectionis continua teneritudine trahebatur ad ipſum pauperem Patrem Franciſcum. Quamobrem dictus Pontifex cum prædicto Sancto ſuper auditis aliquando de ipſius famulæ Dei Eliſabethæ ſanctitate tam famoſa, paupertate tam ſtricta, & humilitate tam profunda familiariter conferebat. Erant enim ambo, Antiſtes ſcilicet & Sanctus, ſecreta familiaritate, & intimo amore a multis diebus conjuncti. Progreſſu temporis, Fratres quidam de hoſpitali Teutonicorum prædictum mantellum ſollicite procurantes diligenti cuſtodiæ manciparunt. Poſt pauca memorat idem codex MS. de celeberrimo concionatore Fr. Bartholdo, qui propter gratiam

Tranſmiſit Eliſabethæ Franciſcus palliolum.

Vita MS. Lovan.

Ejus devotio erga Franciſcum

Fr. Bartold. Teutonicus.

tiam labiorum ſuorum, non ſolum Regem & Imperatorem Alemaniæ habebat amicum, verum etiam coram multis mundi Principibus & Eccleſiæ Prælatis majoribus duplici honore communiter habebatur, inter cetera, quæ de dicta Dei famula Eliſabetha reſpondit, aſſerebat præcipue, ipſum mantellum, velut feliciſſimum paupertatis vexillum, in quadam domo hoſpitaliorum Teutonicorum apud Album caſtrum Spirenſis diœceſis repoſitum vidiſſe, & pro libito devotionis ipſum tunc tenuiſſe & palpaſſe.

Gonz. in prou. Franc. Pariſien. con. 1.
An. 1213. n. 27.
Eccleſia Conven. Sagien.
Joann. Chenu in ſerie Epiſcop. Sagien.

LXII. Hoc anno ædificata & conſecrata eſt ſub titulo ſancti Leonardi Abbatis Eccleſia major Conventus Sagienſis, quæ Civitas eſt in Normannia, de quo nos ſuperius, & quem occuparunt, atque ædificare cœperunt quatuor Fratres virtute conſpicui, ex iis quos ſanctus Franciſcus miſit in Galliam, adjuti pietate, & liberalitate ſancti illius urbis Antiſtitis Godezrandi, alias Gaufridi, cognomento de Muet, ut habet Joannes Chenu in hiſtoria Antiſtitum Galliæ. Fabricata eſt magna hæc Eccleſia ſumptibus Ludovici VIII. Francorum Regis, & ſancti Ludovici patris non vero Philippi II., ut habet Gonzaga, atque donata, ejuſdem ſancti Ludovici beneficentia, una ex Spinis Coronæ Chriſti Salvatoris anno MCCLII. menſis Maii XXIV., ut conſtat ex teſtimonialibus ejuſdem Regis litteris datis Pariſiis anno MCCLIX. in feſto ſancti Remigii, quæ in dictæ ædis archivo aſſervantur. Dimidiam etiam partem ad labentis fluvii Orſichii Cœnobio conceſſit, ut per illud liberum ſuum iter ducerent Fratres, quando placeret: quam donationem confirmavit Carolus VII. domumque in ſuam, ſuorumque Succeſſorum protectionem ſuſcepit, de quo ibidem extant ejus litteræ datæ anno MCCCCL., Regni vero ejus XXVIII. Jacet in Eccleſia beatus Ægidius ex Franciſci Sociis, ſed alius ab Aſſiſiate. Ex Monaſterio hoc plerique celebres Viri prodiere, præſertim duodecim illi, qui cum ſuo Guardiano generalem Conſtantienſem Synodum pro tuenda ſacri Ordinis Minoritici obſervantia regulari, quovis poſtpoſito itineris labore, petierunt. Hos ſequuti ſunt Reverendi Patres fratres Joannes Silveſtri, & frater Germanus Aubert, ſanctitate atque ſcientia conſpicui. Horum prior ſexennio familiam Obſervantium Ultramontanam Generalis Vicarius, triennio Provincialis Vicarius Toloſæ Provinciam, quam modo antiquioris Aquitaniæ vocant; & ſexennio alteram Franciæ Pariſienſis laudabiliter rexit. Alter Commiſſarii Generalis munere apud Ultramontanos Patres ſemel, & Provincialis Miniſteriatus officio hac in Provincia tertio functus eſt V. P. fr. Joannes a ſancto Martino, qui per XII. continuos annos Guardianus & Patriarcha Hieroſolymitanus exiſtens, ſemel, atque ſecundo pro ſummo Pontifice, & Galliarum Rege, apud Turcarum Imperatorem honorifica legatione functus fuit: & negotiis feliciter expeditis, Pariſiis in Avemariano Monaſterio diem clauſit extremum. Hoc noſtro ſeculo glorioſum martyrium pro Chriſti fide oppetiere venerabiles Patres fr. Joannes Bourges octogenarius in parœcia ſancti Petri de Riparia, Ducatus Normannienſis Diœceſiſque Lexoviæ XVIII. menſis Martii, anno Domini MDLXII., qui a Calviniſtis hæreticis ſpherulis trajectus interiit: ejus corpus in hujus loci Capitulo honorifice tumulatum eſt: & ejus diſcipulus fr. Stephanus du Barquel, ex Diœceſis Sangienſis parœcia Burgundiæ nobili genere ortus, ac vir doctiſſimus, qui a Calvinianis iiſdemque hæreticis in Conventu prehenſus, & ad ſecundum lapidem a Sagienſi Civitate deductus, ibi plurimis confoſſus vulneribus, glorifice interiit. Paſſus eſt

Viri in hoc Cœnobio celebres.
Joan. Silveſt. & German. Aubret.
Joannes a ſancto Martino.
Joannes Bourges.
Stephan du Barquel.

eſt anno Domini MDLXIX. & hoc in eodem loco religioſe ſepultus.

LXIII. Eodem etiam anno extructa Eccleſia Conventus Cunii Oppidi Romanulæ, a Zagonaria duobus P. M. ad Serii ripam, illuſtri fama rerum geſtarum Alberti Cuniatis celeberrimi Ducis, perquam notiſſimi. Spectat ædes ad Cuſtodiam Albinganam Provinciæ Genuenſis Patrum Conventualium. Circa idem tempus, ſub obitu ſancti Franciſci, initium accepit Conventus Thenenſis Germaniæ inferioris, qui ad partes Obſervantes deflexit anno MDXL. quorum labores & indefeſſa ſtudia non parum cedunt in Catholicorum obſequium, licet proinde multa patiantur ab hæreticis. „ Ante hunc annum ædificatum Conventum Carnotenſem „ in Gallia, ſcribit Gonzaga; quippe ſancto Franciſco adhuc ſuperſtite. „ Primum accepit locum in ſuburbio, prope fores Spartarum; ſed ſe- „ mel, & iterum bellorum iniuriis deſtructum, & tertio anno MDLXVIII. „ ab hæreticis funditus everſum, Civium pietate, maxime beneficentia „ illuſtris herois de Verriginaco, & piiſſimæ Dominæ de Villabona, ſe- „ cundum obtinuit ſitum intra muros Civitatis. Jecit prima fundamen- „ ta venerabilis frater Petrus Morſelinus Conventus Pruvinenſis alu- „ mnus; opus proſecutus eſt frater Mennas Jacobus. Glorioſe occubue- „ runt pro Chriſti fide duo hujus Conventus alumni, Ludovicus Bal- „ leyus, & Ludovicus Panetius; ille in Cœnobio Meldenſi, alter in „ Stampenſi. Monumenta MSS. Provinciæ Germaniæ inferioris ad me „ tranſmiſſa, originem hujus Cœnobii referunt ad annum MCCLXVI. & „ ad Senatus, Civiumque benevolentiam, qui inempta ab Aleyde Duciſ- „ ſa Lotharingiæ, & Brabantiæ, manſione cujuſdam Judæi, cum horto „ & pomario, ibi Conventum conſtruxerunt.

Rodul. fol. 274.
Conv. Cunii.
Gonzag. in Prov. Germ. infer. Con. 6.
Conven. Thenenſis.
ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI. Conven. Carnoten.
Gonz. in Prov. Franc. Con. 15.

LXIV. Religioſi Viri Prædicatores & Minores, quos anno ſuperiori diximus a Pontifice miſſos ad Miramolini regnum, ut commodius laterent, & ſecurius aliis proficerent, aliquando habitum mutabant, barbam & comam nutriebant, denarioſque ex eleemoſyna ad victum & veſtitum recipiebant; licet hæc facerent contra ſuarum Religionum Inſtituta, attamen ex inevitabili neceſſitate, & evidenti utilitate excuſabantur, ut ipſe judicat Pontifex: cujus nihilominus conſenſum & licentiam ad majorem animorum quietem requiſierunt Viri nequaquam temerarii. Quorum ſupplicationi Honorius gravi diplomate ſubſcripſit; ex quo mihi videtur clare deduci, in primitiva noſtra Religione nequaquam fuiſſe in uſu barbam nutrire; quod & confirmare videtur, quod ex antiquis Chronicis, & Mariano referam de fratre Elia ad annum MCCXXX., quo dum abſolveretur a Generalatu, ſeceſſit in Eremitorium Cortoricenſe, ubi ſingulariter notant hi Auctores, eum permiſiſſe ſibi creſcere barbam. Diploma ex regeſto Pontificio num 246. ſubjicio.

Supra n. 27.
Conceduntur quædam facultates Prædic. & Minorib. apud Miramolinū degentibus.

Fratribus Prædicatoribus & Minoribus in regno Marochitano, de mandato Sedis Apoſtolicæ commorantibus.

EX parte veſtra fuit propoſitum coram nobis, quod cum ad mandatum Sedis Apoſtolicæ voluntarie vos diſcrimini obtuleritis, ob multorum ſalutem provido uti conſilio, interdum mutatis habitum, barbam nutritis, & comam, non tam ad declinandum ad tempus gentis barbaræ feritatem, quæ in Chriſtianos crudelius debacchatur, quam etiam ut prodeſſe pluribus, & liberius viſitare Chriſtianos in carceribus, & locis aliis valeatis, ad injungendum eis pœnitentiam, dandum ſalutis monita, exhibendum eccleſiaſtica

Sacramenta. Cumque in terra illa gratis non poſſitis victualia invenire, pro eo quod non panis, ſed pecunia conſuevit ibidem pauperibus in ſubſidium erogari, urgens neceſſitas vos compellit caritative recipere, ſed parce, denarios, & expendere tantummodo propter cibum & veſtes; unde cum hæc ſint contra Ordinis veſtri inſtituta, licet videatur vobis, ab his excuſare inevitabilis neceſſitas, ac grandis & evidens utilitas aliorum: quia tamen cum Job (Job. 9. 28.) *veremini omnia veſtra opera, diſtricti examen Judicis recolentes, humiliter poſtulatis veſtræ ſuper his a Sede Apoſtolica ſubveniri conſcientiæ, atque famæ. Cum igitur ex cauſa, David coram Achimelech legatur habitum commutaſſe,* (1. Reg. 21. 15.) *ac Dominum ſe junxiſſe in ſpecie peregrini diſcipulis euntibus in Emaus,* (Luca 24.) *in fractione panis eis poſtmodum revelatum, qui etiam tam David pueros ſuper eo, quod in neceſſitate comederent panes ſanctos, quos eos contingere non licebat, quam Apoſtolus excuſavit, dum ipſos Phariſæi arguerent,* (Luc. 6.) *quod eſurientes alienas non lotis fricantes ſpinas manibus, comedebant; Nos laudabile opus veſtrum piumque propoſitum attendentes, veſtris ſupplicationibus inclinati, ſuper prædictis vobiſcum in illis regionibus, quamdiu præſcripta vos arctat neceſſitas, & invitat utilitas, miſericorditer diſpenſamus, dum tamen fraus non interveniat, ſive dolus, vel ſinceritatem veſtram cupiditas non ſeducat. Datum Laterani* XVI. *Kalendas Aprilis anno* X.

Mortuo patre regnat ſanctus Ludovicus.

Mortuus hoc anno Ludovicus VIII. Gallorum Rex, cui ſucceſſit in Regnum Ludovicus ſanctus, quo plurimum ſancti Franciſci tertium Sodalitium gloriatur. Prima Dominica Adventus Remis ſolemniter inunctus eſt, annum agens quartum decimum. Educatus eſt ſub tutela piiſſimæ genitricis Blanchæ, ei demandata ſuprema Viri voluntate. Illius cura, & prudenti magiſterio Prædicatorum, Minorumque Fratrum, adoleſcens egregie didicit pie numen colere, & boni ac juſti ſtudium amplecti. Matri & filio tranſmiſerunt ex Aſſiſio Minores in menſe Decembri cervical humile ſancti Franciſci, quo ſub morte uſus, quod illi pro magno dono venerati ſunt.

Mittitur ei cervical S. Franciſci.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Sancti Patris Franciſci glorioſa mors recenſetur.

„ I. HIc annus a Chriſti Domini Nativitate MCCXXVI. quod ſancti
„ noſtri Patris Franciſci glorioſum obitum, IV. nonas Octobris
„ die Sabbati ſequutum perſtringat: quamque pretioſa fuerit in con-
„ ſpectu Domini, qui exaltavit illum, ejus mors plurimis prodigiis co-
„ honeſtata, publicet: ſacrarum hiſtoriarum pios amatores, ad Wad-
„ dingum, nobis tantum quibuſdam examinandis, & referendis, reli-
„ ctis, remittit: cum ab eo his deſuper luculentiſſime ſcriptum ſit.
„ II. Præter autem ab eo recenſita, cujuſdam beati Patris Joannis
„ de Plano, patria Parmenſis, Viri ſanctiſſimi, memoria hic recenſen-
„ da occurrit: quem Urimbuthii ſeu Wermeburgi in Saxonia ſepultu-
„ ram nactam ſortitum fuiſſe, enarrant Piſanus, Gonzaga, Piquetus, cum
„ Toſſiniano, & Hyacintus de Bajardo ex quodam catalogo Sanctorum,
„ & Beatorum Ordinis, Innocentio Papæ X. dedicato anno MDCLII. hoc
„ anno MCCXXVI. ad cœlos evolaſſe tradit; Arcturus vero diem illi ad-
„ ſcripſit vigeſimam ſeptimam Octobris.
„ III. Waddingus numero LXIII. ait hoc eodem anno extructam fuiſſe
„ Eccleſiam Conventus Cunii, Oppidi Romanulæ, a Zagonaria duobus

B. Fr. Joan. de Plano Werm. in Sax. ſepul.

Conver. Cunii Oppidi Romanul.

M. P.

Digitized by Google

,, M. P. ad ſerii ripam, illuſtri fama rerum geſtarum Alberti Cuniatis *Vide ad annum 1220. n. 4. tom. 1. in Meliſſani ſupplem.*
,, celeberrimi Ducis, perquam notiſſimi: ſpectareque ædem ad Cuſto-
,, diam Albinganam Provinciæ Genuenſis Patrum Conventualium: ci-
,, tatque in margine Rodulphum fol. 274. Hæc dum legerem, memor, Alb. Dux celeber,
,, quod ſupra fundationem Conventus Cunei per ſocios ſancti Patris
,, retuliſſem, qui quidem Conventus ad Cuſtodiam Albiganenſem Pro- Conven. Cunei in Ped.
,, vinciæ Genuenſis, ut patet in diſtributione Provinciarum Ordinis
,, D. Bonaventuræ, ſpectat, rem diligentius perpendens, in ea præfa-
,, tos hallucinatos fuiſſe comperio: etenim Serius fluvius, ut apud Ambro- *Apud Har. ad annum 1540. n. 28.*
,, ſium Calepinum quiſque legere poteſt, per Bergomatem agrum Gal-
,, liæ Ciſalpinæ, in Adduam fluit, ubi & *Roman* vulgo, latine Romanula:
,, quod ipſæ mappæ geographicæ ipſis oculis oſtendunt; ad quas equi- *P. Bert. fol. 376. in deſcrip. agri Crem.*
,, dem oras numquam Provinciæ Genuenſis, Albinganæ, vel Albingaunæ
,, Civitatis in ora maritima occidentalis Liguriæ ſeſe extendit Cuſtodia
,, Fratrum. Cuneus autem Municipium, & ex privilegio Civitas, nul-
,, lum habet Serium fluvium, ita nuncupatum; bene vero duos, Stu- Cun. Civ. Duc. habet Sturiam, & Geſſium fl.
,, riam unum, & alterum Geſſium, ad quorum confluentiam in angulum
,, acutum poſita, Cunei nomen ſortita eſt: cujuſque Conventus in Cu-
,, ſtodia præfata deſcribitur, ut dicebamus; nec ullam circum regionem,
,, Romanulam appellatam dignoſcit, ſicut Zagonariam, quam nec Ber-
,, gomatum ager exponit.
,, IV. Cæterum ſummus Pontifex pro ſubſidio Terræ ſanctæ pluri- Duo diplomata pro ſubſ. T. S.
,, mum ſollicitus, hac de re Friderico, & Rectoribus ſocietatis Lom-
,, bardiæ, nec non Marchiæ Apoſtolicas litteras ſcripſit. *Non dubitas,*
,, *&c. Kalendis Februarii. Ejus locum licet, &c.*

ARGUMENTUM.

Creatur Miniſter Generalis Elias; fit magna militum expeditio in Terram Sanctam, in qua ſe conſcribit Ludovicus ſanctæ Eliſabethæ Conjux, quo mortuo Hydrunti, turbatur e ſolio uxor, cujus in plurimis illatis injuriis mira refulſit patientia, ſed a Domino crebras accipit conſolationes. Antonius Patavinus Romam veniens gratiam init Pontificis & Principum; deinde in Gallia magna operatur, & plures extruit ædes, quibus aliæ ſuperadditæ.

I. FEliciter & magno ſui relicto deſiderio, vitæ, ut bonum decebat Pontificem, tranſactæ terminum abſolvit hoc anno Honorius III. Romæ XV. Kalendas Aprilis feria VI. hebdomadæ quintæ Quadrageſimæ, poſtquam Pontificatum geſſit annos X., menſes VIII. nec pluribus eum annis ſediſſe nos voluiſſe quiſquam putet, dum ſuperiori anno XI. ejus Pontificatus numeravimus; nam a menſe Julii jam inchoaverat II. licet non perfecerit. Friderici etiam Imperii annos proſequimur, licet enim ab Honorio, & Gregorio juſtis de cauſis ſæpius fuerit anathematizatus, numquam tamen ita extra ſolium factus, ut alter cujus annos recenſemus, ei ſit ſubrogatus. Honorio ſuffectus Gregorius IX. Triſterio Anagnino patre natus ex Comitibus Signiæ, Innocentii III. nepos, omnium Cardinalium ſuffragiis cooptatus in Pontificem XIII. Kalendas Aprilis, quem honorem ei longe & ſæpe antea prædixerat ſanctus Franciſcus; necnon Leonardus Eremita Camaldulenſis, dum in illam eremum ſimul cum

Honor. III. moritur.

Gregor. IX. creatur.

Digitized by Google

Auguſt. Florent. hiſtor. Camaldul. lib. 2. c. 33.

ſancto Franciſco receſſit. Sane ejus merita, ſingulares animi dotes, tolerati, & feliciter peracti pro Eccleſia labores, vita & fama immaculata æquo titulo hunc ei conciliarunt honorem: nec fuit in Electorum numero, qui eum ſancti Petri dignum non judicarit Succeſſorem; nec diu illis fuit deliberandum, dum altero die poſt Honorii obitum, eum Chriſti Vicarium renunciarunt.

Raynaldus Ordinis Protector.

Legen. antiq. Marianus lib. 2. c. 1. Marc. p. 2. l. 2. c. 1.

Fit Miniſter Generalis Elias.

II. Ut aſcendit Petri cathedram, non ſtatim Ordinis Minorum ſpecialem depoſuit Protectionem, donec menſe Decembri, vel ut aliis placet, Septembri, creato Cardinali Raynaldo ex Comitibus Signiæ, Philippi Fratris filio, Sodalitium impenſe commendavit, ejuſque curæ commiſit. Adfuit etiam Comitiis Generalibus Minorum Romæ die VI. Junii in profeſto Pentecoſtes celebratis, pro deligendo ſancti Franciſci Succeſſore, in quibus e Vicario Generali factus eſt ſupremus Miniſter frater Elias, non mediocrem tunc præſeferens pietatem, zelumque retinendi vel reſtituendi Ordinis nitoris. Viſus eſt ægre admiſiſſe oblatam dignitatem, prætexens infirmi corporis debiles vires, & tanto oneri impares dotes. Eo avidius ceteri hominem ſibi imperare cupierunt, quo humilius videbatur honores reſpuere; rogaruntque inſtanter ut Ordinem non dedignaretur gubernare; cui non diſpliceret, ſi ille juxta indigentiam ſibi plene ſatisfaceret, etſi vellet pretioſa quæque manducare, atque contra communem normam equitare. Tandem ſub hac conditione, & ſincera Ordinis indulgentia, qua ille plurimum poſtea abuſus eſt, acquievit electioni de ſe factæ; quam Pontifex humaniter confirmavit. Suppliciter egerunt tunc cum S. D. Fratres de connumerando inter Cœlites ſuo Inſtitutore crebris miraculis claro, quod ſe facturum, prævio digno & maturo examine, promiſit.

Quis primus poſt Franciſcum Generalis.

Chron. antiq. Annal. Saxon. an. 1227. Antonin. tit. 24. c. 9. Rodulph. fol. 176. Marianus. Marc. Ulyſſipon. Jacobus de Senis. Bern. a Beſſa. Rodulph. fol. 74. An. 1221. n. 36. Chron. Sax. MS. ad hunc annum.

III. Controverſum eſt inter noſtros Scriptores, utrum Elias, an vero Joannes Parens primus in Officio Generalatus ſubrogatus ſit ſancto Franciſco. Chronica antiqua Ordinis, Annales Saxonici MS. ſanctus Antoninus, Rodulphus, atque ex his alii, Joannem, non Eliam, in his Comitiis ſupremum Rectorem creatum volunt. Probabilius, & verius, Marianus Florentinus, Marcus Ulyſſiponenſis citati, Jacobus de Senis pervetuſtus auctor in recollectis Ordinis MS. & Bernardus a Beſſa in ſuis Chronicis, Eliæ tunc hoc munus conceſſum volunt. Neque enim certum ſe ſtatuere poſſe tempus præfecturæ Joannis Parentis, ait Auctor Chronicorum antiquorum. Annales Saxonici ex fide aliorum ſubdubie loquuntur; Rodulphus ſibi contradicit, dum anno completo a morte ſancti Franciſci, ab Elia tamquam Ordinis Rectore miſſos, ait, Danielem cum ſociis in Mauritaniam, de quorum martyrio, & tempore egimus ſuperius. Comitia autem hæc celebrata ſunt quatuor menſes ante annum a dormitione Franciſci completum. Comminiſcitur item ex Antonino, neſcio quem, duplicem Joannis Parentis Generalatum, quem tamen ſemel obivit, & confunduntur ſub hac Generalium diſpoſitione rerum narrationes, quæ clarius procedunt ſub adverſa ſententia.

Albertus a Piſa venit ad Capitulum.

IV. Venturus ad hæc Comitia frater Albertus de Piſa Miniſter Germaniæ IV. nonas Februarii, convocavit omnes Cuſtodes, Guardianos, & Prædicatores ad Synodum Provincialem Moguntiæ celebrandam, ubi fratrem Nicolaum a Saxoniæ Cuſtodia abſolutum, ſuum inſtituit Vicarium; fratrem vero Leonardum Lambardum Saxoniæ creavit Cuſtodem. Rebus deinde optime diſpoſitis, cum electis a ſe Fratribus venit ad Generale Capitulum, in quo frater Elias, ſuadente Franciæ Miniſtro, eum a

Teu-

Digitized by Google

Teutonica adminiſtratione abſolvit, eique fratrem Simonem Anglicum Cuſtodem Normanniæ, virum ſcholaſticum, & Theologum inſignem ſubſtituit. Qui ut primum in Germaniam, cum fratre Juliano de Spira (qui poſtmodum officium beati Franciſci, & beati Antonii nobili ſtilo, & eadem melodia, qua uſque modo utimur exornatum, ut quibuſdam placet, compoſuit) veniſſet, ſtatim indixit Provinciale Capitulum in feſto ſanctorum Apoſtolorum Simonis, & Judæ in Colonia celebrandum, quod tamen certis de cauſis uſque ad Pentecoſten ſequentis anni dilatum eſt.

Præparatur expeditio in Terram ſanctam.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Minores, & Prædicatores milites comparant contra Saracenos.

Platina in Gregor. IX.

Sigon. de Regn. Ital. lib. 7.

Platina in Gregor. IX.

V. Hoc anno, decreto ſummi Pontificis Gregorii IX. crux prædicari cœpit pro expeditione Terræ ſanctæ „ qui multos ex Franciſcanis, & „ Dominicanis Fratribus per Europam miſit, qui ſuis exhortationibus „ Chriſtianos ad arma contra Saracenos concitarent, quorum opera, „ inquit Platina, tanta multitudo militum brevi comparata eſt, quanta „ numquam antea. „ Deinde ſub anathematis pœna ſtatuit, ut primo quoque tempore in Aſiam cum exercitu proficiſceretur Fridericus expugnaturus eos, qui Hieroſolymam, & circumjacentia loca occupaverant. Ille repugnare timens, nec tamen iter ſuſcipere volens, expeditionem comparare in ſpeciem cœpit, ac crucesignatos omnes Brunduſium ad diem Aſſumptionis beatæ Mariæ Virginis convenire, miſſis circumquaque Nunciis, juſſit. Univerſos ferme & Europæ Principes expeditionis pietas excitavit ad bellum, & plurimi non ſolum magnam militum manum transmiſerunt, verum & ipſi transfretare voluerunt. Inter primos adfuit ex Germania Ludovicus Lantgravius Haſſiæ innata pietate, & rara perſuaſione uxoris Eliſabethæ, ut habet Legenda MS. Marianus, & Bonfinius, quæ ſummo dolore audiebat, ſacra loca Hieroſolymorum in inimicorum fidei poteſtatem redacta, licet poſtea pro fragili mulieris affectu animo conſternata ſit, quando pro uxoris licentia, & conſuetudine marſupium Principis evolvens, crucem reperit ab Epiſcopo Hildeſemenſium acceptam, quam ille non ſtatim, ut moris erat, veſti aſſuit, ſed aliquandiu clam uxore ſervavit, ne illam, antequam iter eſſet aggreſſurus, acerbitate prævii mœroris diutius afficeret. Facile fuit Principi eam conſolari, allegata periclitantis Eccleſiæ cauſa, quem etiam ultra Thuringiæ terminos, per bidui iter proſecuta eſt, caſto & æquo amore, quo Principem unice diligebat, incitata. Sed cum ad poſtremum utrimque diſcedendum eſſet, divinæ caritatis inſtinctu, ad id etiam Rodulpho de Boilla pincerna, viro ſpectatæ fidei, adhortante; videre licuit, quanto lacrymarum imbre, quam lugubri vultu ſinceritatem mutui amoris uterque conjugum palam oſtenderet. Eliſabetha domum reverſa, velut altera Juditha, depoſitis gloriæ veſtibus, ac viduitatis amictu reſumpto, totam ſe Deo commendavit, ejuſque cultui addixit.

MS. Lovanien.
Marian. lib. 2. c. 2.
Bonfini decad. 2. lib. 7.
Hiſt. Lantg. c. 40.
Annal. Lantgr. an. 1227.
Theod. lib. 4. c. 4.
In ea ſe conſcribit Ludovicus Lantgravius.

VI. Princeps vero, poſt confectam proſpero ſucceſſu viam, ad Imperatorem in Siciliæ Civitatem, quæ Troja dicitur, pervenit; a quo honorifice ſuſceptus, cum aliquot urbes cum eo perluſtraſſet, tandem Brunduſium appulerunt. In vicina Inſula ſancti Andreæ febricitare cœpit Lantgravius poſt familiaria habita cum Imperatore colloquia, nihilominus navim conſcendens, e portu Brunduſii ſolvit cum cetero exercitu. Inde venerunt Ottrantum, aliis Hydruntum, ubi Imperatricem ſalutarunt; ſed Lantgravius gravius febribus vexatus, ad navim reverſus decubuit, quibus exardeſcentibus, ad extrema vitæ perductus, vocato Patriarcha Hieroſolymitano, ab eo, cooperante etiam ſolemniter Epiſcopo

Ægrotat ad mortem.

Digitized by Google

ſcopo ſanctæ Crucis, Euchariſtiæ, & ſacræ Unctionis Sacramenta ſuſcepit. Completis deinde omnibus boni Principis officiis, obdormivit in Domino III. Idus Septembris, non ſine propinati ab Imperatore veneni ſuſpicione, ut habet Sigonius, qui, cognita ejus morte, celerrime, inquiunt Platina, & Krantzius, eo adnavigavit, omnemque ejus ſupellectilem, multam nimis, diripuit. Vere pius Princeps, & dignus, qui non peregre, ſed domi ſuæ diem ſupremum obiret; niſi parvi referret, ubi terrarum mortales naturæ concedant, qui mori ſemel habent. Annales Lantgraviorum Thuringiæ inter Germanicas hiſtorias procuſi, albas ſe circumdantes vidiſſe in morte columbas, referunt; miraculis claruiſſe, ejuſque diem feſtum Hieroſolymis celebratum, ſcribunt Simon de Keza, & Marianus. Chriſtianiſſimum, & beatiſſimum Principem appellant dicti Annales, ejuſque hæc addunt elogia: *Ludovicus glorioſus Princeps Thuringiæ, dignus conſortio Eliſabethæ, extitit mediocris ſtaturæ, decens valde proceritas, & glorioſi vultus ſerenitas. Erat pudicus, carne mundus, cunctis affabilis, Eccleſiarum & Cœnobiorum fidelis protector. Erat tunc ſublimis Thuringorum Provincia, tanti Principis nomine inſignita, ſanctæque Eliſabethæ meritis nominata.* Hiſtoria item de Lantgraviis, ita habet: *Iſte Ludovicus Lantgravius fuit multum virtuoſus, eloquio dulcis, moribus ſuavis & virilis, in exercitiis militaribus ſtrenuus & agilis, pauperibus benignus, ad uxorem ſuam dilectiſſimam Eliſabetham multum affabilis: & quia videbat uxorem Deum diligere, & ſe in miſericordiæ operibus exercere, carnem jejuniis, & aliis caſtigationibus domare; quamvis aliquando doleret, timens de ejus teneritudine corporis, quod abſque periculo mortis non poſſet ferre tantas abſtinentias, tamen ſibi in omnibus cooperabatur.*

Moritur Hydrunti.

Sigon. de Reg. Ital. lib. 7. Platina cit. Krantz lib. 7. Saxon. c. 40. Ejus pietas, & elogia.

Keza in Chron. MS. Marian. cit. Annal. Thuring. ann. 1211.

Hiſt. Lantg. c. 40.

VII. Nihil ergo mirum, ſi quem habuit in bonis operibus cooperatorem, modo habeat ſancta uxor in laudibus conſortem, & dum Eliſabetham tamquam noſtram commendamus, collaudemus in ſanctis operibus maritum. Vere *mulieris bonæ beatus Vir*, qui in cœlis præmium accepit eorum, quæ ſancte cum ſancta geſſit uxore, & cujus fama beatur, celebriorque redditur propter ſanctæ conſortis memoriam. Ad illam porro ut redeamus; qui triſte nuncium de Principis morte perferebant, Thuringiam ingreſſis, prudenti amicorum conſilio proviſum eſt, ne ab aliquo mortalium, præter quam Sophia defuncti matre, Eliſabetha viri mortem audiret. Timebatur enim, ne teneritudine muliebri forte ad præcipitem cujuſpiam narrationem, animus ejus graviori vulnere fauciaretur, ut ſunt omnia ſubita ad repentinam animorum mutationem efficacia. Sophia nil morata, ubi agentem in arce invenit Eliſabetham, poſt familiaria ſalutationis verba, ſic eam convenit: Ne gravatim accipias, o filia, ſi quæ Principi filio meo acciderint, declaravero tibi. Quibus Eliſabetha auditis, captum eſſe ſuſpicata, reſpondit: ſi captus atque in vincula conjectus eſt Frater meus, quam primum per Dei gratiam, & amicorum munificentiam liberabitur. Tum Sophia: diem, inquit, ſuum obivit. Perculſa mox gravi mœſtitudine ad tam infauſtæ rei nuncium Eliſabetha, conſertis invicem manibus, amariſſime flere cœpit, dicens, ſi mortem Frater meus obiit, & mihi quoque poſthac mundo, ejuſque vanitatibus defunctæ, morietur mundus ipſe. Videre tum erat, ut dolorem de morte Principis conceptum augeret deſolatio illuſtris viduæ, cunctiſque impræſentiarum conſiſtentibus lacrymas excitaret uberrimas.

Eccl. 25. 1. Montan. c. 14.

Refertur Eliſabethæ mors mariti.

VIII. Non

VIII. Non defuit in tempore deſolatæ mulieri divina conſolatio, quæ dejectum mœrore animum, ita refecit, confirmavitque, ut & præſentibus malis minime ſuccumberet, & multo gravioribus, quæ illi poſtea ſupervenerunt, ſuſtinendis par eſſet. Siquidem parvo poſt tempore, Magnates quidam, qui Henrico, defuncti Principis Fratri, per ætatem ad regendum Principatum necdum idoneo, auctores erant, poſthabito Dei timore, ac publica honeſtate contempta, afflictam Dei famulam gravius afflicturi, fortunis omnibus exutam, ceu ignobilem aliquam, arce coëgerunt excedere. Amplexa eſt pro Deo ignominiam Apoſtolorum imitatrix, & Martyrum digna purpuris. Nulla in corde libido vindictæ, nullum in ore murmur, nulla in geſtibus indecentia. Lætabatur quidem tacitæ virtutis conſcientia, & fiducia in Deum ſubrecta, etiam foris pro indignitate ſæviſſimæ ejectionis verecunda, lacrymis affatim ora rigantibus. Jam tunc multo præſtantior Prienenſi illo philoſopho Biante ibat, nihil ſecum portans rerum caducarum; quod nimirum longe meliora bona, non humeris, ſed animo geſtaret, quæ nec rapinæ eſſent, nec furto proſtantia. Exacta igitur propriis ædibus, ad inferius Oppidum profecta, in cauponulam, ubi erat, ut habet Bonaventura, Bonfinius, & MS. Lovanienſis, hara porcorum, quæ miſellæ primum offerebatur, una cum ancillis divertit; manſitque ibi tantiſper, dum noctis medio ſignificari campanæ pulſu divinas laudes in Cœnobio Fratrum Minorum audiret. Quo cum veniſſet, rogavit obnixe Fratres, ut hymnum, quem *Te Deum laudamus* vocant, decantarent; quo ſemet, non modo patienti, ſed & læto animo præſentem calamitatem ferre declararet; Apoſtoli vocem pariter & exemplum ſecuta, qui *gloriatur in tribulationibus*, ac Deo gratias agere, & alios docuit, & ipſe imprimis non omiſit.

Ejicitur ignominioſe.

Bonav. ſerm. de S.Eliſabetha. Bonfin. decad.2. lib.7. MS.Lovan. ann. med.

Rom.5.3.

IX. Cum autem, propter ſævitiam eorum, qui arci præſidebant, vix unus aut alter ejectam recipere auderet hoſpitio, Fanum ingreſſa deſolata mulier, magnam inibi partem diei conſumpſit. Quo cum & liberi ejus novo inhumanitatis genere ex arce fuiſſent allati, pari cum matre infortunio conſtringendi, credi poteſt, dolori additum eſſe dolorem acceſſione graviſſima, tum quod hyems erat, tum quod ipſa, & domicilii & rerum omnium inops, ne tantillum quidem habebat, quo ſe, ancillas, liberoſque, vel unum diem ſuſtentaret. Neceſſitate ergo, quæ legem non habet, coacta, Sacerdotis cujuſdam hoſpitium precario, aut mendicabulo potius conſequitur, ubi cum non tam incommode, ſed & miſere degeret, in æmuli cujuſdam ſui ædes, quæ pro ſpatio commodiores videbantur, juſſa immigravit. Sed nec ibi agenti potuit ulla vel commoditas, vel quies contingere; quando & hanc domeſticorum petulans, ad inferendas injurias libido perturbaret, & illam denegatum juſſæ manſionis ſpatium interciperet. Inde ergo migrans, ac parietibus, qui ſe qualicumque ſepimento a pluvia, & frigore defenderant, valefaciens, ad prius hoſpitium, quandoquidem toto Oppido alium adire minime dabatur, remeavit, dicens: Parietibus quidem gratias ago, eaſdem hominibus etiam actura libenter, ſi cauſa cur id facerem, ſubeſſet. Sic filia Regis ab altiſſimo divitiarum culmine dejecta, euſque paupertatis devenit, ut ablatis vitæ neceſſariis, etiam anguſtias ergaſtuli magis, quam diverſorii, non ſine mendicitate adipiſceretur; & quæ pauperum liberos materna pietate tollere ſolebat, ſuos ipſa cogeretur, alendi gratia, ad alios tranſmittere. In hac tamen rerum difficultate po-

Ejecti etiam liberi.

Mendicat hoſpitium.

ſita

Digitized by Google

ſita, nihilo erga pauperes minus afficiebatur, ſubtrahens ſæpius genio ſuo, quod illis erogaret.

X. Mirandis plus mira ſuccedunt, dum ex omni parte inſignis patientiæ clariſſima documenta ſe produnt. *Marian. cit. Bonav. cit.* Anus quædam erat, cui Eliſabetha languore pariter & inopia preſſæ, multa pietatis beneficia præſtiterat. Forte iis duabus, e diverſo obviam ſibi medio itinere factis, qua tranſituris, munita erat extantibus via ſalicibus ob profundioris cœni volutabrum, anicula cedere benefactrici ſuæ dedignata, eam rigido protervoque impactam occurſu, in cœnum deturbat, jacentemque riſu & conviciis inceſſens, abit. Eliſabetha perlitis plurimo luto veſtibus, adeo miti animo illatam tulit injuriam, ut exundante lætioris conſcientiæ gaudio, vultum ſerenitate perfuſa ſubriſerit.

XI. Verum, is qui juxta eſſe tribulatis conſuevit, famulam ſuam, ne graviore adverſitatis mole oppreſſa deficeret, hoc modo dignatus eſt conſolari. Quadrageſimæ dies advenerant, & illa conſueto pietatis ſtudio rem divinam audiens, genibus nitebatur. *Sub Miſſa extra ſe rapitur.* Ubi expendens divini Sacrificii inæſtimabile pretium, incaleſcentibus paulatim præcordiis, adeo vehementi cogitatu ſupra mentis arcem evecta eſt, ut attonitæ ſimilis, in conniventibus notabili mora luminibus aram intueri, ab Iſintrude pediſſequarum una ſit adnotata. Abs qua, cum pro fiducia familiaritatis Eliſabetha, multis perurgeretur precibus, ut quidnam cœleſtium rerum ſub attoniti proſpectus hora vidiſſet, candide patefaceret, ad poſtremum, ait: Non eſt mihi integrum, o filia, quæ viderim, cuiquam revelare mortalium; id tamen ſcias velim, me ſummo refertam gaudio fuiſſe, utpote mentis oculo arcana cœleſtia contemplantem. Paulo poſt ad hoſpitiolum reverſa, cibo perquam modice ſumpto, quod languidiore corpuſculo eſſet, ceteris pauliſper exire juſſis, cum in ſudorem iret, veluti quieſcendi gratia in gremium Iſintrudis reclinato capite, ad objectum parietem oculos cogitabunda defigit. *Iterũ rapta Chriſtum videt.* Exiguum temporis medium, cum ecce ſerenato vultu, feſtiviter admodum cernitur ſubridere; rurſumque facto parvi temporis intervallo, abacta ſerenitate, clauſis genis, fletu madeſcere; iterumque, non multo poſt tempore, riſu ſereniore perfundi, quo demum ceſſante, denuo lacrymis profuſioribus oppleri, eaque viciſſitudine diem in veſperum deducere; prolixius tamen, ac ſæpius ſerenitati, quam fletui dedita, denique hæc verba facere: Ita mi Domine, ut tu eſſe mecum digneris; ita & ego, numquam abſque te ſeparata, tecum manere perſeverabo. Iſintrudi, quæ hæc omnia diligenter adnotaverat, inſtantius poſtulanti, ut, quid rei contemplata fuiſſet, aperiret, quamvis invita, aliquando tamen precibus devicta, reſpondit: vidi, inquiens, aperto cœlo, conſolatorem meum Chriſtum Jeſum ad me uſque inclinatum, qui animum meum gravi tribulationum faſce degravatum, benigna conſolatione levavit, refovit, confirmavit. Cujus ut præſentia ſerenitatem vultus, placidumque riſum præ me ferebam, ita averſione diſceſſuque ſolvebar in fletum. Quem ille protinus miſeratus, cum redire maturaſſet, dicens: Tibine mecum eſſe libet, ut ipſe tecum volo? Reſpondit: Ita mi Domine, ut tu mecum eſſe digneris, ita & ego, numquam abs te ſeparata, tecum manere perſeverabo. Ita ſæpius mirabiliter contemplationi dedita, rerum cœleſtium ſupra ſe rapta; ſæpius inſenſilis conſpecta eſt; quin etiam, teſte Anonymo Lovanienſi, & Mariano, pluries ab oratione plerique viderunt faciem ejus mirabiliter fulgentem, & quaſi radios Solis ex ejus oculis procedentes. *MS. Lovan. cit. Marian. cit.*

XII. Plu-

XII. Plurimas etiam accepit revelationes a beata Virgine Maria, frequenter, & veluti ad delicias, nutumque ei apparente. Quaſdam refert Marianus revelationes ei factas, in quarum prima ei retulit Virgo Deipara, quomodo educata eſt in Templo, quibus horis, quo affectu Deum orabat, quales ei petitiones offerebat, & quam obnixe ejus deprecabatur in carne adventum. In ſecunda narravit, quas conſolationes accipiebat ab Angelis, & quod aliquoties uſque ad conſpectum Dei Patris evehebatur, ubi tanto replebatur gaudio, & ſpiritus lætitia, ut omnium, quæ in mundo erant, obliviſceretur, adeoque familiares habuerit has rerum ſupernarum contemplationes, ut ſemper ſibi videretur in cœleſti curia verſari. In terra autem poſita, quando conſiderationem ad quaſcumque creaturas voluebat, magno amoris incendio cunctas venerabatur propter factorem, omnibus propter eumdem ſe profunda humilitate ſubjiciens. In tertia eam inſtruxit circa modum, quo Deus ſuis dilectis beneficia impertit per multas corporis tribulationes, & qualiter per immiſſam gratiam adeo animam dilatat, capacemque reddit amplioris augmenti, ut veluti diffidat ex ſancta humilitate ſe tanta ac talia recipere poſſe Dei beneficia, quæ ei quotidie & ulterius promittit; conſulitque Eliſabethæ ut ſe divinæ committat, voluntati & beneficentiæ, pluſque tribuat Dei potentiæ, quam diffidat de ſua indignitate. In quarta dubitanti & interroganti Eliſabethæ, quare beata Virgo horas plures, & aliquando noctes inſomnes ducebat in oratione, veluti veniæ indiga, cum fuerit gratiæ plena, neque unquam Deum offenderit? Reſpondit ex ſumma humilitate, neque id inaniter ſe feciſſe, atque hujuſmodi orationes, tam ſibi per frequens gratiæ augumentum, quam aliis per multa collata beneficia profeciſſe, atque Deum in ea merita plurima, & exuberantem gratiam depoſuiſſe, ex cujus plenitudine fideles omnes accipiant: deinde non ſine multa prece & virtutum exercitio, omnes in ſummo gradu acquiſiviſſe, & tandem omnibus undique florentem, mortalibus datam in ſacrum exemplar.

Marian. cit.

Multas accepit revelationes.

XIII. In quinta vidit pulchrum mauſoleum magno circumfuſum lumine, floribus adornatum, circumſtantes innumeros Angelos, inde prodeuntem, & in cœlos evectam mulierem ſpecioſiſſimam, occurrente ſibi Chriſto. In hoc ſpectaculo dixit ei Angelus, cum quo ſæpius ſermonem habebat, adumbratam fuiſſe Virginis Mariæ Aſſumptionem ſecundum corpus & animam. Porro revelatum religioſiſſimæ cuidam fœminæ Eliſabethæ, in finibus Saxoniæ tunc viventi, vivificatum fuiſſe corpus ſanctiſſimæ Virginis, & in cœlos aſſumptum non niſi quadraginta dies poſt ejus mortem, refert Joannes Belethus qui illo tempore vixit, & quadringentis ab hinc annis opus ſuum de divinis Officiis compoſuit, a quo etiam illud accepit Guillelmus Durandus. Eliſabetham autem illam Hungaricam, hanc noſtram fuiſſe vult Antoninus, dum ex quodam Jacobo de Viora, obſcuro ignotoque auctore (niſi fortaſſe error ſit typographiæ, & Jacobum de Voragine intelligat, qui ejus etiam meminit viſionis) hanc ipſam ei tribuit revelationem: & ſane tempus, locuſque concordant. Quid autem de fide hujus revelationis dicendum ſit prorſus neſcio, licet Belethus & Durandus dicant, ſanctam fœminam de hac re Opuſculum compoſuiſſe, quod tamen monent ab Eccleſia minime comprobatum. Id novi, alios in eadem fuiſſe opinione, & ſecundum illam duas celebraſſe Mariæ Aſſumptiones, unam animæ xv. Auguſti, alteram corporis xxiii. Septembris. Quibus favet Martyrologium Bedæ,

Viſio de Aſſumptione Mariæ Virginis.

Beleth. de divin. Offic. c.146.

Duran. lib.7. Rational. divin. Offic. c.24.

Anton. tit. 19. c. 11. ad fin.

Jacobus de Vorag. Legend. 114.

Quoto die a morte aſsúptum corpus virgineũ.

dæ, in quo prima commemoratur XVIII. Kalendas Septembris, ſecunda IX. Kalendas Octobris, qui eſt quadrageſimus a die mortis. Niſi velis cum Baronio, hujus ſententiæ aut credulitatis viros ſecundam hanc Aſſumptionem dicto addidiſſe Martyrologio; neque id omnino improbabile: in ſacra enim Ephemeride, ſeu Kalendario Bedæ, quod videre eſt in primo Tomo ejuſdem, nihil tale habetur; ſed more Kalendarii Romani ad XVIII. Kalendas Septembris abſolute commemoratur Aſſumptio ſanctæ Mariæ, quod & confirmant e regione poſita carmina, ſeu metricum Martyrologium Wamdelberti Monachi Prumienſis.

Baron. ann. 48. n. 2.

XIV. An tanto, vel breviori tempore jacuerit exanime corpus in ſepulcro, dicit ſanctus Antoninus omnino ignorari, neque a Doctoribus quidquam circa hoc inſinuari; unde ſubdit, in hujuſmodi licere unicuique in ſuo ſenſu abundare, & opinari quod ſibi magis videtur conſonum rationi. Verum eſt nihil ab Eccleſiæ Doctoribus in hac re deciſum, inſinuata tamen plura, quæ probabiliorem reddunt conjecturam, corpus poſt triduum aſſumptum fuiſſe in cœlum. Ex Juvenali enim Hieroſolymitano refert Nicephorus, poſt triduum adveniſſe ſanctum Thomam Apoſtolum, reſeratumque monumentum, ut ſacrum corpus videret, & adoraret, neque quidquam ibi repertum, præter ſepulcralia linteamina. Deinde ex congruitate videtur veroſimilius, Virginem in hoc Filio aſſimilatam fuiſſe, cujus corpus triduo jacuit in ſepulcro; quam opinionem communiter nunc amplectuntur Doctores. Neque proinde detractum velim fidei, aut ſanctitati Eliſabethæ, nec penitus condemnaverim revelationem, præſertim cum ipſa in Opuſculo dicat, juſſiſſe ſacratiſſimam Virginem carnalibus & incredulis celandam, devotis vero & fidelibus non abſcondendam. Prudentes & pii Viri noverint in hujuſmodi revelationibus, ubi adhibenda, & ubi ſuſpendenda ſit fides. Sanctus Gregorius ait: *aliquando ſanctos Prophetas, dum conſuluntur ex magno uſu prophetandi, quædam ex ſuo ſpiritu proferre, & ſe hoc prophetiæ ſpiritu dicere ſuſpicari*; quod exemplo confirmat Nathan Prophetæ, qui Davidem volentem domum Domino ædificare, juſſit ut faceret; quod tamen conſilium nocte ſequenti docuit Deus a ſe non prodiiſſe, dum ei præſcripſit ut Davidi diceret, ne opus aggrederetur, ſed alteri illius molitionem reſervaret. Eodem exemplo utitur ſanctus Antoninus pro hoc noſtro argumento, de quo videri poteſt ſanctus Thoma 2.2. q. 171. art. 5. Gaſpar Sanctius in citatum locum libri Regum, & Joannes de Horozco, Covarruvias tractatu, quem Hiſpanico edidit idiomate, de vera & falſa prophetia lib. 11. c. 16.

Anton. cit.

Probabilius poſt triduum aſſumptum fuiſſe corpus.

Niceph. l. 2. hiſt. c. 23.

Vide Suar. tom. 2. in 3. p. diſp. 21. ſect. 2.

Vates aliquando ex ſemetipſis prophetant.

Greg. hom. 1. in Ezech. 2. Reg. 7. v. 3.

Thom. Sanct. Horozco.

S. Ant. 1225. n. 10.

XV. E Sicilia, in quam ſuperius diximus adverſis ventis tranſvectum, miſſus Romam hoc anno ſanctus Antonius ab illius Provinciæ Miniſtro ad res quaſdam obeundas, ubi tantam Principum Eccleſiæ erga ſe benevolentiam expertus eſt, ut & ab ipſo Pontifice Maximo & ceteris omnibus conciones illius incredibili ſtudio & devotione auſcultatæ ſint. Tam enim ſublimiter facundo ore ſcripturæ myſteria depromebat, ut Pontifex Maximus, ſingulari quadam prærogativa, eum *Arcam teſtamenti* appellaret. Habebat hoc Vir Dei, ut ſermo ejus pro rerum diverſa ratione ſemper in gratia, ſale diſcretionis eſſet conditus; noveratque pariter & placidum & ſeverum ſe exhibere: qua re fiebat, ut ſermo ejus & amore, & timore afficeret auditores. Mirabantur in illo viri litterati tantum ingenii acumen, tantamque eloquentiam, nec non illum erga omnes, miro quodam prudentiæ & diſcretionis pondere ſua verba libran-

Venit Romam Antonius Patavinus.

Surius c. 8.

Magni fit a Pontificibus & Cardinalibus.

Coloſſ. 4. 6.

brantem. Majores non ſine admiratione attendebant *ſpiritualibus ſpiritualia comparantem*; Minores ſtupebant vitiorum cauſas & occaſiones ſapienter reſecantem, & virtutes ac bonos mores cum multa cautione inſerentem. Denique omnes omnium ætatum, ordinum, conditionum mortales, accommodatas ſibi doctrinas & inſtitutiones ex illo ſe ſuſcipere lætabantur. Nec immerito illi tributum fuit a Pontifice, ut *Arca teſtamenti* diceretur, ita enim utriuſque inſtrumenti paginas memoriæ plane affixas habebat, ut inſtar Eſdræ potuerit, ſi ſic res poſtulaſſet, omnes ſcripturas divinas in integrum de ſua memoria, etiam codicibus omnibus prorſus abolitis, reſtituere. Teſtantur hoc, qui ejus quotidiano convictu & familiari conſuetudine diu uſi fuere. Nec ei defuiſſet facultas, ſi res popoſciſſet, omnia ſcripta divina luculenter, & multiplici ratione exponendi & interpretandi.

1. Cor. 2. 13

Sacram ſcripturam memoriter tenebat.

XVI. Tunc fortaſſe rarum illud accidit prodigium, quod cum ex Pontificis præcepto ſermonem haberet ad innumeram multitudinem diverſarum gentium, quæ tunc in Urbem ad Indulgentias Paſchales convenerat, renovatum eſt illud præclarum miraculum, quo olim in Pentecoſte Apoſtolos illuſtravit Chriſtus. Nam beati Viri linguam ita inſtruxit gratia Spiritus ſancti, ut ſinguli & aperte audirent, & plane intelligerent idioma regionis ſuæ, in qua & nati & educati fuerant; quemadmodum multi ex eis poſtea pro certo affirmarunt.

A variarum gentium auditoribus prædicans intelligitur.

Legen. cap. 15. Act. 2. 6.

XVII. Factus tunc Guardianus Podienſis, ſive Avicienſis in Gallia, ita dicta ab Avicio colle, ſumma humanitate & prudentia Fratres rexit, & proximos continua prædicatione miroque exemplo ad frugalem vitam reduxit. Præ ceteris lucratus eſt ſingulari arte Notarium quemdam omnino lubricum, carni & mundo totum addictum. Eum quoties præteriret Vir Dei, nudato capite, coram illo genu flectebat. Ille vero exiſtimans, id in ſui irriſionem & contumeliam fieri, animo perturbatur, dabatque modis omnibus operam, ne illum unquam obviam haberet. Sed cum die quodam ab inſperato eum tranſiret Vir ſanctus, & ita, ut diximus, erga illum ſe gereret, exacerbatus homo dixit, niſi timerem Dei iram, gladio te percuterem, quod ita me ridiculum facis: quid ſibi vult iſtud, quod coram me poplitem flectis? Reſpondit Vir beatus: ego me libens Deo martyrem obtuliſſem, ſed illi non placuit: de te autem ille mihi revelavit, præclarum te martyrem fore. Oro itaque ut ubi ad martyrii agonem perveneris, mei memor eſſe velis. Hoc ille audiens, riſit. At non multo poſt tempore Epiſcopus Podienſis cum multis aliis profectus eſt Hieroſolymam, ut Saracenis Chriſtum prædicaret. Et ecce divinitus permotus Notarius ille, venditis ſuis rebus omnibus, cum illo iter aggreſſus eſt. Cum autem perveniſſent ad Saracenos, & Epiſcopus ſic ſatis frigide haberet conciones, ſemel quidem & iterum, & tertio Notarius diſſimulavit. At tamdem, inſtar beati Vincentii, increpat Antiſtitem, quod ita frigide fidem Chriſti & prædicet, & propugnet; divinoque afflatus ſpiritu cum multo fervore cœpit docere Saracenos, Chriſtum eſſe verum Deum, & Dei filium; Mahometem autem eſſe filium Satanæ & perditionis. Quod illi non ferentes, rapiunt hominem, & per triduum diris eum ſuppliciis excruciant. Cumque jam ad mortem duceretur, expoſuit Fratribus Antonium id prædixiſſe, quod ipſe martyr futurus eſſet. Fuit ea res populo occaſio, multa deinceps reverentia beatum Antonium proſequendi.

Ibid. c. 19.

Prædicit improbo Notario martyrium.

Vide in vita ejus apud Surium 22. Januarii.

Verum evadit vaticinium.

XVIII. Ejus opera circa hoc tempus civis quidam Brivenſis in Aqui-

Gonza. in Prov. Aquita. Recent. Con. 40.

Conventus Brivenſis.

Indil. Con. 26.

Conventus ſancti Antonii.

tania, nomine Quintus de Falcici ſuis ſumptibus in eadem civitate Minoribus domum extruxit, quam turbulento hoc ſeculo nefarii hæretici ſolo æquarunt, occiſis in eadem religioſiſſimis Viris Stephano de Berda, & Antonio de Pulchro viſu eorum impietatem deſteſtantibus, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ fidem conſtantiſſime prædicantibus. Aliquam in hac domo Vir ſanctus Antonius moram traxit, & extra urbem inviſere licet ſpeluncam, in quam orationis & pœnitentiæ gratia ſecedere ſolebat. Non longe poſt in eadem Provincia alii Monaſterio dedit initium, quod ab eo nomen accepit, cujus modo ferme nullum eſt invenire veſtigium poſt hæreticorum rabiem, qui illud a fundamentis everterunt.

Conventus Glemonæ.

Paul. Diac. Rodul. fol. 272. Legen. MS.

Antonius mortuum exſuſcitat.

XIX. Incertum an in itinere Galliam verſus, an potius in reditu initium dederit Conventui Glemonæ (oppidi regionis Forijulii in montibus ſupra Utinum ſiti, cujus meminit Paulus Diaconus in hiſtoriis Langobardorum) quod tamen illi adſcribunt Rodulphus & Legenda MS. proptereaque ab eo cognominatum locum ſancti Antonii. Addunt item quod cum locum conſtrueret, bubuculum quemdam rogaverit, ut currum ſibi præberet ad deferendos lateres pro loci hujus conſtructione. Ille, ut eſt ruſticorum mos, diſſimulavit, ſe currum præſtare non poſſe, quod veheret juvenem mortuum, qui tamen dormiebat. Beatus Antonius diſceſſit, ruſticus vero ſubridens, juvenem dormientem cœpit excitare: dormitat ille, inſtat ruſticus, ac urget, quem cum excitare nequiret, ſenſit eſſe re vera mortuum. Tunc relicto plauſtro bobuſque, accurrit ejulans ad ſanctum Virum, profuſis lacrymis fuſus ad ejus pedes orat, obſecrat, ut ſuſcitet juvenem. Beatus Vir motus prece, motus caſu, facit ſignum crucis ſuper occubantem, ſubmurmuratque ore & ſpiritu, & erigit ad vitam revocatum juvenem. Floruit in hoc Conventu magiſter Aloyſius Pighiſinus.

Conventus Annunciatæ Cænomanenſis.

Gonzag. in Prov. Turon. Con. 2.

XX. Abſolutum hoc anno Monaſterium ſanctæ Mariæ Annunciatæ urbis Cænomanenſis, ſuper Sartam fluvium ſitæ, in Gallia Lugdunenſi ſub Archiepiſcopo Turonenſi, ſtudio & expenſis nobilium quorumdam Cænomanenſium, ſed præcipue Gaufridi de Laval ex illuſtriſſima familia Lavalenſi orti, ejuſdemque urbis Canonici, qui datis litteris ad ſanctum Franciſcum, binos ſaltim ex ſuis Fratribus, quorum bona fama jam invaluerat, in eam mitti Civitatem rogitaverat, ſpondens, ſe illis in omnibus adſuturum, & pro temporis opportunitate rerumque familiarium facultate domum extructurum. Miſſus illuc quidam Frater Electus Vir prudens, ſpectatæ vitæ & probatæ doctrinæ, cum alio ignoti nominis ſocio, non anno MCCIX. ut nimis immature habet Gonzaga, cum in primis adhuc incunabulis verſaretur Religio, & pauciſſimos haberet Franciſcus ſectatores, quorum nomen tunc extra ſuburbanum rus Aſſiſii non ferebatur, ſed potius MCCXIX. quo ſolemnia illa convocavit Comitia, ex quibus conſodales in plurimas Orbis partes diſperſit. Unde mendum eſſe putem in numero; reſtituendum item numerum MCCXV. quo ait cœptum ædificium, reddendumque MCCXXV. Neque eos potuit recipere quem ait Hamelinus, ſive Amelinus Epiſcopus, ſed Mauritius, qui cum ſexdecim annis ſederet, translatus eſt ad Archiepiſcopatum Rothomagenſium anno MCCXXXI. inter quem etiam & dictum Amelinum interceſſit Nicolaus, qui Pontificatum ferme geſſit annis duobus, ut habet, catalogus Epiſcoporum Cænomanenſium apud Joannem Chenu. Illud etiam irrepſit erroris, quod dicat Berengariam Reginam, Joannis Anglorum Regis uxorem, tunc Cænomanorum Comitiſſam, fundum ædis

Chenu de Epiſco. Galliæ.

ſtruen-

ſtruendæ donaſſe; neque enim illius nominis, in quo etiam lapſus eſt Abrahamus Bzovius, conjugem habuit Joannes, cui præter violati thori adulteria, duas tantum tribuunt uxores rerum Anglicarum Scriptores, Aniſiam unam, filiam Roberti Comitis Gloceſtriæ, quam repudiavit in ipſis ſui principatus auſpiciis, ſive jure, quaſi tertio conſanguinitatis gradu conjunctam, ſive injuria: Iſabellam alteram filiam Comitis Engoliſmi, Hugoni Marchiæ Comiti prius deſponſatam, & ab eo violenter ablatam, quæ ei ſupervixit, & cum prædicto Comite, Rege defuncto, matrimonium coluit.

Bzov. ad hunc ann. n.10. *Polido. Vergil. lib. 15. hiſt. Anglic.* *Harpsfeld. ſeculo 13. c. 2.*

XXI. Berengaria, quam filiam Garziæ Regis Navarræ perperam dicit Vergilius, & verius Sanctio Navarro, cognomento Sapiente, genitam aſſerit Zurita, conjux fuit Richardi I., ob magnanimitatem *Cor leonis* dicti, qui mortuus eſt ex ſagitta venenata in obſidione Calucæ, in tractu Lemovicenſi anno ſalutis, ut habet Vergilius MCC. ſeu MCXCIX. ut refert Walſinghamus. Huic ſucceſſit Joannes frater, cujus mater Aleonora Duciſſa Aquitaniæ præerat regionibus Gallicis Anglo ſubjectis, quæ etiam obiit MCCIV. Ab Iſabella itaque, modo a Joannis uxore, ut vult Gonzaga, beneficium Fratres accepiſſe dicendum; qui dum religioſum habitaculum non habuerunt, morabantur in Epiſcopio Domino devote ſervientes, & divinum Officium in Cathedrali Eccleſia recitantes. Reliquum vero temporis, aut infirmorum obſequio, aut prædicationibus, vel honeſtis laboribus impendebant, quorum vitam & bonum exemplum multi Cives æmulati, ſe illorum Sodalitio ſtatim addixerunt, ita ut ante expletum annum MCCXX. ex numero Conventus Fratrum dici mererentur. Gaufridus autem ſupradictus ad Epiſcopatum illum evectus anno MCCXXXI. omnem ſuam Fratribus præſtitit operam, & anno ſequenti conſecravit Eccleſiam ſub nomine Annunciationis Virginis Mariæ, in qua ſepeliri voluit anno MCCXXXIV. quo obiit. Non modice afficiebatur erga hunc Conventum Philippus Valeſius, ſancti Ludovici Toloſani Epiſcopi conſanguineus, qui datis authenticis litteris apud ſanctum Gramanum in Laya XIII. Septembris anno MCCCXXXI. ſtatuit Miſſam in honorem dicti ſancti Ludovici ſingulis hebdomadis perpetuo in illo Cœnobio decantari, quod diligenter a Fratribus obſervatur. Anno MDLXII. Hugnoſtici hæretici locum, omnium, quæ in Galliis incendio perierunt, primum incenderunt. Cujus ruinæ, magnum Oppidum referunt, tanta erat ædificiorum amplitudo; modo tenuis eſt incolatus Fratrum, & a ſexagenario numero redacti ſunt ad triginta.

Verg. l. 14. in princ. *Zurita. 1. p. l.2. c.45.* *Verg. cit. poſt med.* *Walſing. in Ypodigmat.*

XXII. Eaſdem ferme patitur difficultates extructio Conventus ſanctorum Joannis Baptiſtæ & Evangeliſtæ Oppidi Vindocini Diœceſis Carnotenſis in Gallia ad Lidi fluvii marginem, quam ſupradictæ Reginæ Berengariæ, paulo poſt obitum ſancti Franciſci, vel adhuc illo ſuperſtite, tribuit Gonzaga; ſed in nomine ei impoſitum proxime oſtendi, quantumvis dicatur, ejus obitus dies in Kalendario cujuſdam vetuſtiſſimi Collectarii MS. memorari. At non Berengariæ nomen ibi exprimi additur, ſed Reginæ fundatricis dies refertur. Quod etiam dicat, hujus Monaſterii Eccleſiam a ſupradicto Epiſcopo Gaufrido, quem hic Godefridum vocat anno MCCXLIX. conſecratam, error eſt, nam ille, vel ipſo Gonzaga teſte, obiit anno MCCXXXIII. vel ut habet citatus catalogus Epiſcoporum Cænomanorum anno MCCXXXIV. cui ſucceſſit alius Gaufridus cognomento de Loduno, qui annis duobus ſupra viginti ſedit in Pontificatu, & inſigne Monaſterium Carthuſianorum Cænomanis extruxit. Bochar-

Conven. Vindocini. *Gonz. in Prov. Turonia Con.4.* *Idem Con.2.*

chardus Vindocinenſis Comes conceſſit Fratribus clauſuram alvei Lidi fluvii per medios hortos decurrentis, ut videlicet ſuos pannos ſecreto intra Conventus diſtrictum lavarent, ne in illam partem lotrices & muliérculæ ad ſua miniſteria confluerent. Ita conſtat dato diplomate anno MCCLXIX. Fertur ibidem, in quodam Sacello, nunc divo Bernardino ſacro, aſſervari corpus beati Maſſæi, quondam ſancti Franciſci diſcipuli: an illius de Marignano Franciſco ſatis familiaris? Non eſt omnino compertum.

Pontifex commendat Fratres de pœnitentia.

XXIII. Commendavit impenſe hoc anno ſtatim in auſpiciis ſui Pontificatus dominus Papa univerſis Prælatis Italiæ Fratres de pœnitentia ſui tertii Ordinis, exhortans eos ut pœnitentes hos viros non cogant ad publica munera, vel officia obeunda, nec ab eis extorqueant juramenta. Incipiunt litteræ Apoſtolicæ. *Nimis patenter*. Datæ VII. Kalendas Junii Pontificatus anno 1. in quibus teſtimonium perhibet, probaſſe Inſtitutum hoc ſuum prædeceſſorem Honorium.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Honorius III. decedit.

,, I. HOnorius III. cum Eccleſiam Chriſti rexiſſet annis decem,
,, menſibuſque octo, creatis Cardinalibus tredecim, & ſcripto
,, apoſtolico Regula, & vita Fratrum Minorum approbata, & confirma-
,, ta, obiit Romæ XV. Kalendas Aprilis hujus anni MCCXXVII. ſepultuſ-
,, que ante aram Præſepii in Baſilica ſanctæ Mariæ Majoris. Sedem Pe-

Ugol. Cardin. Oſtien. ſufficitur.

,, tri Gregorio IX. reliquit, qui ortus Anagniæ in Provincia Campaniæ,
,, patre Triſterio de Comitibus Signiæ Ugolinus dicebatur, eratque In-
,, nocentii III. nepos, factus ſubinde Epiſcopus Oſtienſis, & Vellitranus
,, tamdem in ſummum Pontificem creatus Romæ XIII. Kalendas ad ſan-
,, ctum Petrum coronatus fuit V. Kalendas Aprilis anno MCCXXVII. hic
,, ſummus Pontifex cum Ordinis noſtri Protector extitiſſet, præter ea,

Indic. ex Quareſm. tom. 1. fol. 389.

,, quæ a Waddingo enarrantur, Prælatis eccleſiaſticis prohibuit, Fratres
,, Minores, quos ſpecialiter in Chriſto adamabat, moleſtare, diploma-
,, te dato *Si Ordinis &c.* Miniſtris vero, ut ſuos ab excommunicatione

Varia diplomata pro Minor.

,, abſolvere poſſent, benigne conceſſit *A nobis humiliter &c.* III. Idus
,, Maii; ac univerſo Ordini liberam ſepulturam *Ita nobis, Ordini, &c.*
,, VII. Kalendas Auguſti. Rebus autem hieroſolymitanis declinantibus

Ex arch. SS. Apoſt.

,, in malum, non tam Cruceſignatos, quam Fridericum ipſum piis ex-
,, hortationibus, ut illuc ſe transferrent, inſtantiſsime urgebat, quod ex
,, Oderico diplomata proferente, plenius quivis addiſcere poteſt.

Ludovici VIII. Reg. obitus.

,, II. Fatis cedente Ludovico VIII. regni Franciæ habenas ejus
,, filius Ludovicus IX. moderari cæpit hoc anno; ex diſpoſitione tamen

Ex Oderic. fol. 372. 373. 374.

,, teſtamentaria patris, ſub regimine ac tutela genitricis ſuæ Blancæ, ut
,, quæ illum pepe rat Regno, Eccleſiæ, & cœlo, eumdem incedere per

Lud. IX. regit ſub tut. Matris Blancæ.

,, vias rectas ad apicem gloriæ non tantum verbo, ſed etiam exemplo
,, doceret. Erat autem hæc Illuſtriſſima Heroina Alphonſi IX. Caſtellæ
,, Regis, & Eleonoræ Henrici II. Angliæ Regis filiæ nata; nupta ſubin-
,, de Ludovico VIII. anno MCCI. anno poſtea MCCXIV. Ludovici IX.

Vide inf. ad annum 1252. n.

,, mater effecta, & nunc orbata viro, magiſtra, & tutrix, dum pondus
,, regni pro filio ſubit, ſanguinis Principum ambitionem ſibi adverſan-
,, tem viribus, ſed magis virtute infringit, at hujus inclytæ Reginæ,
,, tertii Inſtituti gloria Minoritici, alibi latius dicemus.
,, III. Interea frater Richardus Kingsdorp, quem Illuſtriſſimus

Le-

„ Lelandus Regioſilvanum appellat, pietatem cum bonis litteris colebat. Hic, poſtquam in Anglia non mediocres progreſſus feciſſet, ad altiora anhelans, in Galliam transfretavit, ubi habitum minoriticum ſuſcepit, ejuſque exemplum imitati non pauci. Eumdem amplexi ſunt Inſtitutum Richardus Devonienſis, Guillelmus Eſton & alii, cum quibus in Angliam regreſſus locum habitationis in Monte Frumentario accepit; fuit autem Richardus vir doctus, & præco non vulgaris; Eſtonus vero primum Londini, deinde Oxonii concionari, mox in Scholis docere cœpit, multoſque vitæ, & doctrinæ virtute ad Religionem attraxit: floruiſſe autem hoc anno ſcribit Pitſeus.

Richardus Kingl. fit Fr. Minor.

Deſcript. Angl. in appendice Theatr. Bajard.

Cum eo Ric. Deu. Guil. Eſtonus, & alii.

„ IV. Bruxellæ *Bruſſelles* Civitas in Belgio, Brabantiæ Metropolis, & Regia, ſeu Ducum ſedes ad Senam amnem, Delia fluvio interluente, forma conſtans ovali, ampla, elegans, in ſitu peramæno poſita, media eſt inter Namurcum, & Gandavum, a quibus XI. M. P. belgicis abeſt, ab Antuerpia VIII. in Meridiem recedens, & a montibus x. & ſi vero tam ampla, & Metropolis ſit, haud unquam tamen Epiſcopali dignitate ornata fuit, Mechliniæ Urbi Archiepiſcopali, quæ minor eſt, in ſpiritualibus parens. Templum divæ Gudulæ dicatum in ea inter cetera fulget, in quo hoſtia ſacra, ex qua percuſſa a Judæis anno ſalutis MCCCLXIX. ſanguis profluxit, adhuc ſanguine conſperſa aſſervatur, & cernitur. Bruxellis autem, Minoritas noſtros receptos fuiſſe hoc anno ſcripſit Haræus, ex quo notavit Epitomator Haroldus; cum alioquin Gonzaga paulum poſt mortem ſancti Patris Franciſci Conventum ibi fundatum fuiſſe dicat, & bonorum Civium eleemoſynis conſtructum circa annum MCCXXXI. Provinciæ Germaniæ inferioris monumenta referunt.

Bruxellæ Civitas in Belgio deſcribitur.

Topogr. Ferreri.

Haræus fol. 249.

Hoſtia Sacra a Jud. percuſſa ſervatur in Templo D. Gugulæ.

Harold. ad an. 1228. n. 7.

Mon. MSS. Germaniæ inf. Prov. Vide inf. ad annum 1516.

ARGUMENTUM.

Solemniter canonizatur ſanctus Franciſcus ubique prodigiis, & miraculis, quorum plurima narrantur, coruſcans. Hymnis Eccleſiaſticis & Rhithmis Pontifex cum Cardinalibus Viri famam & nomen extollunt; decreta item ſtructura nobilis Templi in ejus honorem. Eliſabethæ Lantgraviæ parant Conſanguinei ſecundas nuptias, quas refugit, neque ad dignitatem revocata ſiſtit in palatio; ſed pro Dei amore ſummum humanarum rerum miſit contemptum, cujus ſanctum propoſitum Pontifex litteris probat. Ordo valde propagatur per utramque Germaniam.

I. CElerem hunc annum reddidit Canonizatio ſancti Franciſci, quam diffuſe, & ex circumſtantiis refert ex Thoma Celano Marianus: brevius graviora exſcribimus. Gregorius tumultuantem, ex ſuggeſtione Friderici Imperatoris, populum Romanum non facile compeſcens, declinavit ad Civitatem Reatinam, ex qua nonis Maii graves litteras ſcripſit Friderico, ut ceſſaret a tyrannide, & infinitis cruciatibus Cleri Regni Siciliæ & Apuliæ, cujus clamorem, ululatum, & ſtridorem miſerabilem ad ſe aſcendiſſe teſtatur, & in fine epiſtolæ ait, ſe ad eum mittere B. & R. Fratres Minores, ſi forſan ſero ſaltim ſalubriter monitionibus Pontificiis aures adaperiat, quas eo uſque nimium inconſulte clauſerat. E Civitate Reatina venit Spoletum, mox Aſſiſium viſitatis prius ſancta Clara, & Conſodalibus, quæ extra urbem ad ſanctum Damianum quoti-

Legen. antiq. Marian. c. 3.

Ex regeſto Greg. ep. 10.

Viſitat Gregorius S. Claram.

Digitized by Google

quotidiano boni nominis incremento ſancte vivebant. Nullus harum Virginum ſanctimoniam magis perſpectam exploratamque habuit ipſo Pontifice, qui in Cardinalem earum Protectorem egit, conſilio, re familiari, & ſingulari eis adfuit patrocinio. Protracto familiari colloquio cum primiceria Clara tamdem ſubjunxit, eam propter pericula temporum, & eventus ſeculorum debere poſſeſſiones admittere, quas ſpopondit ſe plene & abundanter elargiturum. Fortiſſimo & conſtanti illa reſtitit animo, majorem omni poſſeſſione, dicens, eſſe paupertatem, neque ullum hoc theſauro eſſe ſecuriorem. Suſpicatus pius Pontifex propterea tenaciter inheſiſſe paupertati, quod ei ſervandæ perpetuo ſe obſtrinxerit voto, addidit: ſi votum formidas cariſſima filia; nos te a voto abſolvimus. Sancte Pater, inquit illa, nequaquam a Chriſti ſequela in perpetuum, ſed a peccatis meis abſolvi deſidero.

Illa tenaciter inhæret paupertati.

II. Urbem ingreſſus, magno exceptus apparatu, recta perrexit ad ſepulcrum S. Franciſci, cujus vitæ ſanctitatem longa experientia compertam habebat, & cujus gloria magis, magiſve in dies ſingulos creſcebat miraculorum frequentia. Longa oratione Viri ſancti patrocinio commendato Eccleſiæ ſtatu in tanto rerum turbine, ſtatim ibidem iniit cum comitibus Cardinalibus ſermonem de prodigioſo notiſſimæ ſanctitatis homine canonizando. Debita itaque præmiſſa inquiſitione examinantur miracula, quæ facile fuit conſcribere, dum ex ipſa Civitate, rure ſuburbano, & locis vicinis plurimi, ſancti Viri interceſſione, magna & mirabilia obtinuerint a Domino beneficia. Exactam rerum diſcuſſionem commiſit iis Cardinalibus, qui minus favebant tanti negotii accelerationi. Interim Peruſium abit Pontifex, quædam commodius diſpoſiturus circa Friderici contumaciam, vel flectendam, vel frangendam. Habito ibi pleno conſiſtorio circa Proceſſus validitatem, & communi omnium adminiſtrorum addito conſenſu de connumerando inter cœlites Viro ſancto, cum univerſa curia rediit Aſſiſium, quo jam ad rei novitatem, & ſolemnitatem innumera Heroum, Prælatorum, ac univerſæ gentis ex multis Regionibus convenit multitudo.

Inquiruntur miracula S. Franciſci.

III. Dum Viri ſanctitatem impenſius Pontifex expendit, & ſingularem ejus prærogativam in Chriſti acceptis vulneribus admirandus ſecum extollit, circa vulnus laterale, quod oculis non vidit, cœpit dubitabundus hæſitare. Nocte quadam, ut ipſe pius Antiſtes, Bonaventura teſte, referebat cum lacrymis, apparuit ei in ſomnis indignato commotoque vultu Vir ſanctus, & hæſitationem cordis ipſius redarguens, elevavit brachium dextrum, detexit vulnus, phialamque popoſcit ab ipſo, ut ſcaturientem reciperet ſanguinem, qui ex latere defluebat. Obtulit in viſione ſummus Pontifex phialam poſtulatam, quæ uſque ad ſummum, ſanguine profluente de latere videbatur impleri. Ex tunc ad illud ſacrum miraculum tanta cœpit devotione affici, & æmulatione fervere, ut nullo modo pati poſſet, quod aliquis præfulgentia illa ſacra ſigna, ſuperba præſumeret impugnatione fuſcare, quin eum ſevera increpatione feriret.

Certior redditur Pontifex de vulnere laterali ſancti Franciſci.

Bonav. cap. 15.

IV. Magna cum ſolemnitate, quam longum foret, ut ait Bonaventura enarrare, præparatis ſecundum Pontificis majeſtatem, & in Virum ſanctum affectum, rebus omnibus, quæ in tanto exponuntur theatro, in ipſa Eccleſia ſancti Georgii ex alto ſolio graviſſimum habuit Pontifex ad univerſam multitudinem de ſancti Viri laudibus ſermonem, ab illis verbis exorſus: *Quaſi Stella matutina in medio nebulæ, & quaſi Luna plena*

Bonav. cap. 15.

Eccl. 50. 6.

Digitized by Google

na in diebus ſuis, & quaſi Sol refulgens, ſic & iſte refulſit in Templo Dei. Completo ſermone ex eminenti loco, Octavianus Cardinalis Diaconus conſobrinus Innocentii III. ab eodem creatus tituli ſanctorum Sergii & Bacchi, miracula fideli examine probata, quæ nos dabimus ſtatim, populo recitavit. Deinde Rainerius Capoccius Viterbienſis, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Coſmedin ab eodem Innocentio aſſumptus, qui arctam habuit cum ſancto Dominico neceſſitudinem, multiſque functus eſt pro Eccleſia muneribus, in confirmationem & gloriam tantorum miraculorum, doctam recitavit orationem: dum dixit, multis ex imo corde tractis ſingultibus, præ ſummo in ſanctum Virum amore, ſurgens ex ſolio Pontifex præmiſſa devota, & brevi oratione, deinde in pedes erectus ſublatiſque in cœlum oculis & manibus, alta voce intonavit: *Ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, & glorioſæ Virginis Mariæ, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ad honorem Eccleſiæ Romanæ, beatiſſimum Patrem Franciſcum, quem Dominus glorificavit in cœlis, venerantes in terris, de conſilio Fratrum noſtrorum, & aliorum Prælatorum, in catalogo Sanctorum decrevimus adnotandum, feſtum in die obitus ſui celebrari.* Statim Cardinales *Te Deum laudamus*, incipiunt, & populi in varias laudes voces depromunt. Deſcendit de ſolio Pontifex, & per inferiores gradus Sanctuarium concameratum, ubi ſanctum corpus conditum erat, intravit, ubi proſtratus coram arca, in qua cuſtodiebatur, eam exoſculatus, multa vota obtulit & donaria. Addit Albertus Stadenſis, Pontificem cum Cardinalibus corpus ex ipſa tumba levaſſe; fortaſſe id factum, ut ſatisfieret Cardinalium, & virorum Principum votis, viderentque in integro corpore pulchra illa Chriſti veſtigia. Factum hoc in die Dominico XVII. Kalendas Auguſti hujus anni, non IV. nonas Octobris, ut ſuſpicatus eſt Ciaconius.

Canonizatur ſanctus Franciſcus.

Marian. cit. c. 2. Abbas Staden. ad ann. 1228. Thom. Celan. in Legenda.

V. Adnotarunt plures Auctores canonizationis formam, & ſolemnitatem; neque id mirum, quia ultra omnes fuit maxima, ut adnotavit Joannes de Florentia in Opuſculo de hac re MS. primo ex inſolitis cœremoniis; nam eouſque recitatis approbatiſque in ſecreto Cardinalium conſiſtorio canonizandi miraculis, adſcribebatur abſque tanto apparatu numero Sanctorum. Secundo, ex tanta Pontificis dignatione, ut perſonaliter cum tota curia venerit ad hoc munus Aſſiſium, atque ipſe Viri ſancti vitam & laudes ad populum dixerit, plurima recenſens magna animi teneritudine, quæ viventem adhuc feciſſe vidit, aut cognovit ex arcta cum eo neceſſitudine. Tertio, ex præſentia corporis ipſius ſancti Patris, quod fortaſſe paucis, aut nullis Canonizatorum evenit. Quarto, ex plurima atteſtatione, & conclamatione hominum, ipſorumque Cardinalium, qui ante biennium ſanctum Virum viderunt, cognoverunt, ſtigmatizatum probarunt. Ex his fideliſſimus, omni exceptione major teſtis fuit Raynaldus ex Comitibus, Pontificis nepos, qui ante Cardinalatum Franciſco familiaris fuit, & in viventis corpore ſtigmata perſpexit, velut ipſe jam Pontifex, Alexander IV. renunciatus, publica concione, dixit ad populum.

Ciac. in Greg. IX. Solemnitas hujus canonizationis. *Joan. de Floren.*

VI. Miracula in eo conſeſſu perlecta ad compendium redacta, hæc ſunt. Ipſo quo ſepultus eſt die, puella Aſſiſias monſtruoſe habens collum plicatum, caputque humero annexum, ad tumbam accedens, capite ſuppoſito, repente vegeta & ſana exilivit, Deum magnificans in tanti Viri virtute. Comitatus Narnienſis puer contractam retortamque tibiam,

Miracula S. Franciſci.

Contracti conſolidati.

biam, Viri ſancti invocato nomine, ſanam accepit. Nicolaus Fulginas cruris ſiniſtri contracti continuo dolore excruciatus, magnam rei domeſticæ partem medicis, pro recuperanda ſalute, fruſtra donavit, neque valuit, donec ad ſancti Viri ſepulcrum ductus pernoctavit in oratione, qua nondum finita, magno gaudio, abſque ullo dolore repente in pedes lætus exiliit. Ad idem ſepulcrum puer comitatus Aſſiſii miro modo conglobatus, itaut genua pectori, calcanea natibus hærerent, orante pro eodem utroque parente, ſalvus evaſit. Similis mali vir Faventinus multo ulcere ultra modum fœtens, ſancti Patris poſtulato ſuffragio, repente liberatus eſt. Puella Eugubina contractis manibus, ceterorumque orbata miniſterio membrorum, deducta a matre ad ſacrum tumulum, donariolo oblato, & traducto in oratione occiduo, incolumis rediit ad patriam. Juvenis e Monte nigro a cingulo deorſum viribus, & naturali deſtitutus vigore, ſe movere non poterat; poſitus ante ſepulcrum, vidit ex eo prodeuntem, qui mox ſanum effecit. E Caſtro Tucurono ducta quædam fœmina ſola valens lingua, ceteris membris veluti emortua, ad ſepulcrum omnino convaluit; necnon puerulus Eugubinus areſactas habens tibias, valdeque retortas. Bartholomæus Narnienſis ex capto ſub umbra nucis ſomno, contracta, curvata, & areſcente tibia ſiniſtra, magnum ſentiens tædium & dolorem, pie ſe commendavit Franciſco, qui ei noctu apparens, juſſit ut ad balneum quoddam accederet, in quo ſuum ſpondet adfuturum auxilium. Ita factum; convaluit.

Cœci illuminati

VII. Mulier quædam, Sibilia nomine, pluribus annis cœca, ad ſepulcrum viſum recepit; eodemque modo vir quidam Hiſpellas. Fœmina quædam ex Camertibus ad cœcum oculum panniculum apponens, qui olim fuerat Franciſci, ſtatim reſpexit utroque oculo: ſimiliter alia Eugubina. Civis quidam Aſſiſias per quinquennium cœcus, ante orbatum lumen Franciſco familiaris, ſæpius in oratione ei allegabat initam inter utrumque ſtrictam amicitiam; tandem ductus ad ejus ſepulcrum, ad ejus contactum integre vidit. Albertinus Narnienſis ab integro anno infectis oculis, & palpebris nihil vidit, ex voto facto ſepulcrum viſitandi, ſanus evaſit.

Dæmoniaci curati.

VIII. Petrus Fulginas ſub Solis ardore ad montem Garganum Archangeli Michaëlis ſacrum antrum viſitaturus, bibit extra menſuram ex quodam obvio fonte, in cujus epotatione viſus eſt ſibi multos Dœmones abſorbuiſſe. Vere per tres annos ab eis obſeſſum hominem excruciabant, ad obſcœna facta, & verba impellebant, ex quibus aperte conſtabat, malos habuiſſe ſeſſores. Ductus ad ſepulcrum Viri ſancti ſtridentibus, hominemque diſcerpentibus malis hoſpitibus, claro & manifeſto miraculo a tanto liberatus eſt malo. Mulier quædam Narnienſis perditæ & inſanæ mentis veluti in furias acta, horribilia perpetrabat & dicebat; ad conſanguineorum preces apparuit ei ſanctus Franciſcus crucis ſignum fronti infingens, per quod mentis compos effecta eſt. Alii etiam quamplures a Dœmonibus cruciati, & præſtigiis decepti, ad ſancti Viri tumulum ſalvi facti ſunt, quorum ſingularem memoriam tædii evadendi cauſa Proceſſus canonizationis notavit omiſſam.

Moribundi vivificati.

IX. Puerulus Matthæus Tudertinus per octo dies ſemianimis effectus, intercluſo jam lumine oculorum, cute denigrata, nihil manducans, neque bibens, ab omnibus mortuus judicatus, matre jam defunctum plangente, & Franciſcum repetitis vocibus invocante, repente qui videbatur mortuus, revixit, lumen vidit, comedit, & nigra cutis in-

candi-

candidam & vegetam tranſmutata eſt. Interrogatus a circumſtantibus, quis eum adeo repente ſanaverit, reſpondit balbutienti & tenera loquela, Franciſcus, qui ei benedixit. Alter ab excelſo cadens loco, totus eliſus tribus jacuit diebus, vitæ nullum ſignum oſtendens; mater vovit, eum ad ſancti Viri ſepulcrum deferendum cum oblationibus, ſi ſanum reciperet; ſtatimque exoravit. Alius, Mancinus nomine, infirmatus ad mortem, & a medicis deſperatæ jam vitæ judicatus, vocato utcumque Franciſci nomine, ſubita ſanitate convaluit.

X. Aretinus puer Gualterus, continua febre, & duplici peſtilenti laborans apoſtemate, emiſſo a parentibus voto, concupitæ reſtitutus eſt ſanitati. Alius morti propinquus deferri volens imaginem ſuam ex ære factam ad ſancti Viri ſepulcrum appendendam, ſtatim e lecto ſurrexit. Mulier quædam per plures annos in lecto jacens diuturna gravata languedine, facto voto de viſitando ſepulcro, ad votum convaluit. In Civitate Narnienſi mulier deſiccatam habens manum, bonam recepit; & juvenis decem languens annis, totoque corpore tumens, convaluit, votis emiſſis de ſancti Viri ſepulcro oblationibus cohoneſtando. Civis Fanenſis ab hydropiſi; Tudertinus ab arthriti, ſeu articulario morbo; mulier Eugubina a paralyſi; quidam Picenus, Bontadoſſus nomine, a chiragra & podagra; alius a lethali ſagittæ vulnere, Viri ſancti meritis, miraculoſe liberati ſunt. Hiſpellati cuidam, cognomento Imperator, hernico defluebant, fœdeque pendebant omnia inteſtina annis XII. donec, invocato ſancto Franciſco, in priſtinum, debitumque locum mirabiliter redierunt. Minorita quidam Marchiæ Anconitanæ periculoſe laborans morbo iliaco, & fiſtula moleſta, petiit a Superiori licentiam accedendi ad ſancti Inſtitutoris ſepulcrum, quam ei negavit; dubitans ne ex temporis intemperie, & nivium copia, plus ſibi afferret ex itinere detrimenti. Lamentabatur ille ſecum de negata ſibi licentia; cum ecce Vir ſanctus ei apparuit, jubens, ut voluntatem ſuam ad Superiorum obtemperaret præceptum, extraheretque ſuperinductam pelliculam, & faſciam, impoſterum religioſæ ſtudens Regulæ obſervantiæ, propter cujus tranſgreſſionem hæc mala ei obtigerunt. Statim ſe ſanum ſenſit, conſtanti facto religioſioris vitæ propoſito. In eadem Marchia Anconitana juvenis, Actus nomine, totus leproſus, tumidus ventre, & venis inflatus, dum ei a patre perſuadetur, ut ſe totum ſancto Franciſco devoveat, & ſuæ ſtaturæ faculam ad ejus ſepulcrum appendat, ſtatim perfectam aſſecutus eſt valetudinem.

A variis malis liberati.

XI. Apud Caſtrum plebis juvenculus mutus a nativitate adeo breviculam habens linguam, ut ea omnino carere videretur, ad oppidanum quemdam, Marcum nomine, divertens, ſigniſque petens, ut pro Dei amore hoſpitio reciperetur, caritative admiſſus eſt. Placuit benefactori juvenis vivacitas in rebus capiendis, & ſollicitudo in agendis, detinuitque eum apud ſe aliquo tempore. Dum ſemel cum conſorte cœnaret, coramque aſtaret juvenculus, ei compaſſus, inquit uxori: O quam facile ſanctus Franciſcus huic pauperi poſſet mederi, ſi vellet; neque inter tot, quæ ab eo audio quotidie fieri prodigia, hoc minimum reputarem, ſi ei loqui concederet. Ego ei libenter voveo, quod ſi ita fecerit, ad ejus ſepulcrum cum eodem adoraturus pergam, eumque in filium mihi adoptabo, & dum vixero omnia neceſſaria, ei ſuperimpendam. Non omnino dixit, cum ſubito juvenis exclamans, ait: vivat ſanctus Franciſcus, arrectiſque oculis; en ait, regreditur in cœlum, qui inde

Mutis conceſſa loquela.

venit, ut mihi loquelam conferret. Exultavit in miraculo hoſpes, quod ubique divulgavit, fideliter complens quod promiſit. Alius nomine Villa, nec loqui poterat, nec ambulare; ductus a matre cum oblatione ad Sancti ſepulcrum, ut primum attigit gradum, quo ad tumulum deſcendebatur, magno dolore copioſe evomens putorem corrupto ſanguini immixtum, reſtitutus eſt ſanitati. Mulier item ex gravi infirmitate linguam habens palato hærentem, ita ut arte nulla, nulla medicina potuerit vel unum verbum proferre, voto emiſſo de ſancto Viro honorando donariis, putrida expuit carnis fruſta, nec amplius ſenſit quidpiam moleſtiæ. In Caſtro Græcii juvenis ſurdus & mutus, a parentibus, quibus olim familiaris Franciſcus, ſancto Viro oblatus, mox ſalvus effectus, ubique ſancti Viri gloriam prædicabat. Hæc, præter alia, recitata ſunt in ipſa canonizationis ſolemnitate adſtantibus plurimis ex his, qui curati ſunt, qui voce, & curationis apertis indiciis recepta teſtabantur beneficia.

XII. Non alio commodiori loco miracula multa & magna, quæ Bonaventura devoto conſcripſerat ſtilo, aliique addiderunt, licebit offerre. Illa ad magnum lectoris fructum, & ſancti Viri gloriam ex ipſo tranſcribo, & per ſectiones diſtinguo, omiſſo uno, aut altero ex jam relatis, quæ in hac miraculorum ſerie interſerunt. Ad omnipotentis, inquit Bonaventura, Dei honorem, & gloriam beati fratris Franciſci, *Bonav. cap. 16.* poſt glorificationem ipſius in cœlis, aliqua ex approbatis ſcripturus miracula, ab illo præcipue cenſui ſumendum fore initium, in quo crucis Jeſu virtus oſtenditur, & gloria innovatur. Novus igitur homo Franciſcus novo & ſtupendo miraculo claruit, cum ſingulari privilegio, retroactis ſeculis non conceſſo, inſignitus apparuit, ſacris videlicet ſtigmatibus decoratus, & configuratus in corpore mortis hujus, corpori Crucifixi. De quo quidquid humana lingua dicatur, minus erit laude digna: Totum quidem Viri Dei ſtudium tam publicum, quam privatum, circa crucem Domini verſabatur, & ut crucis ſignaculo, cordi ejus *Franciſci erga crucem ſtudium.* a principio ſuæ converſionis impreſſo, corpus conſignaret exterius, in ipſa ſe cruce recludens, habitum pœnitentiæ ſumpſit, crucis imaginem præferentem: quatenus ſicut mens ejus intus Dominum Crucifixum induerat, ſic & corpus ejus indueret arma crucis; & in quo ſigno Deus poteſtates aëreas debellarat, in eodem ſuus exercitus Domino militaret. Sed & a principio temporis, quo Crucifixo militare cœperat, diverſa circa eum crucis præfulſere myſteria, ſicut vitæ ipſius conſideranti decurſum clarius innoteſcit; qualiter apparitione crucis Dominicæ ſeptiformi, tam cogitatu, quam affectu & actu, totus fuit in Crucifixi effigiem, per ipſius extaticum transformatus amorem. Digne igitur ſummi Regis clementia, ſuis amatoribus ultra omnem æſtimationem hominum condeſcendens, ſuæ crucis vexillum ipſius corpori deferendum impreſſit: ut qui mirando fuerat crucis amore præventus, mirando etiam fieret crucis honore mirificus. Ad hujus ſtupendi miraculi irrefragabilem firmitatem, non ſolum videntium & palpantium teſtimonia, per omnem modum credibilia, verum etiam apparitiones mirabiles, & virtutes poſt ipſius obitum coruſcantes, ad omne mentis effugandum nubilum ſuffragantur.

De

Digitized by Google

De veritate, & virtute ſacrorum Stigmatum.

XIII. Minorita quidam, officio prædicator, virtutis & famæ prærogativa præpollens, cui firmiter erat de ſanctis ſtigmatibus perſuaſum; dum humano ſenſu miraculi hujus apud ſe rationem perquireret, dubitationis cœpit cujuſdam ſcrupulo titillare. Cum igitur per dies plurimos ſenſualitate ſumente vigorem, luctamen hujuſmodi pateretur, nocte dormienti ſanctus Franciſcus, pedibus lutulentis, apparuit humiliter durus, & patienter iratus. Et quæ ſunt, ait, iſta in te conflictationum certamina? Quæ dubitationum ſordes? Vide manus meas, & pedes meos. Cumque ille videret manus confixas, lutulentorum pedum ſtigmata non videbat. Remove, inquit, lutum a pedibus meis, & cognoſce loca clavorum; quos cum ille apprehendiſſet devote, lutum ſibi videbatur abſtergere, locaque clavorum manibus contrectare. Continuo ut evigilat, lacrymis irrigatur, & priores affectus quodammodo lutulentos, tam lacrymarum profluvio, quam publica confeſſione deterſit. Minoritæ de ſtigmatibus dubitanti fidem facit.

XIV. In Urbe Roma Matrona quædam morum claritate, ac parentum gloria nobilis ſanctum Franciſcum in ſuum elegerat advocatum, ipſius habens depictam imaginem in ſecreto cubiculo, ubi Patrem in abſcondito exorabat. Die vero quadam, dum orationi vacaret, conſiderans imaginem Sancti ſacra illa ſigna ſtigmatum non habentem, dolere cœpit non modicum & mirari. Sed non mirum, ſi in pictura non erat quod pictor omiſerat. Cumque per plures dies, quid cauſæ foret defectus hujuſmodi, mente ſollicita, pertractaret: ecce ſubito die quadam apparuerunt ſigna illa mirifica in pictura, ſicut in aliis ipſius Sancti imaginibus pingi ſolet. Tremefacta illa, filiam ſuam Deo devotam advocavit protinus, requirens, ſi abſque ſtigmatibus uſque tunc imago fuiſſet. Affirmat illa, & jurat, olim ſine illis ſacris ſtigmatibus extitiſſe, & nunc vere cum ſtigmatibus apparere. Verum quia mens humana ſemetipſam frequenter impellit, ut cadat, & in dubium revocet veritatem, ſubintrat iterum cor mulieris dubitatio noxia, ne forte ſic fuiſſet imago a principio conſignata. At Dei virtus, ne primum contemneret miraculum, addidit & ſecundum: continuo namque diſparentibus ſignis illis, nudata privilegiis imago remanſit, ut per ſequens ſignum fieret probatio præcedentis. Miraculoſe apparent ſtigmata in ejus imagine. Et miraculoſe evaneſcunt.

XV. In Catalonia quoque apud Ilerdam accidit, virum quemdam nomine Joannem beato Franciſco devotum, quodam ſero, per quamdam incedere viam, in qua pro inferenda morte latitabant inſidiæ: non quidem ipſi, qui inimicitias non habebat, ſed alteri cuidam, qui videbatur ſimilis ejus, & tunc erat in comitatu ipſius. Exurgens autem quidam de inſidiis, cum hoſtem ſuum hunc eſſe putaret, tam lethaliter eum plagis plurimis gladiavit, ut nulla prorſus ſupereſſet ſpes recuperandæ ſalutis. Siquidem primo inflicta percuſſio humerum cum brachio pene totum abſciderat: & ictus alius ſub mammilla tantam reliquerat aperturam, ut flatus inde procedens, circa ſex candelas ſimul conjunctas extingueret. Cum igitur conſilio medicorum, ipſius impoſſibilis eſſet curatio, pro eo quod putreſcentibus plagis, ex eis fœtor tam intolerabilis exhalaret, ut etiam ipſa ejus uxor vehementer horreret, nulliſque jam humanis juvari poſſet remediis: convertit ſe ad B. Patris Franciſci patrocinium, quanta poterat devotione poſcendum, quem inter ipſos ictus,

Digitized by Google

ictus, una cum beata Virgine fidentiſſime invocarat. Et ecce, miſero in lectulo calamitatis ſolitario decumbenti, cum Franciſci nomen vigilans & ejulans frequentius replicaret, aſtitit quidam in habitu Fratris Minoris, per feneſtram, ut ei videbatur, ingreſſus, qui vocans eum ex nomine, dixit; quia fiduciam habuiſti in me, ecce Dominus liberabit te. A quo, cum æger quis eſſet? requireret, Franciſcum illum ſe eſſe reſpondit. Et ſtatim appropians, vulnerum illius ligaturas reſolvit, & eum unguento per omnes plagas, ut videbatur, perunxit. Statim autem ut ſenſit illarum ſacrarum manuum ſtigmatum Salvatoris virtute ſanare valentium, ſuavem contactum, expulſa putredine, reſtituta carne, & vulneribus ſolidatis, reſtitutus eſt integre priſtinæ ſoſpitati: quo facto, beatus Pater abſceſſit, & ipſe ſentiens ſe ſanatum, & in vocem divinæ laudis, & beati Franciſci lætanter erumpens, vocavit uxorem. At illa celerius currens, & ſtare jam videns, quem ſepelliendum credebat in craſtino, cum eſſet ſtupore vehementi perterrita, viciniam totam clamore complevit. Accurrentes autem ſui, cum illum niterentur tamquam freneticum, in lecto reponere, & ille, e contra, renitens aſſereret, & oſtenderet ſe ſanatum; tanto ſunt ſtupore attoniti, ut quaſi ſine mente omnes effecti, phantaſticum eſſe crederent, quod videbant: quia quem paulo ante conſpexerant plagis atrociſſimis laniatum, & totum jam marcidum, plena cernebant incolumitate jucundum. Ad quos ille, qui factus fuerat ſanus: Nolite timere, inquit, nolite credere inane, quod cernitis, quia ſanctus Franciſcus modo a loco receſſit, & illarum ſacrarum manuum tactu me integre ab omni plaga curavit. Crebreſcente tamdem hujus fama miraculi, accelerat populus omnis; & videntes in tam aperto prodigio, ſtigmatum beati Franciſci virtutem, admiratione ſimul, & gaudio replebantur, Chriſtique ſigniferum magnis laudum præconiis extollebant. Digne quidem beatus Pater, carne jam mortuus, & vivens cum Chriſto, præſentiæ ſuæ oſtenſione mirabili, & manuum ſacrarum palpatione ſuavi, vulnerato lethaliter viro ſanitatem conceſſit: cum illius etiam in ſe ſtigmata tulerit, qui miſericorditer moriens, & mirabiliter ſurgens, vulneratum genus humanum, & ſemivivum relictum plagarum ſuarum virtute ſanavit.

Vulneratum lethaliter manuum contactu ſanat.

Luc. 10. 30.

XVI. Apud Potentiam, Apuliæ Civitatem, erat quidam Clericus, Rogerus nomine, vir honorabilis, & Eccleſiæ majoris Canonicus. Hic cum infirmitate quaſſatus, die quadam Eccleſiam oraturus intraſſet, in qua erat imago beati Franciſci depicta, glorioſa ſtigmata repræſentans, cœpit de illius ſublimitate miraculi, tamquam de re omnino inſolita, & impoſſibili dubitare. Subito igitur, dum mente plagatus interius cogitaret inania, in palma ſiniſtræ manus ſub chirotheca, graviter ſe ſenſit eſſe percuſſum, ſonitum audiens percuſſuræ, velut cum ſpiculum proſilit de baliſta; moxque tam vulnere ſauciatus, quam ſonitu ſtupefactus, chirothecam de manu traxit, ut viſu dignoſceret, quod tactu perceperat & auditu. Cumque nulla fuiſſet prius in palma percuſſio, conſpexit in medio manus plagam, quaſi ſagittæ percuſſione inflictam, ex qua tanta vis procedebat ardoris, ut videretur ex illo deficere. Mirabile dictu! Nullum in chirotheca veſtigium apparebat, ut latenti plagæ cordis, latenter inflicti pœna vulneris reſponderet. Clamat exinde per duos dies, & rugit dolore graviſſimo ſtimulatus, & increduli cordis velamen explicat univerſis, credere ſe veraciter, ſacra ſtigmata fuiſſe in ſancto Franciſco: fatetur, jurat, conteſtans omnis dubitationis abſceſſiſſe phanta-

Dubitantis de ſtigmatibus ſancti Franciſci manus feritur.

phantaſmata. Orat ſuppliciter Sanctum Dei per ſacra ſibi ſtigmata ſubvenire, & multas cordis preces multo impinguat profluvio lacrymarum. Mirum certe! Incredulitate projecta, ſanationem mentis ſanatio ſequitur corporalis. Omnis quieſcit dolor, frigeſcit ardor, nullum remanet veſtigium percuſſuræ; ſicque factum eſt, ut latens mentis infirmitas, per patens carnis cauterium, ſuperna providente clementia, curaretur; menteque ſanata, & ipſa caro pariter ſanaretur. Fit homo humilis Deo, devotus ſancto, & Fratrum Ordini perpetua familiaritate ſubjectus. Hujus rei tam ſolemne miraculum, juramentis firmatum fuit, & litteris ſigilli Epiſcopi munimine roboratis, ipſius ad nos notitia delata pervenit. De ſacris ergo ſtigmatibus, nullus ſit ambiguitati locus; nullus in hoc, quia Deus bonus eſt, nequam ſit oculus: quaſi hujuſmodi doni largitio ſempiternæ bonitati non congruat. Si enim illo amore ſeraphico, multa membra capiti cohærerent Chriſto, ut & in bello ſimili armatura invenirentur condigna, & in regno ad ſimilem forent gloriam ſubvehenda, nullus hoc ſanæ mentis, niſi ad Chriſti gloriam diceret pertinere. *Matth. 20. 15.*

De mortuis ſuſcitatis.

XVII. In caſtro montis Marani, prope Beneventum, mulier quædam ſancto Franciſco peculiari devotione cohærens, viam univerſæ carnis intravit. Convenientibus autem Clericis nocte ad exequias & vigilias cum pſalteriis decantandas; ſubito, cunctis cernentibus, erexit ſe mulier ſuper lectum, & unum de aſtantibus Sacerdotem, patrinum videlicet ſuum, advocavit, dicens; volo confiteri Pater; ego enim mortua, duro eram carceri mancipanda, quoniam peccatum quod tibi pandam, necdum confeſſa fueram: ſed orante, inquit, pro me ſancto Franciſco, cui dum viverem, devota mente ſervivi, redire nunc ad corpus indultum eſt mihi, ut illo revelato peccato, ſempiternam promerear vitam. Et ecce, vobis videntibus, poſtquam illud detexero, ad promiſſam requiem properabo. Trementer ergo Sacerdoti trementi confeſſa, poſt abſolutionem receptam, quiete ſe in lecto collegit, & in Domino feliciter obdormivit. *Mortua revixit ad confitendum peccatum.*

XVIII. In caſtro Pamarco, in montanis Apuliæ poſito, patri & matri unica erat filia in tenera ætate, tenere prædilecta: qua infirmitate gravi ad mortem perducta parentes ejus ſucceſſionem aliam non ſperantes, ſe in illa quaſi mortuos reputabant. Convenientibus ergo conſanguineis & amicis ad flebile nimis funus; jacebat mater infelix, ineffabilibus completa doloribus, & abſorpta ſuprema triſtitia, de his quæ fiebant nihil penitus advertebat. Interim ſanctus Franciſcus, uno tantum ſocio comitatus apparens, deſolatam viſitare dignatus eſt fœminam, quam ſibi ſenſerat eſſe devotam; & piis eam affatus alloquiis: noli flere, inquit, nam lucernæ tuæ lumen, quod deploras extinctum, mea tibi eſt interceſſione reddendum. Surrexit continuo mulier, & quæ ſibi dixerat Sanctus omnibus manifeſtans, non permiſit, extinctum corpus efferri: ſed cum magna fide ſancti Franciſci nomen invocans, & mortuam filiam apprehendens, vivam & incolumem, cunctis videntibus & mirantibus, allevavit. *Mortua puella vivificatur.*

XIX. Cum Fratres de Noceria peterent quoddam plauſtrum a quodam viro, Petro nomine, quo aliquantulum indigebant, ſtulte reſpondit

Digitized by Google

ſpondit eis pro petito ſubſidio irrogando convitium, & pro eleemoſyna ad honorem ſancti poſtulata Franciſci, in nomen ipſius blaſphemiam jaculando. Pœnituit hominem ſtatim inſipientiæ ſuæ, divino ſuper eum irruente pavore, ne forte ultio Domini ſequeretur, ſicut & fuit protinus ſubſecuta; nam infirmatus continuo primogenitus ejus, parvo elapſo ſpatio, ſpiritum exhalavit. Volutabatur per humum pater infelix, & ſanctum Dei Franciſcum invocare non ceſſans, cum lacrymis exclamabat: ego ſum, qui peccavi, ego qui inique loquutus ſum: me in perſona propria flagellare debuiſti. Redde, Sancte, jam pœnitenti quod abſtuliſti impie blaſphemanti. Tibi me reddo, tuis me obſequiis ſemper expono: nam & devotum ſacrificium laudis, pro tui honore nominis, ſemper offeram Chriſto. Mira res! Ad hæc verba ſurrexit puer, & planctum prohibens, ſe morientem eductum de corpore per beatum Franciſcum aſſeruit, & reductum.

Item adoleſcens.

XX. Cujuſdam urbis Romæ Notarii puerulus vix ſeptennis, matrem ad Eccleſiam ſancti Marci euntem, pueruli more ſequi deſiderans, dum remanere domi compelleretur a matre, per feneſtram palatii ſe projecit, & ultima quaſſatione colliſus, continuo expiravit. Mater vero quæ nondum longe diſceſſerat ad ſonitum corruentis præcipitium pignoris ſuſpicata, celeriter rediit, filiumque reperiens tam miſerabili caſu repente ſubtractum, protinus ſibiipſi manus injecit ultrices, ac doloroſis clamoribus totam excitavit viciniam ad lamentum. Frater vero quidam, nomine Rabo, de Ordine Minorum illuc ſe ad prædicandum conferens, propinquavit ad puerum, & fide plenus ait ad patrem: crediſne, ſanctum Dei Franciſcum poſſe filium tuum a mortuis ſuſcitare, propter amorem quem ſemper ad Chriſtum habuit, pro reddenda vita hominibus Crucifixum? Quo reſpondente, ſe firmiter credere, & fideliter confiteri; ſervumque Sancti in perpetuum ſe eſſe futurum, ſi tantum a Deo munus per ipſius merita recipere mereretur; proſtravit ſe Frater ille cum Fratre ſocio in oratione, ceteros, qui aderant excitans ad orandum. Quo facto cœpit puer aliquantulum oſcitare, & apertis oculis, brachiiſque elevatis, ſeipſum erexit; & ſtatim coram omnibus ambulavit incolumis per mirandam Sancti virtutem, vitæ ſimul redditus & ſaluti.

Puer item ſeptennis.

XXI. In civitate Capuæ, dum puer quidam ſuper ripam Vulturni fluminis, cum pluribus jocaretur, incautus cecidit in profundum: quem fluminis impetus celeriter vorans, ſub ſabulo mortuum ſepelivit. Proclamantibus autem pueris, qui cum eo luſerant circa flumen, populoſa illuc multitudo convenit. Cumque univerſus populus ſuppliciter & devote beati Franciſci merita invocaret, ut devotorum ſibi parentum fidem aſpiciens prolem a mortis periculo dignaretur eripere; natator quidam procul aſtans, clamoribus auditis, acceſſit: & poſt diutinam inquiſitionem invocato tamdem beati Franciſci ſubſidio, locum invenit, in quo limus in modum ſepulcri pueri cadaver obtexerat, quem effodiens, & extra deportans, dolens defunctum inſpexit. Licet autem populus qui aſtabat videret juvenem mortuum, nihilominus tamen flens & ejulans proclamabat; ſancte Franciſce, redde puerum patri ſuo. Sed & Judæi qui ſupervenerant, naturali pietate commoti, dicebant; ſancte Franciſce, redde puerum patri ſuo. Subito puer, lætantibus & mirantibus cunctis, exurgens incolumis, duci ſe ad Eccleſiam beati Franciſci ſuppliciter poſtulavit, ut gratias illi devotus exſolveret, cujus ſe noverat virtute mirabiliter ſuſcitatum.

Submerſus puer vitæ redditur.

XXII. In

Digitized by Google

XXII. In civitate Sueſſa, in Vico, qui *Ad columnas* dicitur, repente quædam corruens domus, unum abſorbuit juvenem & ſubito interemit. Viri autem & mulieres ruinæ ſonitu excitati, undique accurrentes, elevaverunt hinc inde ligna & lapides, & miſeræ matri mortuum filium reddiderunt. Illa vero amariſſimis repleta ſingultibus, ſicut poterat, doloroſis vocibus exclamabat: Sancte Franciſce, ſancte Franciſce, redde mihi filium meum. Non ſolum autem illa, ſed & omnes, qui aderant beati Patris præſidium flagitabant. Sed cum non eſſet neque vox, neque ſenſus, cadaver poſuerunt in lectulo, & ad ſepeliendum ipſum diem craſtinum expectabant. Mater vero fiduciam habens in Domino, per merita Sancti ejus, votum emiſit, nova ſe ſyndone beati Franciſci operturam altare, ſi filium ſuum revocaret ad vitam. Et ecce circa horam noctis mediam, cœpit juvenis oſcitare: & caleſcentibus membris, vivus exurgens & ſanus, in laudis verba prorumpit. Sed & Clerum, qui convenerat, & populum univerſum excitavit ad laudes, & gratias Deo, & beato Franciſco cum mentis lætitia perſolvendas. Oppreſſus ruina reviviſcit.

XXIII. Juvenis quidam, Gerlandinus nomine, de Raguſa oriundus, vindemiarum tempore ad vineas exiens, cum in vaſe vinario, ut utres impleret, ſub torculari ſe mitteret, repente prægrandes lapides, motis in ſe lignorum ſtruibus, caput ipſius lethali percuſſione quaſſarunt. Feſtinavit continuo pater ad filium, & deſperans obrutum non adjuvit, ſed eum ſub onere, ſicut corruit, ſic reliquit. Accurrerunt expeditius vinitores, magni clamoris vocem lugubrem audientes: multoque cum patre pueri dolore completi, extraxerunt juvenem jam mortuum a ruina. Pater vero ipſius Jeſu pedibus provolutus, humiliter precabatur, ut filium ſuum unicum per ſancti Franciſci merita, cujus tunc imminebat ſolemnitas, ſibi reddere dignaretur. Ingeminabat preces, vovebat officia pietatis, & ſancti Viri corpus ſe viſitaturum cum filio, ſi ſuſcitaretur a mortuis, repromiſit. Mirum certe! Continuo puer, qui toto fuerat corpore conquaſſatus, reſtitutus vitæ & integræ ſoſpitati, gaudens coram omnibus exſurrexit, plangentes objurgans, & ſancti Franciſci ſuffragiis vitæ ſe redditum aſſeverans. Alius ſimiliter adoleſcens.

XXIV. Alium in Germania a mortuis revocavit, de quo Gregorius IX., quando ſanctum ejus corpus ab Eccleſia ſancti Georgii transferebatur ad eam, quæ in ejus honorem fabricata eſt, grave miſit teſtimonium ad univerſos Fratres, qui ad dictam translationem, & Comitia generalia convenerant; cujus de hac re ſub anno MCCXXX. dabimus diploma.

De his, quos a mortis periculo liberavit.

XXV. In confinibus Urbis, vir quidam nobilis, Rodulphus nomine, cum Deo devota uxore Fratres Minores ſuo recepit hoſpitio, tam hoſpitalitatis gratia, quam beati Franciſci reverentia & amore. Nocte vero illa, in ſummitate turris dormiens cuſtos Caſtri, cum jaceret ſuper ſtruem lignorum in ipſa muri poſitorum crepidine, ipſorum ſoluta compage, in tectum palatii corruit, & exinde ſuper terram. Excitata ad ſonitum caſus tota familia, & cuſtodis intellecta ruina, Dominus Caſtri, & Domina cum Fratribus accurrerunt. Is vero, qui ab alto corruerat abſorptus fuerat tam profundo ſopore, ut nec ad caſum evigilaret iteratæ ruinæ, nec ad ſtrepitum accurrentis familiæ cum clamore. Trahentium Ab alto cadens ſervatur illæſus.

Digitized by Google

tium tamdem & impellentium manibus excitatus, conqueri cœpit, quod dulci fuiſſet quiete privatus, inter beati Franciſci brachia, ſuaviter aſſerens ſe dormiviſſe. Cum vero de caſu proprio doceretur ab aliis, & in imo ſe videret, qui in alto jacuerat, ſtupens eſſe factum, quod fieri non perceperat, pœnitentiam ſe facturum ob reverentiam Dei, & beati Franciſci coram omnibus repromiſit.

Submergendus e periculo liberatur.

XXVI. In Caſtro Pophis, quod in Campania poſitum eſt, Sacerdos quidam, Thomas nomine, acceſſit ad reparandum Eccleſiæ molendinum. Deambulans autem incaute circa extrema canalis, quo gurges profundus copioſo influebat influxu, ſubito caſu cavilloſo ligno intruſus eſt, cujus impulſu volvitur molendinum. Cum igitur conſertus jaceret in ligno, & ſuper os ipſius, quia ſupinus erat, aquarum impetus inundaret, corde tamen, quia lingua non poterat, ſanctum Franciſcum flebiliter invocabat. Per magnum vero ſpatium, ſic illo jacente, ac de vita ipſius jam penitus ſociis deſperatis, in contrariam partem molam cum violentia revolverunt, & ſic ejectus Sacerdos palpitans volutabatur in aquæ meatu. Et ecce quidam Frater Minor indutus tunica candida & fune ſuccinctus, cum magna ſuavitate arreptum per brachium, extra flumen eduxit, dicens: ego ſum Franciſcus, quem invocaſti. Ille vero ſic liberatus nimis obſtupuit, volenſque ipſius oſculari veſtigia, huc atque illuc diſcurrebat, quærens a ſociis: ubi eſt ille? quo abiit ſanctus? qua via diſceſſit? Viri autem illi tremefacti proni ceciderunt in terram, ſublimis Dei glorioſa extollentes magnalia, & virtuoſa merita humilis Servi ejus.

Lapſus in puteum, præſervatur.

XXVII. Juvenes quidam de Burgo Celani pro metendis herbis exierant ad campeſtria quædam, in quibus vetus latebat puteus, herbis in ſummo ore virentibus obumbratus, qui quaſi per paſſus quatuor aquarum altitudinem continebat. Segregatim igitur per campum diſcurrentibus pueris, unus ex improviſo decurrit in puteum. Abſorbente autem profunda fovea corpus, ſpiritus mentis ſurſum recurrebat ad beati Franciſci ſuffragium, clamans in ipſo lapſu fideliter & fidenter; ſancte Franciſce adjuva me. Ceteri huc atque illuc ſe vertentes, dum puer alius non compareret, clamore, circuitu, & lacrymis requirebant eumdem. Comperto tamdem, quod in puteum cecidiſſet, feſtinanter cum gemitibus redierunt ad Burgum, indicantes eventum, expoſcentes auxilium. Redeuntibus autem illis, cum multa hominum turba, demiſſus unus per funem in puteum, puerum reſpexit in aquarum ſuperficie reſidentem nihil paſſum penitus læſionis. Extractus vero de puteo puer, dixit omnibus, qui aſtabant: quando ſubito cecidi, beati Franciſci patrocinium invocavi, qui corruenti mihi, ſtatim præſentialiter adfuit, & manum porrigens, leviter apprehendit; nec unquam deſeruit, donec una vobiſcum e puteo me eduxit.

Magni lapidis caſu in caput mulier non læditur.

XXVIII. In Eccleſia beati Franciſci apud Aſſiſium, dum præſente Romana Curia prædicaret Dominus Epiſcopus Oſtienſis, qui poſtmodum Summus Pontifex extitit Alexander; quidam lapis ponderoſus & magnus incaute ſuper pulpitum excelſum & lapideum derelictus, præ nimietate preſſuræ impulſus, ſuper caput cujuſdam cecidit mulieris. Exiſtimantes igitur circumſtantes, perfecte ipſam jam mortuam, & caput ejus totaliter conquaſſatum, cooperuerunt eam pallio, quo erat amicta, ut ſermone finito, educeretur extra Eccleſiam lugubre funus; ipſa vero ſe beato Franciſco, ante cujus jacebat altare, fideliter commen-

Digitized by Google

mendavit: & ecce, prædicatione finita, mulier coram omnibus adeo ſurrexit incolumis, ut nullius in ea læſionis veſtigium appareret. Sed, & quod eſt amplius admirandum, cum per longa tempora uſque ad horam illam, dolorem capitis, quaſi continuum habuiſſet, plene fuit ex tunc ab omni morbi moleſtia liberata, ſicut ipſa poſtmodum teſtabatur.

XXIX. Apud Cornetum, cum in loco Fratrum ad fuſionem campanæ Viri quidam conveniſſent devoti, puerulus quidam octennis, Bartholomæus nomine, xenium quoddam Fratribus laborantibus apportavit. Et ecce ſubito ventus vehemens, concuſſa domo, oſtium portæ, grave quidem & magnum, ſuper ipſum puerulum ita valido projecit impulſu, ut quem tam ingens pondus oppreſſerat, lethali crederetur colliſione quaſſatus: ſic enim totaliter jacebat tumulatus ſub pondere, ut nihil exterius appareret. Accurrerunt omnes qui aderant, beati Franciſci virtuoſam dexteram invocantes; ſed & pater ipſius, qui rigeſcentibus membris ſe movere non poterat præ dolore, votis & voce ſancto Franciſco filium offerebat. Levatum eſt denique funeſtum pondus deſuper puerum, & ecce quem credebant mortuum, quaſi ſuſcitans a ſomno, lætus apparuit, nullam prorſus in ſe proferens læſionem. Igitur cum quatuordecim eſſet annorum, factus eſt Frater Minor, vir poſtea litteratus & famoſus in Ordine prædicator. Sub magno pondere nihil ſentit puerulus.

XXX. Homines de Lentino lapidem prægrandem abſciderunt de monte, qui ſuperponendus erat altari cujuſdam Eccleſiæ beati Franciſci in proximo conſecrandæ. Cum autem fere quadraginta homines, lapidem illum ſuperponere vehiculo niterentur, repetitis ſepius viribus, ſuper quemdam hominem lapis ille cecidit, & in modum ſepulcri obtexit. Sed cum mente confuſi, quid facerent, ignorarent, major pars hominum deſperata diſceſſit. Porro viri decem qui remanſerant, lugubri voce, ſanctum invocantes Franciſcum, ne in ſuo ſervitio, ſic horrende mori hominem pateretur: reſumpto tamdem corde, tanta facilitate lapidem amoverunt, ut nullus dubitaret, virtutem adfuiſſe Franciſci. Surrexit homo incolumis in omnibus membris, inſuper & lumen recuperavit limpidum oculorum, quod prius habuerat obſcuratum: ut ſic omnibus daretur intelligi, quam in rebus deſperatis beati Franciſci merita validæ ſint virtutis. Sub ingenti lapide non perit alius.

XXXI. Simile quiddam accidit apud ſanctum Severinum, in Marchia de Ancona. Dum enim lapis prægrandis de Conſtantinopoli adportatus ad Baſilicam beati Franciſci, multorum viribus traheretur, rapido lapſu eſt ſuper quemdam trahentium devolutus. Cumque ille non ſolum crederetur defunctus, ſed etiam totaliter comminutus, aſſiſtente ſibi beato Franciſco, & lapidem ſublevante, abſque omni læſione ſanus & incolumis, lapidis projecto pondere, proſilivit. Alius in ſimili caſu illæſus.

XXXII. Bartholomæus Cajetanus Civis, cum ad conſtructionem cujuſdam Eccleſiæ beati Franciſci non modicum deſudaret, ruente trabe quadam infirmiter poſita, ejuſque opprimente cervicem, fuit graviter conquaſſatus. Ipſe vero mortem ſibi ſentiens imminentem, ut erat vir fidelis & pius, a quodam Fratre viaticum poſtulavit. Quod Frater ille tam celeriter afferre non valens, quia mori ſubito credebatur, beati Auguſtini verbum protulit, dicens ei: *Crede, & manducaſti*. Sequenti vero nocte, beatus Franciſcus cum undecim Fratribus illi apparuit, & inter ubera portans agniculum, ad lectum ejus acceſſit, vocavitque illum ex nomine dicens: Bartholomæe, noli timere, quia non prævalebit ad- Trabe oppreſſus ſanitati reſtituitur. *August. tract. 19. in Joan. tom. 9.*

adverſus te inimicus, qui te in meo ſervitio voluit impedire. Hic eſt agnus, quem tibi dari petebas, quem & propter bonum deſiderium ſuſcepiſti, cujus etiam virtute conſequeris utriuſque hominis ſoſpitatem, & ſic per vulnera manum ducens, ad opus quod cœperat, eum redire præcepit; qui valde mane conſurgens, & iis, qui eum ſeminecem reliquerant, incolumis & lætus apparens, admirationem intulit, & ſtuporem: ſed & ipſorum mentes, ad beati Patris reverentiam, & amorem tam exemplo ſui, quam Sancti miraculo excitavit.

Dire vulneratus curatur.

XXXIII. Quidam de caſtro Ceperani, nomine Nicolaus, in manus inimicorum crudelium incidit die quadam: qui crudelitate ferali, vulneribus eum ſuper vulnera concidentes, uſque adeo ſuper miſerum ſævierunt, donec vel extinctum crederent, vel protinus extinguendum. Clamaverat autem Nicolaus prædictus, cum primos ictus exciperet alta voce: ſancte Franciſce adjuva me; ſancte Franciſce ſuccurre mihi. Hanc vocem a remotis audierunt quamplurimi, licet auxilium ferre non poſſent. Deportatus tamdem domum, totus ſuo ſanguine volutatus, fiducialiter aſſerebat, ſe mortem ex illis vulneribus non viſurum, nec etiam ſe tunc ſentire dolores: quoniam ſanctus Franciſcus ſibi ſuccurrerat, & ut pœnitentiam ageret a Domino impetravit, quod & ſequens confirmavit eventus. Nam lotus a ſanguine continuo contra humanam ſpem, extitit liberatus.

Juvenis item morti proximus.

XXXIV. Filius cujuſdam in Caſtro ſancti Geminiani valido languore detentus, omnique ulterius deſperatus ſalute, ad extremum uſque perductus eſt. Rivus etenim ſanguinis ab oculis ejus emanabat, ſicut ex vena brachii aſſolet ebullire: ceteriſque propinquæ mortis indiciis, in reliquo corpore apparentibus, judicabatur pro mortuo. Sed & præ debilitate ſpiritus, & virtutis, ſenſus & motus uſu privatus, viſus eſt penitus emigraſſe. Congregatis autem ex more ad planctum parentibus & amicis, ac de ſola agentibus ſepultura, pater ipſius fiduciam habens in Domino, concitato greſſu ad Eccleſiam currit beati Franciſci, quæ in eodem erat Caſtro conſtructa: & cingulo ſuſpenſo ad guttur, cum omni humilitate ſe proſtravit ad terram; ſicque vota vovens, & multiplicans preces, ſuſpiriis & gemitibus meruit, apud Chriſtum ſanctum Franciſcum habere patronum. Reverſus itaque ſtatim pater ad filium, & ſanitati reſtitutum inveniens, luctum in gaudium commutavit.

Ægræ puellæ duæ ſanantur.

XXXV. Simile quiddam, meritis Sancti, operatus eſt Dominus circa puellam quamdam in Cathalonia, de villa nomine Thamarit; & circa aliam de Ancona, quæ cum eſſent præ nimietate ægritudinis in ultimo ſpiritu conſtitutæ, beatus Franciſcus fideliter a parentibus invocatus, perfectæ continuo eas reſtituit ſanitati.

Qui venenum hauſerat curatur.

XXXVI. Clericus quidam de vico Albo nomine Matthæus, veneno mortifero bibito, in tantum fuit gravatus, quod loqui aliquo modo non valens, ſolum finalem exitum expectabat. Sacerdos quidam, ut ſibi confiteretur, admonuit, & verbum unum ab eo extorquere non valuit. Ipſe vero in corde ſuo humiliter Chriſtum orabat, ut per beati Franciſci merita, a mortis eum faucibus eripere dignaretur. Moxque ut confortatus a Domino, beati Franciſci nomen fideli devotione deprompſit, teſtibus qui aderant, veneno evomito, liberatori ſuo gratias egit.

De

Digitized by Google

De liberatis a naufragio.

XXXVII. In magno maris periculo poſiti quidam nautæ, cum milliaria decem a portu Barulitano diſtarent, ingraveſcente nimium tempeſtate, jam de vita dubii anchoras ſubmiſerunt. Verum ſpiritu procellarum, mari ferventius tumeſcente, fractis funibus, & relictis anchoris, incerto & inæquali curſu per æquora vagabantur. Tamdem nutu divino mari placato, ad reſumendas anchoras, quarum funes ſuperius enatabant, toto ſe conamine paraverunt. Cumque id perficere propriis viribus non valerent, plurimorum Sanctorum invocato ſubſidio, multiſque jam ſudoribus liqueſcentes, nec unam per totam diem reſumere potuerunt. Aderat autem nauta quidam, Perfectus nomine, ſed moribus imperfectus, qui cum irriſione quadam dixit ad ſocios: ecce Sanctorum omnium invocaſtis auxilium, &, ut videtis, nullus eſt, qui ſuccurrat: Invocemus iſtum Franciſcum, qui novellus eſt Sanctus, ſi quo modo in mare ſe mergat, & anchoras perditas reddat. Conſenſerunt ceteri non irriſorie, ſed veraciter ſuaſioni Perfecti, & ipſius objurgantes irriſorium verbum, firmaverunt cum Sancto ſpontaneum votum, ſtatimque in momento, ſine aliquo adminiculo, nataverunt anchoræ ſuper aquas, quaſi ferri natura verſa foret in ligneam levitatem.

Anchoræ perditæ nautis redduntur.

XXXVIII. Peregrinus quidam invalidus corpore, propter febris peracutæ ſymptomata, quam fuerat ante perpeſſus, navi quadam ſubvectus, de ultramarinis partibus veniebat. Ferebatur autem ipſe ad ſanctum Franciſcum præcipuo devotionis affectu, & eum ſibi apud cœleſtem Regem elegerat advocatum. Cum igitur necdum perfecte liber, a morbo ſitis anguſtiaretur ardoribus, deficiente jam aqua, cœpit alta voce clamare: Ite fidenter, haurite poculum mihi: quia B. Franciſcus vaſculum meum aqua replevit. Mirum certe! Invenerunt vas aqua repletum, quod fuerat ante vacuum derelictum. Alio vero die, cum tempeſtate ſuborta operiretur navis fluctibus, & procellis quateretur pervalidis, ita ut jam naufragium timerent, cœpit idem infirmus ſubito clamore vociferari: Surgite omnes, inquit, & beato Franciſco venienti occurrite: ecce ad ſalvandum nos adeſt. Sicque cum voce magna & lacrymis in faciem procidens adoravit. Statim ad Sancti viſionem omnem ſoſpitatem reſumpſit infirmus, & maris fuit tranquillitas ſubſequta.

Infirmus deſideratam aquam accipit.

Et tempeſtas ſedatur in mari.

XXXIX. Frater Jacobus Reatinus, cum in navicula parva fluvium quemdam cum aliis Fratribus pertranſiret, ſociis primo ſuper ripam poſitis, poſtremo ſe ad exitum preparabat: ſed modico illo ligno per infortunium revoluto, rectore natante, Frater merſus eſt in profundum. Invocabant Fratres extra poſiti, affectuoſis precibus beatum Franciſcum: & ut filio ſuccurreret, lacrymoſis gemitibus ſupplicabant. Submerſus autem Frater, de ventre gurgitis nimis immenſi, cum ore non poſſet, corde clamabat, ut poterat implorans pii Patris ſubſidium. Et ecce auxiliante ſibi beati Patris præſentia, per profundum ſicut per aridam ambulabat: & demerſam naviculam capiens, cum ea pervenit ad littus. Mirabile dictu! Veſtimenta ejus madida non ſunt, neque aquæ gutta proximavit ad tunicam.

Submerſus Frater per profundum ambulat.

XL. Frater, Bonaventura nomine, cum duobus viris per lacum quemdam navigans, confracta ex parte navicula, propter aquæ influentis impetum, demerſus eſt cum navi & ſociis in profundum. Cum autem de

Item alii a ſubmerſione ſervati.

Digitized by Google

de lacu miſeriæ miſericordem patrem Franciſcum invocarent cum multa fiducia, ſupernatavit ſubito aqua plena navicula, & cum eis, Sancto prebente ducatum, ſalubriter pervenit ad portum. Sic & quidam Frater de Eſculo ſubmerſus in flumine, ſancti Franciſci meritis extitit liberatus. Sed & in lacu Reatino, cum quidam viri & mulieres in conſimili eſſent periculo conſtituti, ad invocationem nominis ſancti Franciſci de aquarum multarum perículoſo naufragio evaſerunt.

XLI. Quidam nautæ Anconitani periculoſa tempeſtate jactati, ſubmerſionis periculum jam videbant, cumque ſic deſperati de vita ſanctum Franciſcum ſuppliciter invocarent, lumen in mari magnum apparuit, & cum ipſo lumine tranquillitas conceſſa divinitus, ac ſi beatus Vir ſua miranda virtute, & ventis imperare poſſet & mari. Quantis autem miraculorum prodigiis beatus hic Pater in mari claruerit, & clareſcat; quoties ibidem opem tulerit deſperatis, nullatenus credo poſſibile per ſingula enarrare. Nec mirum, ſi jam regnanti in cœlis collatum eſt imperium ſuper aquas, cui & in hac mortalitate degenti, omnis corporea creatura, ad ſuam refigurata originem, mirabiliter ſerviebat. *Sap. 19. 6.*

De liberatis a vinculis, & carceribus.

XLII. In Romania, Græcum quemdam cujuſdam Domini ſervientem, contigit de furto fallaciter accuſari; quem Dominus terræ in altum carcerem mandavit includi, & graviter vinculari. Domina vero domus miſerta ſervi, quem indubitanter credebat a culpa ſibi impoſita innocentem, pro liberatione ipſius apud virum precibus inſiſtebat devotis. Verum non aquieſcente viri ſui duritia obſtinata, recurrit Domina ſupplex ad ſanctum Franciſcum, & ejus pietati voto commendavit inſontem. Protinus adfuit miſerorum adjutor, & virum in carcere poſitum miſericorditer viſitavit. Solvit vincula, carcerem fregit, innocentem manibus apprehenſum foras eduxit, & ait: Ego ſum ille, cui Domina tua te devote commiſit. Cumque ille timore magno corriperetur, & pro deſcenſu altiſſimæ rupis voraginem circuiret: ſubito liberatoris ſui virtute inveniens ſe in plano, rediit ad Dominam ſuam, relataque per ordinem miraculi veritate, devotam Dominam ad Chriſti amorem, & reverentiam ſervi ejus Franciſci ferventius inflammavit. *Accuſatus furti, ſed falſo, e carcere eripitur.*

XLIII. In Maſſa ſancti Petri, cuidam militi debebat pecuniæ quantitatem pauperculus quidam; cumque præ inopia facultas non ſuppeteret perſolvendi, captus debitor a milite repetente, miſereri ſibi orabat ſuppliciter, dilationem quærens amore beati Franciſci. Sprevit ſuperbus miles preces oblatas; & Sancti amorem, velut inane quid, inaniter vilipendit. Nam cervicoſe reſpondens: Tali te, ait, loco recludam, & tali retrudam carcere, quod nec Franciſcus, nec aliquis te poterit adjuvare. Tentavit quod dixit; carcerem adinvenit obſcurum, in quo hominem vinculatum conjecit. Paulo poſt adfuit beatus Franciſcus, & fracto carcere, ruptiſque compedibus, illæſum hominem reduxit ad propria. Sic fortitudo Franciſci militem eſt prædata ſuperbum, captivum, qui ſe ſibi ſubjecerat, liberavit a malo, militiſque proterviam admirando miraculo in manſuetudinem commutavit. *Alius ob debita incarceratus liberatur.*

XLIV. Albertus de Aretio, cum in vinculis atrociſſimis teneretur pro debitis injuſte ab eo petitis; ſuam innocentiam ſancto Franciſco humiliter commendavit. Ordinem quidem Fratrum Minorum plurimum dilige- *Item alius injuſte in vincula conjectus.*

ligebat, & ſanctum Franciſcum inter ſanctos ſpeciali venerabatur affectu. Dixit autem creditor ſuus voce blaſphema, quod nec Franciſcus, nec Deus poſſet eum de ſuis manibus liberare. Factum eſt itaque in vigilia ſancti Franciſci, cum vinctus ille nihil comediſſet, ſed ob Sancti amorem victum ſuum cuidam tribuiſſet egeno; nocte veniente apparuit ei vigilanti ſanctus Franciſcus, ad cujus ingreſſum vincula de pedibus,& catenæ de manibus ceciderunt, ſponte aperta ſunt oſtia, proſilierunt tabulæ de ſolario, & liber abſceſſit homo ad propria rediens: implevit ex tunc votum, jejunans vigiliam beati Franciſci: & cereo, quem annuatim conſuevit offerre, in accreſcentis devotionis indicium annuatim unam unciam ſuperaddens.

XLV. Reſidente in ſede beati Petri Domino Gregorio IX., quidam, Petrus nomine, de Civitate Aſſiſii, de hæreſi accuſatus, Romæ captus eſt, & de mandato ejuſdem Pontificis ad cuſtodiendum traditus Epiſcopo Tiburtino: quem ſub pœna Epiſcopatus accipiens, compedibus alligavit, obſcuroque ipſum carcere, ne poſſet effugere, includi fecit, panem ei præbens in pondere, & poculum in menſura. Cœpit autem homo ille beatum Franciſcum ad ſui miſerendum multis precibus & fletibus invocare: eo quod audierat ſolemnitatis ejus jam adeſſe vigiliam. Et quoniam fidei puritate omnem abdicaverat hæreticæ pravitatis errorem, totaque cordis devotione adhæſerat fideliſſimo Chriſti ſervo Franciſco, intercedentibus ipſius meritis, a Domino meruit exaudiri. Inſtante enim jam nocte ſuæ feſtivitatis, circa crepuſculum beatus Franciſcus in carcerem miſeratus deſcendit; & illum ſuo nomine vocans, ut cito ſurgeret, imperavit. Qui timore perterritus, quiſnam eſſet interrogans? beatum Franciſcum adeſſe audivit. Cumque virtute præſentiæ Viri ſancti, vincula pedum ſuorum confracta conſpiceret cecidiſſe; & tabulas carceris clavis ultro proſilientibus aperiri, & apertum iter ſibi ad exeundum præberi: ſolutus tamen & obſtupefactus fugere neſciebat, ſed ad januam, clamans cuſtodes omnes perterruit. Qui cum, eum liberatum a vinculis, Epiſcopo nunciaſſent, poſt intellectum ordinem rei, ad carcerem Pontifex devotus acceſſit; & manifeſte Dei virtutem agnoſcens, Dominum adoravit ibidem; vincula quoque coram Domino Papa, & Cardinalibus delata fuerunt, qui videntes quod factum fuerat, admirati plurimum benedixerunt Deum. *Hæreticus, abjurata hæreſi, mirabiliter liberatur.*

XLVI. Guidolotus de ſancto Geminiano falſo accuſatus fuit, quod veneno interemerat quemdam virum; & quod eodem genere mortis filium ejuſdem viri, & univerſam ejus familiam propoſuerat enecare. Captus proinde a Poteſtate terræ, graviſſimis vinculis aggravatus, in turri quadam recluſus eſt. Ipſe vero fiduciam habens in Domino, pro ſua innocentia, quam ſciebat, cauſam commiſit beati Franciſci patrocinio defendendam. Excogitante igitur Poteſtate, qualiter criminis objecti confeſſionem eliceret per tormenta, qualibuſque pœnis confeſſum faceret interire; nocte illa cum mane ad cruciatus deberet adduci, ſancti Franciſci præſentia extitit viſitatus; & immenſo luminis fulgore uſque mane circumdatus, repletuſque gaudio & fiducia multa, ſecuritatem evaſionis accepit. Advenerunt mane tortores, & eductum de carcere, equuleo ſuſpenderunt, aggravantes ſuper eum multa pondera ferri. Depoſitus eſt pluries, & iterum elevatus, ut pœna pœnæ ſuccedente, citius ad confeſſionem criminis adigeretur: ſed ſpiritu innocentiæ lætabatur in vultu, nullam moleſtiam prætendens in pœnis. Deinde accenſus *Falſo accuſatus, in tormentis defenditur.*

Digitized by Google

ſus eſt ignis ſub ipſo non modicus, nec propterea capillus eſt læſus, cum tamen capite dependeret ad terram. Tamdem bulliente oleo ſuperfuſus, virtute patroni, cui ſe commiſerat defenſandum, hæc omnia ſuperavit; & ſic dimiſſus liber, ſalvus abſceſſit.

De liberatis a periculo partus.

XLVII. Quædam Comitiſſa in Sclavonia ſicut nobilitate illuſtris, ſic & æmula probitatis, erga ſanctum Franciſcum devotione flagrabat; erga Fratres vero ſedula pietate. Tempore vero partus duros perpeſſa dolores, tanta fuit anguſtia moleſtata, ut prolis futurus ortus, præſens videretur matris occaſus. Non videbatur, infantem eniti poſſe ad vitam, niſi expiraret e vita: nec tali niſu parere, ſed perire. Subvenit cordi ejus ſancti Franciſci fama, virtus & gloria: excitatur fides, inflammatur devotio. Convertit ſe ad auxilium efficax, & fidum amicum, ad devotorum ſolatium, refugium afflictorum; ſancte Franciſce, inquit, pietati tuæ ſupplicant omnia oſſa mea; & mente voveo quod explicare non poſſum. Mira celeritas pietatis! Finis dicendi, finis fuit dolendi; parturiendi meta, pariendi principium; ſtatim enim, omni ceſſante preſſura, partum edidit cum ſalute. Non fuit immemor voti, non propoſiti refuga: Eccleſiam quamdam pulchram conſtrui fecit, & conſtructam ad Sancti honorem Fratribus aſſignavit.

Parturiens a dolore, & periculo liberatur.

XLVIII. In partibus Romanis, mulier quædam, Beatrix nomine, vicina partui, cum per dies quatuor fœtum in ventre portaret extinctum, multis infelix agitabatur anguſtiis, & exitialibus doloribus urgebatur. Mortuus fœtus matrem cogebat ad mortem; & nondum in lucem productum abortivuum, publicum matris periculum pariebat. Tentabat medicorum auxilium: ſed omne humanum remedium laborabat in vanum. Sic de primis maledictionibus copioſius aliquid declinarat in miſeriam; ut ſepulcrum facta conceptus, ſepulcrum pro certo proximum expectaret. Fratribus tandem Minoribus per internuncios tota ſe devotione committens, ſuppliciter aliquid de ſancti Franciſci reliquiis, fide plena popoſcit. Contigit, nutu divino, aliquantum inveniri de chorda, qua fuerat Sanctus quandoque præcinctus. Mox ut ſuper dolentem poſita chorda fuit, omnis facillime ſolutus eſt dolor; mortis cauſa, mortuus fœtus emiſſus, priſtina ſanitas reſtituta.

Alia mortuum fœtum incolumis emiſit.

Gen.3.16.

XLIX. Cujuſdam de Narnio nobilis viri uxor, Juliana nomine, pro filiorum morte annos trahebat lugubres, & continue infelices deplorabat eventus, pro eo quod omnes, quos cum preſſura portaverat, filios modico interjecto tempore, cum vehementiori dolore ſepulturæ tradiderat. Cum igitur quatuor menſium conceptus haberet in utero, magiſque propter eventus præteritos de conceptæ prolis ſollicitaretur obitu, quam de ortu, beatum Patrem Franciſcum pro vita nondum nati fœtus, fideliter precabatur. Ecce autem nocte quadam, dormienti ſibi, mulier quædam apparebat in ſomnis, formoſum puerulum geſtans in manibus; illumque lætiſſime offerebat eidem. Cum vero illa recipere recuſaret, quem ſtatim formidabat amittere, mulier illa ſubjunxit; ſecure ſuſcipias, quia quem tuo mœrori compatiens, ſacer mittit Franciſcus, vita vivet, & ſoſpitate gaudebit. Statim evigilans mulier, intellexit per oſtenſam ſibi cœlitus viſionem, beati Franciſci ſibi adeſſe ſuffragium. Ex tunc abundantiori completa lætitia pro ſuſcipienda prole, juxta promiſ-

Alia poſt multa pignorum funera, parit filium victurum.

promiſſum multiplicavit preces, & vota promiſit. Impletum eſt denique tempus pariendi, & peperit fœmina maſculum: qui juvenilis robore florens ætatis, tamquam per beati Franciſci merita fomentum ſuſciperet vitæ, incitamentum parentibus præbuit ad Chriſtum, & Sanctum ejus devotioris affectus. Simile quiddam huic in Tiburis Civitate ſanctus Pater effecit; cum enim mulier quædam filias plurimas peperiſſet, deſiderio prolis fatigata virilis, apud ſanctum Franciſcum preces ingeminavit & vota. Concepit igitur ejus meritis mulier illa, & geminos ei parere dedit, qui pro uno fuerat exoratus. Alia binam accipit prolem maſculam.

L. Apud Viterbium partui propinqua mulier, morti propinquior cenſebatur, viſceralibus tormentata doloribus, & tota calamitoſa infortuniis mulierum. Cumque naturæ ſuccumbente virtute, omnis deficeret artis induſtria, invocato beati Franciſci nomine, liberata confeſtim mulier partum ſalubriter terminavit. Sed aſſecuta quod voluit, & oblita beneficii, quod accepit, honorem Sancto non deferens, die natalis ipſius ad opera ſervilia manus extendit; & ecce ſubito dexterum brachium ad laborem extenſum inflexibile remanſit & aridum: quod cum ſtuderet ad ſe revocare cum altero, ultione conſimili & illud exaruit. Timore igitur divino correpta mulier, redintegravit votum; uſumque membrorum, quem propter ingratitudinem amiſerat, & contemptum, per miſericordis & humilis Sancti merita, cui ſe iterato devovit, recuperare promeruit. Voti oblita punitur.

LI. Mulier quædam de partibus Aretinis, cum per ſeptem dies partus diſcrimina ſuſtineret, & jam in nigredinem verſa deſperata eſſet ab omnibus, votum fecit beato Franciſco, & ejus cœpit moriens auxilium invocare. Emiſſo autem voto, celeriter obdormivit; viditque in ſomnis, beatum Franciſcum ſe dulciter alloquentem, ac requirentem, utrum faciem ipſius agnoſceret, & an antiphonam illam Virginis glorioſæ *Salve Regina mater miſericordiæ* ſciret ad honorem ejuſdem Virginis recitare. Qua reſpondente, ſe habere notitiam de utriſque; incipe, ait Sanctus, antiphonam ſacram, & antequam compleas, paries cum ſalute. Ad hanc vocem evigilavit mulier, & cum timore cœpit dicere *Salve Regina mater miſericordiæ*. Cumque illos miſericordes oculos precaretur, fructumque commemoraret uteri virginalis, continuo cunctis liberata preſſuris, infantem ſpecioſum peperit, gratias agens Reginæ miſericordiæ, quæ per beati Franciſci merita, ipſius fuerat dignata miſereri. Recitans piam antiphonam ſalva peperit.

De cæcis illuminatis.

LII. In Conventu Fratrum Minorum Neapoli, cum quidam Frater, Robertus nomine, cœcus annis plurimis extitiſſet, crevit in oculis ejus caro ſuperflua motum & uſum impediens palpebrarum. Dum igitur Fratres forenſes ad diverſas mundi partes tendentes, ibidem plurimi conveniſſent, beatus Pater Franciſcus ſpeculum obedientiæ ſanctæ, ut eos miraculi novitate hortaretur ad iter, prædictum Fratrem ipſis præſentibus, tali modo curavit. Jacebat nocte quadam frater Robertus prædictus æger ad mortem, jamque ſibi fuerat anima commendata: tum ecce aſtitit ei beatus Pater cum tribus Fratribus omni ſanctitate perfectis, videlicet ſancto Antonio, fratre Auguſtino, & fratre Jacobo de Aſſiſio, qui ſicut eum perfecte fuerant ſequuti dum viverent, ita & ipſum ala- Oculus morbidus cuidam Fratri medicatur.

alacriter comitabantur poſt mortem. Accipiens cultellum ſanctus Franciſcus, carnem ſuperfluam reſecavit, lumen reſtituit priſtinum, & a mortis eum fauce reduxit: dixitque illi; fili Roberte, gratia, quam tecum feci, ſignum eſt Fratribus ad remotas nationes euntibus, quod ego præcedam eos, & ipſorum dirigam greſſus. Vadant, inquit, gaudenter, & injunctam obedientiam alacri animo exequantur.

Cęca miſſam audiens in die Natalis S.Franciſci, viſum recepit.

LIII. Apud Thebas in Romania, mulier cœca vigiliam ſancti Franciſci in pane tantum & aqua jejunans, ad Eccleſiam Fratrum Minorum ſummo mane feſtivitatis a viro ſuo perducta eſt. Quæ dum miſſa celebraretur, in elevatione Corporis Chriſti oculos aperuit, clare vidit, devotiſſime adoravit. In ipſa vero adoratione voce magna proclamans: Gratias, inquit, Deo, & Sancto ejus, quia video Corpus Chriſti. Omnibus qui aderant in voce exultationis converſis: poſt ſacrorum expletionem, reverſa eſt mulier ad domum ſuam, cum gaudio ſpiritus, & lumine oculorum. Exultabat quidem mulier, non ſolum quia lucis corporeæ recuperarat aſpectum, verumetiam quia Sacramentum illud mirificum, quod eſt lumen animarum verum, & vivum, aſpectu primario per beati Franciſci merita, fidei ſuffragante virtute, meruerat intueri.

Oculum excidendum Franciſcus reſtituit.

LIV. In Campania puer quidam quatuordecim annorum de Caſtro Pophis, ſubita vexatus anguſtia, ſiniſtrum oculum amiſit ex toto. Paſſionis acerbitas ſic de loco ſuo propulit oculum, quod per octo dies extra, nervo relaxato longitudine digiti unius, ad maxillas dependens pene aridus eſt effectus. Sed cum ſola ſupereſſet abſciſſio, & a medentibus foret penitus deſperatus, pater ejus ad auxilium beati Franciſci tota ſe mente convertit. Non defuit illi indefeſſus miſerorum adjutor precibus ſupplicantis; nam oculum aridum, mirabili virtute in locum ſuum, priſtinumque vigorem reſtituit, & lucis optatæ radiis illuſtravit.

Alterum reddidit, & dolorem abſtulit cuidam ſacerdoti.

LV. In eadem Provincia apud Caſtrum, magni ponderis lignum ex alto prorupit, & cujuſdam ſacerdotis caput graviſſime quaſſans, ſiniſtrum oculum excœcavit, qui humi dejectus, cœpit alta voce ſanctum Franciſcum luctuoſe clamare, dicens; ſuccurre Pater ſanctiſſime, ut ad feſtum tuum ire valeam, ſicut Fratribus tuis ire promiſi (erat enim vigilia Sancti) qui ſtatim exurgens peroptime liberatus, in vocem prorupit laudis & gaudii; & circumſtantes omnes, qui ejus miſeriæ condolebant, in ſtuporem convertit & jubilum. Ivit ad feſtum narrans omnibus, quam in ſe expertus fuerat clementiam & virtutem.

Oculum diviſum ſanat.

LVI. Vir quidam de monte Gargano, dum in vinea ſua laborans, lignum quoddam ferro ſuccideret, proprium percuſſit oculum; & ſic diviſit per medium, ut quaſi media pars ipſius exterius dependeret. Cumque in tam deſperato periculo, deſperaret ſibi poſſe per hominem ſubveniri, jejunaturum ſe in feſto ſancti Franciſci, ſi ei ſuccurreret, repromiſit;& ſtatim in loco debito viri oculum Sanctus Dei reſtituit; ſicque diviſum revinxit & priſtino lumine decoravit, ut nullius læſionis veſtigia remanerent.

A nativitate cœcus illuminatus fit Minorita.

LVII. Filius cujuſdam nobilis Viri a nativtate cæcus, meritis beati Franciſci lumen accepit optatum; qui nomen ab eventu ſortitus, Illuminatus vocatus eſt. Aſſumpſit poſtea cum in ætate eſſet, Ordinem beati Franciſci, accepti beneficii non ingratus: tantumque profecit in lumine gratiæ & virtutis, ut vere lucis filius videretur. Tandem beati Patris promerentibus meritis, ſanctum initium fine ſanctiore concluſit.

LVIII. In

LVIII. In Zachanto, quod eſt Caſtrum juxta Anagniam, miles quidam Gerardus nomine, oculorum lumen ex toto perdiderat. Accidit autem, ut duo Fratres Minores ab exteris partibus venientes, ad domum ipſius hoſpitaturi diverterent. Suſcepti itaque devote, propter reverentiam ſancti Franciſci a familia tota, & cum omni benignitate tractati, gratias agentes Deo & hoſpiti, ad locum Fratrum devenere. Nocte igitur quadam, beatus Franciſcus uni Fratrum illorum in ſomnis apparuit, dicens: ſurge, feſtina cum ſocio ad domum hoſpitis noſtri, qui Chriſtum & me ſuſcepit in vobis: volo enim beneficia rependere pietatis; cæcus quidem effectus, ſuis promerentibus culpis, quas pœnitentiali non ſtuduit confeſſione purgare. Diſparente quoque Patre, Frater feſtinus ſurrexit, ut mandatum cum ſocio celeriter adimpleret, venienteſque ad hoſpitis domum, cuncta, quæ viderat alter, per ordinem narraverunt eidem. Stupuit vir ille non modicum, & univerſa quæ dicebantur, vera eſſe confirmans, compunctus ad lacrymas, confeſsus eſt lubens. Tamdem correctione promiſsa, interiorique homine taliter renovato, exteriorem continuo recuperavit aſpectum. Hujus miraculi fama circumquaque diffuſa, non ſolum ad reverentiam Sancti, verumetiam ad confeſſionem humilem peccatorum, & hoſpitalitatis gratiam plurimos incitavit.

Hoſpiti Fratrum reddidit utriuſque oculi viſum.

LIX. Quidam pro furti calumnia cæcatus fuit rigore juſtitiæ ſecularis apud Aſiſium, Ottone milite per miniſtros publicos ſententiam Octaviani judicis de eruendis accuſato oculis exequente, qui taliter deformatus, effoſſis oculis, præciſis nervis opticis etiam cum cultello, ductus ad altare beati Franciſci, implorata ipſius clementia, & ſua in prædicti criminis impoſitione innocentia allegata, Sancti ipſius merito infra triduum, novos recepit oculos, minores quidem illis, quibus orbatus fuerat, ſed non minus limpide viſus officium exercentes. Hujus autem ſtupendi miraculi teſtis fuit prænominatus miles Otto, juramento ad hoc adſtrictus, coram Domino Jacobo Abbate ſancti Clementis, auctoritate Domini Jacobi Epiſcopi Tiburtini de ipſo miraculo inquirente. Teſtis etiam extitit ejuſdem miraculi frater Guillelmus Romanus a fratre Hieronymo Eſculano Generali Miniſtro Ordinis Fratrum Minorum, ad veritatem dicendam, quam circa hoc noverat, præcepto & excommunicationis ſententia obligatus, qui taliter adſtrictus coram pluribus Miniſtris Provincialibus ejuſdem Ordinis, & aliis magni meriti Fratribus, affirmavit, ſe dudum adhuc ſecularem exiſtentem, vidiſſe eum habentem oculos; & poſtmodum actu executionis injuriam patientem, ac ſe excæcati oculos in terram projectos curioſe cum baculo revolviſſe, & poſtmodum virtute divina, eumdem novæ lucis receptis oculis videntem clariſſime conſpexiſſe.

Falſo accuſato erutos oculos reſtituit.

De liberatis a variis infirmitatibus.

LX. Frater Jacobus de Iſeo, cum puerulus eſſet, in domo paterna incurrit rupturam corporis valde gravem. Superno vero afflatus ſpiritu, licet eſſet juvenis & infirmus, Ordinem ſancti Franciſci devotus intravit: nulli tamen, qua urgebatur, infirmitatem detexit. Factum eſt autem, cum corpus ſancti Franciſci transferretur ad locum, ubi pretioſus ſacrorum Oſſium ejus nunc theſaurus eſt conditus, adfuit, & tunc dictus Frater translationis gaudiis, ut glorificati jam Patris corpori, honorem

Herniosos plures curat.

Digitized by Google

debitum exhiberet. Et appropinquans tumbæ, in qua Oſſa ſacra fuerant collocata, præ devotione ſpiritus, ſacrum tumulum complexatus, & cum lacrymis multis orans, ſubito, miro modo ad loca debita partibus revocatis, ſanum ſe ſenſit, ſuccinctorium depoſuit, & ex tunc ab omni dolore præterito liber fuit. Ab infirmitate quoque conſimili, frater Bartholus de Eugubio, frater Angelus de Tuderto, Nicolaus ſacerdos de Stichano, Joannes de Fora, Vir quidam de Piſis, & alius de caſtro Ciſternæ, Petrus quoque de Sicilia, & homo quidam de Caſtro Spelli juxta Aſſiſium, & quamplures alii per Dei miſericordiam, & beati Franciſci merita extiterunt mirabiliter liberati.

A morbo regio liberat.

LXI. In maritima, mulier quædam mentis alienationem per quinquennium paſſa, viſu & auditu privata eſt; indumenta dilaniabat dentibus, ignis & aquæ periculum non timebat, & caduci morbi ad ſummum incurrerat horribilem paſſionem. Nocte vero quadam, cum diſponeret ſibi divina miſericordia miſereri, ſalutaris fulgore lucis ſuperilluſtrata divinitus, vidit beatum Franciſcum ſuper ſolium ſedere ſublime, ante quem proſtrata ſanitatem ſuppliciter expoſcebat. Illo vero nondum favente precibus, firmavit mulier votum promittens pro Dei amore, ac Sancti, petentibus donec haberet eleemoſynam non negare. Illico Sanctus pactum recognovit, quod olim cum Domino fecerat ſimile: & ſignans eam crucis ſignaculo, integram ſibi reſtituit ſanitatem. A conſimili paſſione Puellam quamdam de Nurſia, & filium cujuſdam nobilis viri, & alios quoſdam, relatione veridica compertum eſt, ſanctum Dei Franciſcum miſericorditer liberaſſe.

Fluxum ſanguinis detinuit, atque alios ſalvos fecit.

LXII. Nobilis quædam mulier, Rogata nomine, in Epiſcopatu Sorano, per viginti tres annos fluxu ſanguinis fatigata; ſed a quam pluribus Medicis quamplurima mala perpeſſa, præ nimietate quidem languoris, ſæpius videbatur expirare: ſed & ſi quando fluxus hujuſmodi ſtringebatur, tumeſcebat corpore toto. Audiens autem quemdam puerum romano ſermone canentem miracula, quæ Deus per beatum Franciſcum fuerat operatus; nimio dolore commota, tota prorupit in lacrymas: ſicque intra ſe, fide accenſa, dicere cœpit: o beate Pater Franciſce, qui tantis coruſcas miraculis, ſi me dignareris ab hac ægritudine liberare, magna tibi accreſceret gloria: quoniam adhuc tantum miraculum non feciſti. Quid plura? His dictis, ſenſit ſe beati Franciſci meritis liberatam: filium quoque ipſius Marium nomine, qui brachium habebat contractum, ſanctus Franciſcus, voto ad ipſum emiſſo, ſanavit. Fœminam etiam quamdam de Sicilia per ſeptennium fluxu ſanguinis fatigatam beatus Chriſti ſignifer ſalvam fecit.

Confractum ſolidavit.

LXIII. In Urbe Roma, Praxedes quædam nomine, religioſitate famoſa, quæ a tenella ætate propter æterni Sponſi amorem, arcto ſe carcere per quadraginta jam fere annos abdiderat, apud beatum Franciſcum, gratiam promeruit ſpecialem. Nam dum die quadam pro rebus opportunis ſolarium ſuæ cellulæ conſcendiſſet, & impulſione phantaſtica corruens, cum fractum haberet pedem cum crure, & humerum a poſitione debita ſequeſtratum, apparuit ei benigniſſimus Pater veſtimentis gloriæ candidatus, & dulcibus affatibus alloqui cœpit eamdem: Surge, inquit, filia benedicta, ſurge ne timeas: & apprehenſa manu ipſius, allevans eam diſparuit. Ipſa vero per cellulam ſuam huc atque illuc ſe convertens, putabat ſe viſum videre; uſquequo ad clamorem ipſius apportato jam lumine, perfecte ſe ſentiens per ſervum Dei

Digitized by Google

Dei Franciſcum eſſe ſanatam, cuncta quæ acciderant per ordinem enarravit.

De non obſervantibus feſtum, & non honorantibus Sanctum.

LXIV. In Pictaviæ partibus, in Villa, quæ Simo dicitur, Sacerdos quidam, Reginaldus nomine, beato Franciſco devotus, feſtum ipſius Parochianis ſuis indixerat ſolemniter celebrandum. Unus autem de populo ignorans Sancti virtutem, ſui parvipendit Sacerdotis mandatum. Egreſſus autem foras in agrum, ut ligna ſuccideret, cum ſe præparaſſet ad opus, vocem audivit hujuſmodi ter dicentem; feſtum eſt, operari non licet. Verum cum nec imperio Sacerdotis, nec ſupernæ vocis oraculo, ſervilis temeritas frænaretur, addidit divina virtus ad gloriam Sancti ſui, ſine mora miraculum, & flagellum. Mox enim ut furcam una manu jam tenens, alteram cum ferreo inſtrumento levavit ad opus; ſic divina virtute, utraque manus utrique inſtrumento cohæſit, ut ad neutrius dimiſſionem digitos aliquatenus relaxare valeret. Stupefactus nimis, & quid ageret neſciens, ad Eccleſiam multis undique ad videndum prodigium concurrentibus, properavit. Ubi mente compunctus ante altare, quodam ex aſſiſtentibus Sacerdote monente (plures quippe ad feſtum vocati convenerant Sacerdotes) beato Franciſco ſe humiliter devovit; tria, ſicut ter vocem audierat, vota vovens: quod ſcilicet feſtum ipſius coleret; quod ad illam, in qua tunc erat, Eccleſiam in feſto veniret; & quod Sancti corpus perſonaliter viſitaret. Mirum certe relatu! Uno emiſſo voto unus digitus factus eſt liber: ad ſecundi emiſſionem, ſolutus eſt alius: ſed tertio facto voto, laxatus eſt tertius; & poſtmodum tota manus, necnon & altera ſubſequenter, populo, qui jam multus advenerat, Sancti clementiam devotiſſime implorante. Sic homo priſtinæ redditus libertati per ſeipſum inſtrumenta depoſuit; cunctis laudantibus Deum, virtutemque Sancti mirificam, qui tam mirabiliter percutere, poterat, & ſanare. Ipſa vero inſtrumenta uſque hodie, inquit Bonaventura, coram altari ad honorem beati Franciſci fabricato, ibidem in memoriam facti dependent. Plura quoque illic, & in locis vicinis patrata miracula, & Sanctum in cœlis oſtendunt eximium, & feſtum ipſius in terris venerabiliter excolendum.

Nolentem feſtum diem colere punit.

Volentem ſanat.

LXV. In Civitate quoque Cenomanenſi, dum in ſolemnitate ſancti Franciſci, mulier quædam manus ad collum extenderet, & digitis apprenderet fuſum, obrigentibus manibus, cœperunt digiti magnis ardoribus cruciari. Igitur pœna docente, Sancti recognoſcens virtutem, corde compuncta, cucurrit ad Fratres. Cumque pro ſalute ipſius devoti filii ſancti Patris clementiam precarentur, incolumis effecta eſt ſtatim: nec aliquid læſionis remanſit in manibus, niſi ad facti memoriam, ſolum veſtigium combuſturæ. Simili etiam modo in Campania majori mulier quædam, & in villa Olecti mulier altera, & in Caſtro Pilei tertia, dum beati Patris feſtum celebrare contemnerent, prævaricantes primum mirabiliter ſunt punitæ: ſed poſtmodum pœnitentes, per ſancti Franciſci merita mirabilius liberatæ.

Mulieres aliquæ ob neglectum feſtum plectuntur.

LXVI. Miles quidam de Burgo in Provincia Maſſæ, beati Franciſci operibus, & miraculorum ſignis impudentiſſime detrahebat; inferebat multa opprobria peregrinis, ad ipſius memoriam venientibus, & contra Fratres publica garriebat inſania. Cum autem ſemel Sancti gloriam impu-

Detrahens gloriæ S. Franciſci miſerabiliter occiditur.

pugnaret, addidit ſuper peccata ſua blaſphemiam deteſtandam. Si verum eſt, inquit, quod Franciſcus iſte ſit ſanctus, gladio cedat hodie corpus meum; ſi vero ſanctus non eſt, evadam incolumis: non diſtulit ira Dei condignum inferre ſupplicium, cum jam facta fuiſſet oratio in peccatum. Mora enim modica interjecta, dum blaſphemus nepoti ſuo inferret injuriam, accepit ille gladium, & Patrui viſceribus cruentavit. Eodem die mortuus eſt ſceleratus, inferni mancipium, & filius tenebrarum, ut ceteri diſcerent miranda Franciſci opera, non blaſphematoriis verbis impetere, ſed devotis laudibus honorare.

LXVII. Judex quidam, nomine Alexander, dum a beati Franciſci devotione, quos poterat venenata lingua retraheret, divino judicio lingua privatus, per ſex annos obmutuit. Qui cum in eo, quo peccaverat, torqueretur; alta pœnitudine revocatus dolebat, ſe contra Sancti miracula oblatraſſe. Itaque non perſtitit miſericordis indignatio Sancti, ſed pœnitentem, ac ſe humiliter invocantem, reſtituta loquela, recepit ad gratiam. Ex tunc linguam blaſphemam conſecravit laudibus Sancti, devotionem ſimul & diſciplinam recipiens per flagellum.

Alius detractor in lingua punitur.

De quibuſdam aliis miraculis diverſorum generum.

LXVIII. In Caſtro Galiani Valicenſis Diœceſis mulier quædam, nomine Maria, quæ Chriſto Jeſu, & beato Franciſco famulatu devoto ſubjecta, una dierum æſtivo tempore exiit, ut manibus conquireret propriis neceſſarium victum. Cum igitur fervente nimium æſtu, ſitis deficere cœpiſſet ardoribus, omni privata beneficio poculi, pro eo quod in monte arido ſola eſſet; quaſi exanimis humi proſtrata, Patronum ſuum ſanctum Franciſcum invocabat pio mentis affectu. Dum autem perſeveraret mulier in affectuoſa & humili prece; labore, ſiti, & æſtu fatigata quamplurimum, paululum obdormivit. Et ecce ſanctus Franciſcus adveniens, & eam vocans ex nomine: ſurge, inquit, & bibe aquam, quæ divino munere tibi ac pluribus exhibetur. Ad hujus vocis auditum ſurrexit mulier a ſomno, non modicum confortata, & accipiens ſilicem, quæ juxta ſe erat, radicitus evulſit a terra; effodienſque ligno parvulo circumquaque, viventem reperit aquam; quæ cum primo videretur parvula ſtilla, ſubito divina virtute crevit in fontem. Bibit itaque mulier, & ſatiata oculos lavit; quos cum longa prius haberet ægritudine obumbratos, nova ex tunc ſenſit luce perfuſos. Feſtinavit ad domum mulier, tam ſtupendum miraculum ad gloriam ſancti Franciſci denuncians univerſis. Concurrerunt undique multi ad miraculi famam, experientia magiſtra, diſcentes mirabilem illius aquæ virtutem, dum ad ipſius hauſtum, confeſſione præmiſſa, a variis morborum cladibus plurimi liberantur. Perſeverat uſque hodie fons ibi perſpicuus; & in honorem beati Franciſci ibidem Oratorium eſt conſtructum.

Sitienti fontem educit aquarum.

LXIX. In Hiſpania apud ſanctum Facundum, Viri cujuſdam ceraſum arefactum, ad virorem frondium, florum, & fructuum contra ſpem mirabiliter revocavit. Incolas quoque terræ apud Vileſios, a vermium peſte corrodentium vineas circumquaque, miraculoſo ſuffragio liberavit. Sacerdotis cujuſdam juxta Palentiam horreum quoddam, quod vermibus frumentariis repleri quolibet anno ſolitum erat; ſibi fideliter commendatum penitus expurgavit. Terram quoque Domini cujuſdam de Petra mala in regno Apuliæ, ſibi ſuppliciter commendatam, ab odioſa peſte bru-

Agricolis in pluribus propitius.

Digitized by Google

brutorum penitus ſervavit indemnem: cum tamen in circuitu omnia eſſent prædicta peſtilentia devorata.

LXX. Vir quidam Martinus nomine, cum longe a Caſtro ſuo boves minaſſet ad paſcua; crus unius bovis caſu quodam ſic fuit deſperate confractum, ut nihil eſſet ſibi de remedio aliquo cogitandum. Dum autem pro decoriatione foret ſollicitus, & inſtrumentum, cum quo id faceret, non haberet: domum reverſus beato Franciſco bovis curam reliquit, ipſumque fideli Sancti cuſtodiæ fiducialiter commendavit, ne ante ſuum reditum devoraretur a lupis. Summo itaque mane ab bovem in ſilva relictum, cum excoriatore reverſus, paſcentem ipſum ita reinvenit incolumem, quod nequaquam crus fractum ab altero diſcernebat. Gratias egit bono paſtori, qui diligentem de bove ſuo curam habuit, & medelam donavit. Succurrere novit humilis Sanctus omnibus invocantibus ipſum; nec quantumcumque parvas neceſſitates hominum dedignatur; nam Viro cuidam de Amiterno jumentum reſtituit furto ſublatum: Mulieri cuidam de Interduco catinum novum in multas partes caſu diviſum, integre reparavit; Viro etiam cuidam de monte Ulmi in Marchia conſolidavit vomerem in fruſta confractum. Bovis fractum crus ſolidavit.

LXXI. In Sabinenſi diœceſi, vetula quædam octogenaria erat, cujus filia moriens lactantem infantulum dereliquit. Cum igitur anus paupercula, plena eſſet inopia, & vacua lacte; nullaque eſſet mulier, quæ ſitienti parvulo lactis ſtillicidium, juxta quod exigebat neceſſitas, erogaret: quo ſe verteret vetula, penitus ignorabat. Debilitato vero infantulo, nocte quadam omni humano deſtituta ſubſidio, ad beati Patris Franciſci auxilium implorandum, lacrymarum imbre perfuſa, tota ſe mente convertit. Adfuit ſtatim innocentis amator ætatis: Ego, inquiens, ſum Franciſcus, o mulier, quem tantis lacrymis invocaſti. Pone, ait, manus tuas in ore puerili, quoniam abundanter tibi lac Dominus dabit. Implevit anus Sancti mandatum; & ſtatim octogenariæ mammæ lactis copiam effuderunt. Innotuit omnibus mirabile Sancti donum; multis tam Viris, quam Mulieribus accelerantibus ad videndum. Et quia quod teſtabantur oculi, lingua impugnare non poterat, excitabantur omnes ad laudandum Deum in Sancti ſui virtute mirabili, & amabili pietate. Octogenariæ pauperi lac præbet pro educando nepote.

LXXII. Apud Spoletum, vir & uxor unicum habentes filium, quotidie illum velut hæreditarium opprobrium deplorabant brachiis: ſiquidem collo connexis, junctiſque genibus pectori, & pedibus natibus alligatis; non hominis proles, ſed monſtrum quoddam potius videbatur. Vehementiori mulier ex hoc afflicta dolore, crebris gemitibus clamabat ad Chriſtum, ſancti Franciſci auxilium invocando, ut infelici ſibi, & tali in opprobrio conſtitutæ, ſuccurrere dignaretur. Nocte igitur quadam, cum propter hujuſmodi triſtitiam, triſtis eam ſomnus arriperet, apparuit ei ſanctus Franciſcus, piis eam affatibus mulcens, inſuper & ſuadens, quod ad locum propinquum, ſuo nomini dedicatum, deferret puerum; ut ex aqua putei loci illius, in nomine Domini ſuperfuſus, plenam reciperet ſoſpitatem. Negligente autem illa Sancti adimplere mandatum, ſecundo replicavit ad ipſum. Tertio quoque apparens, mulierem cum puero uſque ad januam dicti loci, præambulo ducatu perduxit. Supervenientes autem nobiles quædam matronæ devotionis cauſa ad prædictum locum, eis a muliere præfata diligenter expoſita viſione, una cum ipſa puerum Fratribus præſentarunt: & haurientes aquam de puteo, earum nobilior propriis manibus lavit infantem. Statim Monſtruoſus puerulus efformatur in pulchrum.

tim puer omnibus membris ad ſua loca perductis, ſanus apparuit; & magnitudo miraculi omnibus admirationem induxit.

LXXIII. Apud Seguſiam juvenis quidam de Riparolio, Ubetinus nomine, Ordinem Fratrum Minorum ingreſſus, Novitiatus ſui tempore, horridi cujuſdam perturbatione pavoris incurrit amentiam; totiuſque dexteræ partis paralyſis morbo graviſſimo, auditum, & linguam cum motu amiſit & ſenſu. Cum autem ſic miſerabilis, non ſine Fratrum multa mœſtitia per plures dies in lectulo decubuiſſet, beati Franciſci ſolemnitas ſupervenit, in cujus vigilia, conceſſo ſibi aliquo lucido intervallo, pium Patrem, licet voce informi, corde tamen fideli, prout poterat invocabat. Hora vero matutinali, Fratribus omnibus in Eccleſia laudibus divinis intentis, ecce beatus Pater habitu Fratrum indutus in infirmariæ loco, præfato Novitio aſtitit, lumenque non modicum in habitaculo illo refulſit. Et extenſam manum ſuper dextrum illius latus a capite ad uſque pedes ſuaviter contingendo deducens, digitos in auriculas miſit, quodamque in dextro humero impreſſo charactere, hoc tibi ait, ſignum erit, quod Deus per me, cujus exemplo ductus Religionem intraſti, plene te reſtituit ſanitati: chordaque illum ſuccingens, quia ſine chorda jacebat, dixit ad eum: ſurge & Eccleſiam intra, & laudes Deo debitas cum Fratribus devotus exſolvas. Quibus dictis, cum puer ipſum manibus vellet contingere, & pedum ejus deoſculari veſtigia, ut gratias ageret, ab ejus aſpectu beatus Pater abſceſſit. Et juvenis recuperata ſanitate corporis, cum rationis induſtria, vivacitate ſenſuum & loquela, Eccleſiam ingreſſus cum multa Fratrum & ſecularium admiratione, qui tunc aderant, & juvenem paralyticum viderant & amentem, laudibus divinis interfuit: & per ordinem narrato miraculo, multos ad Chriſti, & beati Franciſci devotionem accendit.

Minorita paralyticus & amens ſanatur.

LXXIV. In Caſtro Choræ Oſtienſis Diœceſis, Vir quidam ſic crus ex toto perdiderat, ut nullo modo progredi, vel movere ſe poſſet. Poſitus itaque in anguſtia vehementi, & auxilio deſperatus humano, cœpit nocte quadam, ac ſi præſentem cerneret beatum Franciſcum, talem coram eo aſſumere materiam querulandi; adjuva me ſancte Franciſce, recolens meum ſervitium, & devotionem tibi impenſam. Nam in aſino meo te portavi, ſanctos pedes tuos & ſanctas manus tuas oſculatus fui; ſemper tibi devotus, ſemper benevolus extiti: & ecce morior doloris hujus duriſſimo cruciatu. His pulſatus querelis, ſtatim adfuit beneficiorum memor, & devotioni gratus, & vigilanti Viro cum uno Fratre apparuit; ad vocationem ejus ſe veniſſe dixit, & tuliſſe remedia ſanitatis. Tetigit locum doloris cum baculo parvulo, qui figuram Thau in ſe habebat: & fracto mox apoſtemate, perfectam tribuit ſanitatem, & quod mirabilius eſt, ſacrum ſignum Thau impreſſum ſuper locum ſanati ulceris ad miraculi memoriam dereliquit. Hoc ſigno ſanctus Franciſcus ſuas conſignabat litteras, quoties caritatis cauſa ſcriptum aliquod dirigebat.

Signo Thau conſolidatum amici crus.

Signum hoc familiare Franciſco.

LXXV. Sed ecce, dum per diverſa miracula glorioſi Patris Franciſci mens narrationis varietate diſtracta decurrit, promerente ipſo crucis glorioſo ſignifero in ſignum ſalutis Thau, non ſine divina directione pervenit: ut ex hoc poſſimus advertere quod ſicut crux militanti poſt Chriſtum fuit ſublimitas meriti ad ſalutem; ſic & triumphanti cum Chriſto facta eſt firmitas teſtimonii ad honorem. Hoc quippe crucis myſterium magnum & mirum, in quo chariſmata gratiarum, & merita virtutum, & the-

Magnum in eo crucis ſtudium.

theſauri ſapientiæ & ſcientiæ tam alta profunditate velantur, ut a mundi ſapientibus & prudentibus ſit occultum; tam plene fuit huic Chriſti parvulo revelatum, ut omnis vita ipſius, non niſi crucis veſtigia ſequeretur, non niſi crucis dulcedinem ſaperet, non niſi crucis gloriam prædicaret. Vere namque in ſuæ converſionis principio dicere cum Apoſtolo potuit: *Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti*. Non minus etiam vere in converſionis progreſſu addere valuit: *Quicumque hanc Regulam ſecuti fuerint, pax ſuper illos, & miſericordia*. Veriſsime autem in conſummatione potuit ſubinferre: *Stigmata Domini Jeſu in corpore meo porto*. Sed & illud nos quotidie deſideramus ab ipſo audire; *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum ſpiritu veſtro, Fratres. Amen*.

Matth. 11. 25. Galat. 6. 14. Ibid. 16. Ibid. 17. Ibid. 18.

Gloriare igitur jam ſecure in crucis gloria, Chriſti ſignifer glorioſe, quoniam a cruce incipiens, ſecundum crucis regulam proceſſiſti: & tamdem in cruce perficiens, per crucis teſtimonium, quantæ gloriæ ſis in cœlo, cunctis fidelibus innoteſcit. Secure jam te ſequantur, qui exeunt ex Ægypto, quia per baculum crucis Chriſti, mari diviſo, deſerta tranſibunt in repromiſſam viventium terram, Jordane mortalitatis tranſmiſſo, per ipſius crucis mirandam potentiam ingreſſuri.

LXXVI. Relatis ex Bonaventura magnis multiſque his miraculis, quæ ad ſancti Viri canonizationem conſecuta ſunt, proſequi lubet. Paucis itaque diebus, poſtquam inter Sanctos relatus eſt, Pontifex datis litteris univerſis Chriſti fidelibus, factam ſancti Viri apotheoſim intimavit, ejuſque diem ſanctum IV. nonas Octobris celebrari conſtituit, in eiſdem litteris teſtificans, ſanctum Virum multam ſecum familiaritatem habuiſſe. Eas habent regiſtrum Vaticanum numero 31. & Laertius Cherubinus numero 2. ſub eodem Pontifice.

GREGORIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, Epiſcopis &c.

Mira circa nos divinæ pietatis dignatio, & ineſtimabilis dilectio caritatis, qua filium pro ſervo tradidit redimendo, dona ſuæ miſerationis non deſerens, & vineam dextera ejus plantatam continua protectione conſervans, in illam, qui ſalubriter ipſam excolant, evellentes ſarculo ac vomere, quo Samgar ſexcentos Philiſtæos percuſſit, ſpinas & tribulos ex eadem, operarios etiam in undecima hora tranſmittit, ut ſuperfluitate palmitum reſecata, & vitulaminibus ſpuriis radices altas non dantibus, nec non ſentibus extirpatis, fructum ſuavem afferat, & jucundum, qui prælo patientiæ defæcatus, in æternitatis cellarium transferatur. Impietate profecto velut igni ſuccenſa, & frigeſcente caritate multorum, in ejuſdem materiam diruendam, irruentibus Philiſtæis, potione terrenæ cadentibus voluptatis. Ecce in hora undecima Dominus, qui cum diluvii aqua terram deleret, juſtum per lignum contemptibile gubernavit, ſuper ſortem juſtorum virgam peccantium non relinquens, excitavit ſervum ſuum beatum Franciſcum, virum utique ſecundum cor ſuum, apud cogitationes divitum lampadem quidem contemptam, ſed paratam ad tempus ſtatutum, illam in vineam ſuam mittens, ut ex ipſa ſpinas & vepres evelleret, proſtratis illam impugnantibus Philiſtæis, illuminando patriam, & reconciliari

Bulla canonizationis S. Franciſci. Dei curæ circa Eccleſiam. Judic. 3. 31. Sapien. 10. 4. Præciſum vir ſecundum cor Dei. Converſio Franciſci. Judic. 5. 5.

Deo, exhortatione ſedula commonendo. Qui audita interius voce invitantis
amici, impiger ſurgens, mundi vincula blandientis, quaſi alter Samſon,
gratia divina præventus dirupit, & ſpiritu ferworis concepto, aſinique
arrepta mandibula, prædicatione ſiquidem ſimplici, nullis verborum per-
1. Cor. 1. 17. *ſuaſibilium humanæ ſapientiæ coloribus adornata, ſed tamen Dei virtute*
Pſal. 103. 32. *potenti, qui infirma mundi eligit, ut fortia quæcumque confundat, non*
Alios convertit. *tantum mille, ſed multa millia Philiſtinorum, eo, qui tangit montes, &*
Judic. 15. 17. *fumigant, favente, proſtravit, & in ſpiritus ſervitutem redegit, carnis*
Iſai. 55. 1. *illecebris antea ſervientes. Quibus vitiis mortuis, & Deo viventibus, jam*
Pſal. 79. 12. *non ipſis, quorum pars peſſima periit, ex mandibula ipſa egreſſa copioſa eſt*
aqua reficiens, abluens, & fœcundans lapſos, ſordidos & arentes, quæ
in vitam æternam ſaliens abſque argento & commutatione aliqua poteſt emi,
Geneſ. 12. 1. *cujus rivuli longe lateque diffuſi vineam irrigant, uſque ad mare palmi-*
Indidem. *tes, & uſque ad flumen propagines extendentem. Hic denique Patris noſtri*
Abrahæ imitatus veſtigia, mente de terra & cognatione ſua, nec non e domo
patris ejus egrediens, iturus in terram, quam ſibi Dominus divinæ in-
ſpiratione monſtrarat, ut expeditus curreret ad bravium vocationis cæle-
Luc. 13. 24. *ſtis, & per anguſtam portam poſſet facilius introire, ſarcinam terrenæ*
Arctam ſubivit pœnitentiam. *ſubſtantiæ depoſuit, ſe illi conformans, qui cum dives eſſet, pro nobis fa-*
ctus eſt pauper, eamque diſperſit, dedit pauperibus, ut ſic ejus juſtitia in
ſeculum ſeculi permaneret. Et in terram viſionis accedens, ſuper unum
ſibi montium demonſtratum, videlicet excellentiam fidei, carnem ſuam
quaſi filiam unigenitam, quæ ipſum interdum deceperat, cum Jephte Do-
Pſal. 50. 21. *mino in holocauſtum obtulit, igne ſuppoſito caritatis, illam fame, ſiti, fri-*
gore ac nuditate, vigiliis multis, & jejuniis macerando; quæ cum vitiis &
Gen. 22. 2. *concupiſcentiis crucifixa, dicere poterat cum Apoſtolo; vivo ego, jam non*
Judic. 11. *ego, vivit autem in me Chriſtus: quoniam jam non ſibi vixerat, ſed Chriſto*
Galat. 5. 24. Indid. 2. 20. *potius, qui pro peccatis noſtris mortuus eſt, & reſurrexit propter juſtifica-*
Roman. 4. 15. *tionem noſtram, ut nullatenus peccato ulterius ſerviamus. Vitia quoque*
Luc. 14. *ſupplantans, & contra mundum, carnem & poteſtates aereas luctamen*
Gen. 35. *aſſumens viriliter, uxore, villa, bobus, a cœna magna retrahentibus in-*
Aſſiduitas in orando. *vitatos, penitus abdicatis, cum Jacob, Domino jubente, ſurrexit, & gratia*
ſpiritus ſeptiformis accepta, octoque ſibi aſſiſtentibus beatitudinibus Evan-
Apoc. 8. *gelicis, Bethel domum Dei, quam ſeipſum præparavit, eidem per quindecim*
gradus virtutum, qui myſtice in Pſalterio continentur, aſcendit. Et ibi-
dem altare cordis Domino conſtruens, aromata devotarum orationum ob-
tulit ſuper eo, per manus angelicas in conſpectu Domini deferenda, conci-
vis angelicus mox futurus. Ne vero ſibi ſoli proficeret in monte, tantum-
modo Rachel amplexibus inhærendo, contemplationi pulchræ quidem, ſed
Gen. 29. *ſterili, ad Liæ interdictum deſcendit cubiculum, minaturus gregem gemel-*
Contemplativæ junxit vitã activam. *lis fœtibus fœcundatum ad interiora deſerti pro vitæ paſcuis perquirendis, ut*
illic, ubi manna cæleſtis dulcedinis reficit, a ſecularium ſtrepitu ſegregatos,
cum lacrymarum effuſione ſemina ſua mittens, cum exultatione manipulos
Pſal. 125. 6. *ad æternitatis horrea reportaret, cum populi ſui Principibus collocandus,*
corona juſtitiæ coronatus. Qui nimirum non quæ ſua ſunt quærens, ſed
Phil. 1. v. 21. *potius quæ ſunt Chriſti, & eidem velut apis argumentoſa deſerviens, nec*
non quaſi ſtella matutina in medio nebulæ, ac quaſi Luna plena in diebus
ſuis, & ſicut Sol in Eccleſia Dei fulgens, lampadem & tubam in manus
Eccleſ. 50. v. 6. *aſſumpſit, ut lucentium operum documentis, humiles attraheret ad gratiam,*
& protervos a noxiis retraheret exceſſibus dura increpatione terrendo. Ac
ſi virtute caritatis afflatus in caſtra Madianitarum, Eccleſiæ judicium de-
cli-

Digitized by Google

clinantium per contemptum, eo juvante, qui dum virginali utero clauderetur, mundum ſuo circuibat imperio univerſum, intrepidus irruit, & abſtulit arma in quibus confidebat fortis armatus, atrium ſuum cuſtodiens, & diſtribuit ſpolia quæ tenebat, ejuſque captivitatem captivam reduxit in obſequium Jeſu Chriſti. Hoſte itaque triplici in terra poſitus ſuperato, Regno cælorum vim intulit, & illud rapuit violenter, & poſt hujus vitæ quam plura glorioſa certamina, mundum triumphans, feliciter migravit ad Dominum, multos præveniens ſcientia præditos ſcienter neſcius, & ſapienter indoctus. Sane, licet ejus vita tam ſancta, tam ſtrenua, & præclara ſibi ſufficeret ad obtinendum conſortium Eccleſiæ triumphantis; quia tamen militans, quæ ſolummodo videt in facie, non præſumit de his, qui de ſuo foro non ſunt, auctoritate propria judicare, ut illos pro vita tantum venerandos aſſumat, præſertim quia nonnumquam Angelus Satanæ in lucis Angelum ſe transformat; omnipotens & miſericors Deus, de cujus munere venit, quod prædictus famulus Chriſti, digne ſibi & laudabiliter deſervivit, tantam lucernam, abſconſam ſub modio remanere non patiens, ſed eam volens ſuper candelabrum collocari, his qui ſunt in domo luminis ſolatium præbituram, vitam ejus ſibi fuiſſe acceptam, & ipſius memoriam eſſe a militanti Eccleſia venerandam, multis & præclaris miraculis declaravit. Cum igitur glorioſæ vitæ ipſius inſignia ex multa familiaritate, quam nobiſcum habuit in minori officio conſtitutis, plene cognita nobis eſſent, & de miraculorum coruſcatione multiplici, per teſtes idoneos nobis facta fuerit plena fides, confidentes per Dei miſericordiam, nos & gregem nobis commiſſum, ejus ſuffragiis adjuvari, & quem familiarem habuimus in terris, habere patronum in cælis; habito Fratrum noſtrorum conſilio & aſſenſu, ipſum aſcribi decrevimus Sanctorum catalogo venerandum, ſtatuentes, ut IV. *nonas Octobris, die videlicet quo a carnis ergaſtulo abſolutus ad æthera regna pervenit, ab univerſali Eccleſia Natalitia ejus devote ac ſolemniter celebrentur. Quocirca univerſitatem veſtram rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, per apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus die prædicto in commemoratione ipſius, divinis laudibus alacriter inſiſtentes, ejuſdem patrocinia humiliter imploretis, ut ipſius intercedentibus meritis, ad ejus mereamini conſortium pervenire, illo præſtante, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum. Amen. Datum Peruſii* XIV. *Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri anno* II.

Franciſci fructus in Eccleſia.

Luc. 11. *v.* 21. *Epheſ.* 4. *v.* 8. *Matt.* 11. *v.* 12.

Mira ſcientia & præclara ejus vita.

1. *Cor.* 5. 12. 2. *Cor.* 11. *v.* 14. *Luca* 11. 33.

Multa per eum facta miracula.

Pontifici olim familiaris.

Statuitur colendus dies Natalitius.

LXXVII. Præter hoc diploma, peculiares dedit idem Pontifex litteras ad Eccleſiarum Prælatos, quibus eos ad ſancti Viri venerationem, & diei feſti cultum hortatur. Illas ferme omnes noſtri Auctores exſcripſerunt, ſed mire diſcrepant circa diem, imo & circa annum, quo datæ ſunt. Firmamentum, & Henricus Sedulius datas volunt anno IV. quibus contradicunt ceteri omnes, & Bullæ originales quibus inſcriptus eſt annus II., atque ita ſane habet Rodulphus, ex quo tamen innuit Sedulius eas ſe exſcripſiſſe. Rodulphus item numerat VII. idus Julii anni II. quod conſtare non poteſt, cum in eiſdem litteris referatur canonizatio ſancti Viri, quæ ex Bonaventura, Mariano, Thoma Celano, & aliis facta eſt, ut ſuperius dixi, XVII. Kalendas Auguſti. Verius Monumenta & Speculum Ordinis cum aliis habent IX. Kalendas Martii, quod mihi originalis bulla Archivi Aracœli ſub numero 75. plene confirmavit. Suo itaque loco anno ſequenti, in quem hoc tempus incidit, commodius hoc diploma reponemus, quod etiam videre licet in regeſto Vaticano nu-

Datæ aliæ litteræ circa hanc canonizationem.

Sedulius cap. 16. *pag.* 80.

Rodulphus.

Hoc ann. n. 4.

numero 21. Illinc fortaſſe conciliari poſſet temporis datæ epiſtolæ differentia, quod ſucceſſive, & vario temporis decurſu ad varios Eccleſiarum Prælatos fuerint tranſmiſſæ. Univerſales ſane invenio ad omnes Prælatos, & alibi peculiares ad ſolos Prælatos Galliarum; item ad ſacrum Prædicatorum Inſtitutum ſub hac inſcriptione: *Dilectis filiis Magiſtro & Capitulo Ordinis Prædicatorum*: datas Peruſii XIII. Kalendas Januarii Pontificatus anno II.

Famæ poſtumæ ſancti Franciſci multi occinerunt

LXXVIII. Non ſolum ſacris his ritibus Pontifex ſancti Viri nomen extulit, verum & compoſitis a ſe hymnis, & rhythmis eccleſiaſticis condecoravit: illius opus ſunt hymnus: *Proles de cælo prodiit*, qui canitur in primis veſperis diei feſti; & proſa illa, olim ſolemnis: *Caput draconis*: necnon illæ antiphonæ: *Sancte Franciſce propera, veni Pater, accelera*; & quæ recitatur, defuncto Generali Miniſtro: *Plange turba paupercula*. Pontificis pietatem imitati ſunt plurimi ex Cardinalibus, aliiſque Prælatis. Reſponſorium illud octavum Officii: *De paupertatis horreo*, fecit Otto Candidus, ſeu Blancus de Alerano ex Marchionibus Montisferrati, Diaconus Cardinalis ſancti Nicolai in Carcere Tulliano a Gregorio IX. creatus. Hymnum nocturni: *In cæleſti Collegio*, atque alium in ſecundis veſperis: *Decus morum Dux Minorum*; antiquam proſam, quæ incipit: *Lætabundus*: Reſponſorium ſeptimum; *Carnis ſpicam*, & antiphonam: *Salve ſancte Pater, Patriæ lux*, edidit Thomas Capuanus Cardinalis Presbyter titulo ſanctæ Sabinæ ab Innocentio III. creatus, quem maxime in ſcribendo carmine, & proſa oratione valuiſſe, atque aliquas antiphonas eccleſiaſticas compoſuiſſe, commemorat Ciaconius.

Ciaconius in Innoc. III.

Rainerius Capoccius Viterbienſis Cardinalis ſanctæ Mariæ in Coſmedin, quem ſupra diximus, in ſancti Viri canonizatione orationem habuiſſe de gloria miraculorum, cecinit hymnum: *Plaude turba paupercula*, qui cantatur in laudibus. Stephanus de Caſanova, quibuſdam de Foſſanova, Romanus Diaconus Cardinalis ſancti Angeli ab Innocentio III. creatus, poſtea Eccleſiæ Camerarius, cujus nepotem equo lapſum, & mortuum, coram eo & aliis Cardinalibus ſanctus Dominicus ad vitam revocavit, auctor eſt illius antiphonæ, quæ quotidie canitur: *Cælorum candor ſplenduit*. Ita ut plurima pars Officii, quod Minoritæ in feſto ſui Inſtitutoris recitant, opus ſit hujus Pontificis, & prænominatorum Cardinalium. Apte hic addam a quibus ceteræ ejuſdem Officii partes ſuperadditæ.

A quibus compactum Officium S. Franciſci.

Sanctus Bonaventura, ſuaſu cujuſdam Epiſcopi Galli, & quorumdam Patrum ipſius Religionis, minorem, quam vocant, concinnavit Legendam, quam per lectiones poſtea diſtribuit in die feſti, & per octavam; & reliquum Officium compoſuit, ut præ ceteris ſcribit Octavianus Sineſſanus, licet Marianus, & Annales Saxonici MSS. aſſerant, totum Officium, præter hiſtoriam, tam in littera, quam in cantu, ut ſupra diximus, ordinaſſe ſub ejuſdem Bonaventuræ Generalatu, ejuſque aſſenſu, fratrem Julianum Teutonicum, virum in Ordine eruditum, & ante ingreſſum in eumdem, primum præcentorem in aula Regis Gallorum. Miſſæ præfationem, incipientem: *Qui venerandum Confeſſorem*, inſtituit ſanctus Vir frater Joannes de Alverna. Officium ſacrorum ſtigmatum concinnavit frater Gerardus Odonis Gallus ſub Joanne XXII. Generalis Miniſter. Sequentiam illam olim celebrem, quæ nunc excidit: *Sanctitatis nova ſigna*, cecinit frater Thomas de Celano, cujus & illa ſolemnis mortuorum: *Dies iræ dies illa*, opus eſt, licet alii eam tribuere velint fratri

Octavian. in orat. de laud. S. Bonavent. §. 2. Marian. c. 3. Annal. Saxon. anno 1227.

fratri Matthæo Aquaſpartano Cardinali ex Minoritis aſſumpto. Scripſit etiam unam, atque alteram diffuſam Legendam ſancti Franciſci, quarum una Gregorii IV. nomen ſortita eſt, quia ejus ſuaſu compoſita, altera Auctoris præfert nomen, aliquando Legenda antiqua nuncupata, quibus nos ſæpius uſi ſumus in hoc opere.

LXXIX. Tantis & talibus teſtibus credibilia facta ſunt nimis teſtimonia ſanctitatis Franciſci, cujus adhuc celebriorem voluit cultum Pontifex, ſtatuens, ut ejus nomini ſumptuoſum ædificaretur Templum, in quo etiam honorifice poſſet corpus recondi, & apud ſuos Sectatores ſervari. Licet enim decenter in Eccleſia ſancti Georgii jaceret, tamen non adeo congruum videbatur, ut in Presbyterorum ſecularium remaneret poteſtate, quantumvis ſtatim ab ejus morte, ex ipſorum ſacerdotum conſenſu curaverit frater Elias, ut duo vel tres Fratres habitarent in quadam ædicula juxta eamdem Eccleſiam ad continuum cultum, & perpetuas excubias tanti theſauri. Egit itaque Generalis, tamquam Pontificis internuncius, cum conſulibus Civitatis de loco deligendo & concedendo pro Templi, & contigui Cœnobii ſtructura. Nullus aptior, aut amænior viſus quodam Colle, qui alto imminebat præcipitio, extra ſed prope muros Civitatis, in quo de malefactoribus ſupplicium ſumebatur, & exinde nomen ſortitus eſt *Collis Inferni*. Sane non ſine divina diſpoſitione ita evenit, quod locus ille huic ſtructuræ deſtinaretur, ut quod prophetice ſub mortem ſe velle, dixit Franciſcus, compleretur. Interrogatus enim ubi ſe humari vellet, reſpondit, in abjectiſſimo omnium loco, *in Colle Inferni*, illa ex parte ubi facinoroſi plectuntur. Ad votum ejus ita ædificii ſtructuram deduci curavit Elias, ut ipſo illo in loco, ubi erectæ furcæ, ibi erigeretur & tumulus. Non prius diſceſſit Pontifex, quam alta tantæ molis in ipſo Collis declivio ſtruerentur fundamenta, cujus primarium lapidem propriis manibus ipſe jecit, velut ſuis litteris, quas ad IV. Pontificatus dabimus annum, aperte teſtatur, Cardinalibus, & Principibus viris alios cum magno jubilo, & populi concurſu ſuperaddentibus; aſſignavitque Pontifex pro ſumptibus annuos redditus multarum Eccleſiarum Vallis Spoletanæ, quos ad expeditam ædificii formam non ſufficere judicans Elias, collectas pecuniarias indixit Provinciis, quod ægre nec ſine dolore audierunt ſancti Viri ſocii, ejuſque paupertatis æmulatores, ut ſequenti anno dicemus.

[Statuitur novum ædificari ſancti Franciſci Templum.]

[In Colle Inferni]

[Pontifex primū jecit lapidem.]

LXXX. Acciri, advehique ad ſe facit hoc anno Abbatiſſa de Kizingen, matertera ſanctæ Eliſabethæ, calamitoſam hanc ſuam neptem, dum ſine dolore, ſuique generis opprobrio amplius audire non poterat ejus adverſitates, quas ſuperiori anno retulimus; advectamque, ad Bambergenſis Eccleſiæ Epiſcopum, avunculum ipſius, tranſmitti honorifice procuravit. A quo humaniſſime ſuſcepta, cum aliquandiu ibidem egiſſet, cœpit vir prudens, juxta conſilium Apoſtoli, adoleſcentiorem adhuc viduam matrimonio velle devincere, ſollicitoque animo expendere, cuinam potiſſimum ex Principibus eam deſponderet: ob idque ipſam una cum pediſſequis tantiſper ad aliam tranſmiſit arcem, dum maturius, quo rem melius conficeret ex ſententia, deliberaret. At vero pediſſequæ, pari cum Domina caſtitatis voto jampridem obſtrictæ, animadverſa Præſulis voluntate, queri cum lacrymis cœperunt magnopere timentes, ſe Antiſtitis decreto contraire non poſſe. Quas confeſtim Eliſabetha precibus ad Deum fuſis, totaque fiducia in Chriſtum erecta, his verbis confirmavit: Non vos, o filiæ, timor iſte ſollicitas habeat, quem caſtitatis

[S. Eliſabetha accitur a matertera.]

[*Num.8. & ſeqq. Montan. c.17. Theodoret. lib.5. cap.1. Bonfin. dec.2.l.7. Hiſt. Lantg. c.40. Timot.5.14.*]

[Refugit ſecundas nuptias.]

tatis amore patimini. Confido ego divinæ protectioni, ut quod, viro ſuperſtite, vovi, defuncto non amittam, quantumvis etiam vel auctoritas premat, vel potentia terreat, vel amicitia blandiatur. Non mihi patiar auferri ab homine, quod hominis gratia non aſſumpſi; ſed neque vim mihi ullam inferri timeo, quandoquidem taliter adactæ ſemper liberum erit, & voluntate diſſentire, & ad dehoneſtandam faciem, naſum præputare. Erectis per hæc verba pediſſequarum animis, Epiſcopus quoque divino tactus inſtinctu eſt, perſuaſuſque ut propoſito ſuperſederet, miſſis actu tum nunciis, qui alio concedere juſſas reducerent.

Potius naſum amputare, quam virum ducere vult.

LXXXI. Interea temporis defuncti Principis levatur e ſepulcro cadaver, nudataque, elegantium ſtudio, putreſcentibus oſſa carnibus, ac ſcriniolo clauſa, in Thuringiam advehuntur, amicis ac familiaribus adeo reverenter inſecutis, ut ubicumque nox illos inter viam ſubſiſtere coëgiſſet, oſſibus in Templo collocatis, & vigilias agi, & divinas laudes celebrari procuraverint; ſinguliſque fanis principalibus pretioſum periſtroma pro defuncti requie donaverint. Illatis tamdem oſſibus Franconiæ, ac Bambergæ appropinquantibus, Epiſcopus adjuncto ſibi Clero, obviam ſolemni pompa prodiens, nobilibus aliquot ad ſe vocatis jubet, ut Dei famulam pariter occurrentem utrimque ſtipent, ac, ne animo deficiat, conſolentur. Jamque ſub oculis collocato, patefactoque ſcriniolo, Eliſabetha conſpectis mariti reliquiis, licet pro affectu dolori concedens, lacrymas tenere minime potuerit; immortales tamen Deo gratias egit, quod quem ſuperſtitem pro voto diutius habere nequiverit, ſaltem peregre, & in Dei opere defuncti, valeat oſſa contueri, tangere, atque complecti. Mox deinde captato ſecretiore colloquio, nobilibus viris, qui a Sicilia, una cum oſſibus advenerant, miſerandam ſuæ calamitatis tragædiam expoſuit, animoſque eorum pro indignatione tam inſignis injuriæ ita incendit, ut poſt acceptam publica fide injunctionem Antiſtitis de recuperanda dote, poſt humata chriſtiano ritu Principis oſſa in Cœnobio Benedictinorum Reinhartprunnenſium, & exequias funebri pompa celebratas, non diſtulerint commendatam fidei ſuæ illuſtrem viduam, ab acceptis injuriis in priſtinam dignitatem aſſerturi, Henricum adoleſcentiorem Principem, qui tum rerum potiebatur, convenire.

Advehũtur Thuringiã oſſa Lantgravii.

Illis occurrit Eliſabetha.

LXXXII. Fuere autem ex his viri præſtantiores Rodulphus, Ludolphus, Hartungus, & Gualterus; quorum Rodulphus, vir multa fide & conſtantia præditus, ita exorſus eſt dicere: Quænam eſt fama de te, Princeps inclyte, tam ſiniſtra, quæ triſti nuncio aures noſtras implevit? Te ne, hanc Fratri gratiam retuliſſe, ut defuncti, & uxorem & liberos fortunis omnibus exui, ædibus propriis exigi, mendicitati denique publicæ exponi vel juſſeris, vel permiſeris? O te miſerum, ac totius generis tui lacrymis deplorandum! qui vel furore proprio, vel inſtinctu alieno tantum admiſeris facinus, quod tibi quoad vives, ſcrupulo ſit futurum! Itane jam honoris, famæ, pietatis rationem adoleſcens habere incipis; ut ſenio tuo timendum magis, quam confidendum eſſe videatur? Quid enim per immortalem Deum peccare potuit mulier pacis, & pietatis plena? cujus tibi preces multo quam Crœſi opes, plus ſunt collaturæ ſalutis, ut contra omnem æquitatem, contraque totius jura naturæ, immeritam domo pelleres, fortuniſque privares; neque his contentus etiam liberos ejus pari miſeriæ exponeres? quorum etſi minus

Agitur de injuriis eidem illatis

ſangui-

ſanguinem, quo te attingunt, miſerebaris, vel ætatem teneram, ac imparem ferendis injuriis, debuiſti. Verum ſcio ego, tantum ſcelus non tam tibi, cujus clementiæ exploratam habeo indolem, quam, qui te circumſtant, conſiliariis tuis aſcribi debere: qui ut te adigerent a ſanguine tuo degenerare, ipſi humanitatem prius exuerunt. Dabis veniam mihi, Princeps maxime, ſi vehementior juſto ſum in orando, qui ut Principibus aſſentari neſcio, ita eorum vitia pro tempore coarguere non reformido. Impoſitum eſt tibi venenatis malevolorum perſuaſionibus: utere nunc conſilio Rodulphi tui; Eliſabetha de integro dignitati ſuæ reſtituta, me auctore, tibi reconciliabitur, faceſſet invidia, in oblivionem ibunt offenſæ; denique facta pace, ea ferientur amicitiæ fœdera, quæ tam tibi, quam tuis omnibus ſint & honori futura, & commodo. His a Rodulpho peroratis, ingens omnium, qui aderant, admiratio propter eximiam orandi libertatem eſt conſecuta; & Princeps ipſe totus in lacrymas reſolutus, nihil minus velle, tum verbis, tum vultu eſt adnotatus, quam tanto viro morem non gerere, aſſerens, ſe tam peperam geſtæ rei vehementer pœnitere, facturumque omnia, quæ ipſe facienda ſuaderet.

LXXXIII. Quibus Eliſabetha acceptis, reſpondit, nolle ſe arces & oppida poſſidere, curiſque terreni regiminis denuo immergi; petere ea ſibi non gravate concedi, quæ ad ſe dotis jure pertinebant: iis ſe libere uſuram eſſe, & ad ſuam & Principis defuncti ſalutem. Quæ res cum per Rodulphum & ceteros amicos fuiſſet, ut effectui mancipanda, bona fide ſuſcepta; manſit Dei famula aliquantulum temporis in arce, humanitatem plurimam reconciliati Principis experta, qui eam & pro dignitate honorifice tractari, & pro commoditate ſplendide ali, veſtirique procuravit. At illa verita, ne ad votum fluentibus vitæ neceſſariis (quæ nonnumquam, vel de rapina viantium, vel de oppreſſione pauperum animadvertebat provenire) & conſcientiæ ſuæ mordacem inquietudinem conſciſceret, divinaque ſe gratia indignam redderet, & dote quam recuperare habebat, ſecurius victitatura, iterum populari ſe vitæ ac priſtinæ paupertati ſua ſponte addicit. Quod ubi Magnates illi viderunt, quos antea Rodulphus invectione merita notaverat, tanta ſunt excandeſcentia permoti, ut ne videre quidem æquis illam animis deinceps poſſent: inſanam, fatuam, ac ſuperſtitioſam clamitantes, quod poſt defunctum Principem alteras detrectando nuptias gauderet, quod divitias, honores, voluptates rejiceret, quod Religionem ceteris nobilibus inæqualem præferret. At vero Chriſti ancilla teſtimonio bonæ conſcientiæ prædita contumelias, convitia, ſubſannationes, ſcommata, & cetera id genus alia adeo conſtanter, humiliterque perpetiebatur, ut etiam gauderet, dignam ſe eſſe talia pro Deo & amore continentiæ frugalitatiſque ſuſtinere. Erat itaque impiis oſtentui, piis vero plurimæ venerationi; in tantum, ut & Pontifex maximus Gregorius IX. audita fama virtutum ejus, tamquam filiam, ſub Apoſtolicæ Sedis protectionem aſſumpſerit, aſſumptamque Chriſti Sacerdoti Conrado Marpurgenſi commendaverit, commendatæ ſolatium pariter, & adhortationem adhibuerit, docueritque, eam propoſitis Sanctorum exemplis, patientiam, caſtitatem, perſeverantiam ſervare, ac omnino ſæpius agitare, non eſſe aliud ad beatitudinem conſequendam iter, quam quod Chriſtus, Sanctique omnes indefeſſo labore, vigilantique ſtudio prætriverunt: ſe non deſerturum eam, quoad viveret, ſed ut filiam cum omnibus, quæ poſſideret, ſuæ de-

Revocatur in palatium.

Sed denuo voluntarię ſe addicit paupertati.

Eam Pontifex ſuſcipit in tutelam & inſtruit.

Digitized by Google

defenſioni vindicatam habiturum; tantummodo pergeret ire, quo cœpiſſet.

LXXXIV. His Eliſabetha ſcriptis mirum in modum confirmata, atque ad uberiorem virtutum frugem incenſa, magiſtrum adit, petitque legitimam ſacri profectus viam edoceri. Ille nihil moratus, contemptum ei ſeculi, caſtigationem carnis, & parſimoniam rerum caducarum, ratione, ſcripturis, & geſtis Sanctorum rebus ita perſuaſit, ut confeſtim ad divinum illa ſubſidium recurrens, quod nonnullam in ſe difficultatem obeundæ ejus perfectionis experiretur, ſupplici precatu impetraverit, ut quidquid mundus amat, amplectitur, magnipendit, ea deinceps omnia, quaſi ſtercora execraretur, rejiceret, ac omnino nihili putaret: voce etiam apud ancillas teſtata, numquam ſibi ante hac tantum cordi fuiſſe divitias poſſidere, quantummodo liberet, eaſdem omni cœno viliores judicare, liberoſque ſuos jam pari ſe cum ceteris mortalibus affectione diligere, ut quos Deo plane commiſiſſet. Obtrectationes denique malevolorum, & ſuperborum convitia, ſubſannationes, deſpectum ita pro Deo libenter amplecti; ut iis etiam oblectari, gloriarique & velit, & ſciat. Totis igitur animis ad profectum animata virtutum, poſteaquam varia bene viventium expendiſſet Inſtituta: poſtremo ut veræ perfectionis avida, cunctis præferre decrevit paupertatem, cui appendix publicæ mendicitatis cohæreret. Quam perſuaſionem cum magiſtro, impetrandi conſenſus gratia, propoſuiſſet, renuit ille, ut vir prudens, quæ nobilem ac teneram mulierem minus deceret, aſſentiri. Perſeverantem deinde in propoſito, precibuſque lacrymas jungentem, indignabunda ſeveritate compeſcuit. At illa videns rem deſtinatam, qua voluit via, minime ſucceſſiſſe, aliam eſt non minus difficilem aggreſſa. Advenerat dies ſacratiſſimæ Paraſceves, cum pro Chriſtiano ritu ſacris nudæ tegminibus viſuntur aræ: Eliſabetha, ſumpta occaſione & temporis & loci, erat enim in Cœnobio Fratrum Minorum, ſacellum quoddam una cum magiſtro ac nonnullis ex Fratribus ingreſſa, poſitis ſuper altare manibus, ſolemni ac magnanima profeſſione renunciat parentibus, liberis, conſanguineis, pompis, ac vanitatibus mundi: denique voluntati propriæ, adnexura etiam e veſtigio ceſſionem terrenæ poſſeſſionis, niſi magiſter ſagacis vir ingenii, interfatus profitentis verba, ne ulterius iretur, effeciſſet.

Mundana cuncta contemnit.

Evangelicā ambit paupertatem.

Omnibus renunciāt.

LXXXV. In his pietatis operibus non ſegnifer ei adfuit, nec parum ſuo magiſterio juvit frater Rodingerus, quem ſuperius diximus ex Guardiano Halberſtadienſi factum ſanctæ Heroinæ præceptorem, eique in hoc pietatis diſciplina ſucceſſiſſe prædictum Conradum Marpurgenſem. Mirum ſane eſt, quod de eo refert Marianus ex antiqua quadam Legenda. Aliquando extra Oppidum ad cujuſdam fluminis ripam obambulabat ſancta Fœmina, comitibus pediſſequis & fratre Rodingero, cum quo ſerio de ſpirituali agebat profectu, inter cetera, inquit, nihil adeo me torquet, religioſe Pater, quam quod aliquantulum diffidam de Creatoris mei erga me benevolentia, non quod eum ſumme bonum, & ſui amoris profuſivum ignorem, ſed quod mea demerita multa eſſe comperiam, propter quæ repellar, quantumvis ego illius amore exardeſcam. Cui vir probus: Non eſt cur ita verearis, inquit, tanta eſt enim divina bonitas, ut omnino certum ſit, eum plus ſatis redamare amantem. At illa; quomodo ergo me tot afflictionibus & languoribus a ſe permittit, vel ad momentum divelli, cui ſemper & ubique vellem inhærere? Reſpondit Rodingerus non derelictæ, ſed dilectæ hæc eſſe indicia, atque ad amo-

An. 1221. n. 9.

Fr. Rodingerus Herbipolen. ejus primus magiſter.

Digitized by Google

amoris augmentum permitti; illud vero, ut ſibi perſuadeat, rogat, prius arborem proceram, ad appoſitam ripam plantatam, ad eam in qua coambulabant, tranſituram, quam Deus in amore reciproco cederet creaturæ. Non omnino hæc dixit, cum ad omnium conſpectum & ſtuporem tota arboris moles trasplantata fuit ad deambulationis locum; quod mirificum Dei dilectionis ſignum dum Eliſabetha animadvertit, ſumma humilitate ad religioſi Viri pedes proſtrata, veniam ſuæ exoravit diffidentiæ.

Miraculum ut perſuadeat credere divinum amorem humanū ſuperare.

LXXXVI. Eodem anno frater Elias certior factus, lectorem aliquem Theologiæ ex Fratribus ad Germanos non eſſe deſtinatum, abſolvit fratrem Simonem Anglicum a Miniſterio Germaniæ, eique lectionem Theologicam impoſuit; fratrem vero Joannem de Plano Carpinis Miniſtrum deſtinavit, qui in dicto Capitulo provinciali in Wormatia ibi litteras abſolutionis fratris Simonis, & ſuæ inſtitutionis demonſtravit, beatique Franciſci canonizationem Fratribus denunciavit; & Saxoniam hoc honore dignam judicans, fratrem Simonem lectorem Magdeburgum miſit, & cum eo alios plures viros bonos, & doctos. Idem frater Joannes de Plano, quia vir gravis & corpulentus erat, aſino vehi neceſſe habebat, & homines tunc temporis propter Ordinis novitatem, & equitis humilitatem denſiſſimi concurrentes, majori devotione ad aſinum ejus commovebantur, quam nunc propter abuſum equitandi ad ipſorum Fratrum perſonas. Hic præterea Ordinis ſui propagator maximus, miſit Fratres in Bohemiam, Hungariam, Daciam, Norvegiam: domum quoque Metenſem majorem recepit, & Ordinem in Lotharingia plantavit. Fuit vir magnanimus & ſtrenuus, coram Epiſcopis & Principibus intrepide cauſas Ordinis defendens; neque verbis afferri poteſt, qua pace, caritate, conſolatione, & tutela Fratres ſuos, tamquam mater filios, & gallina pullos ſuos, ſemper foverit & protexerit. „ Floruit hoc tempore „ in Anglia Richardus Kingsdorp ſeu Kinſtop, quem Lalandus Regioſilvanum appellat. Vir erat, qui pietatem una cum bonis litteris coluit. „ Poſtquam in Anglia non mediocres feciſſet progreſſus, ad altiora „ anhelans, abiit in Galliam, ubi habitum ſuſcepit Minorum. Hujus „ exemplum imitati non pauci, idem amplexi ſunt Inſtitutum. Richardus „ Devonienſis, Guillelmus Etonus, & alii; cum quibus regreſſus in Angliam, locum habitandi receperunt in monte Frumentario. Fuit autem „ Richardus vir doctus, & præco non vulgaris. Etonus autem primum „ Londini, deinde Oxonii concionari, mox in ſcholis cœpit docere, „ multoſque vitæ & doctrinæ virtute ad Religionem attraxit.

Annal. Saxon. MS. ad hunc annum.

Joannes a Plano fit Miniſter Germaniæ, & plura in ſuum Ordinem præſtat.

ADDITIO Patris Lucæ Waddingi.

Piſ. de Script. Ang. append.

Floret Rich. Kindorpius Fr. Simon.

LXXXVII. Hoc anno extructum Minoribus Conventum in Civitate Argentinenſi, auctor eſt Gonzaga, ſed Franciſcus Guillimannus in commentario Epiſcoporum Argentinenſium, inceptum ſcribit anno MCCXXX. a quo non diſcedunt Wimphelingus & idem Guillimannus, dum ſub Bertholdo primo creato urbis Epiſcopo anno MCCXXIII. qui annis XV. rexit eos, urbem inhabitare cœpiſſe dicunt. Monaſterium fuit hoc ampliſſimum, quod doctiſſimorum virorum clarum ac diuturnum habitaculum vocat Guillimannus, & a quo univerſa provincia Argentinenſis nomen accepit; ſed ſæva hæreticorum rabie per Germaniam graſſante, tamdem in cineres redactum eſt in odium Franciſcanorum, qui valide eorum inſanis figmentis verbo & ſcripto reſiſtebant. Eodem etiam anno extructus Conventus Damianitarum Nurſiæ ſub titulo ſanctæ Mariæ Magdalenæ, ut amplius patebit ex regeſto Innocentii IV.

Conven. Argentinen.

Gonzaga in præ. Prov. Argentinen.
Guillim. c. 9.
Wimphel. in hiſtor. Argent.
Guillim. ſub epiſt. 55.

anno II. ſui Pontificatus XVII. Kalendas Julii ad hujus voluminis finem.

LXXXVIII. Eodem anno Illuſtriſſimus Dominus de Chauvigni in Civitate Bituricenſi, olim Aquitaniæ primate, teſte Ottone Friſingenſi, ædem Minoribus ad preces beati Maſſæi ſancti Franciſci ſocii, magna ex parte ædificavit, in qua Fundatoris jure ſepeliri voluit anno MCCLXX. Eo defuncto, Domina Joanna de Viercon mulier pia & devota, inchoatum Templi ædificium a choro ad finem uſque perfecit. Eccleſia conſecrata fuit anno MCCLX. die XX. Aprilis ſub titulo ſancti Andreæ & Joannis Evangeliſtarum. In præfata Civitate diximus prodigioſum illud miraculum muli famelici factum a ſancto Antonio ad probandam veram Chriſti Corporis exiſtentiam in Euchariſtia, in cœmeterio ſancti Petri de Guillard, in cujus rei memoriam excitatum eſt præter Eccleſiam ſancti Petri, quam memoravimus, ſacellum in ipſius ſancti Antonii venerationem.

Gonz. in Prov. Turon. Con. 11. Otto. l. 6. c. 3.

Conven. Bituricen.

Anno 1225. n. 15.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

,, In civitate Sueſſionenſi ad Axonam flumen hoc anno extra muros
,, aliud ædificatum Fratribus domicilium; quod tamen anno MCCCCXIV.
,, ſæviente bello dirutum eſt, aſſignata Fratribus domo cujuſdam An-
,, ſelmi Bojonet, patriæ proditoris & hoſtis, Burgundorum Ducis fau-
,, toris. Hic commorati ſunt per quadriennium, donec reclamantibus
,, Anſelmi hæredibus, coacti ſunt abire. Joannes de Brumis regii Ordi-
,, nis miles, deſolatorum miſertus, hoſpitium dedit in vico Caniſtrariæ;
,, ubi in Cœnobioli formam, reductis ædibus, vixerunt uſque ad an-
,, num MCCCCXXX. Sed cum intra limites diſtrictus Capituli Cathedra-
,, lis Eccleſiæ domus iſta contineretur; & Fratribus ſe opponerent Ca-
,, nonici, oportuit recedere. Tertiam dedit domum in Parochia Dominæ
,, noſtræ in vineis prope forum Joannes Eniletus Urbis Antiſtes, adjutus
,, liberalitate nobilis viri Ferrici de Cuiſe, qui adjacentes ædes ſuas
,, Fratribus donavit. Hic celeriter Conventum ædificarunt Fratres,
,, quem hæretici, inundante Galliam ſæva Hugnoſtica tempeſtate, dirue-
,, runt. Regio edicto frænata aliquantulum hæreticorum ſævitia, revo-
,, cati ſunt Fratres ex vicinis Cœnobiis, & domum reſtaurarunt opera
,, Caroli Rouſſi Epiſcopi, Catharinæ Borboniæ Principis, & Archicœ-
,, nobii Dominæ noſtræ Sueſſionenſis primiceriæ, piæ domicillæ Marga-
,, ritæ de Cervio, vulgo de *Incourt*, Joannis de Goſſet celebris Juriſ-
,, conſulti, Urbis præpoſiti in foro judiciali, Regiæ Majeſtatis Locum-
,, tenentis, ejuſque conjugis Annæ de Ranis. Eccleſia demum conſe-
,, crata eſt ſub titulo ſancti Bonaventuræ. In eodem Regno, & Provin-
,, cia Aquitaniæ, in Civitate Lemovicenſi circa hunc annum, domum
,, alteram obtinuit ſanctus Antonius Patavinus, cum illic ſacris concioni-
,, bus, & piis exhortationibus optima quæque ſuaderet; & ſimul cum
,, octo ſociis Cives ab bonam frugem revocaret.

Con. Lemovicen.

Idem in Prov. Aquit.; recent. Con. 37.

LXXXIX. Tunc item initium accepit Conventus Lovanienſis religioſiſſimorum & doctiſſimorum hominum ferax, qui a Patribus Conventualibus tranſiit ad Collectaneos anno MCCCCXCIX. die XXIX. Aprilis; ab his vero ad Obſervantes anno MDVI. pridie exaltationis ſanctæ Crucis. Conſecrata eſt Eccleſia anno MDXXXVI. die XVI. Julii quo etiam ordinatum eſt, ut deinceps Templi celebraretur dedicatio. Ædem hanc plurimum laudat a pietate, a doctrina, a regulari diſciplina & monaſticis quibuſdam virtutibus Illuſtriſſimus Dominus Gonzaga, refertque Franciſcum ab Angelis ſuum olim prædeceſſorem, mox ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem dixiſſe, *ipſos lapides Conventus Lovanienſis ſanctos eſſe, & ſan-*

Conven. Lovanien.

Gonz. in Prov. Germ. infer. Con. 5.

Digitized by Google

& ſanctitatem ex ſe diffundere. Perpetuum fuit ſeminarium clariſſimorum hominum, quorum longum texit catalogum præcitatus Auctor Illorum ſanctitas & eruditio, multis iiſque doctis ſcriptis operibus ad venerandi loci reverentiam lectorem facile excitabit.

XC. Coævi ſunt ejuſdem Provinciæ Conventus Bruxellenſis, & Diſtemienſis, & Buſcoducenſis, hoc eodem anno fundati; primus reformatus eſt per vicinos patres Bootendalenſes, multum in hac parte laborante venerabili patre Theodorico de Monaſterio. Pulſi ſunt per hæreticos ex hoc Conventu Fratres anno MDLXXIX. Dominica prima Adventus; reſtituti poſtmodum opera Sereniſſimi Parmenſium Principis Alexandri Farneſii totius Belgii pro Philippo II. Hiſpaniarum Rege Gubernatore. Ad cornu dextrum ſummi altaris, juxta ſepulcra illuſtriſſimorum Ducum Brabantiæ, ſepultus eſt R. P. Frater Alphonſus de Caſtro Zamorenſis, concionator Caroli V. Romanorum Imperatoris, qui eximiæ eruditionis ſuæ præclariſſima reliquit monumenta: præſertim inſigne opus contra omnes hæreſes. Item de lege pœnali, & de juſta hæreticorum punitione. Ibidem ſepultus eſt R. Pr. Alphonſus a Contreras, qui fuit a confeſſionibus Illuſtriſſimo Duci Albano pro Catholico Rege Philippo Belgii Gubernatori Generali, Ferdinando Alvarez a Toleto. Secundus Diſtemii, quod Brabantiæ oppidum eſt, originem accepit a generoſo viro Arnoldo ejuſdem oppidi Domino. Evertitur ab immaniſſimis hæreticis anno MDLXXX. reaſſumitur opera prædicti Principis Parmenſis. Tertius Buſcoducenſis ita dictus a Buſcoduco nobili Belgarum urbe, in qua ſitus eſt; fundatur & reformatur ipſis annis quibus Lovanienſis. Anno vero MDLXVI. hæreticorum rabie prophanatur, evertuntur altaria, ſacræ imagines comburuntur, omnes Fratres expelluntur. Poſtmodum opera Illuſtriſſimi Ducis Albani, de quo ſupra, piorumque Civium ſedulitate, quorum ibi magnus eſt numerus, omnia reſtituuntur, atque vi armorum hæretici ejiciuntur,

Idem Con. 2. 3. & 5.

Conven. Bruxellen.

Conven. Diſtemien.

Conven. Buſcoducen.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Con. Silvæ Ducis.

„ XCI. Circa fundationis, & reformationis tempus diſcrepant valde monumenta MSS. Provinciæ Germaniæ inferioris ab iſta Gonzagæ narratione. Redacta, inquiunt, ſilva Orthunenſi in oppidum per Godefridum III. Lotharingiæ Ducem, longe poſt Patroni, & Domini Duces donaverunt Franciſcanis, apud eos bona fama favorem adeptis, caſtrum, aream, & ſacellum paræciæ Orthunenſis, quæ erant in ſilvæ umbilico. Adventus vero Fratrum refertur in annum MCCLVIII. Verum, cum ab initio in oppido nulla eſſent Templa, & ſubeſſent incolæ paræciæ Orthunenſis in illis partibus Eccleſiæ antiquiſſimæ, Sacello ſupradicto Fratres primum Templum adſtruxerunt ad annum MDLIX. Joannes Brabantiæ Dux anno MCCCXXVII. Eccleſiam ultra flumen, quod Cœnobium alluit, produci poſſe conceſſit. Porro Conventuales ab antiquo illic habitantes per reformationem ceſſerunt Fratribus Obſervantiæ anno MDXVII. Viſitur in choro elegans effigies, poſita Senatorum ſumptu, repræſentans Patrem Hermannum a Lochen Guardianum hujus loci, ut & alibi, & Provinciæ Miniſtrum, qui pro bono Civitatis aliquoties honeſta legatione ad Gubernatorem patriæ Ducem Parmenſem, laudabiliter functus fuit. Magnos ille Civibus addebat animos, concionibus ſuis ad urbem in Catholica Religione tuendam contra perduelles hæreticos, ut etiam hactenus tuta, & obſervata fuit. Obiit in Guardianatu publico luctu Civitatis anno MDXCVI. die XXI. Februarii.

Fr. Hermannus a Lochen.

Digitized by Google

Con. Bruxellen. „ XCII. Similiter diſſident eadem monumenta circa annum fundationis Conventus Bruxellenſis, quem bonorum Civium eleemoſynis „ fundatum aſſerunt circa annum quintum ab exceſſu ſancti Franciſci, & „ Chriſti MCCXXXI. Reformatum vero eo anno, quo hic Buſcoducenſis; „ & deſtructum a Geuziis anno ſupra indicato; occiſumque tunc fratrem „ Joannem Gray laicum. Joannes I. Dux Lotharingiæ, & Brabantiæ in „ Anglia mortuus, huc translatus, in choro Fratrum marmorea ſupra humum tumba ante ſummum altare ſepultus eſt; addito hoc Epitaphio:

Fr. Joan. Grayns.

„ *Anno Domini* MCCXXIV. *obiit virtutum amator, juſtitiæ procurator, ac defenſor, flos mundi, ſpeculum juſtitiæ; ac totius probitatis ſpectaculum, illuſtriſ. Princeps Primus Joannes Dux Lotharingiæ, ac Brabantiæ, ſepultus ante ſummum Altare in tumba lapidea.*

„ Ejus nullum nunc apparet veſtigium, cum a Geuziis illa cum Templi „ choro funditus fuerit everſa.

„ *Non ſacri cineres urnæ, non oſſa ſepulcris*
„ *Tuta ſuis, mutiſque furor non abſtinet umbris.*

Idem in Provincia S. And. Con. 3.

Conven. Mont. Hannoniæ.

XCIII. Circa hunc annum in urbe Montium, Hannoniæ metropolitana, a montoſo ſitu ita appellata, conſtructum celebre Monaſterium liberalitate pia generoſæ Joannæ filiæ illuſtriſſimi & potentiſſimi Balduini Comitis Flandriæ & Hannoniæ, poſtea Imperatoris Conſtantinopolitani, qui ob fortia & heroica facta, quæ pace belloque geſſit *Animoſi* cognomen promeruit. Porro Margareta ſoror uterina Joannæ ampliſſimis ſumptibus Templum in hoc Cœnobio conſtrui & conſecrari fecit, non circa annum MCCCXXIII. ut habet Gonzaga, dum tranſpoſitos in calcographia putem numeros & revocandos ad MCCXXXIII.; nam Margareta obiit anno MCCLXXIX. ætatis LXXVI. & regnare cœpit anno MCCXLIV. extincta ſorore Joanna, qua adhuc ſuperſtite, judicaverim ex pietate in Franciſcanos Templum addidiſſe Margaretam ſuæ ſororis ſtructuræ, conſecratumque eodem anno in menſe Aprili die feſto ſancti Marci, cujus diei ſpecialis in eo Conventu adhibita eſt obſervatio. Titulus conſecrationis vel patroni Eccleſiæ beatiſſimus pater noſter Franciſcus, ac beata Margareta ſunt. Locus omnis eſt peramænus, non procul a Trulla fluvio ſitus, vivaria & paſcua habens Fratrum uſibus aptiſſima & utiliſſima: & quamvis in urbe populoſa, attamen quietiſſimos receſſus habet, pro his qui ſolitudine delectantur, pietatis aut ſtudiorum cauſa. Ceterum ſtructura magnifica: ſed quod maxime Conventum hunc commendat, eſt Fratrum hic morantium frequentia, religio, & ſpectata vita atque doctrina. Prodierunt ex hoc Conventu viri omnium ore laudatiſſimi ob ſingularem cum pietatem, tum eruditionem; inter quos præ ceteris claruit etiam recenti memoria R. Pr. frater Sebaſtianus Willemart ſacræ Theologiæ licentiatus, primuſque Provinciæ ſancti Andreæ noviter erectæ Miniſter Provincialis. Prodierunt & plerique alii, quos longum eſſet enumerare. Litteras pontificias & Brevia Apoſtolica variorum privilegiorum habet plurima, ſed quæ univerſo Ordini ſunt communia, quorum pleraque extant excuſſa in Firmamento trium Ordinum beati Franciſci. Multa eſt & locuples ibi ſacra ſupellex, quæ Virorum principum & populi affectum in illam ædem demonſtrat. Illuſtriſſimus D. Antonius a Burgundia Comes de la Roche & de Guiſnes &c. variis ædificiis, donis & muneribus Conventum iſtum exornavit. Conſpicitur & in choro Fratrum ante ſummum

altare

altare ſepulcrum marmoreum magnis ſumptibus elaboratum generoſiſſimi quondam Philippi de Croii Comitis de Chimai, & nobiliſſimæ heroine Walburgis de Meurs ſuæ conjugis. Civitas hæc ſemper ſingulari Dei beneficio, & opera ſedula atque indefeſſa Catholicorum ac diſertiſſimorum concionatorum, præſertim Fratrum Ordinis ſeraphici patris Franciſci, atque magiſtratuum diligentia ſemper in fide Catholica Romana & Regiæ ac Catholicæ Majeſtatis obedientia perſeveravit, neque ab illis vel minime defecit.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Mon. S. Mariæ de Car. Fulgin. Jacobilli de Epiſ. Fulg.

Privilegia pontificia.

„ XCIV. Hoc anno emit Gregorius Pontifex pro Virginibus Mo„ naſterii ſanctæ Mariæ de Caritate urbis Fulginaten. hoſpitale & anne„ xam Eccleſiam ſancti Claudii, ad quam prius habitabant Monachi „ Congregationis Avellanæ, & poſtea Cruciferi; ejuſque pacificam „ poſſeſſionem acceperunt ab Ægidio Epiſcopo Fulginate: donationem „ ſive conceſsionem ſuis litteris confirmavit anno MCCLV. Alexander IV. „ uti tunc dicemus. „ Hoc etiam anno conceſsit Pontifex Minoribus, quod & ejus prædeceſſor Honorius, ut poſſent in ſuis locis habere Oratoria cum viatico altari. Diploma incipit *Nos attendentes*; Datum Aſsiſii nonis Junii. Novam item Eccleſiam, quæ Aſsiſii inchoabatur in ſancti Franciſci laudem Eccleſiæ Romanæ Pontificibus immediate ſubjecit, & privilegiis munivit, quæ poſtea auxit, & amplius declaravit Pontificatus anno IV. Hæ litteræ datæ ſunt Reate XI. Kalendas Novembtis incipiunt: *Recolentes*.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

S. P. Franc. canonizat. recenſetur.

Wadd. hoc ann. num. 1. & ſeq. Indic. ex Oderi. fol. 390. & fol. 383.

Pontifex ſcribit ad Archiepiſcopum & Fridericum.

„ I. HUnc annum S. P. N. Franciſci in Sanctorum numerum relatio „ a ſummo Pontifice Gregorio IX. ter ſolemniter Aſſiſii in „ Umbria facta ſumme illuſtrat, & eam Waddingus, ad quem lectorem „ remitto, exactiſſime refert. Res interea Terræ Sanctæ maxime de„ clinantes in opprobrium crucis Chriſti, ut reſtitueret in priſtinum, „ vel ſaltem ſuſtineret, idem Sunmus Pontifex ad Eccleſiæ Archiepiſco„ pos diligentiſſime ſcripſit *Quanto nobilius &c.* & in Fridericum Impe„ ratorem, pro Terræ ſanctæ expeditione calamum diſtrinxit *Fridericus* „ *Imperator &c.* Kalendis Decembris.

Wadd. ad hunc ann. n. 91.

Portus lętus Oppid.

Vide ad annum 1344. tom. 3.

Admiſit Fr. Minor. incerto tamen tempore.

Wadd. ad annum 1344. tom. 3.

Dionyſius Rex Portugalliæ anno Chriſti 1279.

„ II. Hæc circa tempora in urbe Montis, Hannoniæ Metropolitana, „ Minoritici Conventus fundationem ex Gonzaga Waddingus comme„ morat: at quia id circa difficultates occurrunt, inferius illas diſcutie„ mus, cum interea Portus lætus ſeſe offerat, oppidum his temporibus „ inſigne, poſtea a Paulo III. Epiſcopali dignitate ornatum. Civitas in „ ultimis Tranſtaganis Portugalliæ partibus ſita, vulgoque dicitur *Por*„ *talegro*; hæc ab Ebora meridionaliore XV. & ab Elua orientaliore „ IX. Leucis Hiſpanicis diſtans, Fratres Minores, ædificatis pro eorum „ incolatu ædibus, admiſit: at enarrare tempus certum, quo id factum „ fuerit difficile eſt; Waddingus ex Gonzaga de Conventu ſancti Fran„ ciſci Portus læti loquens, a Dionyſio Rege, qui anno Chriſti „ MCCLXXIX. regnare cœpit, fundatum fuiſſe enarrat, argumento de„ ducto, quod inſignia regia, & ſequens inſcriptio *Dominus Dionyſius* „ *Portugalliæ Rex ædificavit hoc Monaſterium* id confirmare videantur; „ at diebus Dionyſii eam ædem antiquiorem eſſe, alia convincunt cer„ tiora argumenta, quæ etiam illam inſcriptionem interpretationem „ admittere cogunt, cum & ipſa ſtemmata priori opinioni obeſſe digno-

Monum. MSS. Provinc. Algarbior. ann. 1680.

Fit donat. aquæ Fratribus ejus Conventus anno 1266. a Joanne Laurentio.

Bernar. Juſtin. hiſt. gen. Hiſp. fol. 227.

Quo tempore Alphonſus III. regnabat in Luſitan.

Vide tom. 3. ad annum 1246. n. 5. hujus Supplementi.

Joannes I. Rex Portugalliæ cœpit Ceutam.

Bern. Juſtin. hiſt. Hiſp. fol. 213.

Dionyſius non fuit fundator, ſed reparator præfati Conventus.

,, gnoſcantur: & quidem ex monumentis Provinciæ Algarbiorum re-
,, center tranſmiſſis habemus, ſervari in chartophilacio ejuſdem Conven-
,, tus quamdam aquæ donationem a Joanne Laurentio presbytero factam
,, Fratribus menſe Aprili anno MCCLXVI. ut eam a ſuo prædio in Con-
,, ventum, & ad propriam commoditatem & uſum legitime derivare va-
,, lerent: quamobrem ſaltem paulo ante eum annum, ex hoc teſtimonio
,, illud Cœnobium fundatum fuiſſe conſtat, quo ſcilicet tempore non
,, Dionyſius, ſed ejus Pater Alphonſus III. Regni Luſitaniæ modera-
,, batur habenas: verumtamen id recte concluderetur, ſi anni a Nati-
,, vitate Chriſti numerandi eſſent: quod non eſt ita, eo ſiquidem in
,, Regno, non Chriſti, ſed Cæſaris æra in temporis computatione erat
,, in uſu, qui mos uſque ad annum Chriſti MCCCCXV. perſtitit, & tunc
,, a Joanne I. Portugalliæ Rege clariſſimo, Ceuta Civitate Africæ capta
,, die XIV. Auguſti præfati anni, ſublata æra Cæſaris, æra Chriſti pu-
,, blica ſanctione decreta, & conſtabilita fuit: quamobrem ſi ab an-
,, no MCCLXVI. quo legitur donatio facta, ſubtrahatur differentia inter
,, utraſque Cæſaris, & Chriſti æras, quæ eſt annorum XXXVIII. invenietur,
,, eam donationem factam fuiſſe anno a Nativitate Chriſti MCCXXVIII.
,, Sancio II., nuncupato *Capello*, regnante. Quantum autem ad inſignia
,, regia præ foribus Eccleſiæ infixa, notandum eſt, non eſſe circumornata
,, ſeptem caſtris, quæ tantum antiquo ſtemmati Regni Portugalliæ ab
,, Alphonſo III. pro Algarbiis, quorum partem, ducta ſecunda uxore
,, Beatrice, in dotem habuit; alia vero quæ acquiſivit non ante annum
,, MCCLV. adjuncta fuere; etenim hoc tantum anno Matildis ejus pro-
,, xima uxor obiit: ex igitur illis antiquis inſigniis ſi argumentari liceat,
,, jam Dionyſius fundator minime dicetur, cum ſuis temporibus novo
,, ſtemmate Regni uteretur. Ceterum eam inſcriptionem, non ad Cœ-
,, nobii primam fundationem, at ad inſignem reparationem, vel a fun-
,, damentis reſtaurationem a Dionyſio factam referimus.

Lemovices C.E. deſcribitur.

Nov. Top. Ferrerii.

S. Antonius Patavinus ibi præd.

Harold. ad hunc annum n. 7.

,, III. Lemovici, qui & Lemovices apud Plinium, vulgo *Limoges*,
,, Civitas Epiſcopalis antiqua Galliæ Celticæ, ſive Aquitaniæ ad Vige-
,, nam fluvium, cujus pars colli impoſita eſt, oblonga, & anguſta,
,, plena populo, & mercimonio pollens, Lemovicenſis regionis caput,
,, Pictonibus, Biturgibus, & Petragoriis finitima, media inter Aure-
,, liam, & Toloſam, a qua in Septentriones ad L. M. P. Galliæ recedit,
,, a Biturgibus Metropoli in Libonotum ad XL. a Lutetia LXXXVI., hoc
,, anno, vel circiter Antonium Patavinum devote excepit, attente, &
,, cum fructu concionantem audivit, eidemque, & ſociis ſuis octo pia
,, liberalitate Cœnobium excitavit.

Bona virgo Piſis floret, ibique requieſcit.

Hyacint. a Bajard. in Theat. MSS. ex Brau. in ſuo mar. poetico.

,, IV. Interim virgo, nomine Bona, & melior opere, Jeſu Dei
,, filio deſponſata, Piſis hoc anno florebat, omni ſanctitate refulgens,
,, ejuſque virgineum corpus VIII. Kalendas Maii (ut habet Hyacintus a
,, Bajardo ex illuſtriſſimo Brautio) ibidem Piſis in Tuſcia requiem adin-
,, venit; majorem hujus Virginis notitiam habere minime potui. Anno
,, autem ſequenti nihil mihi occurrit apponendum.

AR-

ARGUMENTUM.

Commendatur a Pontifice omnibus Eccleſiaſticis cultus ſancti Franciſci, in cujus extruenda Eccleſia, dum Elias plurimam adhibet curam per media non adeo Regulæ conſona, carpitur a ſancti Franciſci ſociis. Eliſabetha Lantgravia abit Marpurgum, ubi mira humilitate, in pauperes beneficentia, & ſanctitate claret. Latis legibus in hæreticos Lombardiæ conſtituuntur cum aliis Minores Inquiſitores in Civitate Mediolanenſi. Miſſi alii contra Fridericum Hieroſolymam. Domicilia plura extruuntur, & privilegia conceduntur Fratribus de pœnitentia.

I. PRæmonuimus ſuperiori anno, datas a Pontifice ad Eccleſiarum Prælatos peculiares litteras pro venerando Chriſti confeſſore Franciſco, eaſque in hunc locum differendas. Integras dabimus Lectori, ex quibus percipiat Pontificis affectum, & ſancti Viri dignum encomium. *Ann. 1228. n. 77.*

GREGORIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei,

Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Archipresbyteris, Archidiaconis, Decanis, & aliis Eccleſiarum Prælatis ad quos litteræ iſtæ pervenerint, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

SIcut phialæ aureæ, quas vidit Joannes plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum in conſpectu Altiſſimi ad abolendum noſtrorum criminum corruptelam, odorem ſuavitatis emittunt, ita ſaluti noſtræ credimus plurimum expedire, ſi eorum in terris celebrem habeamus memoriam, ipſorum merita ſolemnibus recolendo præconiis, quorum in cælis ſperamus interceſſionibus aſſiduis adjuvari. Sane cum de converſatione, vita & meritis beati Franciſci Inſtitutoris & Rectoris Ordinis Fratrum Minorum, qui juxta conſilium Salvatoris, contemptis tranſitoriis, ſecundum promiſſionem ejuſdem ad cæleſtia præmia feliciter, & æterna pervenit; cujus vita & fama præclara, peccatorum depulſa caligine, ambulantes in regione umbræ mortis, de vitiorum tenebris ad pœnitentiæ vitam vocans, quorum tam virorum, quam mulierum ad fidem Eccleſiæ roborandam, & confutandam hæreticam pravitatem vivit adhuc & viget non modica multitudo, tam per vos, quam per multos alios fide dignos, qui miracula, quæ Deus per illius ſancti Viri merita operatur, plenius cognoverunt, certiores effecti, auditis etiam ejus virtutibus, & miraculorum inſigniis, & quod inter carnales ſpiritualiter, & inter homines etiam angelicam converſationem habuiſſet; qui corporaliter diſſolutus, cum Chriſto eſſe meruit in cæleſtibus, ne ipſius honori debito & gloriæ detrahere quodammodo videremur, ſi glorificatum a Domino permitteremus ulterius humana devotione privari; de Fratrum noſtrorum conſilio, & Prælatorum omnium, qui tunc temporis apud Sedem Apoſtolicam conſiſtebant Sanctorum catalogo duximus aſcribendum. Cum igitur ſicut lucerna ſic arſerit hactenus in hoc mundo, quod per Dei gratiam jam non ſub modio, ſed ſuper candelabrum meruerit collocari, univerſitatem veſtram rogamus, monemus & attentius hortamur per Apoſtolica ſcripta

Marginal notes: *Apoc. 5. 8.* — Recolendæ ſanctorum memoriæ. — *Matth. 19. 29.* — Franciſci encomium. — Inter homines Angelus. — *Matth. 5. 16.* — Commendatur ejus cultus.

Digitized by Google

pta mandantes, quatenus devotionem fidelium ad venerationem ipſius ſalubriter excitantes, feſtivitatem ejus IV. *nonas Octobris annis ſingulis ſolemniter celebretis, & pronuncietis: conſtituto die ſimiliter celebrandam, ut ejus precibus Dominus exoratus ſuam nobis tribuat gratiam in præſenti, & gloriam in futuro. Datum Peruſii* IX. *Kalendas Martii Pontificatus noſtri anno* II.

Elias quædam agit diſſona Regulæ.

II. Elias inceptam Eccleſiæ fabricam ſtudioſe quantocius ad exitum deducere conatus, non ceſſavit pecunias a Provinciis exigere, aliaſque adhibere ſollicitudines, quæ a regulari diſciplina ſtatus Minoritici diſcordabant. Illud turpius videbatur ſtrictæ paupertatis zelatoribus, quod concham marmoream ad modum gazophylacii præ foribus expoſuerit, in quam tranſeuntes eleemoſynas ad fabricæ ſubſidium pro more projicerent. Tulerunt indigne quidam publicam hanc Regulæ tranſgreſſionem, admonitoſque ſancti Patris ſocios, quid agendum conſuluerunt? Frater Leo Peruſium contendit, conſilium Fratris Ægidii adhibiturus, tam ſuper immenſitatem ſtructuræ, quam ſuper collectas pecuniarias. Reſponſum accepit circa ædificium, ſe neſcire, ut quid tantæ molis pauperibus tenuis, vel nullius ſupellectilis extruebatur; id dumtaxat ſe ſcire, quod ſi ab Aſſiſio Peruſium uſque per multa interjacentia milliaria protenderetur, minimum ſibi angulum, ſive anguſtulum latibulum ad habitandum in hujus mundi incolatu ſufficere; collectas item illas pecuniæ nimium contraire Inſtitutoris voluntati, quod bonis, inquit, miniſtris planum erit & apertum, qui quid faciant, facile perſpicient. Ultra interrogantem de concha marmorea, an tolli frangique deberet? lacrymoſis aſpiciens oculis, dixit; Frater Leo, ſi mortuus es, vade & frange illam; ſin autem vivis, dimitte illam; non enim poteris validam fratris Eliæ perſecutionem ſuſtinere. Re ſecum perpenſa, veluti de puſillanimitate ſe reprehendens, rediit audenter Aſſiſium cum ſociis & gazophylacium omnino contritum evertit. Indignabunde ſatis hæc audivit Elias, duriuſque ultra menſuram in pios Viros animadvertit, omnes Aſſiſio deturbans. Seceſſit Frater Leo ad eremitorium Fabriani in patientia & longanimitate tempus redempturus, quoniam dies mali erant, ab alto expectans malorum remedium.

Socii S. Franciſci de his ineunt conſilium.

Hiſt. Lantg. cap. 42.
Annal. Lantgr. ad hunc annum.
Manta. cap. 20.
S. Eliſabetha it Marpurgum.

III. Hoc anno, ut habet hiſtoria Lantgraviorum, reliquit curiam Wartbergenſem ſancta Eliſabetha, & ſecuta eſt magiſtrum Conradum, ad nativum Haſſiæ oppidum, quod Marpurgum vocant, proficiſcentem: ubi cum & æmulorum adhuc recens vigeret invidia, & domicilium illi novum exædificandum eſſet, rus pauliſper ſeceſſit; atrium quoddam collapſi præ vetuſtate ædificii, ne cuiquam ruſticorum oneri eſſet, ingreſſa, ibidem aliquot dies exegit, coacta ad reſtantis infumibuli parietes, frondibus in umbraculi ſpeciem ſubrectis diſpoſitiſque, veluti quoddam tugurium parare. Ubi manenti fumus, æſtus, venti & imbres non mediocrem moleſtiam afferebant; quam illa placide ſuſtinens, Deo nihilo ſegnius gratias agebat. Exædificato interea temporis intra urbem, expedito magis, quam ſumptuoſo domicilio; reverſa ibidem, famulari Deo in omni ſanctitate cœpit, crebroque inviſere conſtructum a ſe Xenodochium, quod ſancti Franciſci nomini dedicavit, ita jubente ut refert MS. Lovanienſe, Gregorio IX. Pontifice, qui beatum Franciſcum jam inter Sanctos relatum, & velut filiæ cariſſimæ patronum deſignavit, & protectorem: & ut ſtrictius confæderaret amicitiam, cultum & ſtudium;

Cod. MS. Lovanien.
Ejus patronus S. Franciſcus.

dium; Pontifex, jam facta tranſlatione corporis beati Franciſci, miſit ei nonnihil de ſanguine, qui de latere ejus profluxerat, cum ſacris ſtigmatibus inſigniretur.

IV. Quamquam autem Eliſabetha in commune pauperibus, prout facultas ſuppetebat, eleemoſynas largiebatur, delectum tamen eorum, quos Xenodochii domicilio donaret, perquam diligentem agebat; iis potiſſimum aſſumptis, qui vel chriſtianæ Religionis ſtudio ceteris excellerent, vel magis valetudinarii eſſent; e quibus deſpicatiſſimos quoſque menſæ propriæ crebro adhibentem, cum magiſter ruſticitatis argueret, illa reſpondit: orare plurimum, id æquo ferret animo, ſe quidem reminiſci deliciarum, quas fuiſſet aliquamdiu ſectata: decere jam ſtrictiorem præferre vitam. Scire, contrariis ſolere curari contraria: & ſplendorem veterum conviviorum præſenti pauperum ſquallore emendari, ſuſtollique; ſibi talium convivarum præſentia, & faſtidium nullum generari & gratiam Numinis augeri.

Abjectiſſimorum curam agit pauperum.

V. Cernens igitur prudens magiſter, toto illam niſu per pietatis opera ad celſitudinem ſanctæ perfectionis contendere, curandum magnopere putavit, ne quid huic intentioni, vel abeſſet utile, vel adeſſet inutile. Proinde expendens quanto ſit impedimento ſpirituali vitæ privata erga familiares, & amicos affectio, duas illi comites, Iſintrudem, & Gutam, quarum præter ceteras ſingulari tenebatur amore, quam primum ademit. Teſtes ſunt lacrymæ utrimque profuſæ, quid & caritatis habuerint junctæ, & doloris ſenſerint ſeparatæ. Exercebatur hoc tam lugubri divortio virtus obedientiæ, quæ illi ad ſublimitatem divinæ contemplationis acquirendam, gradum eſſet factura certiſſimum. Ergo geminæ familiaritatis deſtituta ſolatio, & quidem gratiſſimo, velut aggeris objectu præpeditum undique flumen altius excreſcit, diſcitque ſuperne depoſcere, quidquid minus infra conſequi permittebatur, itaut & filiam natu majorem a ſe ableget, ne quidquam habeat ſecum quod a Deo mentem avellat. Convictus illi poſthac cum ancillis fuit in multa humilitate & paupertate: cibus olera, & legumina, ſæpenumero ob egeſtatem aqua dumtaxat, ſine alio gulæ irritamento percocta; ac interdum cum ipſa coquinariam exerceret, per negligentiam ſemiuſtulata: ob quod ab ancillis etiam caſtigari verbis auſteriuſculis minime gravabatur. Nacta vero lautius aliquod edulium, defraudato proprio genio, id pauperibus apud ſe domi detentis erogabat.

Carat magiſter ei aufert ancillas.

Monta. cap. 21.
Theodor. lib. 6. c. 4.

Ipſa filiam ablegat.

VI. Tamdem ad celſioris vitæ genus aſpirans, valde æmulata in Fratribus Minoribus rerum omnium nobilem contemptum, illorum ſtatum & habitum ut potuit, ait Bonaventura, ſuſcepit, tertium profeſſa ſancti Franciſci Inſtitutum. Inepte de hoc aliqui dubitarunt, ſed plenam eis faciet fidem, Bulla canonizationis, Bonfinius, & Bonaventuræ teſtimonium, qui ab ipſius Eliſabethæ confeſſario ita ſe audiviſſe recenſet. A quo griſeam & religioſam veſtem acceperit non omnium una ſententia; Plures a Conrado datam volunt, ſed dubium explicat Auctor Anonymus coævus, qui ſe vidiſſe, vel ab aliis certa fide accepiſſe, quæ de ſancta fœmina ſcripſit, teſtatur. Hæc ejus verba: *Ipſa beata poſt mortem Viri ſui mundo penitus abrenuncians, in domo Fratrum Minorum humiliter ſe tonderi fecit, nudatis pedibus, pro cingulo chordula ſe præcinxit. Mox etiam habitaculum juxta Fratrum Eccleſiam fieri poſtulavit, in quo Fratrum Minorum ſalubri conſilio regebatur, quorum diſciplinæ & doctrinæ penitus ſubjacebat; cum quibus uſque in finem in domo Dei ambulavit cum*

Bonav. ſerm. de S. Eliſabetha.

Tertium ſuſcepit Inſtitutum S. Franciſci.

Bonfin. decad. 2. l. 7.
Bonav. cit.
Cod. MS. Lovanienſ.

conſenſu. Dicebatur tunc quod hæc facta eſſent juxta quoddam caſtrum, quod Warberch dicitur in Cœnobio ſanctæ Catharinæ, Ordinis Ciſtercienſium Dominarum. Teſtabantur etiam tunc quidam, quod frater Bouchardus Ordinis Fratrum Minorum Cuſtos Haſſiæ, præſente fratre Henrico dicto Placido ejuſdem Ordinis, ipſam beatam Eliſabetham, tamquam filiam ſuam cariſſimam & amicam ſpiritualem feliciter totondit, & eam induit poſt obitum viri ſui, magiſtro Conrado miſſam celebrante eadem hora. Probabilius propterea ab Auctoribus ſcriptum puto, quod Conradus dicatur veſtem dediſſe Eliſabethæ, quia magiſter, & coram ſacrificium peragebat, ſub quo aliquando religioſi habitus obducuntur, præſertim ſpectatæ notæ perſonis.

Cujus qualitatis ejus habitus.

VII. Addit etiam hic Auctor, ſimul indutas tres, vel quatuor ancillas eodem veſtis genere, cujus pretium, & colorem clarius explicuit: *Religioſorum*, inquit, *habitum cum tribus, vel quatuor ancillis induit; veſtes ſcilicet griſeas, humiles & abjectas, continentiam perfectam, & voluntariam paupertatem amplectens. Fuit autem ejus habitus tam deſpectus, ut deferret mantellum griſeum, panno alterius coloris prolungatum: manicas tunicæ etiam alterius coloris panno habuit emendatas.* Paulo poſt hæc ſubjecit: *Super his requiſitus fidelis ejus amicus frater Gerardus, dictus Ultramontanus, de Ordine Fratrum Minorum, B. Eliſabethæ contemporaneus, ſecunda & ultima requiſitione de geſtis ejuſdem Dei famulæ, per magnas perſonas diligentiſſime facta, tunc interrogatus, tamquam ille qui ad locum illum humilis Eliſabetha porrexerat; & illud hoſpitale pauperum, quod in nomine beati Franciſci fecerat ædificari, tunc viſitaverat; in multorum magnorumque præſentia, in nullo varians, pluries reſpondit; quod ipſa tam profundæ humilitatis extitit, quod mox poſt mortem Viri in vili tunica & repetiata, maxime in manicis, ſuccincta chordula ſatis rudi, mantello multipliciter repetiato, & panno alterius coloris prolongato cooperta, velut altera Sororum recluſarum Abbatiſſa Clara communiter incedebat.*

VIII. Pergit adhuc confirmare, quod de habitus ſchemate ſcriptum eſt, & addit. *Cum Sereniſſimus Rex Hungariæ Dominus Stephanus apud quamdam Civitatem, nomine Strigonium, pro quibuſdam arduis negotiis deſcendiſſet, ibidem aliquantulum moram trahens, quorumdam Religioſorum clauſtrum humiliter viſitavit, & cum in Capitulo cum Fratribus loci aliquantulum reſediſſet, vidiſſetque in eodem loco cum diverſis imaginibus Sanctorum beatæ Eliſabethæ imaginem depictam cum calceamentis ſine chorda: præcepit loci Prælato, ut ipſam imaginem beatæ Eliſabethæ ſic calceatam, & ſine chorda depictam, ſine mora deleri faceret, & eam depingi cum chorda, & habitu Fratrum Minorum: quam chordam, inquit, portavit dum viveret, in quo habitu ſanctitatis titulum meruit adipiſci.*

Bonſin.cit.
Non fuit recluſa ſanctimonialis.

IX. Probant hæc, ſancti Franciſci ſectatricem non tamen ſanctimonialem fuiſſe, ut Bonſinius inſinuat, dicens; eam in ſanctimonialium Cœnobio, non modo nendo lanam, & texendo vitam humilem traxiſſe, verum etiam fœdiſſima quæque miniſteria, in humilitatis obſervantiam exercuiſſe. Vitæ Scriptores non tradunt in Cœnobio, aut Clauſtro vixiſſe. Vocata a matertera Abbatiſſa in Kitzingen parum apud eam hæſit, in Marpurgh ſemper curam egit Xenodochii pauperum a ſe extructi, in quo ad finem uſque vitæ pauperes recepiſſe, & omnia neceſſaria ſuffeciſſe, ſcribit Jodocus Clichtoveus. Ibi humiliter inſervivit in omnibus pietatis, & humilitatis operibus cum quatuor ancillis ejuſdem Inſtituti

Clichtov.ſerm. de S. Eliſab.

Franci-

Franciſcani. Quid ſi collegium illud puellarum ſanctimonialium vocaverit Bonfinius? Craſſior ille error Blondi dicentis, etſi Lantgravio deſponſatam, tamen virginem obiiſſe, a quo eumdem errorem hauſit Æneas Silvius in abbreviationibus Decadum Blondi, cum tamen ceteri hiſtorici conſpirent, quod tres ex ea ſuſceperit liberos Princeps Lantgravius, quorum nomina, & nativitatis tempus diſerte refert, præ ceteris, hiſtoria Lantgraviorum c.37. *Anno, inquit, Domini* MCCXXIII. *Eliſabetha uxor Ludovici Lantgravii peperit primogenitum filium ſuum in Caſtro Crucemberg, cui nomen fuit impoſitum Hermannus*; & c. 39. *Anno Domini* MCCXXIV. *uxor Ludovici Lantgravii peperit filiam in Caſtro Wartberg nomine Sophiam, quæ poſtea duxit Ducem Brabantiæ. Anno ſequenti uxor Lantgravii peperit filiam, quam rurſum nominat Sophiam, nomine matris Ludovici Lantgravii, quæ in Franconia in Monaſterio in Kitzingen Religionis habitum induens, ibi quieſcit*. Atque ipſa ſane ſancta Mulier, licet fuerit tamquam lignum fructiferum ſecus decurſus aquarum plantatum, ut fructus virtutis & honeſtatis Deo offerret, tamen, ut ſuperius diximus, interdum querebatur indigniorem ſeſe fuiſſe, quam ut ſuam Chriſto virginitatem dedicaret. Cujus rei gratia D. Joannem Evangeliſtam ſibi patronum delegit.

Non obiit virgo, ſed mater.

Blond. l.7. dec.2. Silvius lib. 17. Abbreviation.

Hiſtor. Lantgr. Juſtus Lipſ. de diva vir. Hallen. c.2.

Pſalm. 1. 3.

Anno 1221. n.46.

X. Ut vero ad reliqua virtutis ejus officia redeamus; lanificio filando, quia lino neſciebat, operam dabat: inde victum quæſtuaria procurabat, cunctis Regum deliciis longe gratiorem; cui operi adeo diligenter incumbebat, ut etiam infirma, lectoque decumbens, adhibita colo neret: qua per ancillarum aliquam e manibus rapta, quo infirmiori corpuſculo parceret, ne penitus otiaretur, operi futuro proſpiciens, lanam vel carptim pectebat, vel floccis hinc inde collectis, ſcobem ſordidiuſculam evellebat, ejectabatque, remiſſo interdum iis, quorum operi vacabat, pretio, quod vel necdum meruerat, vel mereri quamprimum poſſe diffidebat, ne quid plus juſto poſſideret. Hac in paupertate degentem, miſſus ex Hungaria Comes quidam non ſine vehementi ſtupore invenit, tentavitque reducere ad opes natalis ſoli, affirmans eo ſe nomine illinc miſſum a patre; illum, audito, quam infeliciter filia, mariti viduata ſolatio, ageret, nequiviſſe diutius legationem differre. Flagitare proinde, paterna vota in pectus admittat, ſeque honorifice unde ſit oriunda, reduci permittat. Non decere filiam Regis lanificio deditam, amictu ſqualidam, facie deformem intra argilloſos fumoſarum ædium parietes inveniri: aliam eſſe conditionem nobilium, aliam popularium: ſingula pro ſui dignitate locis ſuis conſtitui, decorum eſſe, ac minime a virtute abhorrere. Cum his verbis nihil omnino moveretur Eliſabetha, diceretque ſe ita ut erat permanſuram, ac Deo famulaturam, Comes, infecto negotio, in Hungariam eſt reverſus.

Pauperrimam vitam agit.

Revocatur a patre in Hungariam.

Sed ire non vult.

XI. Ceterum magna illi comitas, ac multa benevolentia erat domi cum ancillis agenti, in tantum ut parem ſe ipſis, licet ignobilibus & egenis, faceret, ac reputari vellet, depoſitaque dominæ appellatione, nollet niſi proprio nomine, ad inſtar popularis fœminæ, vocari: denique coquinariam cum iis factitaret, ciboſque una ex paropſide ſumeret, juſſis pariter accumbere. Quam dignationem uni earum plurimum admiranti, dicentique: Tu quidem, o Dei famula, tuum in nobis meritum accumulando, periculum noſtrum haudquaquam animadvertis, quibus, quod tanta tui dignatione donamur, obrepere tumore aliquo peſtis ſuperbiæ poteſt, reſpondit: Quando gravaris adhibita menſæ noſtræ juncto mihi

Rara erga ancillas comitas.

latere diſcumbere, en gremium meum expanditur, in quo jamjam te, & accumbere, & veſci oportebit. Statimque ut ita fieret, effecit. Hanc morum comitatem mira decorabat ſermonis gratia, quam & in ancillis excolebat. Si quid ea præſente diceretur, quod aut vanitatem redoleret, aut indignationem, iramve repræſentaret, id propere, ac benigne his verbis caſtigabat: ubi modo Dominus, qui ſuam de ſe loquentibus exhibere præſentiam, haud dubie promiſit? *Matth. 18. 20.*

Pietas erga infirmos.

XII. Pauperum ædes cum ancillis inviſenti, quod crebro faciebat, ſemper aliqua comes ibat, varii generis edulia deferens: quibus illa inter egenos manu ſua diſtributis, mox eorum veſtes, lectos, lodices diſpiciebat, & deficientia, ſi facultas eſſet, exemplo præbebat: ſin minus, diſtractis celeriter aureis annulis, ac ſericis panniculis in nummos redactis, candide ſupplebat; nihil eo in officio magis curans, quam ne quid edulii, cujus quiſque deſiderio tenebatur deeſſet: adeo ut piſcem flagitanti obſecutura, invocato Chriſto, cum e puteo piſcibus vacuo hauriret aquam, & piſcem pariter cœperit, quo pauperis deſiderium, eſuriemque ſedavit. Creditur ſimilia ſæpenumero feciſſe: quæ tamen, humilitatis gratia, tegere ſilentio, quam prodere maluit. Orphano cuidam puero, qui paralyſi, & hemorrhoide laborabat, ita ſedula domi detento miniſtravit, ut ſexies illum noctu, & aliquando crebrius ſuis ipſa manibus ad excernendum deferret, ſordeſque fœdato detergeret: quo demum in humanis eſſe deſinente, virginem lepra contaminatam, latenter in demortui locum ſuffecit; cui tanta cum humilitate inſervivit, ut non modo cibum ipſi præberet, lectum excuteret, aquam lavandæ præpararet: verumetiam ad excalceandos pedes, detrahendoſque ſocculos, pavimento tenus ſemet Regina demitteret. Quod ubi magiſter reſcivit, illico leproſam amoveri præcepit.

Temeſvvar. ſer. 2 de B. Eliſab. Marian. c. 2. Chriſtum in leproſo ſuſcepit.

XIII. Neque hæc ei pietas in leproſos nova, aut recens poſt obitum mariti, adhuc vivente familiaris fuit, ſed aliquando ex æmulorum livore perículoſa. Abſente etenim marito, dum pro more, & ſolita miſeratione horridos morbos foveret recrearetque, leproſum aliquando balneo ablutum, in abſentis forte mariti lecto, ut quieſceret, repoſuit. Ille vero, cum præter expectationem ſubito revertiſſet, ubi factum id ab ejus æmulis, omnia in pejus interpretantibus, intellexiſſet; iratus prorupit, enſe nudato confoſſurus miſerum, cujus gratia rejectis ſtragulis, mirum certe, ſibi vidiſſe viſus eſt Chriſtum in lecto Crucifixum; cujus aſpectu attonitus, mitigato animo, culpam deprecatus, cariſſimæ conjugi poteſtatem dedit, quod vellet, deinceps faciendi.

Infirmos mirabiliter ſanat.

XIV. Numquam voluit caritatis hæc munia negligere, nec vilia pauperum obſequia præterire, quantumvis aliquando exſibilaretur ab æmulis, aut alias moneretur a magiſtro; infracta namque ſemper perſtitit in ſanctæ caritatis officiis, in quibus tantam conſecutus eſt a Domino gratiam, ut miſellis, & infirmis infirmitatum quarumcumque præberet remedia. Acceſſit ad Eliſabethæ Xenodochium cœcus quidam languens petiturus, ut in eo curandus admitteretur. Contigit præ foribus adeſſe cum magiſtro Conrado Eliſabetham, quæ libenter admittendum dixit, modo prius ageret de animæ languore curando; & expiandis peccatis per confeſſionis Sacramentum. Infirmi, & cœci ut ſolent eſſe impatientes, cœpit hic execrari, & deteſtari; ſuperſtitioſas has recipiendorum dicere conditiones, & tamdem in blaſphema verba prorumpere. Reprehenſus tamen & ſedatus ſua peccata ſacerdoti ſacro ritu aperuit, & humi-

humiliter errati veniam exoravit. Ut ducebatur poſt refectionem ad curationis locum, inquit Eliſabethæ Conradus: quæ famelico dediſti cibum, etiam & cœco viſum largire. Ex humilitate tremuit ad hæc verba Dei ancilla: & qualis, ait, ſum ego, quæ hæc poſſim præſtare? Inſtitit ille, ut faceret: illa vero, ne hæc ſibi præciperet. Tandem magiſtri acquieſcens præceptis, ſe oraturam dixit Dominum, ut miſelli hujus miſereretur, & exaudiendam ſe fore non dubitare, modo coiſſent preces magiſtri, quas ſuis potentiores eſſe contendebat. Procubuere ambo in genua, ferventer orarunt, & exauditi ſunt pro ſua reverentia, reſtitutis cœco luminibus. Quo viſo miraculo Conradus Eliſabethæ virtutem tribuebat ad modum magni illius Benedicti cum Mauro contendentis non ſuis meritis, ſed Mauri obedientiæ deputandum, Placidum puerum ab aquis ereptum. At e contra Eliſabetha mutuæ humilitatis, & amica contentione pro ſolo magiſtri imperio factum dicebat, ſeque conſciam in illa virtute non eſſe, quam coacta feciſſet.

Cœco viſum reſtituit.

Greg. lib. 2. dialog. c. 7.

XV. Altera die duabus aſſociata ancillis ad hoſpitale perveniens, invenit in atrio jacentem paralyticum mutum, quem dum ſemel, ac iterum interrogaret, quid mali haberet, nec ille reſponderet, inquit Dei famula: In nomine Jeſu Chriſti tibi præcipio, ut dicas mihi, quo malo labores, vel quibus rebus indigeas. Statim qui languidus jacebat ſe erexit in pedes, & qui loqui non poterat, reſpondit, ſe illius meritis ſanitate, & loquela donatum. Hæc audiens protinus aufugit, indignam ſe reputans propter quam Deus miſello tantam gratiam præſtiterit. Non minori miraculo in eodem valetudinario puerum cœcum a nativitate, nullum oculorum veſtigium, nec formam ſub intercluſa cute habentem, premiſſa oratione cum lacrymis, facto ſuper eum crucis ſigno, viſu honeſtavit. Similiter impreſſa crucis forma in capite fratris germani ejuſdem magiſtri Conradi, jubente illo, ut pro juvene oraret, ſeminecem repente ſanavit a lethali vulnere, cujus ſola parvula cicatrix remanſit ad veſtigium, quod miraculi fidem aſſereret, & veritati fidele teſtimonium perhiberet.

Paralyticum & mutum ſanat.

Alia ejus miracula.

XVI. Non minus efficaces ejus orationes pro corporis, quam pro animæ languoribus medendis probat, quod ſequitur exemplum. Venerat matrona quædam ad illam inviſendam, adducto ſecum adoleſcente, quem veſtis compta, & incompti mores, ſeculari prorſus eſſe animo, haud obſcure prodebant. Ad quem Eliſabetha: quid tu, inquit, o adoleſcens, tam inſigniter & veſte, & moribus ſecularem præfers animum, quem magis Deo tuo prona ſervitute jam olim dedicatum iri oportuit? Eſt, ait adoleſcens, hei mihi, itaut dicis, o Domina; ſed oro te, plurimum pro me Deum precari digneris, quo mihi bonum quod proponis, & incipiendi, & perficiendi donetur gratia. Mox illa: itane, inquit, ſerio petis, ut pro te Deum rogem? Peto, ait ille, ſerio intimeque. Statim illa; Oportet, inquit, te itidem facere, preceſque meas tuis juvare. Quo perſuaſo itum eſt, ac utrimque oratum loco ſatis congruenti; jamque nonnihil moræ interceſſerat, cum ecce adoleſcens clamare cœpit: jamjam, o Domina, precari deſiſte; incendor enim ita tuarum fervore precum, ut ferre vix queam. Tum illa vehementius orationi inſtare, acriore mentis anniſu Deo propinquare. At ille ſemet intentius inflammari ſentiens, viribuſque paulatim deſtitui, toto jam corpore in ſudorem eunte, atque crebri vaporis nebulam paſſim exhalante, clamat altiore voce; disjectis præ laſſitudine brachiis, genibuſque ad ruinam ſubſidentibus:

Juvenem a ſeculari vanitate convertit.

Orans pro eo, vehementer illum inflammat.

tibus: Ceſſa, o Domina, ceſſa quia vaſtiſſimo ſupplicationis tuæ incendio præcordia mea, & ipſæ medullæ depaſcuntur. Defectum ita juvenem duæ confeſtim ex pediſſequis, ſimulque matrona paulo ante memorata, medium corripiunt, & ne caſu repentino elideretur, ſuſtentant; fervorem ejus intenſiſſimum, & calidiſſimo perfuſa membra ſudore, vix tactu manuum pati valentes. Tandem nihilo ſegnius orare perſeverantem, anhelus juvenis qua potuit altiſſima voce ſæpius inclamat, dicens: Oro te per Jeſum, ut cœpto munere jamjam ſuperſedeas, ne me precibus infauſte mori cogas, quem vitæ meliori feliciter deſtinaſti. Confeſtim igitur, ut Eliſabetha precandi ſtudium remiſit, remiſſo pariter calore, juvenis eſt velociſſime refrigeratus, aſſumpturum ſeſe maturius Franciſci Aſſiſiatis Inſtitutum pollicitus, quod & non multo poſt tempore aſſumpſit, aſſumptum coluit, cultum viriliter conſummavit. Hac precandi conſuetudine Dei famulam multis hominibus ſaluti fuiſſe, celebri memoriæ proditum eſt.

S. Franciſci Inſtituto addicit.

XVII. Ceterum magiſtri, & amicorum induſtria, ac ſollicitudine, receptam a Principe dotis nomine pecuniam, neque terræ infodit ut timida, neque arcis incluſit ut avara: ſed magis apud Chriſtum divini ſpe fœnoris collocatura, miſſis circumquaque nunciis jubet, pauperes quoſcumque ad diem conſtitutum adeſſe, aſſignato pariter loco, ne quis ejus ignoratione comparere non poſſit. Congregata igitur ad diem eſt incredibilis multitudo utriuſque ſexus, ut numquam majore numero per Haſſiam, & Thuringiam conventus inopum viſus eſſe credatur. Videre tum erat varia genera pauperum, & incommodorum: ac veluti quemdam devictis hoſtibus exercitum, accipiendi ſtipendii gratia ad Imperatorem conveniſſe. Præfecerat autem Eliſabetha univerſo cœtui viros quoſdam, ac mulieres, qui ſingulis ordine deſidere juſſis, tumultuantes, & quietis impatientes compeſcerent; adjecta publicæ confuſionis pœna, id eſt, dehoneſtamento detondendi capilli, ſi quiſpiam, ut eſt aviditas inconditæ plebis, deſerto quem occupandum accepiſſet loco, vel aliis negotium exhibere, vel ſecundo ſtipem percipere adnotaretur. Aderat etiamnum huic ſpectaculo aliorum hominum ingens turba, quos rei novitas ad videndum excitaverat. Ibat ergo patientiſſima pauperum conſolatrix in medio tantæ multitudinis læto placidoque vultu per ſingulos pecuniam diſtribuens: ut ejus juſtitia, tam inſigni diſſipata præconio, in memoriam duraret ſempiternam. Ita paucis horis erogavit circiter quingentas argenti minas. Quo tempore puella quædam, Radegundis nomine, capillamento pulcherrimo, paſſoque, ut prævaricatrix ſupradictæ legis, præſentatur, accuſaturque: cui ut quamprimum detonderetur capillus, Eliſabetha præcepit.

Diſtribuit pauperibus undique convocatis ſuam dotem.

Pſalm. 111. 9.

XVIII. Quo ſtatim effecto cum in lacrymas puella prorumperet uberrimas, aderant, qui docerent, nihil prævaricatam eſſe juvenculam, proinde immerito affectam injuria: veniſſe illam ſororis inviſendæ, non ſtipis recipiendæ gratia. Ad quos Dei famula: Bene habet, inquit, nihil damni puella fecit: at magis detrimento capillorum lucrum animæ factura deinceps, nequaquam choreis ſe immiſcebit. Moxque accitam interrogavit, an unquam ſanctioris vitæ, Deoque ſerviendi habuerit voluntatem. Cui puella: Olim ait, votum ſuſcepiſſem ad emendatioris formam inſtituti, ſi me capillamenti venuſtas non retraxiſſet. Et ego, inquit Eliſabetha, hoc magis gratulor tuorum detonſioni capillorum, quo liquidius pervideo, me tibi magnum ſalutis ademiſſe diſpendium, non plus

Puellam vanam ad meliorē frugem reduxit.

plus gratulatura filio meo; ſi illum ad Romani faſces Imperii provehi contigiſſet. Statimque aſſumptam puellam, dato meliori habitu, intulit Xenodochio, illatæque miniſtrandæ munus, quoad viveret, exequendum commiſit. Ceterum remeantibus unde venerant pauperibus, Deumque magnifice collaudantibus, contigit, non paucos languoribus & defectu virium præpeditos, remanere noctem unam, paſsimque per Xenodochii angulos jacere. Quos miſerata Dei famula, præcepit actu, calis & titionibus longo ordine concinnatis, focum ſuccendi; pauperibuſque commode adhibitis, panes ſingulatim & ſenos nummos diſtribui, quorumdam etiam pedes lavari, ungique. Tum repletis ingenti lætitia pectoribus, omnis ille cœtus ſublimi cantu perſonare cœpit: cui ſancta mulier & animi & vultus hilaritate non minimum eſt gratulata.

XIX. Cum autem reſiduum pecuniæ unde ſemet ſuſtentare habebat, ſimili pauperibus largitate diſtribuere pergeret, quod cor ipſius vehementer ad inopes dilatatum eſſet, magiſter futuræ neceſsitati proſpiciens inhibuit, aſſociatis ei fœminis ſeveriuſculis, quæ & facta illius moroſius obſervarent, & dictis non audientem, hoc eſt, egenis ultra quam licebat, aliquid erogaſſe compertam deferrent. Delata vero, confeſtim comparere jubebatur, & verbis & plagis caſtiganda, ita ut etiam alapis eam vapulare aliquoties contigerit, quas illa ob recordationem Dominicæ paſſionis perpeti admodum gaudebat. Juſſa dehinc ſingulos dumtaxat nummos ſingulis dare pauperibus, ita paruit magiſtro, ut nihilo remiſſius miſericordi obſequeretur animo, dum inter plurimos ſingulatim erogabat, quod non licebat in pauciores. Quo comperto, magiſter ad votum, minus parenti, nummorum erogationem prorſus interdicit, panum vero permittit: quos & ipſos profuſius diſtribui cœptos ad minutiora fruſta reſtrinxit, cum prius integri largirentur. Ita mira viciſſitudine & exercebatur obedientia, & miſericordia provocabatur.

Nihil ſuæ neceſſitati ſervare voluit.

Non licuit ei pro voto eleemoſynas erogare.

XX. Si quando eleemoſynis erogandis penitus ſuperſedere, lepraque contactos, aut alio morbo fœdatos, vel non recipere, vel receptos miſſos facere jubebatur, videre mirum fuit, ut ſingulari miſerationis affectu diſcruciata, etiam foris languidiorem corporis habitum præferret. Timebat nimirum prudens magiſter teneritudini fœmineæ, ne forte attactu, & deoſculatione putidiſſimorum ulcerum, ad quod opus miro ac ſtupendo deſiderio ferebatur, in morbum aliquem incideret. Quibus vero miſericordiæ operibus interdictum ei nihil eſſet, ita iis diligentiſſimam navabat operam, ut cum in Xenodochio, adjuvantibus ancillis, infirmiores lavaret, mundatis lectos excuteret, atque in iis reclinatos lodicibus ac ſtratis operiret, frequentiſſime diceret: quam bene feliciterque nobiſcum agitur, quibus Dominum lavare, detergere, reclinare, atque contegere permiſſum eſt. Cui aliquando ex pediſſequis una: tibi, ait, cum hujuſmodi ſqualoribus bene eſt; at nobis, & aliis non ita. Hortabatur matres crebro, ne poſt enixos liberos, baptiſma ſacrum aut negligerent, aut differrent: illud eſſe dicens ſtolidi, hoc imprudentis animi, utrumque periculi plenum. Infirmis quoque, cum morti propinquarent, adeo ſollicite ſuadebat & expiandæ conſcientiæ vacare, Euchariſtiæque, & Unctionis ultimæ Sacramenta percipere, ut mulierculam quamdam delicta confiteri diutius detrectantem etiam virgis caſtigaverit, excuſſoque verberibus negligentiæ ſomno conſiliis audientem effecerit.

Magno affectu ſervit infirmis.

Matth. 25. 35.

Hortatur ad ſacramentorũ frequentiam.

XXI. Alteri præterea, quæ vicina partui erat, hoſpitium, ac inibi ad

ad victum neceſſaria commode contulerat, natamque prolem Eliſabetha vocari & ſacro fonte initiari procuraverat, quotidieque puerperam, comportatis ſecum lautioribus eduliis, inviſerat; cum ecce tamdem mulier, ejuſque maritus ut ingratiſſimi, relicta filia, ſublatis pariter aliquot donariis, aufugerunt. Qua re Dei famula per ancillam, quam illo cum lautitiarum xeniolis miſerat, comperta, illico jubet ad ſe adferri infantulam, allatamque uxori militis cujuſdam, ut educaretur, commendari. Accito dehinc urbis Præfecto, mandat exemplo miſſis per compita ſingula ſtatoribus, perfugas inſequi, veſtigarique: quibus minime perveſtigatis, ad preces converſa, effecit, ut paulo poſt redirent, proſtratique veniam poſtularent ingratitudinis ac perfidiæ: ſeſe pœnarum ſatis ſoluiſſe fatentes, cum manifeſta Numinis ultione progredi nequaquam valentes, ad regrediendum vellent nollent cogerentur. Remiſſa facile culpa, dimittuntur abire cum filia, prius tamen detracto mulieri pallio, quod a Dei famula collatum illi fuerat, dicente; Ita remittendam injuriam eſſe, ne denuo poſſit irrogari. Porro pallium ipſum virgini cuidam pauperculæ datum eſt, quæ mox donantis merito per Dei gratiam illuſtrata, perpetuæ ſemet virginitati dicavit.

Ingratos parentes miro modo corripit.

XXII. Quamquam autem Eliſabetha Sanctorum reliquias pro chriſtiano more cereis & thure ſtudioſiſſime venerabatur, nummis etiam, quos manuum labore conquiſiſſet ad aras reverenter oblatis: viſa tamen eſt ſumptuoſiora ſimulacra non admodum probare, ut etiam Cœnobitis quibuſdam paupertatem profeſſis in fanum ipſorum ingreſſa objecerit anaglyptica opera, ac ſumptuoſas imagines, dicens, pretium curandis pauperum corporibus adhibendum eſſe, & Sanctorum memoriam religioſius animo, quam exteriore cultu habendam. Conſideravit non debere neglectis membris Chriſti, nimium ad oculorum luxum auro circumdari Sanctos Chriſti, *nec de ſumptibus egenorum ſervire oculis divitum, nec juſtum eſſe invenire curioſos quo delectentur, & non invenire miſeros, quo ſuſtententur*. Itidem cuidam præſens ſimulacrum, quod arte ſimul & pretio excellere videretur, laudibus proſequenti: Ego, inquit, veritatem rei hujus animo teneo, cujus tu iconem foris tantopere miraris. Non hoc obinde quiſpiam dictum putet, quod in minori veneratione habuerit ſacras imagines, quæ ſolum luxum & vanum ornatum per quem oculis, non effectui ſervitur, in eiſdem condemnabat; nam & ipſa præ ceteris quatuor habebat apud ſe beatæ Virginis imagines, quas teſtamento legavit filiæ Sophiæ, quæ Henrico II. Brabantiæ Duci nupſit. Harum unam dedit Vilvordiæ cœtui Virginum religioſarum, miraculis olim & nuper claram, cui nomen divæ Conſolatricis, a re inditum, quia multi malis animi corporiſque remedia illic, aut lavamenti reperiebant. Tres alias dono magno dedit Machtildi, ſorori Henrici mariti ſui, quæ alteris nuptiis juncta Florentio IV. Hollandiæ & Zelandiæ Comiti fuit. Illa jam moritura ſtatuas has diſpartivit, & locis ſuis quamque aſſignavit. Unam Graveſandæ Hollandiæ veteri oppido, quod finitimum eſt Loſdunenſi Cœnobio, quod ipſa condiderat, in eoque vitam a morte mariti caſte pieque egerat. Alteram Harlemi ad ſervandam in ſacrario Carmelitarum: tertiam denique Hallis Hannoniæ, omnium celeberrimam & continuis miraculis notiſſimam, de qua accuratiſſimum, & viro ipſo dignum, librum ſcripſit Juſtus Lipſius, cui inſcriptio: *Diva Virgo Hallenſis*.

Sancti magis animo, quam exteriore cultu venerandi.

Bernard. in Apolog. ad Guillel. Abb.

Lipſius in Diva Hallen. c.3.

Quatuor habebat beatæ Virginis imagines.

Lucæ 10. v.38.

XXIII. Talibus ac tantis virtutum inſignibus decorata Eliſabetha, Mar-

Marthæ quidem officium eſt fideliter executa, Mariæ tamen otio non omiſſo. Ceſſanti a pietatis operibus, & rei familiaris cura, mos erat ſolitudinem petere, oculos, manus, animum ad cœleſtia ſuſtollere, & quanta poſſet maxima intentione preces effundere, neque id quidem ſine lacrymis: qua in re ſingularem præ ſe ferebat gratiam. Non enim, ut aliis evenire videmus, lacrymans deformiore triſtitiæ nubilo vultum obfuſcabat: ſerena facie, atque hilaritatem dulcedine quadam conditam præferente, rigabat lacrymis genas, ut gaudio illam flere, non mœrore cenſeres. Neque id mirum, quandoquidem etiam adverſis vexata caſibus, non contractum triſtitia vultum, ſed magis jucunda porrectum lætitia gerebat. Divinæ quoque contemplationis ignara non fuit, frequenter aliquot horis in extaſim rapta, ac mirabili ſuavitate perfuſa; quo tempore non ſolum Angelorum colloquiis interfuit, ſed ipſum etiamnum conſolatorem ſuum Chriſtum Jeſum innumerabili Sanctorum agmine vallatum, non ſemel vidit, audivitque. Quid tum hauſerit conſolationis, quid gaudii perſenſerit, quid fuerit adepta virtutis, recepto animo declarabat. Erat enim, ut de Moyſe quoque legitur, ſplendida facies illius: profecto quia divinæ lucis directus in eam radius, ita præcordia penitiſſime luſtraverat, ut quoniam exuberans fulgor limine ſuo contineri non potuit, per vultum, quaſi per quamdam animi feneſtram transluceret. Unde factum eſt, ut ſpiritualibus refecta deliciis, poſt corporis cibo, vel ad multas horas omnino abſtinuerit, vel quam parciſſime ſit uſa.

Conceſſū ei donum lacrymarū.

Multas habuit viſiones cœleſtes.

Exod. 34. 30.

XXIV. Miſſus hoc anno Gaufridus de Caſtellione Mediolanenſis Cardinalis ſancti Marci Legatus in Lombardiam, qui Mediolani egit efficaciter cum Rectoribus & Poteſtatibus urbis, ut ſeveriſſimas ferrent leges contra hæreticos. Latæ fecit ut in publicas Civitatis tabulas redigerentur, conſentiente & præſente Archiepiſcopo, cum Archipresbytero, Archidiacono, aliiſque viris capitularibus, fratre item Gualla Ordinis Prædicatorum (quem neſcio unde ex hac narratione Bernardini Corii, quem ſolum citat, deducat, aut aſſerat Bzovius, cum prædicto Cardinale miſſum a Pontifice Inquiſitorem ad extirpandos hæreticos, dum nihil hujuſmodi hic habeat Auctor) Alberto Creſcrimbone Poteſtate, & innumeris aliis hominibus. Inter cetera ſtatutum, ut Poteſtas & urbis Rectores tertio a ſua electione die, curarent eligi duodecim viros immaculatæ fidei, quorum bini & bini Bzovius male tranſcripſit, terni & terni, juxta Archiepiſcopi diſpoſitionem ad Civitatis portas, ſimul cum duobus Fratribus Prædicatoribus, duobus item Minoribus a ſuis Superioribus eligendis hæreticos, auctoritate Archiepiſcopali requirerent, vinctoſque ducerent, quo Archiepiſcopus ſtatueret, expenſis conferendis ex publico Civitatis ærario.

Statuuntur ſeveræ leges Mediolani contra hæreticos.

Corius in hiſtor. Mediol. p. 2. fol. 217.

XXV. Inſalutato Pontifice abiit Fridericus Imperator hoc anno in Syriam, ubi totis ſeptem menſibus deſes hærens, nihil viro dignum geſſit. Tandem ſummo cum opprobrio Chriſtiani nominis, turpiſſimis conditionibus pacem, vel inducias a Soldano impetravit. Id vel ſolum ad perpetuum ſufficeret vituperium, ut in illud conſenſerit pactum, quod auguſtiſſimum & ſacratiſſimum ſepulcri Dominici Templum penes Saracenum remaneret, relictis in eo, non tantum Mahumetanis cuſtodibus, verum & præconibus ac impiorum rituum miniſtris. Delatis ad Pontificem Friderici geſtis vilibuſque circa res chriſtianas conatibus, miſit duos Fratres Minores ad Patriarcham Hieroſolymitanum, qui ei lit-

Quam male ſe geſſerit Fridericus in Syria.

Sanutus de ſecret. Crucis l. 3. p. 11. c. 12.

Chron. antiq.

Excommunicatur a Pontifice miſſis Minoribus.

litteras perferant, ut Imperatorem excommunicatum & perjurum denuncient, atque Pontificis nomine prohibeant ne Hoſpitalarii, aut milites Templi, vel Teutones Imperatori adſint, aut in ulla re obediant. Hæc in cauſa fuere, ut XVIII. die Martii volentem ſuſcipere diadema Regni Hieroſolymitani, quod ex conjugio Jolæ Joannis Brenni Hieroſolymorum Regis filiæ, ad ſe ſpectare probavit, non exaudiret Patriarcha Hieroſolymitanus, neque Prælatorum quiſpiam coronare vellet, aut auderet; quare ipſe temere poſitam coronam ſuper majus altare Templi capiti ſuo impoſuit, enſem ſibimet accinxit, ac reliqua ſolemnia profane & indignanter perfecit. Volentem etiam procedere ad Japham muniendam, noluerunt comitari Hoſpitalarii, neque Templarii; ſed ne rebus Chriſtianis in periculo conſtitutis deeſſe viderentur, ſequuti ſunt, illud poſtea excogitantes conſilium, ne conſcientiam aut Pontificem, præſentibus ejus nunciis ſupradictis Minoribus, læderent, ut edictum aut præceptum militare proclamaretur ex parte Dei & Chriſtianitatis, ſuppreſſo Imperatoris nomine; cui rei Fridericus, ob certum, quod ſibi imminebat periculum, ſi hi ſepararentur ab exercitu, etſi ægre, conſenſit.

Chron. Saxon. MSS. ad hunc annum.

Conventus Ratiſponen.

XXVI. Eodem anno Fr. Joannes Anglicus primus viſitator in Teutoniam eſt miſſus, vir tranquillus, caritativus valde, qui mirifice Fratres ad virtutes colendas inflammavit. Eodem anno Fratres in Ratiſpona de Cappella Salvatoris, ſolemne Monaſterium auxilio nobilium de Truckſatz, & Comitum de Bogen conſtruxerunt; fundum autem dederunt nobiles de Paulſtorff.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Metropol. Saliſburg. pag. 218.

Berthold. Ratiſbonen.

Ann. 1272. n. 16.

„ Auctor Metropolis Saliſburgenſis anno
„ MCCXXVI. ſcribit eos recepiſſe Cappellam illam, ſive ædiculam ſan-
„ cti Salvatoris a Conrado Comite de Froſenhauſen Epiſcopo Ratisbo-
„ nenſi hujus nominis tertio; eamque prius pertinuiſſe ad Eccleſiam
„ ſancti Joannis; juxta quam, inquit, Alberto Comite de Pogen, &
„ Ottone Comite Palatino Rheni, Bavariæ Duce, areas ſuas donanti-
„ bus, erectum eſt ibi Monaſterium; adhuc enim ibi juxta portam
„ oſtenditur domus, quæ olim Curia fuit Comitum de Pogen. Extant
„ ibi Diplomata. Sepultus eſt in hoc Templo Bertholdus hujus Ordi-
„ nis Frater Ratisbonæ natus, clarus integritate vitæ, atque chriſtia-
„ næ eloquentiæ orator inſignis. Sexaginta amplius millia hominum,
„ inquit hic Auctor, ejus conciones frequentaſſe, litteris proditur.
„ Sepulcrum adhuc non ſolum incolis, ſed & Hungaris venerabile. Suo
„ loco de hoc homine diffuſius agemus.

Ann. 1220. n. 1. n. 10.

Moritur beatus Nicolaus Pepuli.

Piſan. Con. 8. & 11.

Gonza. in Prov. S. Bernard. Con. 25.

XXVII. Kalendis Maii hujus anni, ut ſupra dixi, feliciter vitam conſummavit beatus Nicolaus de Pepulis ex Juriſconſulto nobili Bononienſi, factus Minorita. Sepultus eſt ad Monaſterium ſancti Bernardini Clariſſarum, quod olim Fratrum Minorum fuit primum Domicilium ſub invocatione ſanctæ Mariæ de Puliolis, ubi inventum ejus epitaphium dedimus ſupra. Floruit miraculis; illud vero præ ceteris notiſſimum, & a Piſano obſervatum, eum mortuum, qui ad ſepulturam ferebatur, ad vitam revocaſſe; & cuidam effoſſos oculos reſtituiſſe. Sunt qui putent, Eccleſiam Conventus ſancti Nicolai Pepuli in Provincia ſancti Bernardini, de quo Gonzaga, a ſuis parentibus in regno Neapolitano dominantibus ſeu poſſidentibus, in ejus honorem extructam.

Conventus montis Ferrandi.

Gonza. in Prov. S. Bonaven. Con. 19.

XXVIII. Hoc item anno Conventus oppidi montis Ferrandi, Diœceſis Clarimontenſis in Gallia, erectus ex oppidanorum eleemoſynis, atque ſanctis Thomæ Cantuarienſi, & Margaretæ virgini conſecrata Eccleſia.

Ja-

Digitized by Google

Jacet in eadem quidam ex ſociis B. P. N. Franciſci, nec non beatus Pater Guillelmus Mariconius ſacræ Theologiæ Doctor, atque eximiæ ſanctitatis vir, qui iſtius Clarimontenſis, atque Rionenſis Conventuum tum Sacriſtias, tum Bibliothecas mirum in modum auxit, exornavitque, & eodem in loco plurimis coruſcat miraculis.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Conventus Lunelli.

Gonza. in Prov. S. Ludov. Con. 19.

„ XXIX. Circa hoc tempus in urbe Lunelli ejuſdem Regni inter Nemauſum, Montempeſſulanum, & foſſas Marianas prope mare, conſtructum eſt alterum Cœnobium extra muros in loco, quo ſanctum Antonium Patavinum ferunt prædicaſſe, & coaxantibus ranis ſilentium indixiſſe; atque ex eo tempore in lacunis viridarii Conventus ranas piſcibus eſſe mutiores. Translatum eſt hoc Cœnobium intra urbis muros, mirabili præeunte vaticinio; nam morti propinqua pia quædam mulier in ultimis tabulis ita ante annos ducentos diſpoſuit, ut domus ſua intra urbis muros inſerviret Fratrum domicilio ædificando; quando illud, quod tunc inhabitabant ab hæreticis combureretur. Ita tamen factum eſt, tum anno Domini MDLXII., tum MDLXXV. ſuccedentibus atrociſſimis perſecutionum procellis; nam quæ e primis cladibus anni MDLXII. remanſerant anno MDLXXV. fuerunt funditus igne conſumpta. Circa hoc etiam tempus refert catalogus Epiſcoporum Hildesheimenſium Conradum II. Nobilem Heroem a Regiſenbergh, ingenti zelo provehendæ, ac augendæ Religionis chriſtianæ, Franciſcanis, ac Dominicanis in urbem receptis commodas condidiſſe habitationes.

Anno 1212. to. 1. n. 34.

Conventus ſancti Franciſci in Urbe.

XXX. Tunc item conceſſum fuit ab Abbate & Monachis ſancti Coſmæ in mica aurea in Regione Tranſtiberina Ordinis ſancti Benedicti Fratribus Minoribus in Urbe, in Xenodochii ſancti Blaſii angulo, ut in primo Tomo diximus, commorantibus, ipſum integrum hoſpitale cum adjacente Eccleſia, Gregorio IX per ſuas litteras Apoſtolicas ita hortante; neque id cum pauperum aut peregrinorum incommodo, quibus jam illic deerat ſubſidium; nam & Eccleſia erat jam quaſi derelicta, & Xenodochii poſſeſſiones ſeu redditus erant oppignorati, ut ex Pontificis conſtat Diplomate, quod ex tabulario ipſius Conventus exſcriptum hic ſubjicio.

GREGORIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Dilectis filiis Abbati, & Conventui ſancti Coſmæ Tranſtiberini de Urbe, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Cum deceat vos, qui viri religioſi eſtis, Religionem diligere, ac fovere, dilectis filiis Fratribus Ordinis Minorum pro ſalute animarum habere cupientibus aliquam manſionem in Urbe, tanto libentius adeſſe debetis, quanto de Religione ipſorum major in Eccleſia Dei fructus jugiter dignoſcitur provenire. Quia vero, ſicut dicitur, ſine detrimento veſtro poteſtis annuere deſideriis eorumdem, cum Eccleſiam ſancti Blaſii, quæ ad vos pertinet, quaſi derelictam habere noſcamini, & poſſeſſiones ipſius teneantur pignori obligatæ, devotionem veſtram rogamus, & hortamur in Domino, in remiſſionem vobis peccaminum injungentes, quatenus pro divina & noſtra reverentia prædictam Eccleſiam, cum omnibus ſibi adjacentibus, per circuitum, eiſdem Fratribus, & eorum Ordini liberaliter concedatis, ita quod in affectu videamini, ſicut de vobis credimus, Religionis exiſtere amatores,

Digitized by Google

ut Deum inde poſſitis habere propitium, & nos in opportunitatibus veſtris favorabiles invenire. Datum Peruſii x. Kalendas Auguſti Pontificatus noſtri anno III.

Facta humaniter per Benedictinos conceſſione, communiori aſſenſu volunt noſtri derelictas ædes ad Monaſterii dignitatem evexiſſe D. Jacobam de Septemſoliis, quod tamen illuſtriſſimis Comitibus Amuilaræ, vulgo dell' Anguillara, tribuit Gonzaga, idque arma, inquit, Eccleſiæ parietibus inciſa ſatis ſuperque produnt. Fortaſſis poſtea refecerunt, recentiorem enim judicaverim illam ſtructuram, quam quæ ante quadringentos annos facta ſit; ſimiliter, & picturam circumcirca Eccleſiæ obductam. In ſacrario, ſeu ut vocant ſacriſtia, appenſa eſt obtecta velo, imago quædam ſancti Franciſci caputio parum acuminato, ſeu potius quadrato, ad eum modum, quo ex ejus ſociis deſcripſimus ſuperius, quam depingi feciſse ajunt, prædictam Dominam Septemſolienſem. At collaterales habet effigies ſancti Antonii & Ludovici Epiſcopi, ex quibus hic ſat poſterior eſt heroina. Quod pro indubitato tenetur illius temporis, & Franciſci in illa æde veſtigium, & cella ſanctiſſimi Viri, in qua ſæpius requievit, quoties venit in Urbem, quæ magna devotione colitur & inviſitur, præcipue in octiduo feſti ſancti Franciſci per virorum univerſum genus, neque enim illuc admittuntur fœminæ, & multi Cardinales, præcipuique Curiæ Proceres in ea peragunt ſacra.

XXXI. Ædem colunt Patres ſtrictioris Obſervantiæ, quorum fama & pietas notiſſima in Urbe Principum omnium, & ceteræ plebis conciliavit animos, itaut creſcente Fratrum numero, accreſcat etiam & caritatis ſubſidium. Ædes adauctæ piorum beneficentia; illuſtris viri Marci Antonii Vipereſchi, utriuſque Signaturæ Referendarii, & Canonici Lateranenſis præ ceteris majus beneficium in Fratres, dum egregium capaciſſimumque eis extruxit & inſtruxit valetudinarium, cujus etiam pietas, & in Minoritas amor enituit in alio ampliori, quod ædificavit Aracœlitanis Fratribus, ut ſuo loco dicemus. Adhuc vireſcit, quamtumvis quotannis ſub ſancti Franciſci die expiletur, & frondes omnes evellantur, ut in devotum & avidum populum diſtribuantur, malus medica in clauſtro ſecundo a ſancto Franciſco plantata, quod miro in ſuo fructu ſigno ipſa demonſtrat; nam in orbem a pediculo vel petiolo, quo pomum dependet deducuntur quinque veluti ſciſſuræ, quæ plantantis quinas illas ſciſſuras, vel cicatrices in memoriam reducant. Neque adeo incredibile, per quadringentos annos ad noſtram uſque ætatem arborem vixiſſe; aliæ id genus in pluribus locis ab eo inſitæ, & in æde ſanctæ Sabinæ in monte Aventino altera eſt huic coæva a ſancto Dominico ſata, cui etiam eſt ſingulis annis moleſta, & injurioſa populi devotio. Immenſas millenorum annorum vitas plurium arborum recenſet ex probatis auctoribus Thomas Malvenda vir doctus libro de Paradiſo cap. 85.

Conventus Luniani.

Gonz. in Prov. S. Franc. Con. 34. Rodul. fol. 303.

XXXII. Circa hoc tempus ædificatum Monaſterium ſancti Franciſci prope Caſtellum Lunianum in Umbria, ab Oppidi accolis in memoriam magni miraculi per Franciſcum patrati. Dum enim prope vicinam ſilvam ad populum undique confluentem ſermonem haberet, irruens e luco rabidus lupus infantulum triennem diripuit; ſed turbatum populum Vir ſanctus pacavit, reſtituto miro modo infante incolumi. In ipſo loco nemoris medii ubi miraculum contigit, ſitum Cœnobium, in quo anniverſarius Franciſci dies ſolemniter colitur ab Oppidi Rectoribus & Conſiliariis,

riis, lege ſtabilita, ut nullo unquam tempore mos hic prætermittatur. Ejuſdem temporis partus alius Conventus in Oppido Natiani ad ripam Tiberis, ubi flectit ad meridiem, Urbemque Romam, in media ſilva ſitus, cui quidam auctorem aſcribunt ſanctum Antonium Patavinum, hoc anno creatum Romæ Æmiliæ Miniſtrum, quo officio uno dumtaxat anno functus eſt, dum ſequenti eum a præfectura abſolvit Pontifex, ut multorum bono ſerio ſtudiis incumberet. Locus humilis & pauper ſecundo extructus, nam primum ædificiolum terræmotu dejectum. Jacet hic venerabilis ſummæ religionis, doctrinæ, & ſanctitatis vir Stephanus a Molina Hiſpanus reparatæ Religionis auctor in Provincia Romana, & per univerſam Italiam; cujus corpus fortuito, poſt elapſum a morte biennium, effoſſa terra, exhumatum ad virtutum & ſanctitatis teſtimonium incorruptum apparuit. Similiter Conventus Nari in Sicilia in Cuſtodia Maſſanæ circa illud tempus exortus, auctore Roderico Palmerio de Naro, qui cum adfuiſſet canonizationi ſancti Franciſci in comitatu Pontificis, obtinuit ab eo facultatem ædificandi Monaſterium in honorem ſancti Viri, ſecumque attulit partem chordæ ſeu funis, quo erat præcinctus.

Gonzag. in Prov. Rom. Conv. 39.

Rodulph. fol. 280

XXXIII. Miſſæ in Hiſpaniam quædam beatæ Claræ ſociæ, quæ Inſtitutum docerent: illæ, ſi conſtanti famæ credendum ſit, exorſæ ſunt ex conquiſitis undique eleemoſynis hoc anno Monaſterium Virginum ad ter mille paſſus extra Civitatem Zamorenſem in Hiſpania, ad interlabentem Durium fluvium, nobilem & vetuſtam; in quo cum ſupervenientibus virginibus per quadraginta annos commoratæ ſunt. Titulum dederunt ſancti Franciſci Sabuloſi ex loco, qui earum habitationi minus favit; propter quod compulſæ ſunt illo cedere. Commodius, & multo auguſtius conſtructum ædificium in urbis ſuburbiis, ex publico privatoque piorum hominum ærariis, ſanctæ Claræ dicatum, cujus ibi pignora, linteamina, videlicet corporalia ab ipſa facta, & cochlearium quo utebatur. Hujus Monaſterii alias ampliorem dabimus notitiam ex bullis Pontificiis.

Monaſteriū Monialium Zamoren.

Gonzag. in Prov. S. Jacobi Monaſt. 2.

XXXIV. Propitius hoc anno Pontifex Inſtituto Pœnitentum, ſeu tertii Ordinis, cujus profeſſoribus conceſſit grave, & honorificum diploma, in quo eos liberat a gravaminibus, & juramentis publicis præſtandis, quod privilegium teſtatur jam a ſuo anteceſſore Honorio conceſſum. Incipit: *Deteſtanda humani generis*. Datum Laterani III. Kalendas Aprilis, Pontificatus anno II. Indulſit etiam eiſdem audire divina, & ad Sacramenta, ſepulturamque eccleſiaſticam admitti tempore interdicti, dummodo ei occaſionem non præſtiterint: incipit privilegium: *Cum illorum, qui ſua*, IV. nonas Auguſti, Pontificatus anno III.

Privilegia conceſſa Fratribus Pœnitentibus.

Digitized by Google

ARGUMENTUM.

Transfertur ſancti Franciſci corpus ab Eccleſia ſancti Georgii ad novam Baſilicam ejus nomini conſecratam: quod, ut fieret magna cum ſolemnitate, impenſe curavit Pontifex, miſſis Nuntiis, magniſque donariis, & conſtitutis tanti operis Commiſſariis: fuerunt qui ſolemnia perturbarent ſpectacula, in quos ſevere animadverſum a Pontifice; reconditum tamen honorifico, ſed miro modo, Viri ſancti corpus. Elias ob laxatas regiminis habenas male audivit inter conſodales; tamdem e ſede turbatus per Pontificem, cui ſubrogatus Joannes Parens, ſub quo dum emergunt quædam dubia circa Regulæ intellectum, a Pontifice aperiuntur. Feliciter ſuccedit Minoribus in Germania, necnon in Hibernia, in Gallia: & alibi nova addita domicilia.

Chron. antiq. Marian. c. 3. Transfertur corpus S. Franciſci.

Indicitur Synodus generalis.

Mittit Pontifex dona,

I. INtimatum fuit per univerſam Europam Fratribus, & viris Principibus hoc anno transferendum ſolemniter, Papa item, ut ſpes erat, præſente, corpus beatiſſimi viri Franciſci recens inter Sanctos connumerati, ad novam Eccleſiam ſuo nomini dedicatam, cujus pars inferior, ſeu Eccleſia ſubterranea, in qua ad tutam & ſecretam cuſtodiam condendus erat hic pretioſus theſaurus, jam abſoluta erat, & firmiter undique concamerata; celebranda item generalia Ordinis Comitia, in quibus de rebus gravioribus, & bono Ordinis ageretur regimine. Duplici ex hoc capite convenerunt ultra duo millia Fratrum, atque univerſi hominum ſtatus tanta multitudo, ut eos urbs capere non poſſet, ſed in campis ſub tentoriis, & turmatim gregum more in rure ſuburbano illis diebus victitarent. Sed dum Pontificis expectaretur adventus, ſupervenerunt ſolemnes ab eo miſſi Nuncii, qui referrent tot implicitum negotiis gravioribus Eccleſiæ & Imperii; adeoque moleſtas res Friderici, ut ab Urbe non facile liceret abſcedere; qui etiam ferrent pretioſa munera ad cohoneſtandam translationem, & adornandam Eccleſiam, crucem videlicet auream non mediocris ponderis opere gemmario elaboratam, pretioſis ornatam lapidibus, ſita in medio magna Chriſti crucis parte; vaſa magna argentea, & miniſterialia quæque altaris inaurata, antipendium item magni pretii, & pulchra nimis paramenta. His ſuperadditæ, non minori æſtimatione dignæ litteræ Pontificis, in quibus Virum ſanctum ex affectu adeo commendat, ut ſuum Patrem dicat, & verius ſuum velit, quam Fratrum Minorum; quibus etiam narrat, ſolemniter ſibi intimatum eumdem Virum ſanctum nuper in Teutonia mortuum ad vitam revocaſſe; ad cujus veſtigia ſolerter ſectanda paterne omnes hortatur, amplas tribuens indulgentias iis, qui translationi interfuerint. Habet has litteras Petrus Rodulphus fol. 170. & regeſtum Vaticanum hoc anno, numero 18. ubi hæc inſcriptio; *Magiſtro & Fratribus Ordinis Minorum in Capitulo generali conſtitutis*, fortaſſis ex Scriptoris negligentia pro *Miniſtro* irrepſit verbum illud *Magiſtro*, Minoribus ſemper inſuetum, & Regulæ Inſtituto adverſum. Lectori placebit, ſi ipſas litteras ſubnectamus, quas etiam alias ad univerſos dedit fideles uſque ad illa verba, *ipſius laudibus delectemur* ad perpetuam rei memoriam, & tanti miraculi teſtimonium.

GRE-

Digitized by Google

GREGORIUS &c.

Miniſtro & Fratribus Ordinis in generali Capitulo conſtitutis.

Mirificans miſericordias ſuas Dominus, quæ ſuper omnia ejus opera ſunt, ut unicæ ſuæ ſponſæ renovet, ſicut aquilæ, juventutem, innovat ſigna, & immutat mirabilia fulgura, & pluviam faciendo, dum Eccleſiæ filios legitime hic certantes feliciter in cælo coronans, & quorum animas beata immortalitate glorificavit in patria, horum corpora miraculorum coruſcatione in terra clarificans, matrem ſalutis gaudio reficit, & fœcunditatis rore perfundit. Sic enim fides Eccleſiæ roboratur, convaleſcit ſpes, & caritas recaleſcit; ſic confutatur hæretica pravitas, lapſus delinquentium cohibetur, & inducitur converſio peccatorum. Quare inter preſſuras innumeras, & anguſtias infinitas, quas plus ferre poſſumus, quam referre, conſolationis, & gaudii materiam reſumentes, gratias & laudes, quas poſſumus referimus Redemptori, qui beatum Franciſcum Patrem noſtrum, & veſtrum, forte autem magis noſtrum, quam omnium veſtrum, adhuc in carne viventem inſignibus præveniens muneribus gratiarum, tanta nunc eum cum ipſo regnantem clarificat gloria, quod præter alias virtutes magnificas, nuper in Teutonia ipſius Sancti celebri nomine invocato mortuum mirifice ſuſcitavit, ſicut nobis eſt ſolemniter intimatum, ut nos in ejuſdem Sancti magis, ac magis pro amore ſuccenſi, totis affectibus in ipſius laudibus delectemur, ſperantes ut quos in ſeculo extra ſeculum vivens tota mente dilexit, & nos nunc carius amplexatus, quo illum, qui eſt vera caritas vicinius intuetur, pro nobis intercedere non deſiſtat, vos quos idem in Chriſto regenerans in abundantia divitiarum altiſſimæ paupertatis reliquit hæredes, gerentes in intimis viſceribus caritatis ad profectum Ordinis veſtri aſpiramus ardenter, propoſita nobis ſpe, quod veſtrarum orationum ſuffragiis, noſtrarum tolerantiæ paſſionum nobis provenient in ſalutem. Verum ut Patrem laudabiliter imitantes pervenire mereamini, quo ipſe pervenit, univerſitatem veſtram rogamus & obſecramus in Domino Jeſu Chriſto per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, ut quemadmodum accepiſtis a beatiſſimo Patre veſtro mortificationem Jeſu circumferentes in cordibus veſtris, ut vita Jeſu manifeſtetur in vobis, veræ humilitatis gloriam amplexati; armemini circumquaque inexpugnabili patientiæ armatura, obedientiam, quæ inter alias obſervantias regulares præcipua reputatur, necnon regularia ſtatuta Patris prædicti inviolabiliter ſervaturi. Cum enim ſpectaculum facti ſitis mundo, Angelis & hominibus, neceſſe habetis taliter converſari, ut benefacientes, imprudentum hominum ignorantiam obmuteſcere faciatis, quin potius, & bonis vos conſiderantes operibus glorificetis Deum, & beatum Franciſcum dignis laudibus præconizetis. Ceterum cum glorioſum corpus Sancti prædicti ad Eccleſiam ipſius nomini dedicandam cupiatis devote transferre, nos deſiderium veſtrum favore debito proſequentes, quia, dignum eſt, ut veneremur in terris, quem Dominus ſic honorat in cælis, de miſericordia Jeſu Chriſti, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus qui ad tranſlationis ejus ſolemnia devote convenerint, vel uſque ad Nativitatem Virginis glorioſæ proxime venturam ipſius Eccleſiam viſitaverint, transfretantibus mare tres annos, tranſeuntibus Alpes duos, & ceteris unum: & qui in anniverſario tranſlationis illuc uſque ad octavam diem reverenter acceſſerint, annum ſimiliter de injuncta ſibi pœnitentia miſeri-

Pſalm. 144. 9. Pſalm. 102. 5.

S. Franciſcum ſuum vocat patrem Gregorius.

Refert mortuum reſuſcitaſſe.

Hortatur Minores ad excelſas ſectandas virtutes. 2. Cor. 4. 10.

1. Cor. 4. 9. 1. Pet. 2. 16.

Indulgentiæ conceduntur iis qui interfuerint tráſlationi.

ſericorditer relaxamus. Datum Laterani XVII. *Kalendas Junii, Pontificatus noſtri anno* IV.

Conceditur virgini Claræ Ecclesia S.Georgii.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI. Epiſcopum Aſſiſii. *Ita addit. ad tom.1.num.14.*

II. Ultra hæc, bonam miſit pecuniæ numeratæ ſummam ad fabricæ ſubſidium, & Eccleſiam S. Georgii, in qua ad illud tempus ſancti Franciſci corpus requievit, eamque donavit virgini Claræ ejuſque ſectatricibus; procuratorem ſuum „ fratrem Simonem Vereduccium Minoritam Epiſcopum „ Aſſiſii conſtituens, qui contiguum extrueret Monaſterium, & fabricæ curam ageret, ut religioſæ Virgines totius viverent intra Civitatis mœnia, & ab ædis ſancti Damiani nimis anguſto liberarentur ergaſtulo. Sed & Eccleſiam novam, quæ ædificabatur in ſancti Inſtitutoris honorem, denuo multiplici gratia, & favore affecit exemptam faciens, quam antea anno II. ſui Pontificatus exemit a quacumque juriſdictione, ſibique immediatam, & totius Ordinis Caput, ac Matrem conſtituens. Vere tamen antiquitate caput eſt Conventus ſanctæ Mariæ Angelorum, & Mater ex inſtituta primitus ibi religione; ſed Cœnobium hoc Pontificio privilegio utrumque habet dignitate, auctoritate; & ex condito theſauro præcellit. Præclara etiam antitheſi in ſuis litteris locum antea vocatum *Collem Inferni*, appellat *Collem Paradiſi*, ut ex ſubjecto diplomate conſtabit. Cenſum annuum, libram unam ceræ in rei memoriam Fratres ſolvunt quotannis. Exemplar exſcriptum ex Vaticano, ubi habetur, ſub num. 22. offero, ſed abſque tempore conceſſionis, quod Scriptor præteriit, attamen conſtat ex ipſo diplomate datum fuiſſe ante translationem factam, dum dicit in eo Templo debere recondi ſancti Viri corpus; & ſi ex ipſo regeſto divinare licet, datum eſt circa idus Maji, vel eo tempore quo ſuperiores litteræ datæ ſunt; etenim in regeſto, quæ immediate præcedit epiſtola, data eſt V. idus Maji, & quæ proxime ſequitur XVI. Kalendas Junii.

GREGORIUS &c.

Miniſtro Ordinis Fratrum Minorum, ejuſque Fratribus morantibus apud Eccleſiam beati Franciſci in loco, qui dicitur Collis Paradiſi tam præſentibus quam futuris in perpetuum.

Caritas proficit in paupertate. *Matth. 25. 23.* S. Franciſci elogium.

Ecclí. 44. 8.

I*S qui Eccleſiam ſuam ſemper nova prole fœcundat, dignatus hæc moderna tempora prioribus conformare beati confeſſoris Franciſci ſpiritum in caritatis amore per inſpirantem gratiam excitavit, ut Apoſtolorum veſtigia imitatus in paupertate, in qua plus caritas proficit, relictis omnibus ſolum ſecutus fuerit æternæ beatitudinis largitorem, & velut fidelis ſervus & prudens laudabiliter operatus in talentis ei creditis, fructum in Eccleſia Dei attulit copioſum. Ab ipſo enim Ordinis veſtri ſancta plantatio, cooperante divina gratia, proceſſum habuit & progreſſum; qua palmites honeſtatis longe lateque producens, flores protulit, & odores effudit ad reſecanda nociva, & ſalubria inſerenda. Cum igitur apud Aſſiſium in fundo nobis & Eccleſiæ Romanæ oblato in loco, qui dicitur* Collis Paradiſi *in ejuſdem Confeſſoris honore conſtruatur Eccleſia, in qua recondi debet tam pretioſus theſaurus, ſanctum videlicet corpus ipſius, qui in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio, ut pro peccatis populorum fieret interceſſor, nos cum dignum ſit & congruens ut eadem Eccleſia prærogativa libertatis & honoris gaudeat propter eum, quem in cœlis Dominus exaltavit; pro ejus reverentia Eccleſiam ipſam ſub beati*

Digitized by Google

beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus. In primis ſiquidem ſtatuentes, ut Eccleſia ipſa nulli, niſi Romano Pontifici ſit ſubjecta, & veſtri Ordinis, cujus Inſtitutor & Pater extitit Confeſſor prædictus, caput habeatur & mater, ac in ea per Fratres ejuſdem Ordinis perpetuo ſerviatur. Prohibemus inſuper, ne quis audeat in eamdem Eccleſiam excommunicationis vel interdicti ſententiam promulgare, quam ſi proferre contigerit, tamquam contra Sedis Apoſtolicæ indulta prolatam decernimus non tenere. Pro conſecrationibus vero altarium, ſive pro Oleo ſancto, vel quolibet alio eccleſiaſtico Sacramento nullus ab eadem Eccleſia ſub obtentu conſuetudinis, vel alio modo quiddam valeat extorquere, ſed hæc omnia gratis vobis Epiſcopus Diœceſanus impendat; alioquin liceat vobis quemcumque malueritis catholicum adire Antiſtitem, gratiam & communionem Apoſtolicæ Sedis habentem, qui noſtra fretus auctoritate vobis, quod poſtulatur, impendat. Quod ſi Sedes Diœceſani Epiſcopi forte vacaverit, interim omnia eccleſiaſtica Sacramenta a vicinis Epiſcopis accipere libere, & abſque contradictione poſſitis; ſic tamen ut ex hoc in poſterum proprio Epiſcopo nullum præjudicium generetur. Quia vero interdum eadem Eccleſia non habet loci diœceſani copiam, ſi quem Epiſcopum Romanæ Sedis, ut diximus, gratiam & communionem habentem, & de quo plenam notitiam habeatis, per vos tranſire contigerit, ab eo benedictiones vaſorum, & veſtium, conſecrationes altarium, Ordinationes Fratrum Clericorum, auctoritate Apoſtolicæ Sedis recipere valeatis. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clauſis januis, excluſis excommunicatis, & interdictis, non pulſatis campanis, ſuppreſſa voce divina Officia celebrare. Paci quoque & tranquillitati veſtræ paterna in poſterum ſollicitudine providere volentes, auctoritate Apoſtolica prohibemus, ut infra clauſuras locorum veſtrorum nullus rapinam ſeu furtum facere, ignem apponere, ſanguinem fundere, hominem temere capere, vel interficere, ſeu violentiam audeat exercere. Ad indicium autem hujus libertatis ab Apoſtolica Sede perceptæ unius libræ ceræ cenſum, Nobis & Succeſſoribus noſtris annis ſingulis perſolvetis. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatam Eccleſiam temere perturbare, aut ejus bona auferre, nec ablata retinere, &c. uſque profutura; ſalva Sedis Apoſtolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum &c. cunctis autem &c. Datum Laterani per manum Magiſtri Martini S. R. E. Vicecancellarii.

Exemptio Eccleſiæ Aſſiſiatis, & privilegia.

III. Multis præmiſſis præludiis, & magna præparata ſolemnitate, tamdem in profeſto Pentecoſtes die xxv. Maii facta eſt translatio, elevata e terra magno cum clangore tubarum, aliorumque inſtrumentorum capſa lignea, in qua ſanctum corpus occludebatur, impoſitaque plauſtro, ſeu currui pulcherrimo, mira & pretioſa varietate ornato, quem ob ingentem molem trahebant boves purpura cooperti. Vi & armis voluerunt eſſe præcipui actores in hoc ſpectaculo Cives Aſſiſiates, adhibitis multis cuſtodibus, & valida militum manu, caventes ne dolo ullo, aut arte ſurriperetur, vel præſciſis ullis partibus minueretur adeo inſignis theſaurus. Conſtituti erant Miniſter Generalis, & alii graves Ordinis Patres, Pontificis nomine & auctoritate, Commiſſarii hujus translationis, quibus tamen non adeo liberum fuit eam per ſe facere, nam Civitatis Rectores id ſibi muneris aſſumpſerunt, & ut ventum erat ad Eccleſiam reſtiterunt communi omnium deſiderio corpus videre volentium, nam rapientes illud in ſuperbia, & tumultu translationis myſterium damnabiliter pro-

Fit ſolemnis translatio.

Conſules Aſſiſii translationẽ perturbant.

phanarunt, non paſſi a Fratribus prædicto corpori debitam venerationem exhiberi, dum omnia perturbarunt, omnia confuderunt. Ita refert Pontifex graviſſimo de hac re diplomate, ſtatim ſubjiciendo, licet aliqui ex noſtris culpam omnem rejiciant in Eliam, cui plura ultra veritatem impoſita; quod ſit frequenter his, qui regunt, præſertim iis, quorum ſemel deperiit opinio, ut facile quidquid ſit mali in eos refundatur, & dubiæ noxæ, quorum actor incertus, illis affigantur. Fortaſſe in eo laboravit Elias, ut non pateret rapinæ corpus, & ut ab omnium auferretur oculis ea arte, ut nulli innoteſceret locus, in quo recondebatur, nec cuniculus, aut oſtiolum, per quod deſcendebatur ad Eccleſiam ſubterraneam. Turbati non parum Fratres ex tanto tumultu & fraudato deſiderio, nec defuerunt, qui apud Pontificem quererentur, ad quorum relationem vehementer commotus, increpavit aſpere Aſſiſiates, juſſitque ut coram in Urbe apparerent ex Senatu aliqui dignam tanta temeritate pœnam ſoluturi. Injunxit etiam per piiſſimas & graviſſimas litteras Epiſcopis Peruſino, & Spoletano, ut curarent plenam ſatisfactionem dari ipſi Pontifici tantæ injuriæ, quam ſibi, ait, irrogatam. Habetur in ejus regeſto numero 38.

GREGORIUS &c.

Peruſino, & Spoletano Epiſcopis, &c.

Multa Pontificis beneficia erga Aſſiſiates.

SPeravimus hactenus ut poteſtas, conſilium, & populus Aſſiſinatenſis multiplicem gratiam, qua eos adhuc in minori officio conſtituti prævenimus, & ſumus continuo proſequuti, ſicut convenit, agnoſcentes, ſectarentur agnitam, reverenter noſtris beneplacitis omnimodis obſequendo, ut ſemper in gratiam creſcerent ampliorem. Sed quod non ſine amaritudine referimus vehementi, ipſi gratis ingrati, nobis malum pro bono iniqua viciſſitudine rependentes, in eo nos acriter provocarunt, in quo debuerant nobis ſummo ſtudio potiſſime complacere. Cum enim beatum Franciſcum glorificatum in cælis, clarificantes in terris ipſum adſcripſerimus catalogo Confeſſorum, & in honorem ejus Eccleſiam fundari volentes, de manibus noſtris lapide ibi primario poſito, ipſamque duxerimus eximendam, ut libertatis titulis decorata ſemper niteret celebris & inſignis, ipſi non attendentes innumera bona, quæ Civitati eorum, quin etiam univerſis & ſingulis exinde poterant provenire, omnia perturbarunt, omnia confuderunt in animarum ſuarum periculum, famæ diſpendium & jacturam etiam temporalem. Sciant ſiquidem quod Nos ſanctiſſimum corpus Confeſſoris prædicti pio amore venerabiliter amplexantes, tranſlationem ejus dilectis filiis Generali Miniſtro, & quibuſdam aliis Fratribus Ordinis Minorum viris religioſis, & timoratis, tamquam Vicariis noſtris, commiſimus confidenter, cum non niſi auctoritate Apoſtolicæ Sedis eſſet tranſlatio facienda, ibique illam conceſſimus Indulgentiam, quæ limina beatorum Petri & Pauli viſitantibus concedi conſuevit; ſed ipſi veſano ſpiritu concitati, non attendentes quod ſacra myſteria non niſi a ſacris ſunt tractanda Miniſtris, prædictum corpus auſu ſacrilego rapientes in ſuperbia & tumultu tranſlationis myſterium damnabiliter prophanarunt, non paſſi a Fratribus prædicto Sancto venerationem debitam exhiberi. O quæ inſania ipſos taliter faſcinavit, ut ſacerdotale ſibi Officium uſurpantes, rem divinam, Deo contrectarent invito! Nonne ſciunt quod Oza inclinatæ arcæ Domini manum apponens, a Domino percuſſus interiit, qui videbatur utcum-

Primum poſuit lapidem Eccleſiæ Aſſiſiatis.

Commiſſarii & Vicarii Pontificii in tranſlatione Minores.

Confunditur ſolemnitas tranſlationis per Aſſiſiates.

Ægerrime hoc refert Pontifex.

Digitized by Google

cumque veroſimiliter excuſandus, quia ne arca caderet inclinata manum appoſuit adjutricem? Nonne audierunt quod Ozias ingreſſus Templum Domini, quia ſuper altare thymiamatis incenſum voluit adolere percuſſus eſt lepra? ut perfecte detur intelligi, quod contrectatio divinorum eſt laicis penitus interdicta. Nonne poſſunt ex ſimili culpa pœnas ſimiles formidare? Ceterum ut ſciant quam graviter Nos, imo Dominum offenderunt, auctoritatem Nobis in ſancto prædicto volentes adimere, nos prædictam Eccleſiam, quam eximimus, Epiſcopi, & Capituli Aſſiſinatis ſubjicimus ditioni, prohibentes, ut ibi de cetero nullatenus generale Capitulum celebretur, nec aliqui de Fratribus commorentur, & locum ſupponimus Eccleſiaſtico interdicto, donec nobis de tanta injuria ſatisfiat. Ne vero contra eos ſeverius procedere compellamur, univerſitati eorum noſtris damus litteris firmiter in præceptis, ut infra XV. *dies poſt ſuſceptionem earum, viros idoneos univerſitatis nomine ad noſtram præſentiam deſtinare procurent, paratos ſatisfactionem plenariam exhibere, ac de ſtando mandatis noſtris præſtare ſufficientes cautiones. Quocirca Fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi poteſtas, conſilium, & populus prædicti præceptum noſtrum neglexerint adimplere, vos in poteſtatem, & conſilium excommunicationis, & in terram interdicti ſententias, appellatione poſtpoſita, promulgantes, faciatis eas uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Datum Laterani* XVI. *Kalendas Junii Pontificatus noſtri anno* IV.

1. Reg. 6. 7. *2. Paral. 26. 9.*

IV. Quonam modo tunc conditum corpus, nullus quem viderim expreſsit, nec ex noſtris ullus eſt, qui memoriæ tradiderit, ſe illud vidiſſe, quantumvis non defuerunt viri Principes, qui illud cernere voluerunt, & obtinuerunt, Ægidius Carillius Albornotius Cardinalis Hiſpanus, vir præclariſsimus, perpetuæ etiam inter Italos memoriæ, Nicolaus IV., & Sixtus IV. Pontifices Maximi, Dux Mediolanenſis Franciſcus Sfortia, & viri quidam Aſſiſiates, quorum unius ego mox teſtimonium proferam. Refert Rodulphus, veniſſe Pio V. ſancto Pontifici in mentem ſacrum hoc videre depoſitum, ſtricteque mandaſſe Joanni Pico Camerti Miniſtro Generali Patrum Conventualium, cui Auctor tunc erat a ſecretis, ut in hanc curam obnixe incumberet, ſi forte inveniret viam tantum adeundi, vel aperiendi theſauri. Suffodit die noctuque inceſſanter bonus ille Vir, ſed inanis fuit omnis ejus conatus & induſtria, quia divino numine factum eſt, ne pretioſum depoſitum furibus vel hoſtibus pateret. Similiter legitur de corpore beati Jacobi Compoſtellæ adeo profundo & occulto conditum loco, ut nequaquam poſsit illuc quiſpiam pervenire. Inter noſtros, & præcipue in ſacra illa æde perpetua traditio eſt, & communis conſenſus, cadaver erectum in pedes, integrum, illeſum, oculis apertis, vulneribus recentem manantibus ſanguinem adhuc conſervari. Ita vidit Nicolaus V. & qui cum eo erant, quorum unus ſub morte ubi adulari, nec mentiri adeo facile licet, rem omnem narravit. Hiſtoriam exceperunt alii, qui ita tranſcripſerunt.

Viderunt plures corpus S. Franciſci.

Rodul. fol. 247. Rodul. cit.

Sedul. in comment. ad vitam S. Franciſci cap. 25.

Ad Reverendiſſimum atque ornatiſſimum D.D. Andrienſium Epiſcopum.

Franciſcus de Bautio Dux Andriæ Com. P. F.

Epiſtola de ſitu corporis ſancti Franciſci.

SCripturus ego ad te Pontificis Nicolai progreſſum, qui Seraphici Patris Franciſci corpus viſitaverat perſonaliter, veritus ſum, ne, ut parum inſtructus, tamquam imperitus a probis & gravibus Viris arguar. Attamen quoniam in negotio, quod aggredior, non levitate, ut ita dicam, aut temeritate aliqua, quin potius reverentia & devotione fretus ſum; idcirco ad te admodum Reverendum hanc epiſtolam, & ſi incultam, omni tamen veritate plenam, deſtinare curavi. Ad te inquam, qui poteſtate tibi credita Eccleſiæ Dei partem gubernas & regis. Novi enim ut reor, te recentem ac vivam memoriam retinere eorum, quæ hic modo ſubinferuntur. Quapropter etſi in his, quæ per me ſcribenda ſunt, aliquid me prætermiſiſſe, vel plus ſatis addidiſſe perſpexeris; articulis tuis idipſum, tua ſolita benignitate & prudentia, qua plurimum polles, emendare & corrigere poteris. Novi enim ob imperitiam meam, me fallere, ac falli poſſe in hoc negotio; Te autem, qui clavem David ſolus habes, rogatum eſſe vellem, ut in hanc horam ſermonem rectum ac bene ſonantem in os meum concedere digneris, ut ea digne dicere valeam, quæ infructuoſo ſilentio pertranſire nefas eſſet. Te, inquam, Dominum, Dominum meum Jeſum Chriſtum ſupplex deprecor, ne hujus rei per me enarrandæ devotionis fructu caream, & expers ſim.

Apoc. 3. 2.

Jacobus quidem Laquidonenſis Eccleſiæ Epiſcopus, dum nonis Martii Andriæ eſſet, tuque & ipſe ſimul alloquentes, veſtros vultus admiratione non minima replevíſtis. Quod cum ego, qui ſimul aderam, intuitus eſſem, cauſam tantæ admirationis, tamquam curioſus, a vobis inquirere cœpi. Eapropter Jacobus, qui mihi intimior erat, his verbis affatus eſt, ut ad me converſus diceret: ſi quæ per tempora retroacta aures meæ expertæ ſunt, non ignorares, tibi quoque admirationis ineſſet cauſa. Ad quem ego: Quæſo ut quæ audiſti ediſſeras. Tunc ille: mallem, inquit, & per contritionem lacrymari, quam in his cordis hilaritatem oſtendere. Cum autem hæc ab eo audiviſſem, avidius adorſus ſum hominem, & opportunam horam quæritans, deprecatus ſum eum, dicens: Utinam palam abs te iſta cito docear. Et ille, libenter faciam, inquit, ſed magni ponderis res iſta eſt, & non omni homini aperienda. Attamen tu diligenter & attente audi, & auſculta. Aſtergius quidam tituli ſancti Euſebii presbyter Cardinalis, Beneventanæ urbis olim Archiepiſcopus, dum in extrema valetudine eſſet poſitus, febrique valida quammaxime vexaretur, ut putaret ſibi vicinam mortem fore nocte ſuperveniente, quæ finem languoris ſecum ferre videbatur: ſic enim viribus corporis deſtitui viſus eſt, ut vix crederetur eum ſupervicturum in craſtinum. Ego vero Jacobus, qui nimio amore hominem diligebam, cum præſens eſſem, ejuſque miniſter, attente ſuper eum vigilabam, flebamque: Ipſe vero ſic in extremis laborans, non minus devote, quam pie in hanc vocem prorumpens, clamabat: O Franciſce! *Mane autem facto, cum pauluſculas utcumque vires reſumpſiſſet, omni cum manſuetudine deprecatus ſum hominem, ut cauſam ejuſmodi invocationis Franciſci mihi innoteſcere dignaretur. At ille: O Jacobe, quem, inquit, in amore tibi prætuleram? Porro ſi alius interrogaſſet me de ejuſmodi rei cauſa, forſitan non illam ei panderem; dicam tibi nihilominus, & tu attente auſcultabis.*

Ni-

Nicolaus hujus nominis Pontifex V. anno Domini MCCCCXLIX. *beati Petri Apoſtoli Sedem ſtrenue gubernabat. Huic dum Aſſiſii moram traheret, venit in mentem, ut beati Franciſci corpus oculis propriis inſpiceret, ob quam cauſam accerſitus eſt ab eo dominus Petrus de Noceto, ad quem Pontifex: Vade, inquit, ad Guardianum loci hujus, & meo nomine illi ſignificabis, me omnino viſitaturum eſſe, & viſurum beati Franciſci corpus. Ivit autem Petrus, & juſſa ſibi impoſita perficiens, reverſus eſt ad Pontificem, dicens: Feci beatiſſime Pater quod mandaſti. Guardianus, iis auditis ſermonibus, nimio pavore correptus eſt, ita ut in magno dubitationis agone fuerit poſitus: ex una enim parte contradicere non audebat voluntati ſummi Pontificis; ex altera vero verebatur, ne tam ſacrum & pretioſum pignus auferretur ab Ordine, veluti per alios prius fuerat attentatum, & ipſe poſtmodum calumniam ſuſtineret a Civibus. Ea propter adiens Pontificem, modo huc, modo illuc, tamquam demens & vagus incedebat, celans animum ſuum. Cum autem fortiter cogeretur, ut Pontificium impleret mandatum; petit humiliter, ut rem iſtam Fratribus loci palam facere permitteret Pontifex; qui poſtquam illos fuiſſet allocutus, ad Pontificem iterum reverſus eſt, dicens: Obedientiam, prout Ordinis dignitas expoſtulat, tibi præbere parati ſumus, beatiſſime Pater, dummodo unum, juxta beneplacitum noſtrum, impleveris. Porro ſi tui deſiderii cupis eſſe compos, tribus tantum, & non pluribus tecum aſſumptis, ad locum deſcendere neceſſe eſt. Quinta vero noctis hora adveniente, deſcendet tua ſanctitas, & oculis propriis conſpicies, quem ardenter videre deſideras. Quo audito Nicolaus Pontifex, qui recte & ſinceriter ſe gerebat in negotio, lætus, inquit, aſſentior. Gallicus vero quidam Epiſcopus magna auctoritate vir apud Pontificem, hæc audiens, Pontificem allocutus eſt, dicens: Non tibi convenit, beatiſſime Pater, horum Fratrum aſſentiri voluntati propter ſcandalum, quod Eccleſiæ Dei advenire poſſet. Non ſic erit, inquit; quoniam recte ac fideliter in hoc negotio pergo; idcirco, Deo præſtante, mei deſiderii compotem me fore ſpero. His dictis, Pontifex Nicolaus elegit me Auſtergium, Petrum de Noceto, & præhabitum Epiſcopum Gallicum: Guardianum vero cum tribus Fratribus ſimul adeſſe mandavit, viſitaturis ipſis, & viſuris corpus beati Patris: qui nobis juncti, ſuiſque indumentis depoſitis, hora congruenti cum adfuiſſemus ad paratum locum, amoti ſunt lapides, cum quibus janua fabricata erat; graduſque marmoreos diligenter aſpeximus, quos & magno ſilentio deſcendimus. Et ecce oſtium ferreum habuimus obvium, in quo tres catenæ ferreæ ex ordine ſtabant; quæ illico fuerunt apertæ clavibus. Tunc Guardianus flexis genibus Pontificem allocutus, ait: Ingredere, Pater ſanctiſſime; qui ſolus ingrediens ante pedes ſancti corporis proſtratus humiliter, tam vehementer plorabat, ut fremitus audiretur a nobis.*

Auſtergii Cardinalis narratio.
Vult Nicolaus Pontifex videre corpus S. Franciſci.

Ingreditur Eccleſiam ſubterraneam.

*Poſtquam vero Summus Pontifex conſequutus eſt quod deſiderium ſuum flagitabat, ad ſe reverſus introduxit & nos, qui cum perveniſſemus ad locum, ſtupor equidem incredibilis omnes invaſit. Vere inveſtigabiles viæ Domini, & judicium ejus ab omni humana cogitatione prorſus alienum! Quis unquam audivit, aut quis talia effatus eſt, ut corpus humanum per tot æva mortuum ſuper plantas proprias recte ſtaret? Sed non fuerat abbreviata manus Domini. Erat autem locus ille cernentibus nobis, inſtar parvæ Eccleſiæ, habens tres * tribunas in teſtudine rectas. Media vero, quæ ab interiori parte erecta erat, miro marmoreo tabulato fabricata videbatur: in cujus medio * laſtra marmorea poſita erat, ſupra quam ex Orientali latere corpus illud ſacrum Franciſci ſeraphici erectum ſtabat, facie ad Occaſum tendens, & oculis elevatis in cœlum: manus vero coopertæ erant habi-*

Rom. 11. 33.
Corpus Franciſci in pedes erectum.

Iſaia 59. 1.

* *Id eſt tres fornices, ſeu cameras.*
* *baſis, ſeu pes columnæ.*
Oculis in cœlum apertis.

habitus manicis, & ſimul junctæ, ut Fratres ferre conſueverunt.

Erat autem corpus ita incorruptum, quaſi eſſet prima die poſitum; videbatur enim quaſi dormiens. Ex alio vero latere, alium erectum ſtantem vidimus, habitu beati Dominici, qui & manus ſimul junctas habebat, cum articulis ſurſum junctis, veluti mos eſt orantium: oculi vero ejus ad beati Franciſci pedes intuebantur. Ambo autem ita lucidos & ſplendentes habebant oculos, ut nulla ad vivos eſſet differentia. Odor inſuper ſuaviſſimus talis erat, ut olfactus hominum nunquam talem ſenſerit.

Cumque Summus Pontifex a lacrymis & gemitibus abſtinuiſſet aliquantulum, ad beati Franciſci pedes iterum procumbens, manu fimbriam ejus veſtimenti extulit: nos vero ſine ſotularibus pedes adſpeximus. O igitur felices oculi, qui hæc videre meruerunt! O fortunati animi, qui hæc meditari digni inventi ſunt! Magna enim his fuerat collata gratia, ut in ſervum liquido aſpicerent, quæ in Deum minime videre poterant. Erat enim in pedis Sancti medio foramen cum ſanguine ita recenti, ac ſi tunc mucrone pes fuiſſet confoſſus. Cujus quidem rei aſpectu ſingultus magnus omnes arripuit. Et quis cogitare poſſet animi motionem? Animam præ devotione liqueſcere? alienari ſenſum? & vires totas deſtitui? Omnes autem ante receſſum e loco oſculum dedimus ſancto pedi, omneſque pariter ob odorem refocillati ſumus. Pes vero alius fimbria habitus operiebatur, nec nobis viſum fuit illum violenter arripere. Manus ſimiliter perforatæ, ut pedes cernebantur, recentem ſanguinem oſtendentes. O igitur memoria profunda noſtræ redemptionis in ſervo intueri, quæ in Redemptore prius fuerant! O igitur ſacra vulnera, & dulci oſculatione digna, quæ poſt humanum lapſum in remedium data ſunt! Et quis noſtrum, qui ibidem aderamus, auſus fuit amplius corpus ſacrum tangere, niſi ſolus Summus Pontifex? Ipſe enim manus illius pretioſas devotiſſime oſculatus eſt, oſculumque ſacro ori dedit. A quinta vero noctis hora uſque ad undecimam illic manſimus, ſuaviſſimo odore repleti. Cum vero a narrantibus nunciatum fuit nobis diem prope eſſe, doluit quam maxime: viſum enim fuerat nobis per horam ibi fuiſſe.

Quinq; vulnera recentia.

In illis vero tribunis ſociorum beati Franciſci corpora tumulata jacent: unuſquiſque enim locum ſuum poſſidet, unus hinc, & alter illinc: ante oſtium vero loci jacet corpus illius eſtatici viri Dei Fratris Ægidii; quorum corpora abſque diminutione ulla, integra cernuntur, ſuaviſſimum odorem redolentia. Ad extremum autem cum magna animi fortitudine roborati, omnes inde receſſimus. Cardinalis vero Auſtergius, quem ſuperius memoravimus, quamvis in memorata infirmitate aliquantulum convaluiſſet in die, attamen nocte ſequenti naturæ debitum ſolvit. Nec eſt dubitandum quod tantus homo, a quo hæc quæ narravimus, accepimus, dum ad vitæ perveniſſet extrema, compoſuiſſet mendacium, referens illa, quæ vera non eſſent. Affirmabat quoque antequam ſpiritum cælo redderet, quod Nicolaus Pontifex, dum e loco illo ſacro recederet, promiſiſſet Guardiano, & ceteris qui ſimul aderant, nulli mortalium palam facere quæ viderat, dum ipſe viveret, quamvis non parvipenderet illa manifeſta fieri apud homines devotos, & probos, qui non ſecundum carnem ambulant.

Alia narratio circa ſitum ejuſdem corporis.

V. Aliam addo rationem illuſtris viri D. Galeotti a Galeottis de Biſtochio, qui anno MDIX. meruit videre ſancti Viri corpus, cujus ſitum & conditionem hic deſcribit, relicto autographo filio ſuo Antonio Franciſco, dato XII. Kalendas Decembris ejuſdem anni, mihi tranſmiſſo ex Archivo ſanctæ Mariæ Angelorum apud Aſſiſiates, quod ex vulgari italico

Digitized by Google

lico placuit latinum tranſcribere. *Ego Galeottus a Galeottis de Biſtochio vidi ſanctiſſimum corpus mei Patris ſancti Franciſci, quod adhuc vivum apparet, & operimentum ejus intactum atque immaculatum. Ut oſtium aperuit R. P. Caſtos, ex ſacro corpore talis ac tanta ſuaveolentia proceſſit, ut amplius nihil poſſet deſiderari; ſtigmata item adeo recentia, & rubicunda ut vivi corporis viderentur. Feliciter hoc conſpectu potiti ſumus tribus ſub auroram horis die* XVIII. *Novembris comitantibus R. P. Fratre Julio a Leccio ſacri Conventus cuſtode, & Fratre Juſtiniano a Colloſtate ſacriſta. Nec abſque pretio obtinui; diſſidentibus etenim inter ſe his Patribus, conſenſum extorſi multo nummo, cooperante meis votis ipſo ſancto Patriarcha. Eccleſia, in qua ſervatur pretioſus hic theſaurus ſpecioſa eſt, januam habet e regione altaris præcipui, ad quod per egregium pervenitur ambitum; deſcenditur vero in Eccleſiam per gradus ſeptemdecim, quorum unumquemque nos in deſcenſu ſacravimus una oratione Dominica, & ſalutatione Angelica. Modo experiemur, quid vitæ ſuperſit. Tibi autem Antoni, Franciſci dilecte fili, hanc relinquo memoriam, & hortor ut, quantum in te fuerit, coneris ſimilem aſſequi gratiam, firmiter ſpondens ſummam te a Domino conſolationem aſſecuturum. Interim S. P. Franciſco te ex viſceribus commendo.*

VI. Addidit illud de vitæ diuturnioris experimento propter communem aſsertionem, quod tam ſacrum & religioſum vult Dominus ſanctum corpus, ut non liceat ejus inſpectoribus illud videre & vivere longiorem vitam. Rebus religione & ſacramento plenis, ita aliquando venerationem & reverentiam Dominus conciliat, vel quia ad myſteriorum eorum aſpectum excæcantur, imo & exanimantur curioſi inſpectores, vel quia vitam ipſe Dominus tollit, ne quod ſacrum, & ſilentio dignum eſt, pluribus propalent. Addo hic item ſepulcri, vel ſuppedanei lapidis epitaphium, exſcriptum a quodam Ducis Mediolanenſis Franciſci Sfortiæ comite delubrum hoc ſubingreſso, a cujus poſteris illud accepi.

Res myſterioſæ ſecretæ.

Epitaphium ſepulcri S. Franciſci.

V. S. C. A.

FRANCISCI ROMANI
CELSA HUMILITATE CONSPICUI
CHRISTIANI ORBIS FULCIMENTI
ECCLESIÆ REPARATORIS.
CORPORI NEC VIVENTI NEC MORTUO
CHRISTI CRUCIFIXI PLAGARUM
CLAVORUMQUE INSIGNIBUS ADMIRANDO
PAPA NOVÆ FÆTURÆ COLLACRYMANS
LÆTIFICANS ET EXULTANS
JUSSU, MANU, MUNIFICENTIA POSUIT
ANNO DOMINI MCCXXVIII.
XVI. KALENDAS AUGUSTI.
ANTE OBITUM MORTUUS, POST OBITUM
VIVUS.

VII. Litterarum quatuor capitalium ille ſenſus Viro, Seraphico, Catholico, Apostolico, dicitur autem Franciſcus Romanus, vel ex ſumma obedientia, & pietate erga Sedem & fidem Romanam, vel quia

Scriptores geſtorum & vitæ ſancti Franciſci.

Aſſi-

Digitized by Google

Aſſiſium Romanæ eſt ditionis. Hucuſque deduximus hujus ſancti Viri hiſtoriam ex pleriſque Scriptoribus, quorum catalogum inteximus, ut plane conſtet, res ejus candide & ſincere fuiſſe exaratas. Primus omnium ejus vitam conſcripſit ex præcepto Gregorii IX. a quo Legenda ipſa denominata, Thomas Celanus Provinciæ Pennenſis, nunc ſancti Bernardini dictæ, ſancto Patri familiaris, a quo, vel a ſociis accepit cuncta, quæ retulit. Secundus venerabilis Dominus Joannes de Ceperano Notarius Apoſtolicus in ſanctum Virum ſumme propenſus. Tertius, Anglicus quidam Legendam illam Celani ad metrum gravis & docti carminis heroici reduxit. Quarto, diffuſius ejus acta retulerunt ſocii tres Leo, Angelus, & Rufinus ex præcepto Miniſtri Generalis Fratris Creſcentii. Quinto, ad ejuſdem mandatum, prænominatus Celanus ampliorem quam ante ſcripſit ſancti Viri hiſtoriam, cui ſecundam addidit partem, ita præcipiente Joanne Parmenſi Miniſtro Generali, atque hæc illa, quæ communiter nuncupatur Legenda antiqua. Sexto, gravem, & candidam ex omnibus Legendam contexuit ſanctus Bonaventura, id rogante univerſo ferme Sodalitio. Deinde breviorem concinnavit aliam, quæ diſtribuitur per Officium recitandum in ſolemnitatibus ſancti Franciſci. Septimo, Bernardus a Beſſa Bonaventuræ ſocius, ejuſdem Sancti geſta longiori complexus eſt hiſtoria. Octavo, Bartholomæus Piſanus quidquid omnes narrarunt per ſuas conformitatum & fructuum ſectiones ita diſtribuit, ut operoſum ſit quidquam ex eo ſecundum methodum hiſtoricam decerpere. Nono, Jacobus Oddo Peruſinus per duodecim virtutum partitiones omnem Franciſci vitam diſpertivit vetuſto idiomate italico. Plura item fragmenta ſcripſerunt Frater Hugolinus de Monte majori, Frater Jacobus de Senis, & Frater Jacobus Guarrini, quorum omnium Opuſculis, in referenda hucuſque vita & morte Franciſci, uſi ſumus, & potiora tranſcripſimus. Demum Franciſcus Maurus Hiſpellas erudito carmine tredecim libris vitam complexus eſt ſancti Inſtitutoris. Omitto exteros & recentiores Jacobum a Voragine, Petrum de Natalibus, Alphonſum Villegas, Ribadeneiram, & alios Legendarios.

VIII. Ut vero ad Eliam revertatur oratio, fuerit ille in culpa, an non illius tumultuariæ tranſlationis? Fratres contra eum valde concitabantur, quibus ſedandis omnem curam adhibuit. Sed ex medicina vulnus majus evaſit, nam dum cogitaverat rem gratam ſe præſtitiſſe obtinendo quædam privilegia contra genuinam Regulæ obſervantiam, præcipue circa res pecuniarias, quas in quibuſdam caſibus recipi poſſe per interpoſitas perſonas obtinuit, & perſuadere vellet Fratribus non adeo ad unguem, neque ad litteram obſervabilem eſſe normam vivendi a ſancto Franciſco traditam, niſi ab hominibus ſibi ſimilibus, & Deo proximis, præcipuos contra ſe concitavit. Etenim qui Franciſci ſpiritus, & voluntatis erant participes, ad iniquas has perſuaſiones conturbati intra ſe clanculum inierunt conſilium; neque enim in publicum audebant prorumpere, timentes hominis indignabundam poteſtatem, & copioſum eorum numerum, qui ei adhæſerunt, & in admittendis relaxationis privilegiis ei conſenſerunt partim ex timore, partim ex ſimplicitate & ignorantia. Metum omnem excutientes duo viri præſtantes Antonius Luſitanus a Padua dictus, & Adam de Mariſco Anglus reſtiterunt homini in faciem, viriliter objicientes, hæc ejus privilegia in Religionis tendere ruinam, & ſubverſionem ſtatus Evangelici, quem promiſerunt obſervare. Anteſignanis his in acie conſtitutis acceſſerunt alii

Ex obtentis laxis privilegiis concitantur Fratres in Eliam.

Reſiſtunt ei Antonius Patavinus & Adamus de Mariſco.

Viri

Digitized by Google

Viri præſtantes, præcipue Albertus Piſanus, & Joannes Bonelli Florentinus, ille Angliæ, hic Provinciæ Miniſter, qui Capitulum Arelatenſe celebrabat quando, prædicante hoc ipſo Antonio, ſanctus Franciſcus ad oſtium apparuit, Fratribus benedicens.

Nullus tamen auſus eſt palam Eliæ reſiſtere præter hos duos, qui patenter Regulæ puram obſervantiam illæſam volebant. Non fecerunt tamen impune, nam & malo verbo & duro verbere affecti, complices Eliæ ſenſerunt moleſtos contradictores, qui tamquam in ſchiſmaticos, & Ordinis diviſores animadvertendum contendebant. Videntes illi nihil ſe proficere, imminereque ſibi periculum, & Religioni detrimentum, contra quaſdam ſententias ſevere in ſe latas appellationem ad ſanctam Sedem interpoſuerunt. Nihilominus Elias eos carceri mancipari voluit, feciſſetque, niſi cujuſdam gravis viri Jannenſis, Apoſtolici Pœnitentiarii, Papæ confeſſarii, regularis obſervantiæ zelatoris, auctoritate protegerentur, cujus aſtu e manibus perſequentium evaſerunt, & cum ipſo Patre Pœnitentiario, a facie inimici fugientes, ad Dominum Papam perrexerunt. Fugam audiens Elias, ſuſpicari & timere cœpit deferendas querelas Pontifici, urgendaſque a Confeſſario amico, miſitque nuncios & litteras per veloces tabellarios, qui fugientes caperent, vel ab itinere reducerent. Illi vero ſibi caventes, a regia via ad anfractus deflectentes, in præparatas ſibi inſidias non inciderunt, feſtinato greſſu ad Pontificem properantes. In pii Patris conſpectu poſiti, gratanter ab eodem recepti ſunt, nam & eorum virtutem & doctrinam a multis diebus perſpectam habebat, querimoniaſque placide nimis excepit, ingemiſcens tam cito ab Inſtitutoris morte ſanctum Inſtitutum adeo valide concuti, & filios ſtudia in contraria diſcindi. Miſſo itaque curſore, citavit coram ſe Miniſtrum Generalem Eliam, & viros omnes capitulares, ut tanto malo maturius obveniret.

Sed non impune.

Fugiunt ad Papam.

IX. Alium interim ſenſit Elias moleſtum, ſed minime turbulentum vitæ ſuæ reprehenſorem, Bernardum a Quintavalle, primum a Franciſco Minoritam, cujus magna apud omnes veneratio. Ex collecta namque undique pro Baſilicæ ſtructura pecunia, abundanter in ſuos uſus profundens, laute vivere, famulos & equum bene habitum alere, in cubiculo vitam ſplendidam agere cœpit, id ſibi ex neceſſitate licere, & ad regiminis auctoritatem conducere prætendens. Lepide tamen, ſed ſincere hæc omnia redarguebat Bernardus; cum enim obviaret Eliæ equitanti, aut equo inſilienti, inſufflabat vel exſibilabat dicens; bene curas equum tuum Frater Elias, pinguis & nitidus eſt; atque hæc repetens clunes palma terebat, & ad agaſonis modum pauperculo palliolo tergebat. Quando etiam laute manducabat Miniſter in camera, e triclinio vel refectorio ſurgebat Bernardus, portans una manu panem, altera paropſidem, & ad oſtium pulſans cubiculo ſeſe ingerebat, & abſque invitatorio aſſidebat Eliæ in menſa dicens; ego etiam volo tecum manducare de bonis magni Domini, quæ pauperibus largitur. His & aliis ſimilibus facetis Bernardi obtrectationibus valde cruciabatur interius Elias, ſed exterius riſu rem diſſimulabat, timens ne ſi quid in tantum Virum, & adeo a Franciſco commendatum moliretur, excitaret contra ſe Fratrum indignationem, qui hominem Deo carum & ſanctum veluti ipſum venerabantur Inſtitutorem.

Bernardus a Quintavalle reprehendit lepide Eliam.

X. Vocatus vero a Pontifice Romam, cum omnibus conſcriptis ad Comitia Patribus adfuit, quibus in unum congregatis coram ſanctiſſimo Do-

Objiciuntur plura Eliæ coram Pontifice.

Domino intrepide multa ei objecerunt duo illi Luſitanus & Anglus, qui a facie ejus aufugerant, vitam lautam, equum bene habitum, plures domicellos, privatum victum, & præ omnibus extorta vel fallaciter, aut ſubreptitie obtenta ab ipſo Pontifice privilegia in manifeſtam puræ obſervantiæ jacturam. Ad hæc reſpondit Elias: reſtiti, Pater ſancte, electioni de me factæ poſt Inſtitutoris obitum, atque allegavi me debilioris eſſe complexionis quam ut pedes poſſim hinc inde per Provincias diſcurrere, aut ſtrictam agere vitam communem; Electores vero inſtiterunt, ut impoſitum officium admitterem, cui exequendo ſi neceſſarium eſſet, volebant ut aurum manducarem, & equum haberem. Admiſſo deinde ad illorum preces officio, equo omnino indigui; huic ducendo agaſo neceſſarius; deinde ad multa miniſteria, & varios diſcurſus opus eſt famulo; his alendis nummos oportet in promptu habere, quæ licet neceſſitas & Fratrum conſenſus approbabat, attamen ad majorem conſcientiæ ſecuritatem cum veſtra ſanctitate egi, ut amplius hæc mihi licerent. Deinde circa curam fabricæ mihi impoſitam ſignificavi voluntatem ſancti Franciſci, mihi per ipſum ſecreto patefactam, & ex parte V. S. perſpectam, neque tam inſigni Viro, & pretioſis reliquiis digna potuit præparari Baſilica abſque multa & ſolerti collecta pecuniæ. Et ſic per ſingula tanto eloquentiæ ornatu, & apparenti rationum pondere reſpondit, ut audientibus injuſte videretur accuſatus. At ex oppoſito arguens Antonius, inquit: ſanctiſſime Pater, ſi juxta morem loquendi, conceſſum ei fuit aurum manducare, non tamen aurum theſaurizare, ſi equum habere, non ad ſcandalum nobiliter alere; ſi pro fabrica moleſte colligere, non Ordinem univerſum expilare; ſi ſuis neceſſitatibus privatim indulgere, non Principis vitam agere, atque malo exemplo univerſum Ordinem laxare. Pater ſancte: hæc illa hujus noſtri Primicerii norma vivendi. Intumuit cholera & bile Elias, nec ſe potuit continere, quin ultra omnem urbanitatem, coram Pontifice diceret eum mentiri.

XI. Commotus Pontifex ad hominis exceſſum omnibus ſilentium indixit, neque ipſe per horæ medium quidpiam dixit, alto trahens pectore ſuſpiria, ſæpius ſublevatis oculis in cœlum, donec tamdem in hæc verba prorupit: tu Rex altiſſime apud te cogitaſti in tabernaculo tuo, quid in hac Religione ſingulis temporibus eſſet futurum, atque ita ſervo tuo Franciſco varios rerum eventus oſtendiſti in mirabili, & myſterioſa illa ſtatua, cujus partes ipſemet eidem explicaſti; vereor ne jamjam incipiant apparere hæc myſteria, & mutari color optimus auri, ex quo caput erat compactum, & declinet in humilius metallum. Caput hoc quod nos inſtituimus longe degenerat a primo; nos ſane putavimus illud toti Ordini placiturum propter familiaritatem, & arctam neceſſitudinem quam habebat cum ſancto Franciſco; at aliter evenit quam ſperavimus, neque enim prodeſſe, ſed obeſſe videmus commendato ſibi Inſtituto. Auctoritate itaque noſtra eum abſolvimus ab officio, & abſolutum denunciamus, volumuſque ut ad alterius electionem, nobis præſentibus, procedatur. Collatis itaque ſuffragiis facili negotio, & abſque ulla mora communi conſenſu coaptatus eſt in Miniſtrum Generalem Joannes Parens, Miniſter Hiſpaniæ natione Florentinus, vir ſanctus & juſtus, vere parentis munia erga omnes exercens. Electum Papa libenter confirmavit, Antonium vero Luſitanum, & ſocium Adamum injuſte ab Elia cenſuris innodatos declaravit, & ad majorem cautelam ab eiſdem abſolvit, gratias addens quod ſe ſtrenue oppoſuerint Ordinis imminenti ruinæ. Antonium au-

Abſolvitur ab officio Elias.

Ei ſubrogatur Joannes Parens.

Digitized by Google

autem hortatus eſt, ut excolendæ ſuæ doctrinæ totus incumberet, quod ut facilius, & æquius præſtaret, abſolvit eum, & exemit a quocumque officio & onere religionis, rogans ut apud ſe manere vellet in Curia, ibique ſermonibus ſcribendis & prædicandis intenderet. Ille vero Curiæ honorem & turbas declinans, ſeceſſit in Alvernæ montem, ubi cum Apoſtolica benedictione aliquandiu moratus eſt.

XII. Elias vero coactus eſt Regulam ab Honorio ſub bulla confirmatam ſolemniter coram Pontifice profiteri; hæc enim tergiverſatio, cum convinceretur acceptæ & expenſæ abſque ſcrupulo pecuniæ, quod non ſub ſecunda Regula ſolemniter per Honorium confirmata, ſed ſub prima ab Innocentio approbata, Inſtituto huic ſe adſcripſerit, & per illam non adeo ſe teneri ad ſtrictam paupertatem. Mutavit demum prudenter vultum, & ſedato pacatoque animo ſe abire finxit, itaut in alium virum *Elias fingit pœnitudinem.* repente videretur mutatus. Ex ficta etiam profunda humilitate reſignavit curam Baſilicæ conſummandæ novo Generali, addens nihil amplius ſibi fore cum Prælaturis, nec Ordinis regimine, ſed totum ſe dedicaturum ſolitariæ & eremiticæ vitæ cum iis, qui ſponte eum vellent imitari. Pontifex judicans vere hominem converſum, libere ei quidquid ad commodiorem conducebat receſſum indulſit, & gratias quaſque ſuperaddidit. Elegit ille pro eremitorio cellas Cortonienſes a ſancto Franciſco, *An. 1211. Tom. 1.* ut diximus, erectas, in quibus dimittens ſibi creſcere barbam, ut Ma- *num. 9.* rianus refert ex Legenda antiqua (ex quibus ego ſuperius deduxi ſolis Eremitis in more fuiſſe in primæva Religione barbam nutrire, quo titulo eam prominentem habere cœperunt religioſiſſimi Patres Capuccini, dum Eremitarum nomine initium dederunt ſuæ Congregationi) talem egit vitam, ut ſanctiſſimam omnes putarent, & pœniteret Pontificem, quod hominem e ſuo gradu deturbarit, qui multis gratiis & beneficiis eum proinde eſt proſequutus.

XIII. Electus autem novus Miniſter in ipſis illis Comitiis multa utiliter, & religioſe ſtatuit, videlicet, ut corpus Dominicum in argentea, *Bern. a Beſſ. Marian. c. 4.* vel eburnea pixide ſervaretur in capſula clave obſerata; ut nullus Fratrum ſe Magiſtrum, vel Dominum vocaret; ut incorrigibiles expellerentur, expulſus vero non reciperetur, ſi ulla ſubeſſet circa fidem ſuſpicio, aut in agnitam ruerit fornicationem; ut tironum nullus ante emiſſam profeſſionem confeſſiones ſecularium, aut Fratrum exciperet, neque profeſſus abſque ſpeciali vel Generalis, vel Provincialis Miniſtri licentia. *Conſtitutiones editæ a Joanne Parente.* Egregie & placide Ordinem rexit, nulli plus æquo parcens, itaut filio proprio, facto Minoritæ, peccanti non indulſerit (quod aliqui minus recte tribuunt Creſcentio Generali, niſi fortaſſis in eadem ſimilis fuerit virtute) nec ultra juſtum in ullum ſeverus. Incedebat ſine querela, *Commendatur.* ad ſectanda veſtigia Patris totus ardens deſiderio, ceteros ad puram Regulæ obſervantiam ſermonibus & operibus conabatur attrahere. Erga ſe aſper, in alios lenis, totum Ordinem raro exemplo, & nudis pedi- *An. 1227. num. 3.* bus viſitavit. Jam ſuperius admonui quorumdam dubium circa tempus præfecturæ boni hujus Viri, & annum quo electus eſt. Errant ſane cum Rodulpho, qui creatum volunt anno MCCXXVII. ut vel ex eo colligi- *Rodulph. fol. 176.* tur, quod cum annis ſex ſecundum communiorem opinionem præfuerit, *Tempus ejus Generalatus.* quia circa annum MCCXXXV. ejus ſæpius incidit mentio in præfectura conſtituti, cogantur hi bis eum electum, & bis Generalatu functum aſſerere; quod profecto minus probabile eſt, juxta antiquiores Ordinis hiſtorias, & clariorem rerum, & capitulorum ſeriem, quam nos deducemus, & ſe-

& ſequemur. Unde minus verum apparet quod Rodulphus habet, nimirum ſub hujus pii Viri miniſteriatu ſancti Franciſci corpus ad novam Baſilicam translatum fuiſſe; hoc enim communiter omnes tribuunt Eliæ.

XIV. Incepit hujus regimen a perturbationibus, & moleſtiis, non a malo genio, ſed a pio & religioſo ſpiritu exortis. Nam Fratres cupientes a recta ſemita, neque ad dextram, neque ad ſiniſtram declinare, ſed per omnia ſui Inſtitutoris ſemitas terere, egerunt in ipſis illis Comitiis de perfecta intelligentia quorumdam Regulæ verborum. Diſplicuit maxime pio Generali, ut vellent revocare in dubium, quæ ſibi clara videbantur, præſertim cum ſanctus Franciſcus ultimis tabulis ſui teſtamenti vetuerit, ne adhiberentur gloſſæ in Regulam, nec controverteretur, quod ita, vel ita præcepta, ſeu verba Regulæ deberent intelligi. Hinc ortum novum dubium, an tenerentur Fratres etiam ad teſtamenti obſervantiam? Quibus ultro citroque diſcuſſis quæſtionibus, tamdem eo deventum eſt, ut conſuleretur Pontifex, in cujus pectore rationale judicii conſtitutum eſt, & cui optime in ſingulis Regulæ formulis conſtabat de mente ſancti Franciſci, tum propter multam cum eo familiaritatem, tum quia de accepta hac a Deo in monte Columbæ Regula, & de eadem reſcribenda, & quaſi politiori, vel breviori modo condenda, cum eo egerit Vir ſanctus, eique circa hæc, & circa eamdem confirmandam aſtiterit, ut ſequentibus litteris ipſe fatetur Gregorius. Concordatum eſt, ut ipſe Generalis Miniſter, & alii Patres nomine Miniſtrorum Provincialium Anagniam, quo Pontifex paulo ante receſſit, abirent, & ab eo novem dubiorum genuinum intellectum expoſcerent. Coram poſiti ad propoſita dubia ſequens acceperunt reſponſum, cujus reſcriptum exemplar, ultra plurima excuſa apud noſtros Auctores, habetur in regeſto Vaticano num. 73.

Agitur de perfecto Regulę intellectu.

Proponuntur dubia Pontifici.

GREGORIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Dilectis filiis Generali & Provincialibus Miniſtris, ac Cuſtodibus, ceteriſque Fratribus Ordinis Minorum, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

QUo elongati a ſeculo, ut columbæ pennis aſſumptis in ſeceſſum contemplationis ſupra vos altius evolaſtis, & conſpectius peccatorum jacula prævidiſtis, & plura per quæ conſpicitis ſalutis impediri profectum, cordis veſtri oculus perſcrutatur; unde quæ tecta ſunt aliis, in conſcientiis veſtris quandoque ſpiritus manifeſtat: ſplendore intelligentiæ ſpiritualis caligine humanæ infirmitatis obducto, ſcrupulus interdum dubitationis inducitur, & difficultates quaſi inextricabiles ingeruntur. Sane conſtitutis nuper in præſentia noſtra nunciis, quos vos filii Miniſtri miſiſtis, qui eratis in Capitulo generali congregati, & te fili Generalis Miniſter perſonaliter comparente, fuit nobis expoſitum, quod in Regula veſtra quædam dubia, & obſcura, & quedam intellectu difficilia continentur. Sed ſanctæ memoriæ beatus confeſſor Chriſti Franciſcus nolens Regulam ſuam per alicujus Fratris interpretationem exponi, mandavit circa ultimum vitæ ſuæ, cujus mandatum dicitur teſtamentum, ut verba ipſius Regulæ non gloſentur: & ut verbis utamur eiſdem, quod ſic, vel ſic intelligi debeant, non dica-

Miſſi a Fratribus Nuncii ad Pontificem.

Quædam dubia in teſtamento S. Franciſci.

Digitized by Google

dicatur; adjiciens quod Fratres nullo modo aliquas litteras ab Apoſtolica Sede petant: & alia quædam interſerens, quæ non poſſent ſine multa difficultate ſervari. Propter quod hæſitantes, an teneamini ad obſervantiam teſtamenti prædicti, dubietatem hujuſmodi de conſcientiis veſtris, & Fratrum veſtrorum per nos amoveri petiiſtis. Et cum ex longa familiaritate, quam idem Confeſſor nobiſcum habuit, plenius noverimus intentionem ipſius: & in condendo prædictam Regulam, obtinendo confirmationem ipſius per Sedem Apoſtolicam ſibi aſtiterimus, dum adhuc eſſemus in minori officio conſtituti, declarari ſimiliter poſtulaſtis dubia & obſcura Regulæ ſupradictæ, nec non ſuper quibuſdam difficilibus reſponderi. Sane quamvis prædictum Chriſti Confeſſorem piam intentionem in prædicto mandato habuiſſe credamus, & vos juſtis votis ejus, & deſideriis ſanctis affectatis omnimode conformari: nos tamen attendentes animarum periculum, & difficultates, quas propter hæc poſſetis incurrere, dubietatem de veſtris cordibus amovendo, ad mandatum illud vos, dicimus, non teneri; quod ſine conſenſu Fratrum, maxime Miniſtrorum, quos univerſos tangebat, obligare nequivit: nec ſucceſſorem ſuum quomodolibet obligavit; cum non habeat imperium par in parem.

An teneantur Fratres ad ejus obſervantiam.

Ad hæc ſicut per prædictos nuncios intelleximus, dubitatur ab aliquibus Fratrum veſtrorum, ne tam ad conſilia, quam ad præcepta Evangelii teneantur: tum quia in Regulæ veſtræ habetur principio: Regula, & vita Minorum Fratrum hæc eſt, ſcilicet Domini noſtri Jeſu Chriſti ſanctum Evangelium obſervare, vivendo in obedientia, ſine proprio, & in caſtitate: *tum quia in fine ipſius Regulæ continentur hæc verba:* paupertatem & humilitatem, & ſanctum Evangelium Domini noſtri Jeſu Chriſti, quod firmiter promiſimus, obſervemus. *Unde ſcire deſiderant, an ad alia Evangelii teneantur conſilia, quam ad ea, quæ in ipſa Regula præceptorie, vel inhibitorie ſunt expreſſa: præſertim cum ipſi ad alia non ſe obligare intenderint, & vix aut numquam omnia poſſint ad litteram obſervari. Nos autem breviter reſpondemus, ad alia conſilia Evangelii non teneri per Regulam, niſi ad ea, ad quæ magis de bono & æquo vos obtuliſtis holocauſtum Domino medullatum per contemptum omnium mundanorum.*

An ad Evangelica conſilia.

Item cum in eadem Regula ſit inhibitum, ne Fratres recipiant per ſe, vel per alios denarios, vel pecuniam ullo modo, *& ipſi hoc in perpetuum obſervare deſiderent: certiorari requirunt, ſi aliquibus timentibus Deum fideles aliquos, per quos ipſi ſubveniant neceſſitatibus eorumdem ſine offenſione Regulæ audeant præſentare, ac ad fideles eoſdem pro neceſſitatibus ipſis ſecura recurrere conſcientia, cum denarios, aut pecuniam noverint accepiſſe: quos tamen denarios, vel pecuniam auctoritate propria non intendunt facere conſervari, nec nomine depoſiti exigere ab eiſdem? Super quo duximus reſpondendum, quod ſi rem neceſſariam velint Fratres emere, vel ſolutionem facere, pro jam empta, poſſint vel Nuncium ejus, a quo res emitur, vel aliquem alium volentibus ſibi eleemoſynam facere, niſi iidem per ſe, vel proprios Nuncios maluerint præſentare: qui taliter præſentatus a Fratribus non eſt eorum Nuncius, licet præſentetur ab ipſis, ſed illius potius cujus mandato ſolutionem fecit, ſeu recipientis eamdem. Idem Nuncius ſolvere ſtatim debet, ita quod de pecunia nihil remaneat penes eum. Si vero pro aliis imminentibus neceſſitatibus præſentetur, eleemoſynam ſibi commiſſam poteſt, ſicut & Dominus apud ſpiritualem amicum Fratrum deponere, per ipſum loco, & tempore pro ipſorum hujuſmodi neceſſitatibus, ſicut expedire viderit diſpenſandam. Ad quem etiam Fratres pro hujuſmodi neceſſitatibus poterunt habere recurſum, maxime ſi negligens fuerit, vel neceſſitates ignoraverit eorumdem.*

Quomodo ſe gerant circa receptionem pecuniarum.

Pre-

Digitized by Google

An rei cujuſquam maneat penes Ordinem proprietas.

Præterea cum in ipſa Regula contineatur expreſſe, quod Fratres nihil ſibi approprient, nec domum, nec locum, nec rem aliquam, *ac ipſi proceſſu temporis contaminari timeant* Ordinis *paupertatem, præſertim cum jam dixerint aliqui proprietatem mobilium pertinere ad totum* Ordinem *in communi: nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in hoc dignaremur animarum providere periculis, & totius* Ordinis *puritati. Dicimus itaque, quod nec in communi, nec in ſpeciali debent proprietatem habere, ſed utenſilium & librorum, & eorum mobilium, quæ licet habere, eorum uſum habeant: & Fratres ſecundum quod Generalis Miniſter, vel Provinciales dixerint, iis utantur, ſalvo locorum & domorum dominio illis ad quos noſcitur pertinere. Nec vendi debent mobilia, vel extra* Ordinem *commutari, aut alienari quoquo modo, niſi Eccleſiæ Romanæ Cardinalis, qui fuerit* Ordinis *Gubernator Generali, ſeu Provincialibus Miniſtris auctoritatem ſuper hoc præbuerit, vel aſſenſum. Quia in quodam ejuſdem Regulæ capitulo continetur: ut* ſi qui Fratrum, inſtigante humani generis inimico, mortaliter peccaverint, pro illis peccatis, de quibus ordinatum fuerit inter Fratres, ut recurratur ad ſolos Miniſtros Provinciales, teneantur prædicti Fratres ad eos recurrere quam citius poterunt ſine mora, *ipſi pie dubitant: utrum hoc de peccatis publicis tantum intelligi debeat, an de publicis pariter, & privatis? Reſpondetur igitur, prædictum Capitulum ad manifeſta tantum, & publica pertinere, volentes ut Generalis Miniſter conſtitui faciat tot per Provincias, quot eorum Miniſtri viderint expedire de maturioribus & diſcretioribus Sacerdotibus, qui ſuper privatis audiant pœnitentes: niſi Fratres Miniſtris aut Cuſtodibus ſuis ad loca eorum declinantibus maluerint confiteri. Ceterum cum probibente Regula,* nulli Fratrum liceat populo prædicare, niſi a Miniſtro Generali fuerit examinatus & approbatus, & ſibi officium prædicationis ab ipſo conceſſum *certificari petiiſtis, utrum pro laboribus Fratrum, & periculoſis decurſibus evitandis, Generalis Miniſter dictam examinationem, approbationem, & miſſionem officii prædicationis diſcretis aliquibus committere valeat, pro examinandis generaliter illis, qui in Provinciis ſunt ſtatutis, vel ſpecialiter pro quibuſdam. Ad quod damus tale reſponſum: quod hoc Generalis Miniſter nulli poteſt abſenti committere, ſed qui examinatione indigere creduntur, mittantur ad ipſum, ut cum Miniſtris Provincialibus conveniant ſuper hoc in Capitulo generali. Si quis vero examinari non egent, pro eo quod in Theologica facultate, & prædicationis officio ſunt inſtructi, ſi ætatis maturitas, & alia quæ requiruntur in talibus conveniant in eiſdem, poſſunt, niſi quibus Miniſter Generalis contradixerit, eo modo quo dictum eſt, populo prædicare. Super eo autem quod dubitant Fratres, an Vicarii Provincialium Miniſtrorum, quos ipſi ſibi ſubſtituunt cum ad Capitulum veniunt generale, poſſint ad* Ordinem *recipere venientes, & ejicere jam receptos? Dicimus, quod non poſſunt: quia nec hoc Miniſtris ipſis permittitur, niſi eis ſpecialis ſuper hoc licentia concedatur: quibus etiam Generalis Miniſter ſicut concedere, ſic negare poteſt licentiam ſupradictam. Et cum juxta eamdem Regulam aliis, quam Miniſtris Provincialibus, Fratrum receptio committi non valeat, multo minus poteſtatem habeant Provinciales Miniſtri hoc aliis committendi, quibuſmet & non aliis eſt commiſſum. Inſuper dubitantibus vobis, an pro eo quod in Regula dicitur* decedente Generali Miniſtro a Provincialibus Miniſtris, & Cuſtodibus in Capitulo Pentecoſtes fiat electio ſucceſſoris, *omnium Cuſtodum multitudinem oportet ad generale Capitulum convenire: an, ut omnia cum majori tranquillitate tractentur, ſufficere poſſit, ut aliqui de*

Qualiter recurrere debeat peccantes ad Miniſtros.

Quomodo examinandi, & inſtituendi Prædicatores.

Qui poſſint Fratres recipere & ejicere.

Qui concurrant ad electionem Generalis Miniſtri.

de ſingulis Provinciis, qui vocem habeant aliorum, interſint? Taliter reſpondemus, ut ſingularum Provinciarum Cuſtodes unum ex ſe conſtituant, quem cum ſuo Provinciali Miniſtro pro ipſis ad Capitulum dirigant, voces ſuas committentes eidem, quod cum etiam conſtitueritis per vos ipſos, ſtatutum hujuſmodi duximus approbandum. Denique quia continetur in Regula ſupradicta, quod Fratres non ingrediantur in Monaſteriis Monialium, præter illos, quibus a Sede Apoſtolica conceſſa fuerit licentia ſpecialis, *quamquam hoc de Monaſteriis pauperum Monialium incluſarum Fratres hactenus intelligendum eſſe crediderint, cum earum Sedes Apoſtolica curam habeat ſpecialem, & intellectus hujuſmodi per conſtitutionem quamdam tempore datæ Regulæ, vivente adhuc beato Franciſco, per Provinciales Miniſtros fuiſſe credatur in generali Capitulo declaratus; certificari nihilominus poſtulaſtis, an hoc de omnibus generaliter, cum Regula nullum excipiat, an de ſolis Monaſteriis Monialium prædictarum intelligi debeat? Nos utique generaliter eſſe prohibitum de quarumlibet Cœnobiis Monialium reſpondemus. Et nomine Monaſterii volumus clauſtrum, domos & officinas interiores intelligi pro eo quod, ad alia loca ubi etiam homines ſeculares conveniunt, poſſunt Fratres illi cauſa prædicationis, vel eleemoſynæ petendæ accedere, quibus id a ſuperioribus ſuis pro ſua fuerit maturitate, vel idoneitate conceſſum, exceptis ſemper prædictorum Monaſteriorum incluſarum locis, ad quæ nulli datur accedendi facultas ſine licentia Sedis Apoſtolicæ ſpeciali. Datum Anagniæ* IV. *Kalendas Octobris, Pontificatus noſtri anno* IV.

Quid intelligendum circa ingreſſum Monaſteriorum Monialium.

XV. Pia, & ſerena conſcientia ſtatutas metas timet tranſilire, nec quidquam adeo ſcrutatur, & cupit, quam perfecte intelligere quid agi liceat, ſemper tremula ſibi cavens, ne latum unguem ultra citraque rectum contingat abire. Ex ardenti puræ & perfectæ obſervantiæ deſiderio ſemper fuerunt in Religione ex timoratis, & ſcrupuloſis his viris, qui rigoroſam Regulam rigoroſe voluerunt obſervari. Hinc tot Pontificum declarationes, hinc tot Doctorum expoſitiones, hinc quotidianæ tot in Capitulis conſtitutiones, quæ plane demonſtrant, nullo unquam tempore alte dormitum in Religione hac circa veram Inſtituti obſervantiam. Quod autem Pontifex in hac dicit declaratione, intellectum illius dubii, an prohibeatur Minoribus ingreſſus in Monaſteria quarumcumque Monialium, an dumtaxat in illa, quæ dicebantur Pauperum incluſarum, poſtea Clariſſarum nuncupatarum? credi fuiſſe declaratum per conſtitutionem quamdam tempore datæ Regulæ, vivente adhuc beato Franciſco, per Provinciales Miniſtros in Capitulo generali; nullum hujus rei veſtigium inveni in Capitulis, quæ poſt datam Regulam celebrata ſunt ſub ſancto Franciſco. Verum eſt nihil certi in hac re, aſſerere Pontificem, ſed creditur, inquit, ita declaratum.

XVI. Superiori Capitulo generali, & tranſlationi corporis beati Franciſci interfuit frater Joannes de Plano Carpinis Miniſter Teutoniæ, relicto pro ſe Vicario in provincialibus Comitiis, electo fratre Anglico. At dum Miniſter Hiſpaniæ aſſumptus eſt ad Generalatum, hic ejus loco ad Hiſpanos deſtinatur; eique in Germania ſuffecti ſunt fratres Simon Anglicus primus lector Magdeburgenſis, & Otto Lombartus juriſperitus, adminiſtratione ipſa in duas diviſa partes, unam Rheni, alteram Saxoniæ. Hæc fratri Simoni, qui jam morte præventus officio non eſt functus: illa fratri Ottoni ceſſit.

Chro. Saxon. MS. ad hunc annum.

Res Germanicæ

Mortuo

Mortuo autem fratre Simone, Saxonia & Miniſtro,& Lectore caruit. Tunc ex Capitulo Wormatiæ celebrato fr. Jordanus Thuringiæ Cuſtos, cum litteris obedientiæ Ottonis Miniſtri Rhenenſis, & unico ſocio, commiſſa interim ſuæ Provinciæ cura fratri Leonardo Cuſtodi Saxoniæ, pro Miniſtro & lectore poſtulando ad Generalem Miniſtrum abiit. Cumque fratrem Joannem Anglicum Germaniæ aliquando Viſitatorem peteret, eumdem obtinuit. Scripſit ergo Miniſter Generalis ad Franciæ Miniſtrum, ut fratrem Joannem Anglicum Saxoniæ adminiſtrationi, fratrem Bartholomæum Anglicum lecturæ præficiendum, dimitteret. Frater autem Jordanus, rebus ad ſententiam ſic geſtis, fratrem Thomam de Celano viſurus Aſiſium petit, a quo donatus eſt reliquiis beati Francisci, de capillis videlicet, & veſtimentis: quibus maximo cum gaudio, & gratiſsimo animo acceptis, in Germaniam maturavit reditum; cumque Herbipolim perveniſſet, Fratres Thuringiæ, datis litteris ei ſunt gratulati, obnixe rogantes, ut quia non ſolum ejus videndi deſiderio flagrarent, verum etiam haberent, quæ neceſſario ei loquerentur, ſignificare illis dignaretur, qua parte Thuringiæ Saxoniam verſus eſſet tranſiturus. Ille ſuorum cupidiſſimæ petitioni annuens, Iſenacum eis definit, eoque major FratrumThuringiæ pars in Cuſtodis ſui occurſum celerrime confluxit; datumque eſt janitori domus in mandatis, quod fratrem Jordanum advenientem minime intromitteret, antequam eis indicaret. Veniens ergo frater Jordanus ad portam, & pulſans non eſt intromiſſus, ſed janitor curſum accelerans, Fratribus ipſum adeſſe, & ad portam ſtare nunciat. Fratres gaudio magno perfuſi, renunciaverunt ei, quod hac vice per portam domus intrare non poſſet, ſed per januam Eccleſiæ. Illi interim devotionis ardore ſuccenſi, (& ſpiritu exultantes in chorum ſe colligunt, cruces, palmarum ramos, candelas ardentes, & thuribula manibus tollentes, extra chori clauſtrum bini, & bini proceſſionaliter in Eccleſiam prodeunt, valvas januæ aperiunt, & fratrem Jordanum intromittentes cum tripudio recipiunt plenis vocibus cantantes reſponſorium: *Hic eſt Fratrum amator*, &c. ipſumque ſolemniter ad chorum deducunt. Attonitus ille, animoque hæſitans, cur hæc omnia præter morem fierent, manu ſilentium innuente, cantantes cohibere tentat, ſed illi niſi cantu, quem incœperant, completo, voci & jubilationi non pepercerunt. Tum fratri Jordano magis atque magis ſtupenti, ſubito quaſi momento in mentem veniunt reliquiæ beati Patris Franciſci, quas ſecum ferebat, & ſpiritu incaleſcens in hæc verba prorumpit: Gaudete Fratres & ſcitote, quia non me ut me, ſed in me Patrem noſtrum beatiſſimum Franciſcum, qui, me tacente, animos veſtros excitavit, & cujus apud me reliquias habeo, tanta cum ſolemnitate & plauſu excepiſtis, honoraſtis, collaudaſtis; protractaſque reliquias coram Fratribus in altari expoſuit. Et ipſe exinde beatum Franciſcum, quem in carne viderat, & a quo receptus fuerat, majori devotione, & reverentia proſequi cœpit, quia viderat, quomodoDominus corda FratrumSpiritu ſancto exſuſcitans,atque inflammans, ejus apud ſe reliquias latere noluerit. Fuit idem Jordanus unus ex primis Fratribus in Teutoniam miſſis, forma niger, ſtatura puſillus, corde jucundus, benevolus, ad omne opus bonum paratus, vir tantæ obedientiæ, ut in Fratre Minore nulla ſanctitatis ſigna, niſi cum obedientia conjuncta veneraretur, aut alicujus momenti æſtimaret.

Cuſtos Thuringiæ magno honore recipitur a Fratribus, & quare.

Northuſæ & Molhuſii excepti Fratres Minores.

XVII. Miſſi tunc ab hoc Jordano Fratres in Northuſen, & quam humaniſſime ab ejus incolis excepti fuere, & hortum atque domunculam

pro

pro erigendo Conventu ab eiſdem ſumma liberalitate receperunt. Eodem tempore a devotiſſimo atque inclyto Molhuſtenſi Comite decem Fratribus, qui Molhuſtum cum obedientialibus litteris, ob ampliandæ religionis cauſam, ingreſſi fuerant, propria domus cum adjacente horto in Monaſterium evehenda collata extitit; a qua tamen poſt annum ab hujuſmodi collatione expulſi fuere. Cum itaque omnes ſimul ad hoſpitale divertiſſent, neque diu ibidem ob loci pedorem, atque infirmorum moroſitatem commorari poſſent, quadam in area Cœnobium ex Molhuſtenſium conſenſu erexere. Anno vero Domini MCCXXXII., cum Illuſtriſſimus Otto Dux in ſomnis præmonitus eſſet, ut Fratribus griſeo habitu indutis ſibi aliquando occurſuris faveret, atque egreſſus domum duos Minoritas oſtiatim mendicantes in itinere offendiſſet, præhabiti ſomnii memor illis tum Eccleſiam Beatæ Virgini Mariæ ſacram, tum quoque Monaſterium in amœni cujuſdam monticuli clivo ædificari fecit.

XVIII. Mortuus circa hoc tempus beatus Benevenutus laicus, ſeu ut aliis abiit in loquendi uſum, converſus, unus ex Franciſci ſociis, quem ab eo relictum Mantuæ diximus, ut incœptum domicilium conſummandum curaret. Magna in veneratione habitum apud Mantuanos propter crebra miracula ſcribit Hippolytus Doneſmundus vir doctus, mihi familiaris & amicus in ſua hiſtoria Mantuana. Alios hujus nominis tres fuiſſe in primæva Religione inferius admonebo. Jacere hunc in Cœnobio Franciſcanorum Mantuano ſcribit Gonzaga, ſed in primo illo ædificiolo ſub titulo ſanctæ Mariæ Incoronatæ ſepultum in communi Fratrum cœmeterio monet prædicta hiſtoria; aucta tamen domo, & ædificata ampla, qua modo potiuntur Minores, Eccleſia, translata honorifice ejus oſſa in columnam poſitam e regione portæ, qua tenditur ad clauſtrum dictum mortuorum, in qua inciſum olim ſancti Viri epitaphium nunc vetuſtate deletum. Miror, inter ceteros hujus nominis nullam iſtius pii Viri mentionem feciſſe Rodulphum, cujus ſpecimen antea præbuit Piſanus his verbis: *In loco Mantuæ jacet Fr. Benevenutus laicus homo Deo devotus, & ſanctitate præclarus.*

Moritur Mantuæ B. Benevenutus.

Anno 1220. n. 1. 7.

Hiſt. Mantuan. 1. p. lib. 4. fol. 277.

Gonzag. in Prov. S. Anton. Con. 3.

Rodul. fol. 85. Piſa. Conf. 8.

XIX. Promiſi ſuperius, me hoc loco acturum de probabiliori ſententia circa ingreſſum Minorum in Hiberniam, & pro virili difficultates ex eadem emergentes explicaturum. Tria ſtatuuntur tempora: communis Fratrum traditio, ſi hoc nomen meretur, vult a ſancto Franciſco circa annum MCCXIV. deſtinatos in Hiberniam Minores. Codices duo vetuſti MSS., quorum unus penes Reverendiſsimum D. Davidem Rothum Epiſcopum Offorienſem digniſsimum, rerum agendarum, & ſcribendarum plene peritum, annum computat hujus miſsionis, Franciſco jam extincto, MCCXXXI. Joannes Clin Minorita, de quo ſuperiori loco egi, mentionemque habent Analecta ſacra Hiberniæ, cujus Chronicon, ſeu Annales ſolerter elaboratos habent quidam in pretio in Hibernia in urbe ſancti Canici, annum proxime ſequentem videlicet MCCXXXII. aſſignat. In re dubia ſequendi eſſent abſque delectu vetuſti aſſertores anni determinati, niſi illa ſe mihi offerret difficultas, quod anno MCCXXXIV. & gravium Annalium, quos ſub anno MCCXXXII. citabo, fide conſtet, Comitem Richardum, Mareſcallum Angliæ, & Pembrochiæ Comitem vita functum menſe Aprilis, ſepulturæ traditum apud Minores Kilkenniæ, apud quos jam tumulatus erat Guillelmus frater, ex quo neceſſario infertur, ante illum annum jam obtinuiſſe in ea urbe ædem Franciſcanos. At ante hunc Conventum extructi Yocheleuſis & Corcagienſis, alio nomine

Anno 1214. n. 11. tom. 1.

Quando ingreſſi Minores in Hiberniam.

Anno 1232.

Seandunenſis; nam ille conſtanti traditione, & perpetua Fratrum aſſertione primus omnium datus Minoribus; iſte, coævus, vel ejuſdem anni æmulatoria contentione, conatur haberi. Præter has item aliæ ædes priores ſunt Kilkennienſi, ut ex ordine Monaſteriorum obſervato ſemper in Provincia Hibernienſi, atque in acceptis capitularibus clarius habetur. Quid ergo? in biennio vel triennio tot extructæ domus Minorum? tot accumulata domicilia? Ab anno MCCXXXI. vel ſequenti uſque ad annum MCCXXXIII. Yocheliæ, Corcagiæ, ut alias ſileam, & Kilkenniæ urbes penetrarunt? In tot locis extructa Monaſteria? Ubi incolæ? Ubi Fratres totidem, qui has ædes inhabitarent? Si enim MCCXXXI. vel potius ſequenti tranſvadarunt in illud Regnum Minores quomodo potuerunt tot Conſodales habere, quia tria ſaltim, ne plura connumeremus, anno MCCXXXIII. occuparunt Cœnobia? An turmatim illuc fluxerunt? Vel an advenientibus paucis, multi eis acceſſerunt, qui ſub unius ſpatio triennii hinc inde ad occupandas novas ædes poſſent convolare?

Præterea ſuſpicionem celerioris adventus auget, quod minus acceſſibilia loca Aquilonaria ante hoc tempus Minores penetraverint, credendumne itaque erit, ut in Regnum commercio cum Hiſpania, Gallia, & Germania valde notum adeo tarde tranſierint? Deinde a multis annis, ut ſupradixi, apud Anglos miro exemplo & laudadili vita converſabantur, prædicabantque cum magno ſui ſodalitii incremento Franciſcani; probabile fortaſſe videbitur, nullum ex eis deſcendiſſe, ſi non aliunde, ad Hibernos, transfretantibus ſub illis annis quotidie in Hiberniam Anglis pro eadem ſubjuganda Henrico Regi vel pacificanda? Profecto tanto fervore ubique diſſeminantibus Dei verbum Minoribus, atque ſuum longe lateque propagantibus Inſtitutum, non judicatur veroſimile non tranſituros in regnum pium, catholicum, inque vitæ religioſæ ſectatores valde propenſum.

Anno 1220. n. 61. tom. 1.

XX. Judicaverim itaque, conciliandas facile juxta has rationes diſcrepantes illas ſententias; nam vere probabile videtur, ut vult communis Fratrum conſpiratio, penetraſſe in illud Regnum Minorum aliquem, ut habet Gonzaga, Franciſci ſocium, ipſo adhuc vivente, ibique aliquandiu laboraſſe, ſed poſt aliquot annos, non obtenta ſibi ſuiſque ſede, vel rediiſſe, aut alio tranſiiſſe, vel extremum diem clauſiſſe. Deinde iterum ſubmiſſos alios plures circa hoc tempus, qui variis in urbibus prædicantes tamdem habitacula acquiſierunt, atque de hac ſecunda miſſione magis nota, & obtentis domiciliis ſtabilita, intelligendos poſteriores Auctores. Unde ſi hic agamus de Conventu Yochelenſi omnium primo, non videbimur nimium properaſse in recenſendis rebus hibernicis, qui hucuſque ab eiſdem, ad quas innatus amor patriæ impellit, calamum abſtinuimus. Yochelia ſive Yoghalia, ut habet Camdenus, Civitas eſt maritima in Provincia Momoniæ, comitatus Corcagienſis, & diœceſis Cluanenſis, extra cujus portam Auſtralem ex parte Orientali, qua intrat Oceanus, Minoribus extruxit domicilium Dominus Mauritius Mac. Gearailt, ſive de Geraldinis, a quo nobiliſsima Geraldinorum in Momonia familia originem traxit, quem quidam facultate & titulo opulentiſsimum Comitem fuiſse contendunt, licet Camdenus aſserat, Mauricium Fitz Thomas, ſeu Thomæ filium primum fuiſse hujus familiæ Comitem Deſmoniæ ab Edoardo tertio creatum, anno ſalutis MCCCLV. Inde ſtructionis occaſio, quod cum magnificum ædificaverit palatium, & fabri ſtructoreſve in ſolemniori quadam feſtivitate munus honorarium, ſive

Gonzag. in Prov. Hibern.

Conven. Yochelen.

Camden. in Hibern. in Prov. Momoniæ. Hiſtoria Prov. Hiber. MSS.

ſive vulgari phraſe, pro chirotecis, expoſtularent, nec ei præ manibus eſſet, quod offerret, remiſit illos ad filium hæredem. Hic vero vel avaritia pecuniæ tenax, vel minus gratus erga patrem, qui ſplendidam domum, & opulentam ei vitam præparabat, minime in re exigua morem gerens, indignationem & conſiderationem patris excitavit, ut chriſtiane cogitaret, male impendi ab hominibus tamdem curam circa filios locupletandos, quibus quo majorem relinquant theſaurum, & ſplendidiorem præmeditantur vitam, eo frequenter, quod filiorum eſt, minus præſtare. Quare neglecto palatio, cogitatum omnem, & ſumptum in eo poſuit, ut Fratribus Minoribus ibidem ex Hiſpania appulſis, verbum Dei in magnum animarum lucrum prædicantibus, commodum conſurgeret habitaculum. In quo ipſe demum ſeculi pertæſus, eamdem vitam aſſumens, ſancto fine vitam concluſit anno MCCLVII. octogenarius. Confirmat hæc MS. codex chronologicus de rebus hibernicis apud eumdem Reverendiſſimum Oſſorienſem, in quo hæc verba habentur: *Obitus Mauricii filii Geraldi*, erat primus Fundator Fratrum Minorum Yoghaliæ, *Anno Domini* MCCLVII. Concordant etiam Annales Hibernici apud Camdenum, & Matthæus Paris ad hunc annum. Magni nominis fuit per univerſum Regnum hoc ſacrum domicilium propter incolarum pietatem, & continuum Dei cultum. Præ ceteris religioſis, & ſpectabilibus viris, qui in pace bona ibi dormierunt, jacuit ad dextrum cornu majoris altaris quidam Frater ſanctus, multis miraculis clarus, cujus reliquiæ alio tranſlatæ quando ſuppreſſæ ſunt in Hibernia Eccleſiæ. Hæc hereticorum rabies, etiam experta eſt, relictis tantum parietibus Templi, in quo magna nobiliſſimorum heroum monumenta, & egregia ſepulcra oſtendunt antiquum ejus ſplendorem, & dignitatem. Dum Geraldinis Principibus licuit, & rerum potiti ſunt, ſollicitam habuerunt hujus Monaſterii curam, & protectionem; iis profligatis, dirutum ſtatim & dilapidatum in Anglorum hæreticorum poteſtatem ceſſit, quorum plurimi ſucceſſivis temporibus in ſacro ambitu vivere tentantes, non potuerunt variis flagellis, & infortuniis perterreri. Turris campanaria, quæ in introitu chori alta ſatis couſurgit, ante annos CCL. ex piorum eleemoſynis fuit conſtructa. Sæpius redibit hujus Monaſterii memoria, dum inciderimus in res varias, quæ illud attingunt, ſuis temporibus enarrandas.

XXI. Ante hunc annum Noviomi in Gallia, Ptolomæo Noviomagus Vadicaſſium, vulgo Gallico *De ſainct Quintin en Vermandois*, obtigiſſe Minoribus domicilium, conſtat ex Martyrologio quodam vetuſto MS. apud illius urbis Minores, in quo legitur ſanctæ ac celebris memoriæ virum venerabilem Patrem Joannem Presbyterum ex Belluacenſi civitate oriundum, Noviomi Franciſcanum obiiſſe anno Domini MCCXXX. unde apertius colligitur, jam ante ibi habitaſſe hujus Inſtituti viros, qui hunc ſibi adſciverant. Vetuſtum ædificium totum everſum bellorum injuria, irruentibus Burgundis in Galliarum, præcipue Picardiæ, regiones anno Domini MDLI. ceſſantibus tumultibus, pii & graves viri frater Laurentius Maigret, & Joannes Heruy egerunt cum Carolo IX. ut quem modo incolunt Minores, eis ædificaret intra, & prope muros Civitatis. In medio chori e regione ſummi altaris adaptum ſepulcrum probatiſſimi patris Roberti, olim Provinciæ Franciæ Miniſtri, ex antiquo Conventu in novum translatum, cujus epitaphium inciſum eſt anno MCCXLII.

Conven. Noviomen.

Gonzag. in Prov. Franc. Con. 34.

XXII. Hoc ipſo anno ad perfectum deductus capaciſſimus, & magnificus Conventus Montiſpeſſulani in Gallia Gothica, quem ſupra diximus a ſan-

Conven. Montiſpeſſul.

Digitized by Google

Idem in Prov. S. Ludo. Con. 1. Anno 1214. n. 33. tom. 1.

a ſancto Franciſco prophetice prædictum. Integrum ferme decennium, & plurimos ſumptus in eo conſummando conſumpſit Jacobus Rex Majoricarum, Franciſcanorum optimus fautor. Multi in hoc loco floruerunt Viri litteris, & virtute præſtantes, inter quos magnum illud Luſitaniæ jubar Antonius Patavinus luculenter effulſit, per aliquod tempus ſacras ibi litteras interpretatus. Favit plurimum huic Monaſterio propter optimam ſtudiorum rationem Urbanus V. ex quo prodibant quotidie homines litteratiſſimi. Tanta ejus olim capacitas & auctoritas, ut anno MCCLXXXVII. illuc confluxerint univerſi Ordinis Viri præſtantiores ad generalia Comitia celebranda. Tandem ſumptuoſi ædificii decor periit, & eo pulſi non ſine multo ſanguine Fratres per rabidos hæreticos, velut ſuo tempore latius & commodius referemus.

Idem in Prov. Aquitan. Recent. Con. 38. & 39.

Conven. S. Luniani, & Donzenachi.

Alia duo in Aquitania non tam conſummata, quam incepta hoc anno Monaſteria; primum apud ſanctum Junianum Lemovicenſium oppidum, ab Illuſtriſſimo quodam Opiſcabaldenſium Comite; aliud Donzenachi Aquitaniæ oppido a pientiſſimo quodam heroe Combortano Vicecomite. Utrumque per hæreticos dirutum, ſed in ſecundo trucidati atrociſſime Joannes Chambinius, & Martinus Didiramus ob conſtantem fidei Catholicæ aſſertionem.

Juſto plures tribuuntur S. Antonio functiones.

Utrique loco præfuiſſe volunt ſanctum Antonium, ſed tot ei præſcribunt præfecturas, dum volunt ſua Domicilia tanti Viri nomine & regimine cohoneſtare, ut ultra annos accumulent domos, nec ſuperſit tempus, in quo mediam partem tantæ functionis, quantam obiiſſe volunt, poſſit attingere. Vetuſtas & primas omnes gallicanas ædes ſuggerunt ab illo erectas, & directas, qui dum unam aut alteram rexit, omnes velint rexiſſe. Sane deerat ad tot munia tempus; breve nimis erat decennium, quo in Religione vixit, ad complendum tirocinium in Luſitania, ad transfretandum in Siciliam, ad ſeceſſum montis Pauli in Æmilia, ad diſcendum ſub Abbate Vercellenſi, ad docendum Toloſæ, Bononiæ, Montis-peſſulani, ad regreſſum in Siciliam, ad regendas tot domos, quot enumerant, ad Cuſtodiatum Lemovicenſem in Gallia, ad Miniſtratum gerendum in Æmilia, ad ſolitudinem ſectandam Alverniæ, ad diſſeminandum in tot urbibus & regionibus verbum Domini, ad alias demum functiones, quæ tempus requirunt longius, quam inter nos vixerit Antonius. Quid? ſi hoc anno erecta hæc Domicilia, quomodo in eis Guardianum agere potuit Antonius, qui paulo ante creatus Æmiliæ Miniſter, ab eo abſolutus eſt hoc anno a Pontifice, ut ſcribendis incumberet ſermonibus, quibus dum operam daret, abiit Patavium, ubi ſequenti anno vitam finivit.

Conven. Duacenus.

Idem in Prov. S. Andr. Con. 4. Locrius in Chron. Belgico ad anno 1230.

XXIII. Eodem anno, vel circiter, quantum ex quibuſdam vetuſtiſſimis ſepulturis marmoreis conjicere licet, videtur initia habuiſſe ex quorumdam nobilium & piorum Civium eleemoſyna, Conventus urbis Duacenæ Cathuacorum in Belgio, ad Scarpis fluminis ripam extructus; neque enim certum aliquod monumentum originarium potuit inveniri, vel in ipſo Conventu, vel in Archivo Civitatis, dum utriuſque tabulæ incendio perierunt. Magnifica benefactorum liberalitas, vel in ipſo conſpicitur ædificio; Templum enim pulcherrimum, & omnium noſtri Ordinis in Belgio fere maximum; interiora domus, & publicæ officinæ, altitudine, magnitudine, & dignitate præſtantes; ſed multam paſſa jacturam ex infelici conflagratione; verum diligentia, & indefeſſo labore Franciſci Petrart, tum Guardiani, mox Provincialis ita reſtauratus eſt Conventus univerſus, ut nulli totius Provinciæ amplitudine,

loci

loci amœnitate, aut ædificiorum pulchritudine, vel, quod præcipuum eſt, Religionis obſervantia cedat. Habet ambitum ſpectabilis magnitudinis, lucidiſſimum iconibus, & exquiſitiſſimis picturis. Ambitus circa Templum opere concamerato, & teſtudinibus ex lapidibus albis inciſis conſtructus, ſpecioſiſſimum, & lætiſſimum ad reliqua Cœnobii Domicilia præbet ingreſſum. Conventus iſte prope forum loco præalto fere in media urbe ſitus eſt, quo fit, ut populus ſacrarum precum, & concionum cauſa frequentiſſimus huc confluat. Porro inter hujus Conventus ornamenta, ſacellum etiam viſitur, quale vix in toto Belgio, magnificis ſumptibus ante aliquot annos ædificatum, ſanctiſſimo noſtri Salvatoris Nomini Jeſu ſacrum. In quo Confraternitas celeberrima fere DCCC. hominum utriuſque ſexus, ſub invocatione hujus ſanctiſſimi Nominis in pietate, precibus, ſacramentorum frequentiori uſu, aliiſque bonis operibus cum maximo Reipublicæ Duacenſis fructu exercetur. Quamobrem S.D.N. Gregorius Papa XIII. eamdem anno Domini MDLXXXII. confirmavit, & magnis atque plenariis indulgentiis in ſingulos annos XIV. Januarii, quæ dies Nomini Jeſu eſt ſacra, a fidelibus lucrandis, & centum dierum indulgentia pro quolibet die anni conceſſis commendavit. Egregie ibi exercetur res litteraria, & conſervatur puritas fidei, ſed & erga Regem Catholicum Hiſpaniarum viget urbis fidelitas, obſtrepentibus & minitantibus undique adverſi nominis vicinis.

XXIV. Ejuſdem Provinciæ domus altera hoc anno extructa Aldenardi ad ripam Scaldis fluminis a venerabili cive Joanne de Portre & Ivetta uxore, qui propriis ædibus Conventum iſtum fere in medio oppido ædificari fecerunt, ut conſtat ex antiquo illius domus martyrologio, quod ſolum ſuperfuit tot injuriis, incendio, & direptionibus hæreticorum. Fratres etiam malum experti, dum ſeptem aut octo poſt carceres & verbera in exilium acti cum pluribus oppidanis anno MDLXXII. Decem vero poſt annos recuperatum oppidum, & regiæ poteſtati redditum per Principem Parmenſem, & reſtituta priſtina ſedes Minoribus, non ſine incremento. *Conven. Aldenardi.* *Idem Gonzaga Con. 11. Prov. S. And.*

XXV. Viri capitulares Bergomates hoc anno ex auctoritate, & conſenſu Epiſcopi Joannis Novarienſis Tornielli donarunt Fratribus Minoribus non tam ad ſuum, quam ad Sanctimonialium Franciſcanarum uſum Eccleſiam ſanctæ Mariæ de caritate cum domibus, hortis, & vinea adjacentibus, translatis tamen ceteris redditibus ad hoſpitale de caritate prope ſitum, ea tamen lege, ut hoſpitalarii tenerentur reſarcire prædictam Eccleſiam & ædes, additis item aliis conditionibus, quæ in publico hoc inſtrumento tunc ſtipulato latius explicantur. *Monaſt. Monial. Bergomen.* *Caleſtin. in hiſtor. Bergom. lib. 12. c. 4.*

In nomine Domini Amen. Joannes Præpoſitus, & Ugo Archipresbyter, & Brunus Primicerius Pergamenſis Eccleſiæ cum conſenſu Capituli Pergamenſis ibi coadunati, & ipſum Capitulum infra ſcriptorum Canonicorum in præſentia, auctoritate & conſenſu Domini Joannis, Dei gratia Pergamenſis Epiſcopi voluerunt & ſtatuerunt, quod Fratres Minores ſancti Franciſci habere debeant de cetero habitationem, utilitatem, & locum Eccleſiæ ſanctæ Mariæ de la Caritate, & domos ipſius Eccleſiæ, & horti & vineæ, quæ adjacent ſedumini illius Eccleſiæ; eo modo & ordine, ut Fratres Minores, qui nunc ibi ſunt, vel qui pro temporibus fuerint, deſervire debeant illi Eccleſiæ in divinis Officiis, & ibi exercere opera pietatis. Alias vero poſſeſſiones & redditus dictæ Eccleſiæ decreverunt & ordinaverunt applicari hoſpitali de la Caritate *ſito ibi prope; ita quod illud hoſpitale debeat*

beat habere uſumfructum ipſarum poſſeſſionum dictæ Eccleſiæ proprietate, ita quod omnino illæ poſſeſſiones, & redditus ſint ipſius hoſpitalis, & prædictum hoſpitale poſtmodum teneatur recooperire ipſam Eccleſiam, & domos præſentes illius Eccleſiæ, & tecta ipſius Eccleſiæ, & domorum præſentium illius Eccleſiæ de prædictis redditibus. Et ſi contingeret, ipſos Fratres Minores aliquo tempore diſcedere ab ipſa Eccleſia, poſſeſſiones illæ, quæ erant ipſius Eccleſiæ, & redditus redire debeant ad ipſam Eccleſiam, & ipſius Eccleſiæ eſſe liberæ & abſolutæ, ſicut ante erant.; ita quod per hoc nullum generetur præjudicium ipſi Eccleſiæ, & in eadem Eccleſia eſſe debeant unus Sacerdos & unus Clericus, ſicut hactenus fuerunt; & hæc omnia ſunt acta de voluntate, & aſſenſu Domini Friderici de la Grotta, & Presbyteri Lanfranci, & Martini de la Pila Clerici confratrum amborum dictæ Eccleſiæ ſanctæ Mariæ. Hi ſunt Canonici Pergamenſes, qui interfuerunt, & conſenſerunt huic conſtitutioni, videlicet Dominus presbyter Martinus de Credario, presbyter Rodulphus de Giſalba, & Martinus de Roxiate Cimiarcha, Albericus Advocatus, Atto de Petrengo Maifred. Carpell. Algiſius de Roxiate, atque Rogerius Braganiolis, & interfuerunt hi teſtes. Deinde ſequuntur multæ ſubſcriptiones adſtantium, demum ſubjicitur. *Factum eſt hoc anno a Nativitate Domini* MCCXXX. *indictione* III. *die* XII. *intrante menſe Septembri in Civitate Pergamen. in Palatio Epiſcopali.*

XXVI. Datam porro hanc Eccleſiam pro Monialibus ſub cura & regimine Minorum, non pro ipſis Fratribus, quibus jam ſuberat Eccleſia ſancti Joannis Baptiſtæ, & contiguum Monaſterium, animadvertit Cœleſtinus Bergomas hiſtoricus, ex teſtamento cujuſdam Clerici Martini de la Pila, qui anno ſequenti legavit ſupradictæ Eccleſiæ de Caritate quotannis quinquaginta ſolidos imperiales, accipiendos tamen a Miniſtro dicti hoſpitalis, & ſolvendos pauperibus Dominabus Regulæ Minorum reſidentibus juxta dictam Eccleſiam ſanctæ Mariæ. Orta tamdem lite inter dictum Xenodochium, & Monaſterium, dum non ſolvebatur prænunumerata pecunia, lata eſt pro Sanctimonialibus ſententia. Legavit item Epiſcopus prænominatus Joannes hoc anno moriens certam frumenti quantitatem ſingulis annis Fratribus, erga quos erat valde propenſus, adminiſtrandam. Hoc item anno de menſe Septembris, initium accepit Conventus Civitatis Caſtellanæ, induſtria Miniſtri Generalis, in qua urbe erat Judex, ut diximus, quando ſe tradidit Minoribus. Adjecta eſt ei Eccleſia, quæ prius dicebatur ſancta Maria de communi, in qua prædictus Generalis Miſſam cantavit in translatione corporum beatorum.

Rodul. fol. 30. Conven. Civit. Caſtellanæ. *Anno* 1211. *n.* 20. *tom.* 1.

XXVII. Fratribus pœnitentiæ conceſſit hoc anno Pontifex privilegium, in quo confirmat quæ antea indulſit, ne cogerentur ad recipienda aut exequenda publica officia, pædagia colligenda, aut mutuas communitates faciendas. Incipiunt litteræ: *Cum dilecti filii Fratres Pænitentiæ*. Datæ Later. II. Nonas Junii.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Minores ingrediuntur Inſulas Baleares.

„ I. OPinatur Gonzaga, & cum eo Waddingus, Majoricenſis Pro-
„ vinciæ Minoriticæ primordia fuiſſe anno MCCXXXVIII. Melius
„ vero Dameto, & cum eo Mutius, quibus ultimis libenter adhæreo, &
„ huic anno noſtrorum Fratrum ingreſſum Baleares in Inſulas conſigno;
„ Rem vero ut explicem, congruum eſt, quod latiori argumento utar:

ſic

Digitized by Google

„ ſic enim haud tantum initia Fratrum noſtrorum iis in Inſulis, ſed etiam occaſionem eorumdem Lectoribus gratam exhibebo.

„ II. Baleares Inſulæ in mediterraneo mari contra Tarraconenſia littora ſitæ, non longe inter ſe diſtantes, incolas ab initio feros & ſilveſtres, bello tamen, & navigationibus deditos habuere; ſolum earum nihilominus oleum præbet præſtantiſsimum, quod inde in Valentiam, Flandriam, Italiam, aliaſque in partes devehitur. Armenta etiam plura cum alat, lactis abundantiam exhibet, & caſei, qui premuntur Italicis, & Hiſpanicis multo præſtant. Incolæ autem ſunt etiam induſtrii, pannos conficiunt optimos, & in vicina, mercimonii cauſa, loca diſtrahunt. A magnitudine vulgare nomen ſortitæ: quæ major eſt altera Majorica, quæ vero minor, Minorica, nuncupatur: in Majorica ad Orientem inſignis Civitas eſt, nomen totius Inſulæ præſeferens, eam tamen veteres Palmarum dixere: eſt & alia Civitas in eadem, nomine Pollentia, quæ meridiem reſpicit: ex hac Inſula trajectus eſt in Hiſpaniam quatuor, aut quinque horarum, in Mauritaniam vero bidui, aut tridui. Minoricæ inſula eſt orientalior, quam Majorica: circuitus ejus eſt millium CL. Ptolomæi ætate duæ in ea urbes fuere, Jana, quam Mela Janam appellant, & Mago: ager hujus præſtat alterius Inſulæ agris: Portus in eo duo ſunt commodi, Maon, & Farnellus.

Balearium Inſularum qualitas.

P. Bert. in earum deſcript.

Lana ſeu Lamna, & Mago Civitas olim in Minorica.

Portus duo ibid. Maon & Farn.

„ III. His inſulis hoc anno MCCXXIX. Retabohihe Maurus, & Aragoniæ Jacobus Rex pius, fortis, vereque Chriſtianus imperabant. Piraticam exercentes infideles Mauri earum Inſularum quaſdam Catalauniæ naves detinuerunt: Aragonius Rex per ſuos nuntios a Retabohihe Mauro dimiſſas petiit, ſed hic ſuperbus Aragonem ſpernens, deluſos nuntios remiſit. Hæc origo inter Aragoniæ Regem, & Retabohihe Maurum Balearium tyrannum ferum nimis ac atrocem: belli expeditionem in Baleares decrevit Aragonius, & parata claſſe in Majoricam transfretavit, Civitatem forti obſidione cinxit, victriciquæ manu tamdem, diſrupto urbis muro, pridie Kalendas Januarii anno MCCXXX. expugnavit. Ita cecidit Maurus, qui ſuperbia tumens, confiſus in potentia ſua auſus eſt Jacobum irritare.

Retaboh. Maur. hi, & Jac. Rex Arag. dominabant.

Bern. Juſtin. hiſtor. Hiſp. fol. 303.

Bellum inter præf. Reges.

„ IV. Porro Jacobum Regem Catholicum ea in expeditione comites voluiſſe, & ſecum habuiſſe Fratres Minores, qui piis precibus apud Altiſſimum ſibi aſſiſterent, ejuſque auxilium implorarent, ſcripſerunt Dameto, & Mutius, qui ajunt, Fratres Minoritas in ea expeditione comites Regis Jacobi extitiſſe, & parta celebri victoria a piiſſimo Rege non ampla prædia, ſed anguſtum locum, in quo juxta ſui Inſtituti arctiſſimam paupertatem Deo famulantes in odore virtutum, & proximo in ſpiritualibus ſervientes, habitare poſſent, obtinuiſſe; hortulum ſcilicet quemdam mœnibus Civitatis exterius hærentem quidem, ſed a rumoribus ſemotum, arabice dictum *Riat Albadile Abſuac* in eoque militum eleemoſynis paupercula tuguriola extruxiſſe, & habitaſſe quouſque in Civitatem translati eſſent; quod accidit anno MCCXXXVIII. quo piiſſimus Rex locum eum conceſſit, per quem in Civitatem eruperat.

Fr. Minor Com. Jac.

Dameto in hiſtor. Bale. lib. 2. Mut. to. 2.

Ab eodem obtinent locum.

Mon. MSS. Prov. Major. an. 1680.

„ V. Interea vero Bartholomæus de Ptolomæis Senenſis commemorat Carolum Volaterranum, virum vitæ ſanctitate inſignem, & miraculis conſpicuum, cujus ſacrum corpus Florentiæ in Eccleſia Fratrum Minorum oſtenditur: floruit autem anno a partu Virginis MCCXXX. pridie nonas Julii. Gerardus etiam doctrina, pietate, patien-

Barth. de Ptolom. de Viris Sanc. Ill. ex eo Bajar. cit.

Fr. Carol. Volt. ſanc. inſignis.

Fr. Gerar. doctr. & pietate conſpicuus.

,, tientia, & ſignis admirandis conſpicuus, qui aliquando Miniſter ſeu
,, Guardianus Reatinus ægrotanti ſeraphico Patri ſancto Franciſco Aſſi-
,, ſii, nonnullos piſciculos quibus veſceretur miſerat; clarens virtuti-
,, bus, & glorioſis meritis cumulatus hoc pariter anno XVII. Kalendas Ju-
,, nii properavit in cœlum.

Fr. Jord. de Yane vir doctiſſim. Supra ad annum 1225. n. 4. Wadd. ad an. 1230.

,, VI. Dixeram Jordani *de Yane* futurum fore, ut iterum ſermo
,, rediret; placet autem hic eum revocare brevi nihilominus ſtylo, ma-
,, xime quod tanti Viri egregium quid ad hunc annum referat Waddin-
,, gus, nec deinceps de eo loquatur. Itaque Jordanus *de Yane* vallis
,, Spoletanæ, apud Germanos cognomento Italus, vir fuit doctiſſimus,
,, & doctrinæ parem habuit pietatem. Germaniæ primo adverſabatur,

Miſſ. Germaniæ incumbit.

,, ſed poſtea obedientiæ virtute compulſus miſſioni Germanicæ nomen
,, dedit, & beato Cæſario illius promotori fideliſſimus Achates, maxi-
,, mus Ordinis per Teutoniam propagandi coadjutor extitit. Germa-
,, niam ergo rediit anno MCCXXI. & una cum duobus ſociis, Abrahamo
,, Hungaro ſacerdote, & Conſtantio laico Salisburgum a Cæſario able-
,, gatus Archiepiſcopo urbis acceptiſſimus fuit: anno MCCXXII. cum
,, eſſet Diaconus tantum, ita diſponente Cæſario Miniſtro eo tempore
,, Germaniæ, ad Sacerdotium promotus eſt, ac mox ad Guardianatum

Comitia Prov. Spiræ.

,, Spiræ aſſumptus, ſubinde Comitiis Spiræ ſub Alberto Miniſtro Teu-
,, toniæ interfuit, & primam ibidem ſuam decantavit miſſam anno

Ex Bald. de Brun. in hiſt. MSS.

,, MCCXXIII. Tum Guardianus Moguntinus effectus, ab Alberto Teu-
,, toniæ Miniſtro cum ſeptem ſociis in Thuringiam miſſus, menſe No-
,, vembris Erphordiam pervenit cum ſuis, ubi anno MCCXXIV. locum

A fratre Alberto Miniſtro Prov. mitt. in Thuringiam cum 7. ſociis.

,, accepit, ut ſupra retulimus; multiplicatis tamdem in regione domici-
,, liis, Thuringiæ primus Cuſtos effectus, Aſſiſium reviſit hoc anno
,, MCCXXX. Contracte hæc ex Balduino de Brunſuick, qui Provinciæ
,, Saxoniæ hiſtoriam conſcripſit, excerpſimus, quibus adnectere placet
,, quæ de eodem Jordano ad hunc annum ſcripſit Waddingus.
,, VII. Ut Aſſiſium pervenit, quo viſendi gratia fratrem Thomam
,, de Celano perrexerat Jordanus, ab eo reliquiis beati Patris Franciſci
,, donatus eſt, de capillis videlicet, & veſtimentis, quibus maximo cum
,, gaudio, & gratiſſimo animo acceptis, in Germaniam maturavit redi-
,, tum. Cum Herbipolim perveniſſet, Fratres Thuringiæ datis litteris
,, ei ſunt gratulati, enixe rogantes, ut quia non tantum videre, ſed &
,, eum de neceſſariis alloqui deſiderabant, ſignificare dignaretur qua
,, parte Thuringiæ Saxoniam verſus tranſiturus eſſet: quibus annuens,
,, Iſenacum eis definit. Eo ergo major Thuringiæ Fratrum pars in ſui
,, Cuſtodis occurſum confluxit, & monito Janitore domus, ne Jordanum
,, advenientem intromitteret, antequam eis indicaſſet; ita factum eſt,
,, ut perveniens ad oſtium Jordanus, janitor mandati memor Fratres
,, præmonuit, antequam illum admitteret; itaque Fratres magno
,, gaudio perfuſi, renunciarunt Jordano, quod ea vice per portam do-

A fr. Thom. de Celano reliquiis S. P. Franciſci donatur.

,, mus intrare non poſſet, ſed per Eccleſiæ januam: ac interim exultan-
,, tes in chorum ſe colligunt, cruces, palmarum ramos, candelas ar-
,, dentes, ac thuribula manibus levantes extra chori clauſtrum bini, &
,, bini proceſſionaliter in Eccleſiam prodeunt, valvas januæ aperiunt, &
,, fratrem Jordanum intromittentes cum lætitia magna recipiunt, plenis
,, vocibus cantantes reſponſorium: *Hic eſt Fratrum amator, &c.* ipſum-
,, que ſolemniter ad chorum deducunt. Interea attonitus ille, animo-
,, que hæſitans, cur hæc omnia præter morem fierent, manu ſilentium
indice-

„ indicebat, cantanteſque cohibere tentabat, ſed fruſtra; cantum enim „ quem incœperant cum jubilo complebant. Tum Jordano magis ac magis ſtupenti ſubito in mentem veniunt ſancti patris Franciſci reliquiæ, „ quas Aſſiſio ſecum ferebat, & ſpiritu incaleſcens in hæc verba prorupit „ *Gaudete Fratres, & ſcitote, quod non me ut me, ſed in me Patrem noſtrum ſanctum Franciſcum, qui me tacente animos veſtros excitavit, cujus apud me reliquias habeo tanta cum ſolemnitate, & plauſu excepiſtis, honoraſtis, & collaudaſtis*; protractaſque oſtendendo ſingulis, poſtea coram Fratribus in altare expoſuit; ipſe vero exinde beatum „ Franciſcum, quem viventem in carne viderat, & a quo ad Religionem acceptus fuerat, majori devotione & reverentia proſequi cœpit: „ quia viderat, quomodo Dominus corda Fratrum Spiritu ſancto exuſcitans, atque inflammans, ejus apud ſe reliquias latere noluerit. „ Miſſi tunc a Jordano Fratres in Northuſen, qui humaniſſime ab illis „ incolis excepti, hortum atque domunculam pro erigendo Conventu „ ſumma liberalitate receperunt.

A Fratribus recipitur ſolemniter per oſtium Eccleſiæ in Conven. Iſenaci.

Fratres ab eodẽ miſſi in North. domum ibidem accipiunt.

„ VIII. Fuit Jordanus unus ex primis Fratribus in Teutoniam miſſis, forma niger, ſtatura puſillus, corde jucundus, benevolus, ad „ omne opus bonum paratus, vir tantæ obedientiæ, ut in Fratre Minore „ nulla ſanctitatis ſigna, niſi cum obedientia conjuncta veneraretur, „ aut alicujus momenti æſtimaret. Tamdem ſanctitate clarus e vita diſceſſit in Saxonia, teſte Balduino de Brunſuick citato.

Obiit in Saxonia.

ARGUMENTUM.

Antonius Patavinus poſt diſſeminatum maximo cum fructu verbum Dei, & innumera patrata miracula, moritur Patavii, & honorifice ſepelitur, ſed non abſque tumultu. Crebris dum ſtatim a funere coruſcat miraculis, integro non clapſo menſe tractatur de ejus canonizatione. Sancta Eliſabetha Lantgravia, multis exhibitis ſanctitatis indiciis, moritur Marpurgi, & quatriduo poſt honorifice tumulatur. In Civitate Valentina martyrium ſubeunt Minoritæ duo ſub Rege Saraceno. Ædificantur conſodalibus pluribus in locis domicilia, ſed in aliis pleriſque moleſtos nimis & injurioſos ſentiunt Eccleſiarum Prælatos.

I. MEmorabilis ſatis hic annus ex morte plurium inſignium perſonarum, Antonii Patavini, Eliſabethæ Hungaricæ, Joannis, & Petri martyrum Valentinorum, quorum geſta, quæ enarranda ſuperſunt, hic intexere viſum eſt opportunum; atque ut ab Antonio, qui morte præivit, exordiamur, ab illo ſeceſſu montis Alvernæ, in quem diximus ſuperius ſe recepiſſe, hoc anno ob loci inclementiam, & affectam valetudinem, oportuit diſcedere, in ordinem redactis ſermonibus pro quovis anni tempore, licet Auctor ejus vitæ apud Surium videatur indicare, eos Paduæ confectos. Recta perrexit a ſolitudine in illam Civitatem, alias multum erga ſe Patavinorum fidem & benevolentiam expertus. Cumque eo perveniſſet, Raynaldus Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis eum hortatus eſt, ut conciones de Sanctis quoque componeret. Itaque illi morem geſturus ibidem in id operis voluit incumbere, ſed ſacro Quadrageſimæ adveniente tempore, videns Vir Dei adeſſe tempus acceptabile, & dies ſalutis, illud opus intermiſit, totumque ſe ad docen-

Marian. c. 5. Anonym. c. 11. Anno 1230.

S. Antonius abit Patavium.

Digitized by Google

Prædicat quotidie in Quadrageſima. dum pro concione populum, ejus ſermones mirifice ſitientem, applicuit, illiſque quadraginta diebus quotidie concionatus eſt, non ſine multorum admiratione. Erat enim natura corpulentus, & ea cauſa perpetuo laborabat incommoda valetudine: attamen præ infaticabili animarum zelo prædicando, docendo, confeſſiones auſcultando, ſæpiſſime uſque ad Solis occubitum jejunus permanebat.

II. Vidit hoc, & invidit malignus Dœmon, perpetuus bonorum ſtudiorum hoſtis: & ut Virum ſanctum a ſuo propoſito deterreret, nocturnis illuſionibus infeſtus ei fuit. Rem non commentitiam refero, Vexatur à Diabolo. quam ipſe Vir Dei, cum adhuc viveret, cuidam Fratri narravit. Nocte quadam ſacræ Quadrageſimæ, in exordio earum, quas diximus, Virum Dei tunc ſuſcepiſſe, occupationum; feſſa laboribus membra, ſomni beneficio nonnihil recreare volebat. Ecce autem impurus Satan adeſt, & hominis Dei guttur tanta vi comprimit, ut niſi divinitus retardatus eſſet, haud dubio eum præfocaturus fuerit. At ille beatiſſimæ Matris Dei nomen invocans, & fronti ſuæ vivificæ crucis ſignum imprimens; ſimulque depromens hymnum illum, *O glorioſa Domina*, in fugam compulit nequiſſimum ſpiritum, & repente ſe ſenſit liberatum. Cumque fugientem illum videre cuperet, oculos aperiens, totam illam in qua cubabat, cellulam ſuperni luminis ſplendoribus perfuſam conſpexit.

III. Pergens deinde in ſuſcepto per Quadrageſimam concionandi labore, ac ſtudio, populum habuit audiendi ipſum cupidiſſimum; ita ut certatim cunctis ad eum confluentibus, oportuerit quotidianas in Eccleſiis ſtationes indici. Sed cum nimiam auditorum frequentiam Eccleſiarum ambitus non caperet, compulſus eſt ad patentes ſeſe campos tranſferre, atque ita ſalutaris doctrinæ pluvia de ſpiritus abundantia irrigare In campis prædicat ob auditorum frequentiam ſitibundos. Confluxit autem eo ex vicinis urbibus, caſtris, pagis innumera prope hominum multitudo, ſalutem ſuam in illius doctrina, ſpe non dubia collocans. Surgebant intempeſta nocte, & alii alios nitebantur antevertere, accenſiſque luminaribus, ad locum, ubi erat facturus verbum Vir Dei, ſumma contentione properabant. Cernere illic erat milites, matronas nobiles, mediis noctis tenebris accurrere: & qui in multam lucem prius ſtertere conſueverant, abſque ullo tædio vel moleſtia concionaturum vigiles expectare. Deponebant autem omnes cultiorem habitum, & quæ ad ornatum ſpectare videbantur; utebanturque veſtibus religioſis. Ipſe quoque Antiſtes Paduanus, cum Clero ſuo, Virum Dei devote ſequens, formaque gregi ſuo factus ex animo, omnes 1. Petr. 5.3. ſuo egregiæ humilitatis exemplo, ad accurate auſcultandum incitavit. Itaque, Viro Dei loquente, tanto ab omnibus ſtudio attendebatur, ut in triginta vel eo amplius hominum millibus, vix murmur aliquod, aut Multa millia ad ejus ſermones confluunt. ſtrepitus ſentiretur. Tabernas ſuas mercatores non volebant patere cuiquam ad emendas merces, niſi prius ſancti Viri concione abſoluta: adeo fervebant illius audiendi deſiderio. Fœminæ ex pietate & devotione præcidebant forficibus particulas e tunica ejus, pro reliquiis eas habituræ, & cui dabatur contingere fimbriam veſtimenti ejus, is beatum ſe arbitrabatur. Concione peracta, ab hominum irruentium vi defendi vix potuit; niſi fortium virorum ſeptus præſidiis, vel fugæ opportunitatem callide exploraret, vel turbis tandem recedentibus, citra moleſtiam ipſi quoque abire liceret.

IV. Nihil mirum ſane, adeo numeroſum populum ad hominem confluxiſſe, & ad ejus verba ſitiiſſe, cujus facta ultra communem ſortem erant

Digitized by Google

erant mirabilia, & cui Dominus miris portentis inſignem conciliavit opinionem. Non erit abs re quædam enarrare; quorum dum certum non licuit tempus ſcrutari, in ea, quæ in Gallia, & quæ in Italia facta ſunt, omnia duplici ſerie dividemus. Eo tempore quo apud Montempeſſulanum Vir ſanctus prælegebat quodam ſolemni die concionabatur, omni & Clero & populo auſcultante. Sermone incepto, occurrit animo, ſe officium quoddam ſibi injunctum alteri non demandaſſe. Moris illic erat, ut in præcipuis Dei ſolemnitatibus duo inſignes Fratres, ſub ſummo ſacrificio, *alleluja* cantarent, quod officium tum incumbebat Viro Dei. Itaque magno quodam mœrore affectus, in pulpitum caput cucullo operiens, ſeſe reclinabat, & coram omni illa auditorum frequentia ſic aliquamdiu permanſit. Interim mirabili quodam modo illud officium peregit, quemadmodum olim ſanctus Ambroſius legitur, beatiſſimi Martini funus, licet corpore procul abeſſet, curaſſe: & ſanctus Franciſcus, ut ſupra adnotavimus, Fratribus ſuis in Arelatenſi Conventu, ſive Capitulo apparuiſſe. Eo autem munere diligenter perfunctus, ad ſe rediit Vir Dei, & ſermonem inceptum egregie proſecutus eſt. Ejuſdem modi quidpiam etiam apud Lemovicenſes illi contigiſſe ferunt: ubi cum in nocte Nativitatis Chriſti in ſumma æde concionandum ei eſſet, & eodem tempore nona in nocturno officio lectio apud Fratres in ſuo Monaſterio recitanda; cum utrumque ſimul præſtare non poſſet, rogavit Dominum, ut is ſua virtute ſuppleret, quod humana ope fieri nequiret; & ita eodem tempore, & lectionem illam in Fratrum choro viſus eſt legere, & in primario Templo concionem habuiſſe.

Abſens pias exercet functiones.

Sever. Sulp. in vita S. Mart. c. 47
Anno 1224. n. 38.

V. In tractu Lemovicenſi in Gallia Aquitanica Cuſtodis gerens officium intellexit, tironem quemdam, Petrum nomine, valde tentatum, ut ſodalitio valediceret. Vocatum ad ſe paterne amplexus, in fauces ſua manu apertas inſufflavit mira virtute, & cœleſti fiducia, dicens: accipe Spiritum Sanctum; mirum ſane, & rarum miraculum! ſtatim concidit ad pedes ejus adoleſcens exanimis, quem paululum veluti emortuum jacentem, apprehenſa manu elevavit e terra, jubens coram omnibus circumſtantibus, ut ad priſtinam mentem rediret. Reſumpto ſpiritu, apparuit pulchra nimis facie, & cœpit enarrare quatenus ſtatim poſt inſufflationem raptus ſit ad cœtus Angelicos, videritque mira Dei arcana. Quæ dum amplius enarrare vellet, Vir ſanctus ſilentium indixit, juſſitque ut divinæ virtuti, & miſericordiæ cuncta humiliter & gratanter adſcriberet. Ita fecit per omnem vitam, abſque querela ſemper incedens, nullam deinceps ſentiens in quacumque materia tentationem. Vixit per plures annos in ſancta converſatione, & ſancto tamdem fine quievit.

Chron. antiq. Marian. cit.

Inſufflando juveni tentationes fugat.

VI. Paulo poſt Vir ſanctus per Abbatiam de Solemniaco Lemovicenſis diœceſis pertranſiens, excepit confeſſionem ſacramentalem cujuſdam ex Monachis, magnas paſſi carnis moleſtias, itaut nullo remedio abſtinentiæ, vigiliarum, orationum, aut quarumcumque corporis macerationum potuerit ab eis liberari. Compaſſus affecti hominis Antonius, exutam ſibi anteriorem tunicam ei ſuperinduit ad nudam carnem; ille vero quaſi quidquam in tunica lateret divinum, tantum ſenſit tribulationis levamen, & cordis munditiam, ut amplius non fuerit ei colluctandum.

Sua tunica alias abigit.

VII. In eodem tractu Lemovicenſi quædam devota fœmina, in Minores valde propenſa, dum eis quædam emerat, atque aliqua caritatis exhiberet officia, ſupervenit nox, quare tarda domum rediens male

audivit a zelotypo marito, qui verbis verbera addidit, & capillamento per aulam tractam fere decalvavit. Illa, ut muliebre eſt, ſupra omnem dolorem dolens ad perditum capitis ornamentum, comam diſperſam collegit, & Virum Dei ſequenti die rogavit, ut lecto languentem viſitaret. Dum adeſſet, ſignificavit quæ facta ſunt, qualia pro Fratribus paſſa, & rogavit, ut pro ea juberet orari in Monaſterio. Ita factum inſtanter pro benefactrice, cui ad Fratrum preces Dominus dolorem omnem abſterſit, & crines capiti reſtituit, ita ut capillus unus de capite ejus non perierit.

Reſtituit mulieri crines avulſos.

VIII. Cum apud Brivam, Lemovicenſis diœceſis oppidum, Fratrum Rectorem ageret, nec haberent quod manducarent, miſit ad piam quamdam Dominam rogatum, ut quædam ex ſuo horto olera tranſmitteret. Illa, licet inceſſanter plueret, fecit ut ancilla in hortum deſcenderet, & incunctanter decerpta ad Fratres portaret. Decerpſit, abiit, rediit: neque tamen una tantæ pluviæ gutta ei incidit. Quo miraculo ſtupefacta, læta ad heram rediit, quæ majorem ex hoc miro eventu induit erga Fratres affectum, & filium unicum Petrum Nobiliacenſem Canonicum obteſtata eſt, ut dum poſſet, numquam indigentibus Fratribus deeſſet, certam a Domino recepturus mercedem; quod ille fideliter implevit, enarrato ſæpius domeſtico hoc miraculo.

Fecit ut altera ſub magna pluvia non madeſceret.

IX. Ibidem pulſata campanula ad orationem mentalem poſt Completorium, vidit unus, aut alter ex Fratribus multos diſſipantes & deſtruentes ſegetem vicinam cujuſdam benefactoris. Rem narravit Viro ſancto, qui ſtatim reſpondit, accedite Patres, accedite ad orationem, neque curate damnum imaginarium noſtri benefactoris. Qui ſegetem conculcant Dœmones ſunt, qui hoc ſpectro vellent vos ab oratione retrahere, ſub ſpecie caritatis præveniendi tanti damni per illorum expulſionem. At bene noſtis, non omnia Dœmoni licere, non dedit ei Dominus in hanc meſſem poteſtatem, ſummo mane arridebit oculis veſtris campus, ſegetemque invenietis penitus illæſam. Ita Fratres compererunt, cognoveruntque in Viro Dei miram virtutem, & Dœmonum malignas aſtutias.

Dœmonis artes illudit.

X. Apud ſanctum Juvanum ejuſdem diœceſis prædicaturus in æde præcipua, non potuit, ob irruentem numeroſam populi multitudinem. In aperto foro præparatur ſuggeſtum, ex quo confluentem populum præmonuit, Diabolum eo die ibidem ſuas artes exerciturum, attamen per Dei gratiam nullum læſurum. Medium non complevit Concionator ſermonem, quando magno fragore & impetu Dœmon ſuggeſtum concuſſit, dejecitque, Prædicante tamen illæſo, ut ceteram bonæ exhortationis partem tolleret, & circumſtantes a tanto Viro audiendo terreret. Nihil vero ſuis artibus profecit; nam comperto in homine ſpiritu prophetico, majori fide, & reverentia eum ſermonem, ex alio præparato ſibi confeſtim roſtro, abſolventem omnes audierunt.

Alias prædicit.

XI. In urbe Bituricenſi cum quodam die populo prædicaret, tam frequens habuit auditorium, ut nullus intra oppidum eſſet locus tantæ multitudinis capax. Canonici igitur cum populo inſtituta proceſſione, in agrum latiſſimum exierunt, ſub æſtivo tempore; ſub ipſa autem concione immanis orta tempeſtas, fulgoribus, & tonitruis comminantibus, imminentem pluviam omnes fugere compellebat. Sed Vir Dei cernens illos fugam meditantes, alta voce dixit; ſitis bono animo, nec vos loco moveatis: nec gutta quidem pluviæ quemquam veſtrum continget. Tum illi

Sub magna pluvia non madeſcunt ejus auditores.

Digitized by Google

illi verbis ejus fidentes nequaquam ſe moverunt. Interim pluvia, & grando craſſiſſima præceps e coelo proruens, omnes illos prorſus intactos reliquit, ne locum quidem in quo ſtabant madefaciens; cum tamen undique inſtar muri ambiviſſet. Ad tam inſigne miraculum omnes gratias egerunt Deo, & Virum Dei deinceps in multa habuerunt reverentia.

XII. Concionante quandoque Viro Dei ad ſex milliaria extra urbem Podienſem, abſoluto ſermone, quidam viri fideles vinum & alia quædam ei miſerunt. At vinum guſtans matrona quædam, cum ejus palato non ſederet, feſtina domum abiit, melius allatura, qua in re tam fuit ſollicita, ut vaſis epiſtomium apertum relinqueret, manuque ferens vertibulum, ſive partem illam qua epiſtomium obturatur, ad hominem Dei properaret. Ad quem ut acceſſit, vidit in manu ſua inſtrumentum illud; ſenſit, ſe non obturaſſe epiſtomium: moxque domum reverſa, totum cellarium vidit vino perfuſum. Confidens autem meritis ſancti Viri, in epiſtomio repoſuit vertibulum, ſtatimque dolium adeo eſt vino repletum, ut exundarit. *Vinum effuſum in vas reſtituit.*

XIII. Ibidem alias prædicante, perturbabat auditores amens quidam, multa pro ſtultorum more vociferans. Vocato ad ſe Vir ſanctus, cingulum porrexit, quo tacto ſtatim mentis compos, coram univerſa multitudine Deum laudavit, de reſtituto ſibi judicio gratias agens perpetuas. *Amentem ſanavit.*

XIV. Apud Montempeſſulanum dum ſacram profiteretur Theologiam, juvenis quidam in ſodalitium admiſſus paulo poſt ad ſeculum rediens, fugitive receſſit, ſurripiens pſalterium egregia gloſſa illuſtratum, quo utebatur Vir ſanctus in expoſitione pſalmorum ad Fratres. Ut ei conſtitit de furto, in oratione petiit a Domino reſtitui ſibi librum hunc valde neceſſarium. Exauditæ ſunt preces illius: nam occurrens Dœmon fugitivo in quodam ponte elevata magna ſecuri minatus eſt ei mortem, niſi rediret & redderet, quæ abſtulit furto. Exhorruit ad tetrum & terribile ſpectaculum, quare cum humilitate rediens, pſalterium Viro ſancto, & ſeipſum reddidit ſodalitio. *Surreptum pſalterium miro modo fecit, ut redderetur.*

XV. In quodam oppido prædicaturum, dum anxie audire vellet fœmina quædam ſolum reliquit domi filium infantulum, quem miro & inſperato caſu invenit incidiſſe in cacabum aquæ ebullientis. Ad primum aſpectum cœpit clamare; ſed dum fleret, & alii accurrerent, viderunt puerulum colludentem, & veluti tepida in aqua natantem: extractum ex aqua viderunt ſignum nullum habuiſſe tanti periculi; quare magis anxie currebant omnes ad miraculoſi Viri ſermones. Simile alii accidit mulieri reverſæ e ſancti Viri concione, quæ filiolum reperit mortuum in cunis reſupinum; ad Sanctum etenim properans, ab eo auditis verbis, quæ Chriſtus olim ad Regulum dixit: *Vade, filius tuus vivit*, domum rediens vivum recepit colludentem vicinorum pueris. *Infantulos duos revocat ad vitam.* *Joan. 4. 50.*

XVI. In eodem tractu Lemovicenſi recepit eum hoſpitio quidam vir pius in cubiculo a turbis domeſticis remoto, quia quietis, & ſolitudinis cognovit amicum. At alta nocte, dum per rimulas ſui hoſpitis obſervare vellet excubias, vidit in ulnis ei colludentem puerulum ultra modum ſpecioſum, & Antonium in ejus faciem intentum, veluti ſtupentem hæſiſſe; deinde carius amplexatum amatoriis uerbis collocutum ex ſpecie verbiſque, quæ facile divinitatem prodebant, agnovit devotus obſervator infantulum Jeſum, quem ſuo modo per rimas adorabat. Hominis *Colludit ei Puer Jeſus.*

præ

Digitized by Google

præ foribus per cancellos proſpicientis revelavit pietatem Antonio dulciculus Puer ad utriuſque conſolationem, longiuſcule cum Viro ſancto confabulatus. Sequenti die pia cautela, & digna reverentia inter ſe bonis ſpectatoribus de tanta Chriſti erga homines dignatione loquentibus, virum rogavit Antonius, ut viſionem nemini diceret, dum ipſe viveret. Obſecutus, poſt mortem viris præcipuis rem miram, tactis ſacroſanctis Evangeliis, teſtificatus revelavit. Singularem hanc gratiam indicant pictores, dum Infantulum communiter in ſancti Viri ulnis, vel ex collo hærentem depingunt.

XVII. Cum in quadam Eccleſia prædicaret, acceſſit feſtinanter ad nobilem fœminam quidam in ſpecie curſoris, qui porrecta epiſtola denunciavit, unicum ejus filium ex inopinato eventu occiſum. Ad tam funeſtum nuncium triſtis mater non potuit ſe continere, quin prodiret in voces & lacrymas. Dolos inimici optime præſentiens Vir ſanctus, e roſtris rogavit Dominam ut taceret, & omnem mitteret dolorem; nihil enim, inquit, ſubdolus hic curſor verum narravit, namque filius tuus vivit incolumis; quod ut facilius credas, virtute Dei in malam rem ſubito infamis hic nuncius ob detectas technas, quibus Dei verbum impedire ſatagebat, diſparebit. Non plene dixit, quando cum magno ejulatu mendax tabellarius evanuit.

Aperit Diaboli mendacium.

XVIII. Viſitavit ſemel in oppido Aviſio Dominam quamdam fœtu gravidam, quæ partus periculum timens, petiit ut pro ea Vir ſanctus oraret. Ille oratione præmiſſa, dum ſecundo eum circa id ipſum rogaret, dixit, jam ſe preces effudiſſe, & bonam accepiſſe ſpem, imo & certam fiduciam incolumem parituram filium, qui religioſe tranſactam vitam in Ordine Minorum præclaro clauderet martyrio. Nihil inaniter prædictum, peperit ſalva infantulum, in aquis luſtralibus Philippum dictum, qui inter Minores initiatus in Orientales partes nutu Dei profectus, in exercitu Chriſtianorum deſervivit. Captus tamdem a Saracenis cum plurimis ex fidelibus, omnes ad martyrium ſubeundum egregie docebat, quos tamdem ſequutus, glorioſum poſuit ſui terminum magiſterii.

Prædicit naſcituro infantulo martyrium.

XIX. Alia quædam pia fœmina, Virum Dei pro habenda concione extra urbem exeuntem ſequi deſiderans, a marito male valente non permittebatur. Fuit hoc illi moleſtiſſimum, & cum concioni intereſſe non liceret, aſcendit in ſolarium domus ſuæ, & ex feneſtra ad locum concioni deſtinatum cupida reſpexit, ut vel ſic nonnihil ſuo deſiderio ſatiſfaceret. Accidit tum res admiratione digna: cum enim ad duo milliaria abeſſet locus ille, vocem Viri Dei prædicantis audivit, cujus ſuavitate delectata, hæſit diutius ad feneſtram quam vir ejus ferre poſſet, qui etiam eo nomine dure objurgavit eam: ſed illa ſe, reſpondit, patrem Antonium audire concionantem. Quod ille audiens, irriſit tamquam delirantem, illa contra aſſerente, ſe optime audire eum, aſcendit vir ad feneſtram eamdem, & etiam ipſe Viri Dei vocem meritis fidelis conjugis percepit, atque ab illo die numquam ex illius concione abeſſe voluerunt.

A longe vox ejus auditur.

XX. Quæ ſequuntur in Italia perpetravit miracula. In urbe quadam Æmiliæ, cum a prædicatione rediens, & per ſolitudinem iter habens populi applauſus declinaret, mulier quædam viæ compendia captans, & Virum Dei per devia quærens, filium ſuum brachiis, & cruribus a primo ortu contractum ad ejus pedes abjecit, cum multis lacrymis rogi-

Digitized by Google

Crucis ſigno ægrum puerum ſanat.

Lucas S. Antonii ſocius commendatur.

rogitans, ut crucis ſignum in illum exprimeret, nihil dubitans, hoc facto, illico filium ſanatum iri: ſed cum Vir ſanctus præ multa modeſtia & humilitate id recuſaret; illa flens largius, & preces multiplicans, clamare cœpit: Domine pater Antoni miſerere mei. Tandem Vir pius, & matris afflictione, & filii calamitate permotus; tum etiam flexus precibus ſocii ſui fratris Lucæ ejus perpetui comitis, ſcientia & ſanctitate præclari, crucis ſignum in Chriſti nomine in ægrum puerum edidit: & ille eodem temporis puncto ſanus, & incolumis ſurrexit. Porro Vir Dei non hoc ſuis meritis, ſed mulieris fidei adſcribens, rogavit eam, ut dum ipſe in vivis eſſet, nulli id propalaret.

Item puella.

XXI. Puella quædam Paduana nomine, annorum quatuor, pedum officio carens, inſuper morbo caduco laborans, crebro volutabatur ſpumans, & ad terram ſe miſerandum in modum allidens. Contigit autem, ut pater ejus, Petrus nomine, cum illam geſtaret in ulnis, ab inſperato obviam haberet ſanctum Antonium a concione revertentem. Itaque eum obnixe rogat, ut ſignum vitalis crucis edat in puellam. Ille cernens hominis ſinceram fidem, a capite uſque ad pedes cruce eam conſignat, & de repente fit ſana. Matrona quædam nobilis Virum Dei cum ingenti populi multitudine extra oppidum ſequens, ut in agro concionaturum audiret, in anguſta quadam platea in denſiſſimum lutum decidit novis, iiſque non parui pretii veſtibus induta; in ipſo autem caſu ſe Deo, & ſancto Viro commendans, ex luto ita ſurrexit munda, ut omnes in admirationem verſi, Deum, & fidelem ſervum ejus mirifice prædicarent.

In lutum cadens non conſpurcatur.

XXII. In uſurarii cujuſdam exequiis Vir Dei concionaturus, thematis loco illud accepit ex Evangelio, *ubi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum*: ſub concione autem inter cetera, ait: *Mortuus eſt hic dives, & ſepultus eſt in inferno*: Ite ad theſaurum ejus, & in illius medio invenietis cor ejus. Corpore jam humato, abierunt hominis parentes & amici, & cor adhuc calidum in medio nummorum ejus invenerunt.

Matth. 6. 21.

Luc. 16. 22.

XXIII. Cum Paduæ degeret, Ulyſſipponæ duo Cives inexpiabili odio ſe mutuo proſequebantur, e quibus alter juxta ædes parentum beati Viri manebat; & cum hora veſpertina filium hoſtis ſui in platea inveniſſet, per ſummam crudelitatem jugulavit, intempeſtaque nocte in horto parentum Viri Dei eum ſepelivit. Cum autem nobilis eſſet is, cujus filius cæſus erat, inquiſitum eſt diligenter, & repertum, ejus filium illac tranſiiſſe, ubi ejus inimicus morabatur. Itaque ejus domo, & horto luſtrato, nihil compertum eſt. Itum eſt ad vicinas ædes, & in horto illarum, pueri cadaver inventum eſt. Itaque pater ſancti Viri cum tota familia conjectus eſt in vincula, tamquam reus cædis illius. Id vero ut per ſpiritum Paduæ cognovit Vir Dei, veſperi a Guardiano petiit copiam exeundi, quæ illi negata non eſt. Eadem nocte, magno miraculo, Ulyſſiponam perductus eſt, & proxima luce ad Judicem ſe contulit, rogans ut inſontes e vinculis dimiſſos pateretur abire domum. Illo modis omnibus recuſante, petiit cadaver perempti pueri ad ſe adferri. Quo allato, juſſit ſurgere puerum, & dicere, num a parentibus ipſius occiſus eſſet? ille ſurgens, dixit, ejus cædis illos prorſus conſcios non eſſe, atque ita diſcedendi eſt illis facta poteſtas. Manſit toto die illo cum parentibus ſuis Vir beatus, & mane angelico miniſterio Paduam reductus eſt.

Ex occiſi infantis voce parentum probavit innocentiam.

XXIV. Inde poſt Quadrageſimam perfunctus magnis laboribus in confeſſio-

Digitized by Google

Angeli ejus ferunt litteras.

feſſionibus excipiendis, & ſermonibus habitis ad populum, voluit pauliſper recedere ad ſolitarium locum, ut quieti mentis vacaret. Exaravit litteras Miniſtro deſtinandas, ut abeundi peteret licentiam; dum vero in Guardiani cellam iret, ut cum eo de tranſmittendis ageret litterulis, ad ſuam regreſſus, quas in menſa reliquit, non invenit. Hinc ſuſpicatus, fortaſſis Deo non placere ut recederet, nullam amplius adhibuit curam, donec elapſis iis diebus quibus ire poſſet & reverti tabellarius, ſi mitteretur, accepit a Miniſtro reſponſum, & abeundi licentiam. Qui rem referunt, Angeli miniſterio tribuunt eventum.

Ant. tit. 24. c. 3. §. 2.
Rodul. lib. 1. in vita ſancti Antonii.
Matth. 16. 18.
Venenata abſque periculo comedit.
Piſan. conf. 9.
1. Cor. 10. 27.

XXV. Inſidiati ſunt ſæpe ejus vitæ hæretici, quorum vitia & perfidiam quotidiano inſectabatur ſermone. Narrat Antoninus, in Italia, & Rodulphus, in urbe Arimini quemdam hæreticum ſancto Antonio cibum veneno infectum in menſa propoſuiſſe, ut hæretici qui aderant, verumne eſſet illud Evangelii: *Si mortiferum quid biberint non eis nocebit*, etiam in ſancto Viro periclitarentur. Ille cum hæreticos benignis verbis caſtigaſſet, de ſcelere certior factus divinitus, edit de illis venenatis ſine ullo vitæ diſcrimine: quo miraculo multi ad fidem catholicam converſi ſunt. Alias ab hæreticis invitatus, ad exemplum Chriſti ſaluti peccatorum compatiens, menſæ fuit magnus & horribilis buſo appoſitus: illi cum ſancto Viro ingeſſiſſent illud Apoſtoli: *Omne quod vobis apponitur, manducate*: Vir ſanctus oculis erectis in cœlum, ſigno vivificæ crucis facto, bufonem in optimum capum convertit, quem aſſidentes una ederunt, ad fidem veram converſi.

Cũ ingenti fructu concionatur.
Pſalm. 4.
Dormientes monebat ut peccata confiterentur.

XXVI. Paulo ante mortem iterum Paduæ officium prædicationis majori reaſſumens fervore, veluti ſi verba ex ardenti prodirent camino, mirabiliter movebat auditores, ipſaſque animorum penetrabat medullas, & multam in iis devotionem, & compunctionem, vitiorumque odium & deteſtationem excitabat, ita ut alter alteri plerumque diceret cum multo gemitu, heu me miſerum, qui numquam ante hac iſtud putarim eſſe peccatum, quod ſi ſciviſſem, certe numquam illud admiſiſſem; mutuoque ſe hortabantur ad faciendam confeſſionem, ad ſuſcipiendas peregrinationes religionis ergo, ad jejunia certis diebus amplectenda in honorem Matris Dei, aut ſimilia pietatis ſtudia ſectanda. Quis vero poſſit dicendo conſequi, quæ illic fuſæ ſunt lacrymæ, quæ ab imo pectore ducta ſuſpiria, quæ pectorum tunſiones in obſtinatis peccatoribus conſpectæ? Adeo enim Dominus mirificavit Sanctum ſuum, ut non ſolum uſitatis quotidie coruſcaret miraculis, ſed etiam inaudita ab eo ſigna ederentur. Sicut enim beatus Nicolaus fertur, per viſum apparuiſſe Conſtantino Magno, ejuſque Præfecto, minaſque intentaſſe, ni dimitterent homines innoxios in carcerem conjectos: ita hic Vir beatus, quos per peccatum cernebat a maligno Dæmone vinctos detineri, & ad mortem tendere ſempiternam, iis liberandis præcipuam navabat operam. Et ſolebant nonnulli venire ad Fratres, cum adhuc viveret Vir Dei, & pro certo affirmare ipſis in lecto jacentibus apparuiſſe eum, & dixiſſe: Surge Martine, ſurge Agnes; abi ad illum Fratrem; & hoc ſive illud peccatum ei confitere quod tali in loco perpetraſti, cujus nemo, præter Deum, conſcius erat; qua ratione peccata prorſus occulta expiata fuere.

Refectum pedem tibiæ reſtituit.

XXVII. Paduanus quidam Viro Dei confitens peccata ſua, inter alia expoſuit ei quod Matrem ſuam tanta vi truſiſſet pede, ut in terram dejecerit. Id audiens Vir ſanctus, omnis malitiæ hoſtis capitalis, cum quodam ſpiritus fervore dixit; pes quo pater, aut mater percutitur, merito quam-

quamprimum debet amputari: quod ille homo ſimplex perperam accipiens, illico domum abit, & pedem amputat. Mox per omnium ora volutat crudelẹ facinus, & ad Virum Dei refertur: qui abſque mora adit hominem, & poſt oblatas Deo preces, crucis ſigno expreſſo, jungit pedem tibiæ, & aliquandiu linit ſacris manibus ſuis. Confeſtim ſurgit homo incolumis ambulans, & exſiliens, & laudans Deum, & ingentes agens gratias ſervo ejus fideli Antonio.

XXVIII. Tyrannidem apud Veronenſes exercebat immaniſſimus Vir Eccelinus de Romano, cujus avus Teutonicus, ut habet Platina, ſub Ottone III. in Tranſpandana Italia ordines duxerat, copias a Friderico II. accipiens in Tranſpadana Italia magnam tyrannidem exercuit, redactis in poteſtatem ſuam Tarviſio, Patavio, Vincentia, Verona, Brixia; quem item, per annos circiter viginti, pios miris incommodis affligentem, Alexander IV. uti Eccleſiæ hoſtem, tortorem Chriſtianorum, interfectorem ſexaginta Fratrum Minorum, & aliorum plurimorum Fidelium pro hæretico cum omnibus ſuis fautoribus condemnavit, uti refert Siffridus. Hunc cum didiciſſet beatus Antonius multam hominum cædem per ſummam crudelitatem Veronæ feciſſe, intrepidus ad eum acceſſit, atque his verbis compellavit. Imminet cervicibus tuis, tyranne ſæviſſime, & rabide canis, horrenda ſententia Dei, quouſque non temperabis tibi a fundendo inſontium hominum ſanguine. Pleraque his ſimilia voce liberrima in faciem ei dixit. Qui vero aderant, nihil expectabant aliud, niſi illum more ſuo juſſurum, ut trucidaretur, ſed ſecus evenit; nam omni poſita feritate, inſtar ovis ad collum ſuſpenſa zona, coram Viro Dei humi proſtratus, culpam ſuam humiliter edixit, omnemque pro illius arbitrio promiſit emendationem, adjecitque: viri commilitones, non mirum vobis iſtud videatur, nam revera divinum quemdam vidi fulgorem ex hujus vultu vibrari, qui adeo me perterruit, ut repente in tartarum me demerſum iri vererer. Ex illo tempore multa erga hominem Dei devotione fuit, & quoad vixit a multis malis, quæ alioqui, ſicut ipſe fatebatur, feciſſet, illo retrahente, abſtinuit.

Platina in Greg. IX.
Eccelinus immanis tyrannus.
Siffrid. epiſt. 2. hiſtor. ad annum 1254.
Hunc a multis ſceleribus retraxit Antonius.

XXIX. Poteſt de beato Viro non abſurde dici, quod de filio ſuo Jacob dixit Iſaac Patriarcha: *Ecce odor filii mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Adeo enim cœleſtis benedictionis gratia perfuſus erat, & virtutum odoriferis floribus mirifice ornatus, ut eſset humilitate præcipuus, ſapientia clariſſimus, eloquentia mellitiſsimus, caritate ferventiſsimus, paupertate inſignis, omni morum elegantia illuſtriſsimus, honeſtate præcelſus, ſermone placidus, converſatione humaniſsimus; denique in omnibus & Deo & hominibus gratus. Moderatione autem ſive diſcretione, quæ eſt virtutum omnium parens, ſine qua virtutes abeunt in vitia, præclare imprimis uſus eſt in concionibus, in dandis conſiliis, in excipiendis confeſsionibus, denique in dictis, factis, & rebus omnibus: ut nihil in eo poſset animadverti hujus virtutis ſale non conditum. Solebat ſine perſonarum acceptione omnibus fidelem navare operam, ut e peccatis extraherentur: & quibuslibet poſcentibus opitulari numquam omiſit. Duodecim latrones ejus efficaciæ dicendi fama allecti, prædicantem voluerunt audire, quibus adeo placuit, & verbi virtutem impreſsit, ut pœnitere fecerit vitæ male antea tranſactæ. Cum iis poſt ſermonem ratiocinatus, ad ſuum deſiderium omnes flexit, & ad condignam ſatisfactionem ſuorum peccatorum obeundam excitavit.

Gen. 27. 27.
Magnæ dotes Antonii.
Coloſ. 4. 6.

XXX. Accedentem jam hoc anno vitæ terminum ipſe longe ante

præſcivit, ſed ne Fratres mœrore afficerentur, illis indicare noluit. Decimo quinto fere ante mortem ſuam die, cum e quodam colle contemplaretur amænam Paduæ planitiem, exultans ſpiritu, ſitum urbis ejus miris vehebat laudibus. Verſus deinde ad Fratrem itineris ſui comitem, multo honore Civitatem illam brevi affectum iri prædixit; non tamen exprimens, cujuſmodi ille honor futurus eſſet. Sed ab illius obitu uſque in præſens gratulatur urbs illa felici rerum experimento: quando propter Viri Dei præclara merita, innumerabilium hominum frequentia viſitatur, egregiis præconiis, & eximiis muneribus cohoneſtatur; dum theſaurum illum, miraculorum ſignis inclytum obtinet, rei prope incomparabilis titulo gaudet, & in ſuo Antonio tot miſeris opitulatur. Sancti tot fidelibus præſtant beneficia, ut non dubitarit Gregorius Nazianzenus ſancti Cypriani corpus vocare *publicum Orbis bonum*. Recte item Chryſoſtomus inde magnam dixit eſſe Sanctorum virtutem, quod *non tantum ſua verba aut corpora, ſed ipſa etiam corporis tegmina ſemper ſunt omni poſſeſſione auguſtiora*, quod multis ſacrarum exuviarum exemplis ibidem probat, ſubjungens: *ſumma igitur cum poteſtate omnia faciunt*, ut quotidie facit ſanctus Antonius apud ſuos Patavinos, ab ejus buſto veluti e fonte ſcaturientibus gratiarum fluentis, & per univerſum Orbem omnibus invocantibus eum in veritate veluti ad votum poſtulata concedens.

Prædicit ſuam mortem.

Buſta ſanctorum ingentes bonorum theſauri. *Nazianz. Orat. in laud. S. Cypr. Chryſoſt. hom. de virtut. & vitiis.*

XXXI. Sed cum jam meſſis inſtaret, & Vir Dei ſciret colligendis frugibus populum occupatum iri, ſtatuit ad tempus concionibus ſuperſedere. Pertæſus vero crebri cum ſecularibus hominibus congreſſus, extra oppidum, ad locum quemdam ſolitarium, quem ſancti Petri campum vocant, ſeceſſit, Deo & ſibi vacaturus. Nec vero mediocriter ejus adventu exhilaratus Tiſo vir nobilis, in cujus ditione erat locus Fratrum, multa humanitatis officia propenſiſſimo animo illi præſtitit. Habebat is locum quemdam nemoribus conſitum, haud procul a domo Fratrum, in quo erat arbor procera, ex cujus trunco ſex rami emerſerant, coronæ ſpeciem referentes. Eam Vir Dei conſpicatus, cellulam ſibi ſuper eam extrui voluit: quod ſolitudini & quieti ille locus videretur idoneus. Id ubi Tiſo ex Fratribus cognovit, ipſe ſuis manibus, viro Dei & duobus ſociis ejus tres cellulas cum multa devotione confecit. In ea igitur cellula Vir Dei vitam degens ſolitariam, inſtar apis ſedulæ, lectioni Scripturæ ſacræ, orationi & contemplationi vacabat. Atque hæc inter mortales illius extrema fuit habitatio. Jam igitur ſeparatus ab hominum turbis, vivebat ſibi ſanctis meditationibus & ferventibus precibus intentus: ut ſpiritum ab omni rerum terrenarum contagione repurgaret; & ſi qui pulveres ex hominum ſecularium convictu & conſuetudine, ut ſolet, illi aliqua ex parte inhæſiſſent, eos lacrymis compunctionis, & capillis ſanctæ contemplationis abſtergeret, cœleſtis patriæ prope diem Civibus feliciſſime conjungendus.

Receedit S. Antonius in ſolitudinem.

XXXII. Cum autem die quadam e ſua cellula hora prandii deſcendiſſet, cum Fratribus pro more diſcubuit: facta eſt vero illic ſuper eum manus Domini, cœpitque repente totius corporis viribus deſtitui. Morbo autem magis ac magis invaleſcente, Fratrum manibus ſuſtentatus, a menſa ſurrexit: ſed cum fatiſcentes artus ſuſtinere non poſſet, in cujuſdam lectuli ſtramenta ſe præceps inclinavit. Sentiens itaque corporis diſſolutionem imminere, accito ad ſe ſocio fratre Rogerio, dixit ei, ſi tibi conſultum videtur, Frater, ob vitandum horum Fratrum gravamen, Paduam me conferam ad beatæ Mariæ locum. Quod cum Fratri illi place-

Revertitur Paduam.

ceret, in currum imponitur Vir Dei, Fratribus quidem loci illius, ne ipſos desereret, obnixe contendentibus; qui tamen ut viderunt ejus animum flecti non poſſe, paſſi ſunt, licet inviti, eum abire. Jam vero ad urbem propius accedenti, alius quidam Frater obviam venit, qui illum inviſere conſtituerat. Is ut vidit eum in vehiculo valde affecta valetudine, hortabatur ne propter Civium importunitatem in urbem ingrederetur ad Fratres de ſancta Maria, ſed diverteret potius ad cellam Fratrum juxta Monaſterium pauperum Dominarum commorantium, & eis divina miniſtrantium. Aſſenſit Vir beatus, ſeque eo perduci curavit. Paulatim autem increſcente ægritudine, ad extrema feſtinavit: cumque nonnihil quieviſſet, facta confeſſione, hymnum illum de beata Maria, *O glorioſa Domina* canere cœpit. Deinde ſublatis oculis aliquandiu ſurſum, diligentiſſime intentos eos tenuit. Cum autem interrogaretur, ecquidnam ita aſpiceret, reſpondit, video Dominum meum. Cernentes igitur Fratres, qui aderant, felicem ejus exitum adeſſe e proximo, ſacram unctionem ei impendere voluerunt. Ut autem vidit ſanctus Vir, Fratrem ex more ſacrum oleum adportantem, intuens in eum, ait illi: hanc unctionem ego habeo intra me: etſi autem neceſſe non eſt, ut hanc mihi extrinſecus adhibeas, at placet tamen, & utilis eſt. Suſcepit igitur ſacram unctionem, extenſiſque manibus & palmis injunctis, pſalmos quos pœnitentiales vocant, cum Fratribus perlegit: Inde quaſi dimidia lapſa hora, inter manus adſtantium, dormienti ſimilis, leniter expiravit, & anima illa ſanctiſſima carnis ergaſtulo abſoluta, in abyſſum æternæ claritatis abſorpta eſt. Corpus plane dormire videbatur, manibus in candorem & colorem priſtinum mutatis, & membris omnibus ad nutum contrectantium flexibilibus.

Decumbit juxta Monaſterii ſanctimonialium Paduæ.

Expletis Chriſtianæ pietatis officiis moritur.

XXXIII. Ipa mortis die, quæ fuit Junii tertia decima, celeberrimus ille Abbas Vercellenſis ſacræ lectioni & divinis meditationibus intentus, ſolus erat in cubiculo. Eum Vir Dei, cum eſſet in corpore, præcipue carum habuit, maxime quod olim in Theologia illum inſtituiſſet, & viciſſim ab illo ex libris Dionyſii de rebus altiſſimis inſtructus fuiſſet. Et ille quidem Abbas in Conventu Fratrum ſuorum hoc de Viro Dei perhibuit teſtimonium: Frater, inquit, Antonius Ordinis illorum Fratrum, de pura Theologia ſenſu myſtico hauſit pleniſſime, divini radii gratia illuſtratus. Porro in Abbatis ejus cubiculum Vir Dei ſubito ingreſſus, poſt mutuam ſalutationem ait illi: Ecce, Domine Abba, relicto aſello apud Paduam, feſtinus ad patriam proficiſcor. Laborabat tum Abbas graviter ex gutture: ſed Vir Dei leniter eum attingens, totum illud incommodum repente depulit, & diſparuit. At ille putans, eum ad natale ſolum iter intendere, ignarus prorſus obitus illius, ſurgit, & ex famulis Monaſterii perquirit, ubi ſit Frater Antonius. Stupefacti illi, reſpondent ſe neſcire, Abbate aſſerente, ſe pro certo eum vidiſſe, & ex ſuo cubiculo quamprimum eum exiiſſe: miſſus eſt quidam ad Fratres, ut ex illis cognoſceretur, num quid de adventu Antonii compeiſſent. Ubi ille reverſus, Fratres dixit nihil ejus noſſe: Abbas tamquam ad ſe rediens, certiſſime cognovit, Antonium migraſſe ad cœlos, tempuſque adnotans, poſtea didicit, eodem die, & hora eum deceſſiſſe, quo in cubiculo apparuerat, ſicut ipſe Fratribus, non ſine lacrymis narravit.

Apparet Abbati Vercellenſi.

XXXIV. Cum jam abiiſſet e vita beatus Vir, noluerunt Fratres ad hominum notitiam illico id perferri, ne populus ſubito ad ipſos accurre-

Mors ejus à pueris revelatur.

ret: ſed latere non potuit. Pueri enim, nemine ſciente quidquam de ejus morte, per urbem catervatim incedentes clamabant: mortuus eſt pater ſanctus, mortuus eſt ſanctus Antonius. Mox in omnes urbis angulos rumor ille pervadit; & populus certatim, neglectis laboribus, quibus ſe ſuoſque alebat, inſtar apum advolat ad domum Fratrum, eamque circumdat undique. Imprimis vero Cives ad pontis caput habitantes cum armata juventute adcurrunt, ocius impedituri, ne quis beati corpus rapiat. Omnium ibi lamentabiles voces & gemitus audiuntur lugentium orbitatem ſuam. Maxime vero plorabant, ſe tanto Patre deſtitutas Sorores, quas pauperes Dominas vocant, quæ etiam multum egerunt apud primarios ejus Civitatis Viros, ut liceret ipſis apud ſe retinere corpus ſancti Viri. Sed repetebant illud Fratres ad ſanctam Mariam degentes, apud quos etiam voluit ſepeliri Vir Dei: idque adeo, ut ſub mortem Fratri cuidam ipſi adſiſtenti præceperit, modis omnibus daret operam, ut corpus ejus ad ſanctæ Mariæ Eccleſiam deportaretur. Itaque inſtabant Fratres iſti, & ſacrum corpus aſportare volebant, ſed Cives de pontis capite illis reſiſtebant, nec attingere quidem permittebant corpus. Interim etiam augent numerum armatorum, qui noctes & dies advigilent, ne inde auferatur. Tum Fratres neſcii quid facerent, adeunt Civitatis Epiſcopum, eique rem totam permittunt. Epiſcopus Canonicis convocatis, ſingulorum ſuper hac re ſententiam inquirit. Multi videbantur in eam ire ſententiam, ut pauperibus Dominabus corpus ſancti Viri relinqueretur. Tamdem Epiſcopus, non negligendas putans preces Fratrum rationi conſentaneas, Magiſtratui urbis præcepit, ut Fratribus in deportando corpore pro viribus adjumento foret.

Contenditur de ejus corpore.

XXXV. Interea dum hæc geruntur, pars Civium de pontis capite valde inflammantur deſiderio humandi ſacri corporis, neglectoque Magiſtratu in vetitum, majori contentione nituntur, invitantque ſeniores, & amicos, ut ipſis auxilio ſint. Denique inter ſe unanimiter ſtatuunt, ſe ſuaque omnia in præſens mortis, & excidii diſcrimen conjicere potius, quam ſinant ex eo loco tolli corpus Viri Dei. Et quod mirum videri queat, adeo in hac re fervebant, ut quidam eorum odium inveteratum, & bella inteſtina, quibus inter ſe multo tempore ſævierant, plane ex animis abjeciſſe viderentur, tantum ut illud ſacrum pignus retinerent. Et ne cujuſquam fraude aut machinis illo fortaſſis privarentur, communicato inter ſe conſilio, illud rapere moliebantur. Sed quod præſens non eſſet Miniſter Provincialis, ad cujus nutum Fratrum controverſia pendebat, Seniores quoſdam e Civibus rogabant Fratres, ut ad illius adventum pauliſper a ſuo propoſito deſiſterent, ejuſque arbitrio omnia permitterentut. Placuit hoc Civibus, & omnes illi ſententiæ accedebant. Nocte incumbente, Fratres emiſſis turbis, claudunt oſtia domorum, & diligenter vectibus & ſeris ea obfirmant. Et ecce media nocte clamor ingens extitit, & importuno deſiderio turbæ inhiant ad videndum corpus ſancti Viri. Itaque oſtia perfringunt, ſed cum jam tertio id feciſſent, nulla ratione in domum ingredi potuerunt, ſtabantque, ut ipſimet faſſi ſunt, apertis oſtiis ſtupefacti; & cum domus plena eſſet luminibus, aditum videre non potuerunt. Mane facto, permulti ex urbe, caſtris, pagis, & locis vicinis accurrunt: & cui datur vel ſemel utcumque contingere ſacrum corpus, beatum ſe credit. Qui autem præ turba tangere non poterant, zonas, annulos, monilia, claves & cetera ornamenta per feneſtras & oſtia paſſim porrigebant, ut contactu ſanctiſſimi corporis ſanctificata reciperent.

Avent omnes ſanctum corpus videre.

XXXVI. Pen-

XXXVI. Pendente interim propter Miniſtri abſentiam negotio, Fratres propter æſtivum calorem corporibus infeſtum, in capſa lignea ſacrum corpus conditum in foveam deponunt, leviter illud humo operientes. Mox rumor exit in populum, raptum eſſe ſacrum corpus. Advolant igitur omnes furibundi in domum Fratrum cum fuſtibus & gladiis, ſepes & oſtia evertunt; properant ad locum, in quo erat corpus; nec ceſſant a ſuo conatu, donec capſam illam invenirent. Sed nec ſic credunt in ea haberi corpus, licet Fratres id aſſeverarent. Tamdem advenit Miniſter, ad cujus reditum tota urbs ſuſpenſa hærebat. Ab eo igitur Cives de pontis capite Corpus ſancti Viri petunt inſtanter; addunt etiam minas, ut terroribus frangant Fratres; affirmantque, ſe nullius periculi cauſa a ſententia diſceſſuros. Videns Miniſter temeritate illos duci, cum multa cautione & modeſtia dicit ad eos: Nihil quidem jure hic repoſcere poteſtis cariſſimi: ſed ſi de indulgentia agitur, de Fratrum conſilio faciemus quod Dominus inſpirabit. Interim ne aliquam poſſitis ſuſpicari fraudem, vobis permitto cuſtodire locum, in quo Beati corpus quieſcit. Mane alterius diei Miniſter adit Magiſtratum; & convocato Senatu, humiliter opem & conſilium implorat. Magiſtratus de communi omnium ſententia, Cuſtodes adhibet loco ſacri corporis; & ſub pœna centum librarum cavet, ne quis vim adferat Fratribus, aut armatus ad eum locum accedat, donec Epiſcopus & Clerus quid fieri oporteret, ſtatuerent.

Adhibentur corpori cuſtodes.

XXXVII. Altera luce Epiſcopus in eam curam, & cogitationem diligenter incumbuit: & audita utraque parte, tamdem voluit ut ex Miniſtri voluntate omnia fierent, juſſitque ut & Clerus & populus omnis die craſtina ad efferendum ſacrum corpus ſummo mane convenirent. Magiſtratui quoque præcepit, ut Fratribus, ne quid paterentur moleſtiæ, ſua ope adeſſent. Magiſtratus libenter juſſa capeſſit, & ex adverſo fluminis, quod cellam Fratrum ambit, ex navibus & lignis celeriter curat pontem confici, ne Cives de pontis capite animis commoverentur, ſi cernerent corpus per ſuos fines deferri. At illi nihilominus verſi in ſeditionem, pontem illum diſſipant. Ea res totius Civitatis animos concitavit, quod tanta temeritas ad omnium injuriam redundaret. Itaque armis muniti, omnes proficiſcuntur contra illos pontis everſores: & hi non minus fidenter ad arma ſe parant, omni periculo contempto. Videntes autem Fratres tantum urbis totius diſcrimen, magno timore correpti ſunt: nec minus terrebantur pauperes Dominæ ſua culpa eas turbas concitatas aſſerentes. Tum vero Magiſtratus illum populi tumultum non ferens, omnes voce præconis ad palatium convocant, & pontis everſoribus interdicit, ne ea die auſi ſint redire ad ædes ſuas.

XXXVIII. Amotis ergo illis ſeditionis auctoribus, Epiſcopus cum Clero, Magiſtratus cum militibus, & innumera populi multitudine, inſtitutis uſque ad ſacri corporis locum proceſſionibus cum hymnis & canticis ſpiritualibus, per medium capitis pontis ad Eccleſiam ſanctiſſimæ Matris Dei, idem beatiſſimi Viri corpus mira omnium exultatione transferunt. Supponebant autem feretro humeros ſuos primarii Viri Civitatis & Magiſtratus, beatos ſe exiſtimantes qui loculum vel leviter attingere mererentur. Quotquot autem cereos habere potuerunt, eos accenſos manibus ferebant; quorum tanta erat copia, ut eorum lumine quaſi tota urbs inflammata videretur. Ubi ad perpetuæ Virginis Templum ventum eſt, Epiſcopus ſacrificium fecit: eo peracto, & exequiis cele-

Effertur corpus in Eccleſiam Fratrum.

Quinto poſt mortem die ſepelitur.

celebratis, quinto ab obitu ejus die terræ mandatum eſt ſanctiſsimum corpus.

Crebris ſtatim coruſcat miraculis.

XXXIX Eadem ipſa die, tempeſtate illa in tranquillitatem redacta, cœperunt miraculorum coruſcare ſigna, ita ut quovis affecti morbo ad contactum tumbæ Viri Dei mox revaleſcerent; qui vero præ turba propius accedere non poterant, coram omnibus etiam in platea ſani evaderent. Ibi revera oculi cœcorum aperiebantur, aures ſurdorum patebant, claudus ſicut cervus ſaliebat: ibi ſoluta mutorum lingua, velociter & plane Deo laudes promebant: denique omne genus ægritudinum depellebatur, & optata divinitus beneficia impetrabant. Porro Cives illi de capite pontis, qui pontem deſtruxerant, lacrymis infuſi, & detractis calceamentis, Clero cum crucibus & vexillo præcedente, cum tanta reverentia & humilitate coram tumulo ſe proſtraturi venerunt, ut pœnitentia ſua animos intuentium ad multam commiſerationem permoverent. Erant illic milites delicatum hominum genus, quos etiam matronæ nobiles, præ teneritudine vix ſe ferentes, nudatis pedibus ſequebantur. Nec is dumtaxat; ſed Cives omnes in partes diſtributi, ſtatis diebus cum proceſsione ſimili, abjectis a pedibus calceis, ad ſacrum beati Viri tumulum accedebant. Veniebant itidem Religioſi, ac poſtremo Epiſcopus cum toto Clero, Præceptores cum multa ſtudioſorum caterva, Magiſtratus cum militum & potentium frequentia, aliique diverſarum artium profeſſores, ſingulatim ordinatis proceſsionibus, certis diebus & horis, cereos habentes in manibus, poſitis calceis, decentiſsime advenerunt. Erant autem cerei, qui ante ſingulos adventantium cœtus portabantur, ea longitudine, ut non niſi aliqua præciſa parte intra ædem beatiſsimæ Matris Dei inferri poſſent, multa etiam formarum inter ſe varietate artificioſe diſtincti. Quidam etiam præ ſuo pondere humeris portabantur; nonnulli curribus vehebantur. Cum non poſſent autem præ nimia multitudine ad Eccleſiæ valvas accedere, cereos in platea circa Templi oſtia ſtatuebant. Nec deerant qui ſuper muros lumina collocarent, & in plateis excubias perpetim agerent, iique nec æſtivis ardoribus, nec hybernis algoribus ab ejuſmodi pietatis ſtudiis arceri ſe patiebantur.

Indictis ſupplicationibus omnes nudis pedibus ad ſepulcrum veniunt.

Omnes item nationes accedunt reliquias veneraturi.

XL. Lætabatur Padua tantis ornata luminibus, tantis illuſtrata fulgoribus, nec ullas noctium ſenſit caligines. Accurrunt Veneti, properant Cenomani, adſunt Vincentini, Langobardi, Sclavi, Aquilejenſes, Germani, Hungari, Hiſpani, Galli, ſuiſque oculis cernentes divinitus celeberrima declarari miracula, in laudes præpotentis Dei ſua ora laxabant; & corde compuncti, peccata ſua Fratribus, tantæ turbæ vix ſufficientibus, confitebantur. Si qui vero curationis cauſa veniſſent, nec ſua vellent peccata confiteri, nihil illi obtinebant: facta autem confeſſione, & correctius vivendi concepto propoſito, cunctis videntibus, mox miſericordiam experiebantur. Interim exaltabatur catholica fides, pudefiebat cœca perfidia, mordaces hæreticorum dentes conterebantur, Chriſti ſponſam calumniis exagitare conantium; caligo incredulitatis miraculorum ſplendoribus profligabatur.

Ante menſem unum ab obitu agitur de ejus canonizatione.

Marian. c. 4. Vita S. Ant. MS.

XLI. Fuit vero totius Cleri & populi ea concors ſententia, ut quamprimum apud Romanum Pontificem de Viri beati nomine Sanctorum catalogo adſcribendo ageretur, cum ab ejus obitu needum menſis effluxiſſet. Miſerunt ergo ſuos nuncios Epiſcopus, Poteſtas, & communitas Patavinorum, ut id humiliter & inſtanter peterent a Pontifice. Ille, frequentia & magnitudine miraculorum, quæ diffuſa fama referebantur, pe-

permotus, commiſit eidem Epiſcopo, cui nomen Joannes Caccius, necnon Jordano Forzate Priori ſancti Benedicti, & Joanni Vicentino Priori ædis ſancti Auguſtini, ſed Ordinis Prædicatorum, ut accurate in hujuſmodi miracula inquirerent, multaque adhibita cura, rite, & quo decebat pondere, tantum negotium peragerent. Sollicitam adhibuerunt hi Commiſſarii operam in proceſſu efformando, neque dum effluxerant ſeptem menſes, quando narrationem valide compactam remiſerunt Pontifici, qui ceteris adhibitis ritibus, anno ſequenti, ut amplius tunc referemus, eum Sanctis connumeravit.

Portenarius de reb. Patav. l.9. c.10.

XLII. Aliquot poſt Antonium menſibus etiam ſancta Eliſabetha Hungarica in humanis eſſe deſiit. Sed paulo antequam abeundum eſſet, Chriſtus Jeſus illi jucundiſſime apparuit, dicens: Veni electa mea, & cœleſti thalamo, quem tibi ab æterno deſtinavi, potire. Hoc viſu mirifice lætata, magiſtrum gravi tunc temporis infirmitate laborantem inviſit; interrogantique quonam modo vitam deducere proponeret, ſi mori ſibi contingeret, confeſtim quid divinitus didiciſſet, revelat. Quarto poſt die adverſa valetudine corripi cœpit; paulatimque invaleſcente virium defectione, lecto decubuit, animo tamen ſemper cœleſtibus bonis intento, atque in amore Chriſti ardente. Aſſidebat aliquando jacenti ancilla una, cum ecce præter infirmantium morem, audit illam dulciſſimo cantu perſonare, atque ad numeros muſicos veluti cygneam vocem artifici modulatione inflectere; tum poſt aliquantulum moræ, averſam dicere; ubi es, dilecta filia? Et ancilla, en, inquit, ego adſum; ſubjunxitque; O quam dulci concentu aures meas demulſiſti, Domina pientiſſima! Mox Eliſabetha: Tu ne, ait, cantum meum audiſti? Statim ancilla; etiam audivi, & quidem lætiſſima. Cui Dei famula: Avicula, ait, cœlitus demiſſa, inter me & parietem deſederat, tanta mihi ſuavitate per varia cantilenarum diſcrimina divinum præcinens melos, ut quamvis infirmo corpuſculo non potuerim me continere, quin & ipſa concinerem pro viribus. Ante diem tertium obitus, vendicatura ſibimet ſecretum, jubet, omnes cubiculo excedere, qui ad ipſam viſendi gratia convenerant, arcerique foribus quoſcumque admitti petentes. Interrogata cur id faceret; volo, inquit, tumultus externi vacua, meminiſſe judicis mei, terribiliſque cenſuræ, quam perbrevi habeo ſubire. Pridie quam decederet, magiſtro, qui paulo ante convaluerat, culpas integerrime confeſſa, Chriſtum in pauperibus teſtamento reliquit hæredem, vilem dumtaxat tunicam excipiens, in qua ſepeliri poſtulavit: ut jam tunc nihil minus, quam de funeris cura, & exequiarum pompa cogitaſſe credatur. Paucis poſt horis Euchariſtiæ ſacramento refecta, oleoque ſacro peruncta, reliquum diei ac noctis medium tanto fervore ſpiritus exegit, ut in dubiis argumentis proderet, Chriſtum hoſpitem & pro deſiderio excepiſſe, & pro amore exceptum tenere.

Eliſabethæ morituræ Chriſtus apparuit. *Monta. cap.28. Theod.l.8. c.1. MS. Lovanien.*

Cygni more ſub mortem cantat.

XLIII. Colloquebatur cum aſſidentibus de ſanctiſſimis rebus, quas vel in concionibus audiverat, & vel inſtinctu divino didicerat: ad poſtremum ſubtexens, ut Chriſtus Mariam & Martham ſuper obitu fratris mœrentes inviſeret, ut fuerit benigne conſolatus, ut iis animum firma pollicitatione fecerit, ut pariter ad ſepulcrum ierit, ut denique lacrymas intimæ, veriſſimæque compaſſionis indices profuderit. Hoc loco veluti profundam rei pulcherrimæ diſputationem ingreſſa, cum ſtupore & admiratione præſentium, de iis Chriſti lacrymis tam viva, tam aculeata, tam flammea, tamque ad imum ſpiritum penetrantia verba fecit, ut omnibus

Piis intendit colloquiis.

Digitized by Google

celebratis, quinto ab obitu ejus die terræ mandatum eſt ſanctiſsimum corpus.

Crebris ſtatim coruſcat miraculis.

XXXIX Eadem ipſa die, tempeſtate illa in tranquillitatem redacta, cœperunt miraculorum coruſcare ſigna, ita ut quovis affecti morbo ad contactum tumbæ Viri Dei mox revaleſcerent; qui vero præ turba propius accedere non poterant, coram omnibus etiam in platea ſani evaderent. Ibi revera oculi cœcorum aperiebantur, aures ſurdorum patebant, claudus ſicut cervus ſaliebat: ibi ſoluta mutorum lingua, velociter & plane Deo laudes promebant: denique omne genus ægritudinum depellebatur, & optata divinitus beneficia impetrabant. Porro Cives illi de capite pontis, qui pontem deſtruxerant, lacrymis infuſi, & detractis calceamentis, Clero cum crucibus & vexillo præcedente, cum tanta reverentia & humilitate coram tumulo ſe proſtraturi venerunt, ut pœnitentia ſua animos intuentium ad multam commiſerationem permoverent. Erant illic milites delicatum hominum genus, quos etiam matronæ nobiles, præ teneritudine vix ſe ferentes, nudatis pedibus ſequebantur. Nec is dumtaxat; ſed Cives omnes in partes diſtributi, ſtatis diebus cum proceſsione ſimili, abjectis a pedibus calceis, ad ſacrum beati Viri tumulum accedebant. Veniebant itidem Religioſi, ac poſtremo Epiſcopus cum toto Clero, Præceptores cum multa ſtudioſorum caterva, Magiſtratus cum militum & potentium frequentia, aliique diverſarum artium profeſſores, ſingulatim ordinatis proceſsionibus, certis diebus & horis, cereos habentes in manibus, poſitis calceis, decentiſsime advenerunt. Erant autem cerei, qui ante ſingulos adventantium cœtus portabantur, ea longitudine, ut non niſi aliqua præciſa parte intra ædem beatiſsimæ Matris Dei inferri poſſent, multa etiam formarum inter ſe varietate artificioſe diſtincti. Quidam etiam præ ſuo pondere humeris portabantur; nonnulli curribus vehebantur. Cum non poſſent autem præ nimia multitudine ad Eccleſiæ valvas accedere, cereos in platea circa Templi oſtia ſtatuebant. Nec deerant qui ſuper muros lumina collocarent, & in plateis excubias perpetim agerent, iique nec æſtivis ardoribus, nec hybernis algoribus ab ejuſmodi pietatis ſtudiis arceri ſe patiebantur.

Indictis ſupplicationibus omnes nudis pedibus ad ſepulcrum veniunt.

Omnes item nationes accedunt reliquias veneraturi.

XL. Lætabatur Padua tantis ornata luminibus, tantis illuſtrata fulgoribus, nec ullas noctium ſenſit caligines. Accurrunt Veneti, properant Cenomani, adſunt Vincentini, Langobardi, Sclavi, Aquilejenſes, Germani, Hungari, Hiſpani, Galli, ſuiſque oculis cernentes divinitus celeberrima declarari miracula, in laudes præpotentis Dei ſua ora laxabant; & corde compuncti, peccata ſua Fratribus, tantæ turbæ vix ſufficientibus, confitebantur. Si qui vero curationis cauſa veniſſent, nec ſua vellent peccata confiteri, nihil illi obtinebant: facta autem confeſſione, & correctius vivendi concepto propoſito, cunctis videntibus, mox miſericordiam experiebantur. Interim exaltabatur catholica fides, pudefiebat cœca perfidia, mordaces hæreticorum dentes conterebantur, Chriſti ſponſam calumniis exagitare conantium; caligo incredulitatis miraculorum ſplendoribus profligabatur.

Ante menſem unum ab obitu agitur de ejus canonizatione.

Marian. c.4. Vita S. Ant. MS.

XLI. Fuit vero totius Cleri & populi ea concors ſententia, ut quamprimum apud Romanum Pontificem de Viri beati nomine Sanctorum catalogo adſcribendo ageretur, cum ab ejus obitu necdum menſis effluxiſſet. Miſerunt ergo ſuos nuncios Epiſcopus, Poteſtas, & communitas Patavinorum, ut id humiliter & inſtanter peterent a Pontifice. Ille frequentia & magnitudine miraculorum, quæ diffuſa fama referebantur, pe-

Digitized by Google

permotus, commiſit eidem Epiſcopo, cui nomen Joannes Caccius, necnon Jordano Forzate Priori ſancti Benedicti, & Joanni Vicentino Priori ædis ſancti Auguſtini, ſed Ordinis Prædicatorum, ut accurate in hujuſmodi miracula inquirerent, multaque adhibita cura, rite, & quo decebat pondere, tantum negotium peragerent. Sollicitam adhibuerunt hi Commiſſarii operam in proceſſu efformando, neque dum effluxerant ſeptem menſes, quando narrationem valide compactam remiſerunt Pontifici, qui ceteris adhibitis ritibus, anno ſequenti, ut amplius tunc referemus, eum Sanctis connumeravit.

Portenarius de reb. Patav. l.9. c.10.

XLII. Aliquot poſt Antonium menſibus etiam ſancta Eliſabetha Hungarica in humanis eſſe deſiit. Sed paulo antequam abeundum eſſet, Chriſtus Jeſus illi jucundiſſime apparuit, dicens: Veni electa mea, & cœleſti thalamo, quem tibi ab æterno deſtinavi, potire. Hoc viſu mirifice lætata, magiſtrum gravi tunc temporis infirmitate laborantem inviſit; interrogantique quonam modo vitam deducere proponeret, ſi mori ſibi contingeret, confeſtim quid divinitus didiciſſet, revelat. Quarto poſt die adverſa valetudine corripi cœpit; paulatimque invaleſcente virium defectione, lecto decubuit, animo tamen ſemper cœleſtibus bonis intento, atque in amore Chriſti ardente. Aſſidebat aliquando jacenti ancilla una, cum ecce præter infirmantium morem, audit illam dulciſſimo cantu perſonare, atque ad numeros muſicos veluti cygneam vocem artifici modulatione inflectere; tum poſt aliquantulum moræ, averſam dicere; ubi es, dilecta filia? Et ancilla, en, inquit, ego adſum; ſubjunxitque; O quam dulci concentu aures meas demulſiſti, Domina pientiſſima! Mox Eliſabetha: Tu ne, ait, cantum meum audiſti? Statim ancilla; etiam audivi, & quidem lætiſſima. Cui Dei famula: Avicula, ait, cœlitus demiſſa, inter me & parietem deſederat, tanta mihi ſuavitate per varia cantilenarum diſcrimina divinum præcinens melos, ut quamvis infirmo corpuſculo non potuerim me continere, quin & ipſa concinerem pro viribus. Ante diem tertium obitus, vendicatura ſibimet ſecretum, jubet, omnes cubiculo excedere, qui ad ipſam viſendi gratia convenerant, arcerique foribus quoſcumque admitti petentes. Interrogata cur id faceret; volo, inquit, tumultus externi vacua, meminiſſe judicis mei, terribiliſque cenſuræ, quam perbrevi habeo ſubire. Pridie quam decederet, magiſtro, qui paulo ante convaluerat, culpas integerrime confeſſa, Chriſtum in pauperibus teſtamento reliquit hæredem, vilem dumtaxat tunicam excipiens, in qua ſepeliri poſtulavit: ut jam tunc nihil minus, quam de funeris cura, & exequiarum pompa cogitaſſe credatur. Paucis poſt horis Euchariſtiæ ſacramento refecta, oleoque ſacro peruncta, reliquum diei ac noctis medium tanto fervore ſpiritus exegit, ut in dubiis argumentis proderet, Chriſtum hoſpitem & pro deſiderio excepiſſe, & pro amore exceptum tenere.

Eliſabethæ morituræ Chriſtus apparuit. *Montz. cap.28. Theod.l.8. c.1. MS. Lovanien.*

Cygni more ſub mortem cantat.

XLIII. Colloquebatur cum aſſidentibus de ſanctiſſimis rebus, quas vel in concionibus audiverat, & vel inſtinctu divino didicerat: ad poſtremum ſubtexens, ut Chriſtus Mariam & Martham ſuper obitu fratris mœrentes inviſeret, ut fuerit benigne conſolatus, ut iis animum firma pollicitatione fecerit, ut pariter ad ſepulcrum ierit, ut denique lacrymas intimæ, veriſſimæque compaſſionis indices profuderit. Hoc loco veluti profundam rei pulcherrimæ diſputationem ingreſſa, cum ſtupore & admiratione præſentium, de iis Chriſti lacrymis tam viva, tam aculeata, tam flammea, tamque ad imum ſpiritum penetrantia verba fecit, ut omnibus

Piis intendit colloquiis.

omnibus penitiſſime compunctis lacrymas exciverit, utpote dolentes diſparari ſe ab ea, quam intimo diligebant affectu. Ad quos Eliſabetha converſa: Nolite, ait, o Chriſtigenæ ſuper me flere; magis ſuper voſmet fletu madeſcite. Nec aliud locuta, melos ſuaviſſimum ſine labiorum motu aliquo proferre auditur; ſciſcitantibus qui aderant, quid ea cantilena ſibi vellet, reſpondit: præcinentibus mihi, qua potui facultate, concinendi vicarium munus adjunxi, quos mirum, ſi non audiſtis. Quibus verbis creditum fuit Angelos, qui paulo mox egreſſuram carnis ergaſtulo animam operiebantur, cœleſti perſonuiſſe harmonia, eaque infirmam, ut concineret, excitaſſe.

Angeli ei concinunt.

XLIV. Adveniente jam noctis medio, circumſedentes intuita: Quid, inquit, facturi eſſemus, ſi ſemet nobis humani generis inimicus repræſentaret. Nec mora, fidentiſſima voce veluti abigendo conſpectum horribili ſimulacro Diabolum, exclamat: fuge miſer, fuge infelix! Imminente morte; hæc eſt, ait, hora virginei & immaculati partus; admonens nos commentari debere aliquid de Jeſu puello candidiſſimo, quemadmodum hyeme, noctu, atque alienis in ædibus ſit natus, pannis involutus, collocatus in præſepio, a paſtoribus inventus, ſtella proditus, denique a Chaldæis adoratus. Hæc enim ſunt noſtræ ſalutis veneranda myſteria, locupletiſſima beneficia, ornamenta pulcherrima. In his tota ſpei noſtræ ratio viget, fides proficit, caritas ardet: de his, rogo, diſputemus, ac dulciter conferamus. Inter hæc verba, veluti quiete placida obdormiret, ſanctiſſima Dei famula, capite paululum labante, deceſſit.

Conſpectu profligat Diabolum.

De Chriſto commentans moritur.

XLV. Diſſipato in vulgus obitu, mirum eſt, quanta ad exequias ejus Monachorum, Clericorum, ac pauperum multitudo confluxerit, e quibus inopes adeo lugubri ſqualore, clamoſoque ejulatu præſentium oculos & aures impleverunt, ut omnibus fere lacrymas excuſſerint; teſtati, matrem ſe ſapientiſſimam, unicumque ac ſingulare paupertatis ſuæ in terris profugium amiſiſſe; nihil jam ſibi reſiduum ſpei eſſe, neſcientibus ad quem eant, ſolatium egeſtatis inventuri. Porro ad quartum uſque diem ſacratiſſimi corpuſculi prorogata humatio eſt, id exigente frequentiſſimo devotæ plebis concurſu. Nec erant horrori viſentibus caput, ora, manus omnino retecta: cum in iis præter pallorem, nihil prorſus, neque triſte, neque ſqualidum appareret. Priſtina carnis teneritudo, & ad leniſſimum quemque contactum facile cedens, perſeverabat. Videre tum erat, ut certatim advolantes, pro ſe quiſque reliquiarum aliquid, vel de capillamento nudi verticis, vel de unguium præſegminibus, vel de mamillarum capillis, vel de auricularum ſummitatibus, vel de laciniis abjectæ viliſque tunicæ decerpere, & quod audacius erat, præſecare feſtinarent; adeptaſque portiunculas maximi putarent, ſæpiuſque deoſculatas reverenter acervarent. Præterea gratiſſimus odor nares omnium imbuebat, nihilque omnino, vel minimi fætoris ſub tanti temporis ſpatio a quoquam percipiebatur: veluti ſi pro hominis cadavere, cujus eſt proprium mephitim exhalare, omnium theſaurus aromatum, ac ſuaviſſime ſpirantia adeſſent myrothecia. Quarto demum die, peracta ſolemniſſimo ritu celebratione rei divinæ, præſentibus Cœnobitarum præſtantiſſimis, Clerique ac populi ingenti caterva, atque aviculis multis ſuo cantu juſta ſolventibus, ut adnotavit MS. Lovanienſe ex alio, qui etiam Eliſabethæ vitam conſcripſit, in Sacello Xenodochii vicino pretioſum corpuſculum perquam honorifice ſepultum eſt. Interfuerunt exequiis Abbates multi, Virique religioſi, ac populi multitudo, quos ibidem Cleri

Lugent ad ejus obitum pauperes.

Reliquias ab ea pii decerpunt.

Quarto ab obitu die honorifice ſepelitur.

Caſtillo in Chron. Prædic. l. 2. c. 3. Clichtov. ſerm. de S. Eliſab.

Cleri providentia & voluntas diſpoſuerat congregandos cum omni pietate chriſtiana, ac celebri reverentia tam glorioſum funus conſummantes. Acta hæc præſenti anno ſcribunt accurati omnes vitæ Scriptores, ita ut valde erraverint Ferdinandus del Caſtillo, Jodocus Clichtovæus, & Michaël Bucchingerus enumerantes annum MCCXXVI. fortaſſis error irrepſerit in notas ex incuria Scriptoris vel impreſſorum.

Bucching. in hiſtor. Eccleſ. ſub Greg. IX. Theodor. cit. c. 6.

XLVI. Non prius tumulata ſancta Virago, quam miraculis claruerit: nam proximo poſt funus die, accedens ad tumulum quidam Monachus Ciſtercienſis ejus auxilium imploraturus a plaga cordis, ac mentis morbo, quo per quadraginta & plures annos laborabat, liber evaſit. Paulo poſt accedens Vir nobilis clari ſanguinis, & prælaturæ ſublimis, qui horrendis vitiis irretitus, lubrico carnis miſerabiliter & deteſtabiliter laborabat; multa oratione meruit exaudiri per ſanctiſſimæ fœminæ interceſſionem, itaut ſenſerit ſibi quamdam ſpiritualis conſolationis ſuperinfundi gratiam, per quam deinceps impulſibus obſiſteret vitiorum. Retulit omnia in confeſſione venerabili magiſtro Conrado Marpurgenſi, aſſeruitque quod ab illa hora ardor libidinis in eo fuit extinctus, ut poſtmodum non apprehenderit eum ulla tentatio vehemens ad modum priorum, ſed valde levis, cui facile potuiſſet reſiſtere. Aliis itidem ſpiritu ſuperbiæ inflatis aut iracundiæ, vel invidiæ ſtimulis agitatis, ſeu parcitatis, aut avaritiæ vinculo frænatis, & quibuſcumque vitiorum ſpiritualium motibus occupatis, beata Eliſabetha vitiorum extirpatrix devote invocata, expurgatis vitiorum immunditiis, meritis ſuis per Dei gratiam effectum impetravit virtutis. Hæc ſunt glorioſiſſima miracula, quibus non tantum ægritudines morborum, ſed morbi ſanantur morum: quibus non moritura corpora, ſed in æternum victura curatur anima, quæ tamquam digniora & valentiora, quia ſpiritualia, interiorem hominem ſanctificantia, non immerito locum obtinent principalem. His & aliis ſignis mirabilibus clareſcentem, Pontifex poſt quadriennium, ut ſuo loco largius enarrabimus, in cœlitum numerum decrevit adſcribi.

Cœpit clarere miraculis.

XLVII. Egimus jam de ſacris Martyribus Valentinis, Joanne & Petro, quos ſuccubuiſſe anno proxime elapſo affirmat Rodolphus, ceteris Scriptoribus conſtanti aſſenſu hoc anno, & in die decollationis ſancti Joannis Baptiſtæ, ut præ ceteris obſervarunt Chronica antiqua, & Marianus, paſſos dicentibus. Saracenorum Regni Valentini ſalutem ſitientes e Turolio Aragoniæ urbe Valentiam abierunt, ubi deliteſcentes in Eccleſia ſancti Sepulcri, quæ hodie ſancti Bartholomæi nuncupatur, inierunt amicitiam cum duobus heroibus Hiſpanis Caſtellanos D. Blaſco, & D. Artald de Alagon, qui Viros religioſos ob eorum ſanctimoniam valde diligebant. Hi vero prædicantes fidem Chriſti in Mahumetanorum Templo, ad Regem Zeytabuceit nuncupatum protrahuntur, quo eorum adventus cauſam ſciſcitante, reſponderunt non aliam niſi ut ille, & gens mahumetana a diutino ſuo reſipiſceret errore. Excandeſcens furore, juſſit ut protinus, fide Chriſtianorum abnegata, ſuam amplecterentur, quod dum minis obtinere non poſſet, in ipſo ſuo, quo tunc perambulabat, viridario, loco extra urbis muros tunc poſito, nunc autem novæ Civitatis muris circumdato, juſſit eos occidi, atque ita factum in quodam horti latibulo, licet cum Franciſco Ximenio Minorita, non illo Toletano Archiepiſcopo, ſed Epiſcopo Elnenſi, in libro, quem de recta gubernandi ratione dedit ad magiſtratus Valentinos, ſint qui dicant in forum *de la Hiquera*, ſive a ficu nuncupatum, deductos,

An. 1220. n. 71. tom. 1. Rodulph. fol. 118. Beuter. in Chron. Hiſpan. l. 1. c. 36. & lib. 2. c. 22.

Paſſio martyrum Valentinorum.

Ximen. lib. de recta guber. ratio. Rodulph. cit.

Digitized by Google

atque ibi decapitatos. Dum vero eos ad martyrium eripi juberet Rex; ſummas egerunt gratias, eam pro beneficio reddentes retributionem, ut aliquando Chriſtianam agnoſceret, & amplecteretur veritatem. Nam defixis aliquantulum in terra genibus, obnixe oraverunt pro ejus ſalute, divinumque interius acceperunt reſponſum, ſe exauditos. Neque inane fuit promiſſum; nam ut ad annum MCCXXXVIII. enarrabimus, & ille lucem accepit Evangelii, & Fratribus ſuum dedit palatium in Monaſterium exædificandum. Illorum corpora poſtea redempta a Chriſtianis, ut ad prænumeratum annum dicetur, aſportata Turolium, magna habentur in veneratione in æde matrici, uti tom. 1. ſumus præfati.

Anno 1220. n. 68. tom. 1.

Annal. Saxon. MS.

Angli miſſi in ſubſidium Provinciæ Germaniæ.

XLVIII. Miſſi hoc anno a fratre Jordano Cuſtode Thuringiæ, in virtute poteſtatis ſibi factæ a Generali Miniſtro, frater Joannes de Penna, & frater Deodatus Lutetiam ad Franciæ Miniſtrum pro conducendis Fratribus Joanne Anglico Generali jam conſtituto Saxoniæ Miniſtro, & Bartholomæo item Anglico, ut in eadem Provincia Fratribus ſacram legeret Theologiam; qui ſtatim conceſſi a Franciæ Miniſtro, Provinciam Saxonicam egregie decorarunt.

Conventus Sepulvedæ.

Gonzag. in Prov. Concept. Conv. 8.

XLIX. Ad ſextum lapidem a Sepulveda, Segobianæ diœceſis in Hiſpania Tarraconenſi oppido, in ſolitario loco inter editiſſimos montes ante hunc annum initium obtinuit ex diverſis piorum eleemoſynis Conventus ſanctæ Mariæ de Falce, vulgo *de la Hoz*, ut ex vetuſtis authenticis litteris ibidem ſervatis conſtat; ex quibus tamen certus annus originis inveſtigari non potuit. Vetuſtate corruit univerſa domus præter chorum, & Eccleſiam anno Domini MCCCCXCV. ad mediam noctis horam in profeſto Nativitatis Virginis Mariæ; idque miraculi habetur loco, quod vocatus ea nocte præter morem ad matutinum quidam ex Fratribus, qui illo die laſſus, & madidus redierat ex longinqua mendicatione, poſt octo milliarium emenſionem, atque ille ex conſuetudine Religionis indulgendi his, ut requieſcant, qui ex longo redeunt itinere, ſe excuſaſſet, nec tamen excuſationem Guardianus admitteret, ad chorum perrexerit, vix tamen limen tetigerit, quando univerſa domus præter Eccleſiam & chorum, ut diximus, ad terram ſua mole deciderit; & cum illo Fratres ceteri virtutem obedientiæ laudaverint, cujus merito tantum ille periculum evaſit. Ruinam omnem reparavit, domumque a fundamentis firmiori lapide reædificavit piæ & glorioſæ memoriæ Regina Eliſabetha Catholica Ferdinandi uxor, cujus præclara, eaque multa in Ordine Minorum beneficia.

Idem in Provin. Germ. infer. Convent. 7.

Molan. in vita S. Rumoldi.

Conventus Mechlinienſis.

L. Hoc ipſo anno extruere cœperunt quidam Domini, cognomento Berchoot, & conjux de Aremborch Cœnobium in urbe Mechliniarum apud Brabantinos nobili, vernacule *Mechelen*, quam Molanus Molinam nominari ſcribit in appendice D. Auguſtini de mirabilibus ſacræ Scripturæ. Anno ſequenti introducti ad inhabitandas ædes quidam ex ſociis ſancti Franciſci, qui ſecum intulerunt duas ſcutulas teſtaceas, quibus ad juſculenta Vir ſanctus utebatur, & ex quibus per plurimos annos tam illi, quam illorum ſucceſſores in vigiliis præcipuorum feſtorum ſub collatione bibere ſolebant. Eo autem adducti primi hi Fratres ex Italia opera nobiliſſimi Fundatoris, qui poſt aliquot annos diem claudens extremum, ſepeliri voluit coram altari venerabilis Sacramenti. Sed cum prima Eccleſia minus commoda foret, mutata eſt in alium Religioſorum uſum, & translatus eſt uterque conjux ad chorum novi Templi coram ſummo altari. Viri inſignia gentilitia infixa muro ſupra oſtium ſacrarii, & ad-

Digitized by Google

& adpicti in aliis ædis partibus multi leones barbati ob gentile aliud ejus cognomen, *Drakenbaert*. Novum Templum dicitur extruxiſſe alter ejuſdem familiæ, ſepultus cum uxore ſub tumba coram item ſummo altari ſub chori fornice, dextera manu armata, altera clypeo tecta. Inter præcipuos hujus Conventus benefactores, præter primos extructores, recenſentur Illuſtriſſima Domina Margareta Caroli Audacis Ducis Burgundiæ uxor, quæ poſt incendium reædificavit unam partem dormitorii cum bibliotheca, alteram e regione Ægidius Uraux; valetudinarium Jodocus Uranno. Ædem denuo reſtauravit Rumoldus Soctemonts Quæſtor Civitatis; item, Domina de Muyſem, Domina de Dieſt, & familia tota Domini Guillelmi Petri. Reformatus eſt hic Conventus anno VI. poſt obitum ſancti Bernardini per Religioſos viros miſſos ex Conventu ſancti Odomari.

LI. In hoc Conventu innumeris pene miraculis claruit beatus Petrus Mechlinienſis, cui devotiſſime divina myſteria celebranti, dum elevaret hoſtiam conſecratam, apparuit puerulus, quem propter munditiam & innocentiam cordis primo conſpexerunt pueruli, præ admiratione matres incitantes ad contuendum miraculum. Poſt mortem vero ſuper ſepulcrum ipſius coram Sacramento tam crebra fiebant miracula, ut dum propter populi concurſum nimium interturbaretur divinum Officium, neceſſum fuit, ut pater Guardianus, ſicut fertur, ſuper ejus ſepulcrum accedens, præciperet per obedientiam, ut ceſſaret a miraculis, quod & fecit. Caput poſtmodum tranſpoſitum eſt in muro capellæ beatæ Virginis, ſeu ſanctæ Crucis, intra chorum & ambitum, non procul ab oſtio quo aſcendebatur ad dormitorium. Floruerunt ibidem R. P. Henricus Herpius, vir reconditæ eruditionis, & contemplationis eximiæ, qui plura pie & docte ſcripſit, quorum ſuo tempore indiculum, & cenſuram dabimus. Sepultus eſt in medio chori ſub lampade, tectus albo lapide. Illic item jacet R. P. Henricus Tuſphaniæ Guardianus, & Miniſter Provinciæ Colonienſis ante diviſionem Provinciarum. Requieſcit etiam coram venerabili Sacramento Guillelmus Alcmariæ ejuſdem Provinciæ, item Miniſter ante diviſionem. Conventus autem hic, cum præcipuis fere ejuſdem Civitatis Eccleſiis & Monaſteriis evertitur, egregiæ reliquiæ pretioſis incluſæ thecis ſacrilege direptæ, Fratreſque illinc haud ſine ignominia ejiciuntur: Monaſterium item Clariſſarum ſolo æquatum XII. Aprilis anno MDLXXX. ut ad illum annum latius Deo dante dicemus.

B. Petrus Mechlinienſis.

Viri præclari Mechlinienſes.

LII. In Hiberniæ urbe Corcagia, Anglis *Korke*, indigenis *Korcach*, (emporiolo frequenti, & celebri in Momonia, ſtrictiore mœnium ambitu concluſa, & una quaſi directa platea protenſa, ad quam præterlabitur Sauranus, Giraldo Cambrenſi Saverenus, Ptolomeo Daurona, placidum flumen, & a qua oriundum, ſcribit Robertus Cœnalis, Briocum, Virum ſanctiſſimum, qui nomen dedit Sambriochianæ in Britannia Armorica diœceſi vulgo *S. Brieu*: cui tamen Camdenus refragatur) vel circa, vel ante hunc annum extructus Conventus Minorum, nam, ut ſuperius dixi, communi patrum Hibernorum aſſertione, & ex ipſa Monaſteriorum ſerie conſtat, priorem hanc ædem Kilkennienſi; illa autem ante annum MCCXXXIV. habuit originem, ut ſequenti monſtrabimus. Situs erat in ſuburbio ad villam, ſeu municipium Seandun. Vicecomitis Barrii, a quo item cognomen accepit Monaſterii Seandunen. extra portam Borealem Civitatis Corcagien. verſus Occidentalem plagam, habens ex Auſtrali parte fluvium de Lee, ex Aquilonari vero prægrandem rupem,

Conventus Corcagienſis.

Hiſt. Prov. Hiber. MS.

Robert. Canal.

Camden. in Hibern. in Provinc. Momon.

Anno 1230.

Digitized by Google

valde tamen frondentem & fructiferam. Amœnus erat locus, & fontibus ſcaturiens; inter ceteros in ipſo Fratrum horto remotiori, celebris erat ille, qui fons ſancti Barreæ, ſeu *Finnibarri* vulgariter dicebatur, expolito lapide contectus. Confluebant enim plerique infirmi, præcipue ophthalmia laborantes ad ſalubrem aquam epotandam; a quorum frequenti, & moleſto confluxu, ut ſe liberaret ſubreptitius horti poſt Monaſterii direptionem per Anglos anno MDXL. poſſeſſor, invide vel ſaltim præter caritatem & religionem, multo aggere & lapide ſcaturientis aquæ venam obſtruxit. Ob integram regularis diſciplinæ obſervantiam, & Fratrum pietatem olim dicebatur hic Conventus communi elogio *ſpeculum totius Hiberniæ*, quod nobilium & piorum virorum animos adeo devinxit, ut brevi inſignem exædificaverint Eccleſiam altis bipartitam columnis, egregio choro exornatam, & in ea plurimi heroës, Optimateſque ſibi ſepulturas elegerint; inter quos pulchrum, ſolitariumque ſibi poſuit monumentum Dominus *Mac Carthy* cognomento Magnus, vir in illa regione Princeps; necnon & alii viri equeſtres illius comitatus, a multis milliaribus ſe illuc tranſportandos curabant.

Fundator hujus Conventus.

LIII. Dubium eſt quis hujus ædis primus fuerit Fundator? Quidam volunt Mauritium Prendergeſt, ſive Prendregaſt unum ex iis, qui ex Anglia transfretarunt in Hiberniam cum Dernivio Murchardi filio Lageniæ Rege, vel ejus filium Galfridum Dominum Novi caſtri ſub Joanne Rege. Profecto non potuit eſſe Mauritius, qui in Hiberniam advenit circa annum MCLXVIII. ut habet Stanihurſtus, neque ejus filius ſub adventu Regis Joannis in illud Regnum, qui illuc primo transfretavit miſſus a patre Henrico anno MCLXXXV. ut ſcribit Walſingamus, & ſecundo jam Regno Angliæ potitus anno MCCX. abiitque anno MCCXVI. verius videtur, prædictum Dominum *Mac Carthy* ibi longe, lateque dominantem primas poſuiſſe ædes; cui fidem advehunt, quod omnium eminentiſſimo loco in choro ſolus ſepulcrum habuerit, appropriatumque ſibi domicilium intra clauſtrum Monaſterii, in quo degebat, quoties Corcagiam deflectebat. Deturbato tamen eo e principatu per adventantes Anglos, judicaverim quemdam hujus cognominis Prendergeſt ſucceſſiſſe, & ampliorem conceſſiſſe, addidiſſeque fundum Monaſterio, quod aperte inſinuat publica ſcriptura bis a Fratribus, ne omnino excideret, tranſcripta, ſemel anno MCCCLXXI. appenſo majori Regni ſigillo, ſecundo anno MDXX. procurante Miniſtro Provinciali Guillelmo O Maghram, cujus tenor eſt. *Sciant præſentes, & futuri quod Philippus Prendregaſt dedi & conceſſi, & hac præſenti mea charta confirmavi Fratribus Minoribus de Seandun. in honore beatæ Mariæ, & beati Franciſci placeam terræ, quæ ſe extendit in longitudine a terra Burgenſium dictæ villæ ex parte Orientali, uſque ad Tubir Brenoke, ex parte Occidentali: in latitudine vero, a rupe ex parte Boreali uſque ad aquam de Lee ex parte Auſtrali, una cum piſcatura ejuſdem aquæ juxta dictum locum ſituatæ, pro anima mea, & pro animabus prædeceſſorum & ſucceſſorum meorum habendam prædictam placeam & piſcaturam libere & quiete, cum omnibus libertatibus, & liberis conſuetudinibus ad prædictam placeam, & aquam ſpectantibus in perpetuum; ita tamen quod nomina & cognomina prædeceſſorum & ſucceſſorum meorum in Capitulo Fratrum ejuſdem loci in perpetuum recitentur, & pro iiſdem ſuffragia habeantur. Ego vero prædictus Philippus, & heredes mei prædictis Fratribus & ſucceſſoribus ſuis prædictam placeam & pi-*

Stanihur. l. de reb. Hibern. in principio. Cambren. l. 2. c. 31. Walſing. in Ypodigm.

*& piſcaturam contra omnes gentes * Warenthezabimus, acquietabimus, & defendemus in perpetuum. Et ut hæc mea donatio & conceſſio robur firmitatis obtineat in poſterum, præſenti chartæ ſigillum meum appoſui his teſtibus Roberto de Barri, Henrico Gogan, Milone filio Stephani, Joanne Barri, David Careu ſeniore Edmundo Leys, & multis aliis.* Auxit hic ſitum, non fundavit Monaſterium, ut ex ipſo verborum infertur tenore: ait enim, ſe illa dare Fratribus Minoribus de Seandun. quos ibi prius extitiſſe verba ſupponunt. Reformatum fuiſſe hunc Conventum ante annum MD. conſtat ex multis patentibus litteris Vicariorum Provincialium Obſervantiæ datis viris Corcagienſibus anno MDI. & ſequentibus, quibus eos participes reddunt bonorum operum, quæ apud Seandunenſes Fratres fiebant, necnon ſententia publice lata, & in ſcriptum redacta, quam in quadam controverſia Fratrum cum familia Gooldæorum tulit anno MDXVIII. Comes de Kildaria, in qua illos appellat Anglice *the obſervantines of Corck*, id eſt, Obſervantinos Corcagiæ. Nunc autem nulla obſervantia, neque ædis remanet veſtigium poſt crudelem, & efferam hæreticorum direptionem, præter Eccleſiæ muros, converſis ceteris ædificiis in profanos uſus, non tamen ſine divino ſupplicio & aperta miſeria inhabitantium. In ea urbe latent ſub domibus conductitiis Fratres peregrina veſte ad obſequium Catholicorum; quotidie tamen Anglorum inquiſitionibus exagitantur, ſed fruſtra, dum vitam potius effundere quam fidelibus velint deeſſe, aut in ſancto miniſterio deficere.

* *Verba civilia juris Anglici ſignificantia tutelam, protectionem, &c.*

LIV. Ante hunc annum habuit initium Conventus Alcami ultra pharum, ſeu fretum Siculum Patrum Conventualium Cuſtodiæ Panormitanæ. Rodulphus ait credi incœptum tempore ſancti Franciſci; attamen nihil certi de hoc conſtare; ſed illud conſtans eſſe, Eccleſiam abſolutam fuiſſe anno MCCXXXIII. in qua poſtea erectum eſt ſacellum ſub titulo ſancti Marci, jurisſpatronatus Juratorum oppidi prædicti, ubi ſi Fratres quædam obeant divini cultus munia a teſtatore præſcripta quotannis, conſequuntur uncias duodecim (ita Siculi ſuas numerant pecunias) juxta diſpoſitionem teſtamenti. Agebat hoc anno Balbina neptis ſanctæ Claræ Abbatiſſam Monaſterii vallis Gloriæ in urbe Hiſpellate; cui Nicolaus Epiſcopus Spoletanus privilegium dedit, ut habetur ex regeſto Gregorii ad ann. x. Pontificatus.

Conven. Alcami.

LV. Per hæc tempora diffuſo in omnes partes Sodalitio, & creſcente bona fama Minorum liberaliter in eos ſua bona fideles erogabant, ædificantes eis habitacula, Eccleſias omni ornatu decorantes, & ad victum quæcumque opus erant, ſubminiſtrantes, quod invidiam & avaritiam multorum Prælatorum, & præcipue Parochorum, erga eos excitavit, qui cœca cupidine, ut ait Pontifex, *ſeducti, propriæ aviditati ſubtrahi reputantes quidquid Fratribus fidelium pietas elargiebatur, quietem ipſorum multipliciter inquietabant. Volebant namque eorum confeſſiones audire, pœnitentiam eis injungere, Euchariſtiæ ſacramentum exhibere; nolebant, ut liceret in eorum oratoriis Chriſti Corpus ſervari, Fratres ipſorum defunctos apud Eccleſias ſuas compellebant ſepeliri, & eorum exequias celebrari; & ſi quis decedentium Fratrum alibi, quam in ſuis Eccleſiis eligebat ſepulturam, funus primo ad Eccleſias ſuas deferri cogebant, ut oblatio ſuis uſibus cederet. Nec ſuſtinentes, eos habere campanam, vel cœmeterium benedictum; certis tantum temporibus permittebant eis celebrare divina. Volebant quoque in domibus eorum certum numerum Fratrum Sacerdotum, Clericorum & laicorum,*

Rodul. fol. 281. Multa Prælatorum in Minores gravamina.

eorum, nec non cereorum, lampadarum & ornamentorum pro voluntate ſua taxare, ac reſiduum cereorum, quando noviter apponebantur, exigebant ab eiſdem. Nec permittebant quod novi Sacerdotes eorum alibi, quam in Eccleſiis ſuis celebrarent primas Miſſas, eos nihilominus compellentes, ut in quotidianis Miſſis, quas in ſuis locis & altaribus celebrabant, oblationes ad opus reciperent & reſervarent: quidquid etiam eis, dum celebrabant Miſſarum ſolemnia, intra domorum ſuarum ambitum pia fidelium devotione donabatur, ab ipſis extorquere oblationis nomine contendentes, quod eiſdem tam in ornamentis altaris, quam in libris eccleſiaſticis abſolute conferebatur, vendicabant perperam juri ſuo, cogendo eos ad Synodos ſuas accedere, ac ſuis conſtitutionibus ſubjacere; nec his contenti, capitula & ſcrutinia in locis Fratrum pro iis corrigendis facturos ſe minabantur, fidelitatem juramento firmatam ab eorum Miniſtris & Cuſtodibus exigentes, eoſque in hyeme tam extra Civitates, quam intra cum eis proceſſionaliter ut convenirent ex levi cauſa mandantes: excommunicationis ſententiam fulminabant in benefactores eorum; & idipſum Fratribus comminantes, eos de locis in quibus Domino famulabantur, ſatagebant amovere, niſi in omnibus obedirent ſupradictis. Adhuc ne Fratres ad honorabiles Civitates & villas, ubi religioſe ac honeſte valerent commorari a populis devote vocati accedere valerent inhibentes, tam in accedentes quam in receptatores eorum præſumebant excommunicationis ſententiam promulgare; ab eis etiam de hortorum fructibus decimas, nec non & de habitaculis Fratrum, ſicut de Judæorum domibus, contendebant redditus extorquere, aſſerendo, quod niſi Fratres morarentur ibidem, eis ab aliis habitatoribus proventus aliqui ſolverentur: & ut ipſos ſubderent totaliter ſuæ ditioni eiſdem Miniſtros & Cuſtodes volebant præficere pro ſuæ arbitrio voluntatis.

LVI. Placuit hic intolerabilia, & multa nimis gravamina iſta ex Pontificiis litteris ad verbum recenſere, ut ex irrefragabili teſte conſtaret, quam ab ipſo ortu paſſa eſt hæc ſodalitas contradictionem. Cæcæ cupiditatis effectus hi ſunt, ut Pontifex ſcribit, & ſubſcribunt Innocentius & Alexander hujus nominis IV., qui eiſdem verbis diplomatis vigorem renovarunt, ut ſuis annis memorabimus. Redacta ſunt hæc in corpus juris *tit. de exceſſib. prælatorum c. Nimis iniqua, &c. Nimis prava.* Compeſcuit enim tantam inſultandi libidinem Gregorius hoc anno dato diplomate Reate ad univerſos Eccleſiarum Prælatos XII. Kalendas Septembris, & biduo poſt, videlicet X. Kalendas ejuſdem menſis ad Turonenſem & Rothomagenſem Archiepiſcopos, & Epiſcopum Pariſienſem magnos Fratrum fautores, ut hi pro ſuo affectu in hujuſmodi exceſſus auctoritate Pontificis animadverterent. Mutatis mutandis eædem ſunt litteræ; & habentur in regeſto Vaticano num. 121.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

SS. Anton. & Eliſab. adnotat. obitus.

„ I. HUic anno glorioſiſſimo obitu SS. Antonii Patavini, & Eliſabe-
„ thæ Lantgraviæ, de quibus noſter Waddingus apprime ac
„ diligentiſſime ſcripſit, celeberrimo, vix occurrit quod addere poſſi-
„ mus; commemorabimus nihilominus cœnobii ad ſanctum Bertrandum
„ in Civitate Convenarum conſtructionem. In montibus Pyreneis Val-
„ lis eſt Capraria, ſeu Cicuta Deſii, & in ea perantiqua Civitas Conve-
„ narum, a qua non longe abeſt ſancti Bertrandi Civitas, ſedes Epiſco-
„ pi, quæ ab Auxio, ſive Auſcio, Gallis *Aux*, Civitate Archiepiſcopa-

Convenar. Civitas.

Gonz. par. 3. de Provin. Aquitania rec. Conv. X.

li

Digitized by Google

„ li ad Herſam amnem, in rupe, ſaxove conſtructa in Meridiem XX. M. P. „ Galliæ, ac a Toloſa altera itidem Archiepiſcopali in auſtrolybicum „ XXII. abſcedit. In ea ergo Civitate Convenarum ab Illuſtriſſimo DD. „ de Maloleone, & Larbuſto Cœnobium extructum fuiſſe pro Minoritis „ anno MCCLXXXV. (verumtamen tarde nimis) enarrat Gonzaga, cum „ etiam ante hunc annum ab iiſdem Illuſtriſs. DD. fundatum fuiſſe, publi- „ ca Inſtrumenta in archivo ejuſdem cuſtodita doceant, ut Provinciæ „ Aquitaniæ recentioris monumenta noviſſima teſtantur.

Domini de Maloleone & Larbuſto Cœnob. conſtruunt. *Mon. MSS. illius Prov.* *Vide inf. ad annum 1494.*

ARGUMENTUM.

Canonizatur Spoleti magna cum ſolemnitate ſanctus Antonius de Padua, recitatis in publico conſeſſu ejus miraculis & prodigiis, quæ etiam hic referuntur. Incidit in hoc tempus mors beati Benevenuti Eugubini, cujus etiam mirabilia recenſentur. Floruerunt tunc alii beati Viri, Lucidus Antiquior, Bentivolia de Bentivolis, Maſſæus Severinas, Jacobus Laicus, Hermannus Fulginas, Tentialbene Juniperi ſocius: ſed & de ipſo Junipero, & beato Leone quædam incidunt narranda. Paſſi quinque Fratres in Africa, & totidem, malis affecti in Oriente, declinaverunt ad Germanum Archiepiſcopum Conſtantinopolitanum, cum quo impenſius egerunt de unione cum Eccleſia Latina, & eo deduxerunt, ut miſſis nunciis & litteris ad Pontificem & Cardinales, ut fieret deprecaretur. Nihil tam deſideravit Gregorius Pontifex, qui ſtatim litteris reſpondit, & ſequenti anno ſuos miſit Apocriſarios ad unionem hanc perficiendam. Acquiſita hoc anno multa Monaſteria, & data a Pontifice privilegia.

I. SOllicite hoc anno urgebant Patavini ſancti Antonii canonizationem; quare præmiſſo ad Pontificem miraculorum proceſſu, per Commiſſarios ab eodem deſignatos legitime facto, deſtinarunt novos Legatos, qui perficiendæ & accelerandæ rei inceſſanter inſiſterent: delegarunt Epiſcopus & Clerus matricis Eccleſiæ Canonicos duos, duoſque Minoritas; Civitatis Magiſtratus & Communitas, totidem Proceres nobileſque Equites magno ſtipatus famulitio. Academiæ Patavinæ Doctores univerſi ſuas addiderunt preces, miſſa communi epiſtola. Sed efficaciores illæ litteræ duorum illuſtrium Cardinalium Ottonis Candidi, alias Blanchi de Alerano ex Marchionibus Montis ferrati Caſalenſis, Diaconi tit. ſancti Nicolai in carcere Tulliano; & Jacobi de Pecoraria Papienſis, Ordinis Ciſtercienſis ex Abbate SS. Vincentii, & Anaſtaſii, ad aquas Salvias, Epiſcopi Cardinalis Præneſtini. Hi a Pontifice Legati miſſi in Lombardiam, ut Langobardos Imperii hoſtes, Friderico pacem cum Pontifice diſſimulanti, reconciliarent, tunc Patavium advenerunt, quando de mittendis Oratoribus ad Pontificem ageretur. Viſis & expenſis tot miraculis, quæ quotidie ad ſancti Viri corpus fiebant, per hos ipſos Oratores ſcripſerunt Pontifici, teſtimonium perhibentes veritati. Ad novas preces novum indixit Cardinalium conſilium ſanctiſſimus Dominus, juſſitque ut congeſta & publica fide conſcripta miracula examinarentur. Commiſſa præcipua rei cura Joanni de Abbatis villa, diœceſis Ambianenſis Gallo, Monacho Cluniacenſi, ex Abbate Monaſterii ſancti Petri de Abbatis villa, mox Archiepiſcopo Biſuntino, Epiſcopo Cardinali Sabino. Non protraxit hic in longum examen, ſed in-

Legen. MS. Marian. c. 6.

Serio agitur de canonizatione S. Antonii Patavini.

inſtantibus diligenter Oratoribus Patavinis, brevius expedivit.

II. Confirmata per hunc proceſſus validitate, & miraculorum veritate, nihil jam ſupereſſe videbatur, quin ad rei exitum procederetur, niſi quidam ex Purpuratis Patribus tantæ canonizationis accelerationi ſemet opponerent. Præ ceteris unus ardentius tantæ feſtinationi obloquebatur, donec per hujuſmodi ſomnium in alteram abiit ſententiam. Viſus eſt ſibi clare, & ad myſterium vidiſſe Pontificem Baſilicam quamdam conſecrantem, adſtantibus in ſacris veſtibus ad myſterioſos ritus Cardinalibus, atque ad altaris conſecrationem, pro more, in eodem condendas ſacras reliquias petiiſſe: at cum nullæ adeſſent, reſpexiſſe ad quoddam funus, ſeu recens cadaver in pavimento velo obtectum, atque juſſiſſe, ut ex eo ſibi afferrentur. Quod cum Cardinales horrerent pertingere, verentes horridum & obrigeſcens cadaver aſpicere, denuo imperavit Pontifex, ut accederent. Diſcooperierunt, attrectarunt, ſuavem odorem avide exceperunt, Antonii corpus eſſe comprobarunt, totum in reliquias univerſa cohors diſcerpſit, univerſa etiam Antonium ſanctum proclamante. Expergefactus, intimis ſuis viſionem narravit, ideoque ſibi immiſſam, ut intelligeret, Antonium Sanctorum dignum honore; quare ad oſtii limen exeunti occurrentibus Oratoribus Paduanis, qui ejus contradictionem frangere vel emollire cupiebant; inquit ex tempore: Non eſt cur multis mecum agatis, alius jam evaſi, Antonium ſanctum eſſe credo, & dignum ut Cœlitum adſcribatur numero; non amplius diſſentiam, ſed conſentiam ejus canonizationi, atque ita præſtitit, neque enim ullus efficacius rem omnem promovit; ſolus enim aliorum Cardinalium animos adeo flexit, ut in publico conſeſſu canonizationis fautoribus acceſſerint, & inter cetera ipſi dixerint Pontifici: Indignum valde eſt, nos beatiſſimi Patris Antonii meritis venerationem debitam in terris ſubtrahere, quem Dominus majeſtatis dignatus eſt gloria & honore coronare in cœlis. Sicut enim veritati miraculorum cognitæ fidem non adhibere, perfidia eſt: ſic meritis Sanctorum laudem negare, genus eſt invidentiæ.

Canonizationem retardans miraculoſe mutatur.

III. Concordantibus itaque omnibus Cardinalibus, ſtatuitur canonizationis dies penultimus Maii ſub ipſo feſto Pentecoſtes, in quo Spoleti concurrenti ex multis Europæ regionibus innumera hominum multitudine, lecta ſunt ex alto ſuggeſto coram omni populo, hæc quæ ſub compendio ſequuntur, & nos ex MS. Codice Anconitani Conventus Patrum Minorum Conventualium exſcripſimus miracula. Ipſo die quo ſancti Viri corpus terræ mandatum eſt in Eccleſia ſanctæ Dei Genitricis mulier quædam Cuniza nomine monſtruoſe contracta, & fœde gibboſa, atque incurvata paululum, ad recentem tumulum orans erecta repente exilivit læta, perfectæ ſanitati reſtituta. In eadem Civitate Patavina alia, Richarda nomine, viginti annis adeo conglobata, ut calloſa quadam copulatione genua pectori, & pedes natibus hærerent, ducta in cella geſtatoria, vel plauſtrulo ad fores Templi, ut cum ceteris pauperibus ab introeuntibus mendicaret; dum orationem præmiſiſſet, ut per Sancti merita a ſuo malo liberaretur, & paululum dormitaret, audivit clara voce ſibi inculcari hæc verba: da gratias Deo, quia per Servi ſui merita liberaberis; & expergefacta ad tumultus multorum circumdantium, comitantiumque puellam, quæ prius gibboſa, ſana e ſepulcro Viri ſancti læta redibat, induit animum ut, quo poſſet modo, per terram reptans tenderet ad ſepulcrum, additæque vires per ſpecioſum quemdam juvenem

Miracula S. Antonii lecta in die Canonizationis.

Curvi erecti.

nem in limine Templi præeuntem, & ad tumulum invitantem, ſed ſtatim in ictu oculi diſparentem. Ut acceſſit & oravit, perfecte ſana receſſit. Alia Patavina, Maria nuncupata, ad hortum paternum juxta Brenta flumen a Dæmone in terram ita dure colliſa, ut vertebræ ex coxendice diſſolverentur, quinque annis graviter dolens, ad ejus ſepulcrum convaluit. Marcoaldus ruris Patavini vir uxorem Giſſam contractam ex deſiccato crure, & nervis reſtrictis equo impoſitam ad idem duxit ſepulcrum, ſed peditem ſanam reduxit. Agnes puella trienni vomitu laborans; neque in ventriculi ſpatio quidquam valens retinere, omnino ſyntectica pene deficiebat, interclusſo jam gutture vix quidquam vel ſorbere poterat, donec ad ſepulcrum hoc evecta, adeo repente convaluit, ut durum præ fame conquerenti oblatum fruſtulum panis roſerit, & avide manducarit. Alio triennio, contractis dolebat genibus in oppido Capitis Gauri puella Samaritana dicta; orans ad Sancti ſepulcrum ultra horæ dimidium integræ ſanitati reſtituta eſt, quam ſummo gaudio peditem redeuntem cum parentibus exceperunt obvii illius loci incolæ cum jubilo, & campanarum pulſu, Deum glorificantes in ſuo Servo, quem viventem & illac tranſeuntem honorifice non ſemel exceperunt.

IV. Fridericus, e comitatu Concordiæ, e ſummo decidens Templo, confractis membris, ad eumdem tumulum convaluit. Cæſaria Veneta duobus annis manu una contracta, & altero pedum diſtorto dolens, magnorum miraculorum frequentia excitata, Patavium abiit, ubi ad eumdem beneficiorum theſaurum mire deſideratam aſſequitur ſalutem. Similiter utriuſque manus & pedis contracti perfectum obtinuit uſum Proſdoxima relicta quondam Manicrii de Noete Patavini; nec non Margarita Paduana colli diſtorti, manus ſiniſtræ tremulæ, & pedis decurtati perfectam integritatem. Puer Albertus a nativitate uſque ad annum undecimum tortum habens pedem, ſuperiori parte ad terram inverſa, ut recte flecteretur, ad ejuſdem ſancti Viri funus obtinuit. Maſſaguerra de Savili crus dexterum contractum, pedemque ex ligaculo ſuſpenſum, ſanum e tumulo reduxit. Adoleſcens Tridentinus curvus, dorſo excreſcente, & male affecta ſpina, rectus a tumba domum rediit. Veridolus alter graviter cruciatus lumbagine, & nephriti, a matre ductus ad ſepulcrum, ab eadem ſanus domum reducitur. Triviſiana mulier, cui Venetiana nomen, tumorem magnum habebat in pectore forma panis majorem, nec per duos annos quidquam operoſum agere poterat abſque magna moleſtia; ex eodem ſalutis ærario ſana reverſa eſt. Solangria de Montagna dyſenterica & hemorroiſſa, toto jam corpore reſoluta, cum ſe meritis ſancti Viri commendaret, apparuit decumbenti, quem interrogata quis eſſet? reſpondit; ego ſum Antonius qui veni, ut te a malo liberem: ecce in nomine Domini ſalva facta es. Verum dixiſſe ex tempore ſenſit, e lecto deſcendens, Deum in ſuo ſervo glorificans. Bartholomæus de Plebe ſacci ab infantia mutus, paralyſi item laborans, ad ſepulcrum utroque liberatur malo. Loquelam item recepit ibidem, & ſyntexis remedium Michelotta Patavina, annis undecim muta. Diu etiam perditam loquelam ibidem recepit vir quidem Forojulienſis. Comitatus Ferrarienſis mulier, Maria nomine, toto corpore diſſoluta, & vertiginem quadriennio paſſa, incolumis domum rediit e ſepulcro. Ermerina de Vincentia quinque annorum ſpatio tremebundis greſſibus terram plus attingens, quam calcans; nec non altera, Bilia nomine, eodem malo tribus annis affecta ad Sancti loculum baſibus conſolidatæ ſunt.

Confracti conſolidati.

A variis infirmitatibus liberati.

ſunt. Vir quidam de Porcili oppido, Sconitus nomine, nodoſa podagræ inflatione, pedibus etiam tabo putridis, expiatis ſacra confeſſione peccatis, coram loculo orans, firmatis greſſibus rediit lætus ad propria.

V. Frater Theodoricus Minorita biennio ſiniſtri oculi privatus lumine, ab Apuliæ finibus Patavium abiit Sancti reliquias veneraturus, ad quas voti plene factus eſt compos. Teutonica mulier Carolina nuncupata, ſeptem annis cæca, utroque videns oculo, e ſepulcro abiit in Germaniam. Auriena puella, ut applicuit oculis, quibus viſu carebat per annum unum & menſes octo, byſſinum velum, quo tegebatur ſacrum depoſitum, vidit repente. Leonardus de Corniliano, uno orbatus lumine, altero læſus, utrumque ſanum, arcæ, cui corpus incluſum, inhærens accepit. Flos de Gemma Lauretanus integre vidit ſiniſtro oculo, quem clauſum habuit integro ſeptennio. Alexia mulier quinquennio cæca oculos ibidem aperuit. Michelotta Patavina exitialis morbi vehementia oculorum lumen amiſerat; ſed recepit ad ſancti Viri reliquias. Rolandus Bulgarus cephalagia, ſeu diuturno & vehementi capitis dolore in anterioribus membranis laborans, ſurdus evaſit a viginti annis & ultra; ſed ibi repente ſanus effectus. Leonardus Venetus defluxu humorum obturatas aures habens, a quadriennio nihil audiens, apertas retulit ex tumulo. Menicus alter Venetus ſimile beneficium recepit, malo affectus biennio. Petri Patavini filiam Paduanam dictam, epileptico ſeu comitiali morbo laborantem, totaliter claudam, dum adhuc viveret, ad patris preces, benedictione ſanavit. Puerum item Simeonem eodem morbo miſerabiliter quotidie per annos tres affectum, impertita ex ſepulcro gratia curavit.

Cæci illuminati.

Surdi audiunt.

VI. In agro Patavino mulier ad vicinam domum ignem reportatura progreſſa, dum rediit, infantulam filiolam in foſſam domui proximam, cænoſæ aquæ receptaculum, lapſam, & ultimos exhalantem ſpiritus vidit; deſcendit, accurrit, extraxit, in margine repoſuit nec motum nec ſpiritum habentem. Mortuam adjudicantes vicini ad ſancti Antonii buſta portarunt, ut matris lacrymarum miſertus, vitam vel foveret, vel reſtitueret. Super tumulum poſita repente ocellos aperuit, omnemque ebibitam aquam evomuit, hilaricula parentibus arridens. Similiter accidit cuidam Dominico civi Comacrenſi, qui in lacum lapſum filium, & ſuffocatum, domum veniens matris ejulantis ulnis commiſit. Illa fide plena, eum ſancto obtulit Antonio, rogans lacrymabunde, ut qui quotidiana in omnes conferebat beneficia, miſellæ dignaretur miſereri. Exaudita eſt confeſtim, exiliente ſano e brachiis, quem mortuum complexabatur. In Civitate Monopolitana in Apulia, prope Fratrum ædem, juvenis quidam terram effodiens, ex latere vicini collis aggere irruente, obrutus eſt. Accurrens cum vicinis gemebunda mater, excavata mole vivum extrahunt, quem minutule contuſum judicabant. Interrogatus quomodo ſub tanta ruina non perierit? reſpondit, in ipſa ruina ſibi vidiſſe Fratrem Minorem aliquem manu pondus omne ſuſtinuiſſe, ne premeret, neque alium hunc ſe putare præter Antonium Patavinum, quem ob undique prædicata miracula in ipſo invocavit periculo.

Mortui ad vitam revocati.

VII. Aleardinus miles e Salvaterra parum fidei Catholicæ tenax, quam alias omnino reſpuerat, dum ubique a tantis miraculis commendari audiret Antonium, nihil credebat; veniens mox Patavium, cum in hoſpitio eadem multiplicari, & videri quotidie ad ejus tumulum dicerent con-

Hæreticos illuminat.

convivæ, duræ, inquit, ego ſum fidei, neque quidquam ex dictis credam, niſi projectum hoc vitri vaſculum, & in petram colliſum integrum ſervaverit ille, quem tantorum aſſeritis miraculorum patratorem. Projecit fortiter in pavimentum lapide ſtratum, qui alias vel ipſo caſu frangeretur vitreus cyathus, ſed integer, velut durus ſilex, reſilivit. Quo viſo miraculo credidit ceteris, Antonii ſanctitati, & fidei catholicæ; atque præmiſſa peccatorum confeſſione, paruit deinceps Eccleſiæ ſanctæ inſtitutionibus, ubique deprædicans a ſe probatam Viri ſancti virtutem, in cujus fidem vaſculum circumferebat. Quod dum alteri inconſtantis fidei oſtenderet ad menſam accumbenti, inquit: quæ refers credam, dummodo aridum hoc vitis ſarmentum (quod forte in vuarum calatho adfuit) revireſcere, & fructus producere fecerit, cyathumque hunc meum muſto ex ſarmento hoc expreſſo valeam replere. Mirum! ſtatim fronduit vitis, uvas protulit, & ſancti Viri miraculis plenam fidem conciliavit. Hujus miraculi non una fit mentio in ſancti Viri Officio, quod recitant Minores.

Colliſum in petram vitrum nõ frangitur.

Sicca vitis revireſcit.

VIII. Irriſit etiam clanculum quædam ex ſancti Viri miraculis Guidottus de Anquillaria Clericus, Patavini Epiſcopi domeſticus, dum conſtitutus coram Pontificis Commiſſariis, audiebat multos, qui recepta beneficia, & circa ſe facta miracula juridice deponebant. Non id fecit impune, nam repentino motu toto cœpit corpore adeo vehementer dolere, ut in apertas voces irrumperet, dignum erga ſe Dei judicium propalans. Vocatam ad ſe matrem rogavit, ut quoniam ſe indignum judicabat, qui coram Sancto bajulatus appareret, illa ad tumulum ejus ſceleris veniam exoraret, & pro filio ſponderet, dignam exhibendam pro crimine pœnitentiam. Fecit, & exoravit; ſtatim enim ad ſupplicantis matris lacrymas remiſſum eſt piaculum filio, & laxatum ſupplicium. Accepti beneficii ille non immemor, plus omnibus deinceps inſtitit ſancti Viri laudibus & canonizationi.

Irridens ſancti Viri miracula punitur.

IX. Viri ſimul & mulieres numero ferme viginti ſex, ut Venetias tenderent, navem apud ſanctum Hilarium conſcenderunt; cumque hora Completorii ad lacunam juxta ſanctum Georgium de Alega perveniſſent, orta tempeſtate graviſſima, ad locum prædictum refugere conabantur. Prævaleſcente autem turbine, conquaſſati, ad incognita ſibi prorſus loca delati ſunt; nam caligo quædam, ſimul cum vento, & pluvia ita ſpiſſa deſuper incumbebat, ut ſe invicem vix videntes, de ſalute penitus deſperarent; facta denique confeſſione peccaminum, & a ſacerdote, qui intererat, abſolutione ſuſcepta, cum clamoribus & lacrymis ululantes, Deo & beato Antonio ſuppliciter devoverunt; ſtatimque autem facto voto, circa navem procella quievit, incumbentibus tamen tenebris ubi forent, vel quo tenderent, nemo præſentium recognovit. Et ecce de navi ipſa lux egreſſa reſplenduit, quæ navigantes, & collacrymantes præ lætitia præcedebat, & eoſdem ad locum ſancti Marci parvuli juxta Venetias ſalvos duxit; quo cum Patris ſanctiſſimi meritis de manu mortis eruti perveniſſent, mox præambulum ab eorum oculis lumen diſparuit, & in tuto poſitis ducatum ultra ſubtraxit.

Naufragãtes ſalvavit.

X. Mirum & rarum quod ſequitur. Mulier quædam de Monte Silice iter faciens verſus Paduam cum viro ſuo, comitantibus eam mulieribus aliis, præconceptam mentis ſuæ lætitiam verbis & lætis geſtibus oſtendebat; maritus enim nuper ante promiſerat, quod ad ſancti Jacobi viſitanda limina ipſam ſecum duceret, ut petebat. Volens igitur jucundi-

tatem ejus & geſticulationes pariter temperare, mulieri dixit; quid tot verbis & riſibus læta diffluis, ac ſpe vana decepta geſtu ſolveris importuno? Scias, me omnino mutaſſe propoſitum, & nequaquam quo tu properas, profecturam. Cumque maritus verbis ejuſmodi valde eam exaſperando perſtitiſſet; poſt longa tamdem ſilentia, mutato vultu, mulier intulit objurganti, niſi promiſſum mihi peregrinationis iter opere compleveris, noveris, me in nomine Jeſu Chriſti, ac beati Antonii aquis iſtis, quæ præterfluunt, ſubmergendam. At ille nequaquam fidem adhibens verbis ejus, quin potius obfirmata facie ſtultam vocans, promiſſum ſolvere conſtantius denegabat. Sublata ergo fiducia, ac ſpe omni fruſtrata infelix mulier manus in ſe convertit, ac beati Antonii nomine invocato (quaſi etiam ſceleri Sanctum velit adeſſe) ſe præcipitem aquis dedit: videntes autem mulieres, quæ aderant mediis fluctibus volutantem, ſtupefactæ nimis curſu rapido advolabant, & periculi rapidi fluminis oblitæ, madefactis totis veſtibus, aquis extrahunt obvolutam. Quam, cum educta foret, in littore collocantes, mirum certe! mulieribus ceteris contorquentibus veſtes ſuas, & aquarum copiam educentibus, ipſa quidem nec filo ſubtegminis humefacto, ſuper ripam fluminis invecta eſt. Quod ſane factum etſi fatuitati potius ſit adſcribendum, quam virtuti, Patris tamen ſanctiſſimi hæc apud Deum merita potuerunt obtinere, ut qui veræ ſemper ſimplicitatis amicus extitit, ſimplicitatem fœminæ, licet ſtultam, mediis fluctibus conſervaret illæſam.

Undis fatue immerſi mire ſervat incolumem.

XI. Soror quædam ancillaris de Ordine pauperum Dominarum, Oliva nomine, cum adhuc Patris ſanctiſſimi corpus exiſteret inſepultum, acceſſit ſupplex, & deoſculans manus ejus, inter cetera quæ rogavit, indulgeri ſibi meritis ejus petiit, ut pœnam omnem, quam peccatis exigentibus meruiſſet, in præſenti ſibi Deus infligeret, nec puniendum quidpiam in poſterum reſervaret. Oratione vero facta, Monaſterium mulier ſubiit, moxque per omne corpus dolore validiſſimo cruciata præ immenſitate doloris ſemetipſam ferre non valuit, ſed Sorores ceteras ſtridoribus admodum perturbavit. Reſumpta vero paululum valetudine, circa noctem die ſequenti cum Sororibus ceteris ſimul ipſa refectorium clanculum ſubintravit, & ad menſam cum aliis conſtituta, iteratis cœpit ſubito doloribus perurgeri, ita quod nequaquam cibum ſumeret, ſed parturientis more ſuper menſam huc illucque ſe volueret, & clamaret. Jubente igitur Abbatiſſa, ad valetudinarium delata eſt, & quæ ſibi votis omnibus in præſenti pœnam infligi popoſcerat, multiplicatis precibus, ab eodem remedia flagitabat. Tamdem autem reminiſcens mulier, quamdam apud ſe tunicæ Sancti particulam habere reconditam, mox allatam ſibi ſuper corpus ducens applicuit, & confeſtim dolor omnis abſceſſit.

Immittit & remittit infirmitatem volenti.

XII. Mulier quædam de Trimegone nihil tam deſiderabat, quam ſub morte ejus viſitare ſepulcrum, quod tot miraculis audierat condecorari. At non poterat, a fratribus ſuis conſtituta meſſis tempore cuſtos agelli, ut abigeret paſſerum aliarumque volucrum copiam frequentem. Dum ad urbem ire cuperet, fratres autem timeret, magna fiducia elatis oculis in cœlum, inquit: ſancte Antoni, ſi tu ab hac ſegete profligaveris volucres, illæſamque cuſtodieris, ita ut ego non patiar a fratribus, voveo & promitto, me novies ſepulcrum tuum glorioſum viſitaturam. Non omnino dixit, quando magno garritu avolarunt avium multa agmi-

Abigit e ſegete volucres.

agmina, neque illa in agellum advolavit, niſi poſt reconditum frumentum.

XIII. Puerum quemdam Patavinum, Henricum nomine, collum dolentem nimio tumore, mater vovit afferre ad ſancti Viri tumulum, & donarium offerre effigiei cereæ cum magna candela, modo convaleſceret. Fecit illa, ex parte convaluit filius, ſed dum avare tenet, quam promiſit candelam, paulo poſt eodem turget adoleſcens malo; cui non aliud quam voti ſolutionem adhibuit remedium, ut optata frueretur valetudine, quam ſtatim eſt aſſecutus. Bartholomæus miles de campo rotundo, filiam gravi calculo dire dolentem, emiſſo voto de viſitando, & adorando ſancti Antonii ſepulcro, ſtatim ſanam accepit. *Voti oblivio punitur.*

XIV. Lectis tot ac tantis Viri Dei miraculis, & acclamante univerſo populo ejus ſanctitatem, in Eccleſia Cathedrali Spoletana ſurgens a ſolio Pontifex, invocato nomine deificæ Trinitatis, beatiſſimum Patrem Antonium Sanctorum catalogo conſcripſit, & feſtum obitus diem haberi conſtituit, concedens omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, ſepulcrum ejus in die feſtivitatis, aut per octavas quotannis cum debita reverentia viſitantibus relaxationem unius anni de injuncta ſibi pœnitentia. Statim omnes Prælati hymnum *Te Deum laudamus* cantarunt, quo terminato, Pontifex alta voce antiphonam illam, *O Doctor optime*, intonavit, quam Clerus univerſus magno modulamine proſecutus eſt, Papa verſiculum, & orationem concinente. Deinde, poſt dies paucos, per ſuas litteras datas III. Nonas Julii intimavit omnibus Eccleſiarum Prælatis hujuſmodi factam canonizationem, hortatuſque eſt omnes ad ſancti Viri cultum. Plura diplomata hujus vidi apotheoſis in ſolo ſubſcriptionis die diſcrepantia: cum enim multa tranſmitti oporteret, nec uno ſcribebantur aut dabantur die, diverſi temporis præferunt notas, ut in aliis Pontificiis litteris ſæpius per hoc opus obſervavi. Horum exemplar habetur in regeſto Vaticano num. 12. ſub Kalendas Julii, & totius rei geſtæ ſeriem deſcriptionemve originalem inter vetera tabularia Anagniæ repertam, ſervari Romæ in Vaticano ex mandato ſanctiſſimi Domini Gregorii XIII. ſibi retuliſſe Reverendiſſimum D. Calligarium Brittonorienſium Epiſcopum, ſcribit Rodulphus, quam tamen ego non potui detegere. Bullam autem ſubjicio. *Canonizatur S. Antonius.* *Rodul. cit.*

GREGORIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Venerabilibus Fratribus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis: dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, & aliis Eccleſiarum Prælatis, præſentem paginam inſpecturis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

C*Um dicat Dominus per Prophetam* dabo vos cunctis populis in laudem & gloriam & honorem; *& per ſe pollicеatur, quod juſti ſicut ſol in conſpectu Dei fulgebunt, pium & juſtum eſt, ut quos Deus merito ſanctitatis coronat & honorat in cælis, nos venerationis officio laudemus, & glorificemus in terris; cum ipſe potius laudetur & glorificetur in illis*, qui eſt laudabilis & glorioſus in ſecula, *& in Sanctis. Ut enim ſuæ virtutis potentiam mirabiliter manifeſtet, & noſtræ ſalutis cauſam miſericorditer operetur, fideles ſuos quos ſemper coronat in cælo frequenter etiam honorat* *Soph. 3. 19.* *Matth. 13. 43.* *Dan. 3. 56.* Sanctos honorat Deus.

in

Digitized by Google

in ſeculo, ad eorum memorias ſigna faciens & prodigia, per quæ pravitas confundatur hæretica, & fides catholica confirmetur: fideles, mentis torpore diſcuſſo, ad boni operis excitentur inſtantiam, hæretici, depulſa in qua jacent cæcitatis caligine, ab invia reducantur ad viam; & Judæi atque Pagani vero lumine cognito, currant ad Chriſtum, lucem, viam, veritatem & vitam. Unde nos, cariſſimi, & ſi non quantas debemus, quantas poſſumus, gratias agimus gratiarum omnium largitori, quod diebus noſtris, ad confirmationem catholicæ fidei, & ad confuſionem hæreticæ pravitatis, evidenter innovat ſigna, & mirabilia potenter immutat; faciens illos coruſcare miraculis, qui fidem catholicam, tam corde quam ore, nec non & opere roborarunt. De quorum numero, ſanctæ memoriæ beatus Antonius de Ordine Fratrum Minorum, qui olim degens in ſeculo magnis pollebat meritis, nunc vivens in cælo, multis coruſcat miraculis, ut ejus ſanctitas certis indiciis comprobetur. Cum enim dudum venerabilis Frater noſter Epiſcopus & dilecti filii, Poteſtas & commune Paduanorum nobis per nuncios ſuos & litteras humiliter ſupplicaſſent, ut cum Dominus eidem Sancto tantam contulerit gloriam, ut ad dandam ſcientiam primæ ſtolæ immortalis ipſius, & experimentum evidens de ſecunda; ſepulcrum ejus tot & tantis daret coruſcare miraculis, quod ejus inter alios Sanctos non invocari ſuffragia, eſt indignum; de ipſius miraculis teſtes recipi mandaremus: nos attendentes, quod licet ad hoc, ut aliquis Sanctus ſit apud Deum in Eccleſia triumphante, ſola ſufficiat finalis perſeverantia juxta illud: Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ; *ad hoc tamen ut Sanctus habeatur apud homines in Eccleſia militante, duo ſunt neceſſaria; virtus morum, & veritas ſignorum, merita videlicet, & miracula: ut hæc & illa ſibi ad invicem conteſtentur, cum nec merita ſine miraculis, nec miracula ſine meritis plene ſufficiant ad perhibendum inter homines teſtimonium ſanctitatis. Sed cum merita ſana præcedunt, & clara ſuccedunt miracula, certum præbent indicium ſanctitatis, ut nos ad ipſius venerationem inducant, quem Deus ex meritis præcedentibus, & ſignis ſubſequentibus exhibet venerandum: quæ duo ex verbis Evangeliſtæ plenius colliguntur:* Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis: *eidem Epiſcopo, & dilectis filiis, Fratri Jordano ſancti Benedicti, & I. ſancti Auguſtini, Prioribus Ordinis Fratrum Prædicatorum Paduanorum receptionem teſtium de miraculis ejuſdem Sancti, duximus committendum. Nuper autem tam per relationem prædictorum Epiſcopi & Priorum, quam per depoſitiones teſtium ſuper hoc receptorum, de ipſius virtutibus & miraculorum inſigniis certiores effecti, & experti aliquando per noſ-ipſos ſanctitatem vitæ, & admirabilem converſationem ipſius; utpote qui apud nos fuit aliquandiu laudabiliter converſatus: eiſdem Epiſcopo, Poteſtate, ac Commune, prædictis, per ſolemnes nuncios ſuos, & litteras, nos cum inſtantia denuo ſupplicantibus, quod eumdem Fratrem Sanctorum catalogo adſcribere curaremus: ut auctoritate, ſicut convenit, Apoſtolica dignus honor illi exhiberetur in terris; qui ſicut claris ſignis, & evidentibus argumentis apparet, honoratur in cælis: ipſum, qui corporaliter diſſolutus cum Chriſto eſſe meruit in cæleſtibus, ne illius honori, & debito, & gloriæ detrahere quodammodo videremur, ſi glorificatum a Domino permitteremus ulterius humana devotione privari: de Fratrum noſtrorum conſilio, & Prælatorum omnium tunc apud Sedem Apoſtolicam exiſtentium, catalogo Sanctorum duximus adſcribendum. Cum igitur ſecundum evangelicam veritatem,* nemo accendat lucernam, & ponat eam ſub mo-

Joan.14.6.

S. Antonius coruſcat miraculis

Apoc.2.10.

Ad canonizandum quempiam quæ requirantur.

Mar.16.20.

Qui examinarunt miracula S. Antonii.

Notus Pontifici.

modio, ſed ſuper candelabrum, ut omnes qui in domo ſunt, lumen videant, *& prædicti Sancti lucerna ſic arſerit hactenus in hoc mundo, quod per Dei gratiam, jam non ſub modio, ſed ſuper candelabrum meruerit collocari: univerſitatem veſtram rogamus, monemus attentius, & hortamur per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus devotionem fidelium ad venerationem ipſius ſalubriter excitantes, feſtivitatem ipſius Idibus Junii annis ſingulis celebretis, & faciatis ſolemniter celebrari: ut ejuſdem precibus Dominus exoratus, gratiam in præſenti, & gloriam nobis tribuat in futuro. Nos autem cupientes ſepulcrum tanti Confeſſoris, qui miraculorum fulgoribus illuſtrat Eccleſiam generalem, congruis honoribus frequentari: omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, illud in feſtivitate ipſius uſque ad octavum diem, annis ſingulis cum reverentia debita viſitantibus; de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, annum unum de injuncta ſibi pœnitentia miſericorditer relaxamus. Datum Spoleti* III. *Nonas Junii Pontificatus noſtri anno* VI.

Canonizat. *Matt.* 5. 15.

Indicitur dies feſtus.

Conceduntur Indulgentiæ viſitantibus ſepulcrum.

XV. Ea autem die, qua in Sanctos relatus eſt Vir Dei, res ſtupenda accidit Ulyſsiponæ. Nam & viri & fœminæ extra domos in plateis cantabant, & tripudiabant, & campanæ omnes totius Civitatis, nullo eas movente, concrepabant egregie, nec poterant ſe homines cohibere, quin ſe lætitiæ & tripudiis darent. Ea autem re in multam illis admirationem adductis, non diu poſt ſupervenere ex Italia Fratres, quorum relatu didicerunt, ipſo die inuſitatæ lætitiæ ſuæ, Virum beatum in Sanctorum albo inſcriptum fuiſſe. Innumera & magna ſunt mirabilia, quibus Deus Sanctum voluit glorificare; adeo frequentia & perpetua ubique Antonii miracula, ut in uno perpetuo hærere miraculo videatur, mirabiliuſque in illo foret a miraculis ceſſare, quam operari. Rebus mirifice geſtis adeo nobilitatus eſt, ut interdum non ad neceſſitatem, ſed ad jucunditatem (ut de ſancti Viri patre beato Franciſco quidam dixit) præſens Dei auxilium ei oblatum videretur. Plura, præter relata, ſunt admirabilia Viri opera, quæ in ſequentes differimus annos, ne lectorem tot miraculorum profluvio obruere videamur. Solum hic adjungimus ex Abrahamo Bzovio Antonii Querengi viri præſtantiſſimi Patavini hymnum, quem ſuæ urbis cecinit tutelari.

Quando canonizatur inſcii exultant Ulyſſiponēſes.

Guarner. de ſanctis urbis Bergomat. fol. 131.

DIVO ANTONIO PATAVINO

CONFESS. SACRUM.

Dignis ad aſtra vocibus
Laudes feramus Maximi
Antonii, & urbis inclytam
Noſtræ canamus gloriam.
Hic ille natus ultimas
Tagi qui ad undas nobili
Domo, paternis commodis
Mendicitates prætulit.
Qui Chriſti amore ſaucius
In mille ſe diſcrimina
Conjecit, ut cœleſtium
Choro adderetur martyrum.
Hic ſingulari præditus

Lin-

Digitized by Google

Linguæ eloquentis munere,
Quacumque adivit urbium,
Mores fugavit improbos.
Orci fugavit agmina
Infanda, & ægris artubus
Salubre robur indidit,
Pacemque in orbem retulit.
O noſtra felix Civitas
In qua ſupremis vocibus
Confeſſor almus claruit,
Et ſancta membra condidit.
Sit Trinitati gloria,
Summoque Patri & Filio,
Simulque Sancto flamini
In ſeculorum ſecula.

Qui ſancti Viri vitâ ſcripſerunt.

XVI. Sancti Viri hiſtoriam plures ſcripſerunt, quos Rodulphus ita recenſet. Beatus Joannes Pechanus Archiepiſcopus Cantuarienſis; frater Joannes Cremonenſis Miniſter Provinciæ ſancti Antonii; frater Matthæus Pedelarius Lector Provinciæ Bononiæ; frater Raymundus Lector Paduæ; frater Bartholomæus Ordinis Prædicatorum. Scripſit quoque vitam ejus quidam ſuppreſſo nomine, anno MCCCXVI. quæ fuit approbata a fratre Jacobo Sauri Miniſtro Provinciæ ſancti Antonii, & a toto Capitulo Veronæ habito: ubi cautum eſt a Patribus, ut per totum Ordinem haberetur & legeretur. Hæc an ſit quam Laurentius Surius exſcripſit, & Sedulius in ſua hiſtoria Seraphica in capita diſpartivit, opinari licet. Graviter a quodam Franciſcano ſcriptam teſtatur Surius, licet eam in ſtylo nonnihil mutarit. Firmamentum trium Ordinum, e memoriali Ordinis par. I. ubi de decimo Generali Hieronymo ab Eſculo ſcribitur, refert juſſu illius Generalis vitam ſancti Antonii ſcriptam. Præter hos alii etiam præclare de vita & miraculis ejus, multa poſteritati tradiderunt: Vincentius Belluacenſis ex Ordine Prædicatorum, Hiſtor. Spec. lib. 31. cap. 131. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus Hiſtoriarum parte 3. titulo 24. capite 3. Bartholomæus Piſanus ex Ordine Fratrum Minorum, Lib. Conformitatum conformitate 8. Petrus Rodulphus Epiſcopus Senogallienſis libro I. Seraphicæ Religionis. Large & diffuſe ſcriptam, duobus libris diſtinctam italico edidit ſermone Sancti Antonii hiſtoriam Hippolytus de Ponte Minorita Conventualis anno MDXXXII. Eamdem a ceteris diſtinctam MS. ante ducentos annos ab Anonymo auctore exaratam in noſtra hac habeo bibliotheca, quam ſæpius in teſtem voco. Conciones de eo habuere, quæ poſteris proſtant ſanctus Bonaventura, Guillelmus Pepin. Ordinis Prædicatorum, Robertus a Licio, & Pelbartus a Temeſwar, præter alios innumeros tum vetuſtiores, tum recentiores.

Quomodo pingitur.

XVII. Varie pingitur, aliquando ſiniſtra librum habens, quia *Arca Teſtamenti, & ſacrarum ſcripturarum armarium* audivit a Gregorio PP. IX. docto juxta atque ſancto Pontifice. Super librum piſcem habet, cujus duplex ratio: altera quod mercator auro plenam crumenam a piſce deglutitam, Sancti interventu, capto piſce, receperit, ut Pelbartus a Temeſwar commemorat: altera, quod cum hæretici conciones ejus contemnerent, piſcibus copioſe confluentibus, in ſugillationem hæreticorum

Quare cum libro & piſce.

Digitized by Google

corum concionatus ſit, audientiam mirandum in modum præbentibus. Puerum etiam frequentius ſuper librum ejus adpingunt: cujus item eſt ratio duplex, prior quod Vir ſanctus viſus ſit nocte Puerum Jeſum fuiſſe complexus & oſculatus, ut alias dixi; poſterior: cum quidam puerum occiſum in parentum beati Viri horto ſepeliſſent, atque illi tamquam interfectores in carcerem fuiſſent detruſi, Vir ſanctus reſuſcitatum puerum teſtari fecit, ſe non occiſum ab ejus parentibus. Alia dextera depingitur, calicem cum hoſtia geſtare, ſive Tabernaculum ſacræ Euchariſtiæ, ſive etiam formam conſecratæ hoſtiæ, quam flexis poplitibus mulus adorat. Nam hæreticis præſentiam Corporis Chriſti in Euchariſtia negantibus, ad fidem catholicam reducendis, irrationale atque ſtupidum animal Euchariſtiam ſtupendo miraculo adorare fecit. Quod ſcapum cum liliis dextera nonnulli geſtantem pingunt, id in argumentum caſtimoniæ & puritatis, etiam aliis divis commune eſt. Vetuſtas vidi imagines multas, in quibus ſuper librum aliquando ad pectus adpingebatur cor flammeum, qua id de cauſa? neſcio, niſi fortaſſis ex errore & æquivocatione nominis ſancti Antonii Abbatis inſigne, vel ſymbolum huic tribuatur, illi enim tribuunt Eryſipelam, ſeu ſacrum ignem, atque ab eo denominant ignem ſancti Antonii; unde cor flammis ardens, nam & ſtatim ad cor ignis morbus aſcendit, ei pro ſigno tribuunt. An ex hoc errore cor adpingatur Antonio etiam Patavino, vel pictura hac voluerint vetuſti illi pictores ſignificare miraculum, quo ſanctus Antonius indicavit caleſcens avari defuncti cor inveniendum inter ejus pecunias; non mihi ſane compertum, quantumvis id ſcire a pleriſque curaverim.

Cur item cum puero.

Cur calicem & hoſtiam portat?

Quare ſcapum cum liliis?

Unde origo flammas igneas adpingendi.

XVIII. Mortuus circa hunc annum beatus Benevenutus Eugubinus, cujus nominis alii tres Viri ſancti floruerunt in Religione. Primus quem Mantuæ jacere diximus; ſecundus, qui Recineti in Piceno claret miraculis; tertius Anconitanus ab Urbano IV. Auximorum creatus Epiſcopus. Omnibus potior hic in quibuſque ſectandis virtutibus, quas alias enarravimus, & in perpetrandis miraculis, quorum unum aut alterum ſubjicimus. Corneti (Apuliæ oppidum eſt, in quo ſanctus Franciſcus puerum octennem, Bartholomæum nomine, ingenti pondere oppreſſum, & lethali oſtii cujuſdam pergrandis colliſione quaſſatum, quaſi a ſomno ſuſcitatum liberavit) ubi apud Minores jacet, Amillina Cornetana toto corpore leproſa, cujus ſupercilia pilis penitus denudata, calvebant; oculi, defluente humore, caligabant; vox rauceſcebat; & ungues e digitis cadebant; unde maximo erat omnibus horrori. Dum adhuc in vivis ageret Benevenutus eum rogavit, ut pro ſe deprecaretur. Ille ſpem dedit recuperandæ ſalutis, qua concepta robuſtiori, dum mortuum in feretro miracula operari audiret, accedens, manum ejus ſuæ faciei appoſuit, quo compendioſo remedio ſalva receſſit. Torta Cornetana tibiarum contractionem paſſa, ac doloris anguſtia amens effecta, meritis ſancti Viri eſt liberata. Guillelmus Forzedis tribus diebus pernoctans ad ejus ſepulcrum a gravi corporis dolore liber evaſit. Duos mortuos ſuſcitavit; duos moribundos ſalute donavit; epylepticos quatuor, leproſos duos, contractos & aridos ſeptem, dæmoniacos duos, cæcos tres curavit; ſurdos tres audire, mutum unum loqui fecit; hydropicis & inflatis duobus ſanitatem indulſit: ab aliis infirmitatibus duos, a ſquinantia unum liberavit; mulierem graviter in manibus ulceratam, apoſtematicos, & gutta arterica laborantes plures ſanavit: deperditam pecuniam fratri Joanni Monacho nigro, ei apparens, reſtituit; fratrem Ægidium Mi-

B. Benevenutus Eugubinus. Rodul. fol. 85. Marian. c. 9. Marc. lib. 2. c. 9. Anno 1230.

Sanat leproſam.

Plura patrat miracula.

Digitized by Google

Minoritam a carnis tentatione apparens, etiam & præcinctorio lumbos reſtringens, liberavit. Multa quoque, & hæc quidem inſignia, miracula fecit, quæ velle in præſenti recenſere, longum eſſet & operoſum. Propter crebra, quæ ad ejus invocationem fiebant, communi nomine illius regionis populi ſuos Oratores miſerunt ad Pontificem, ut de miraculoſo Viro canonizando agi juberet. Scripſit ille anno x. ſui Pontificatus, & Chriſti MCCXXXVI. ad Epiſcopos Melfienſem, Melfitenſem, & Venuſinum, ut de veritate miraculorum inquirerent. Litteras ipſas damus ex Vaticano num 2.

Examinari jubentur.

GREGORIUS &c.

Melfienſi, Melfiten. & Venuſino Epiſcopis, &c.

XIX. *Mirabilis Deus in Sanctis ſuis, ut ſuæ virtutis potentiam mirabiliter manifeſtet, & ſalutis noſtræ cauſam miſericorditer operetur, fideles ſuos quos ſemper coronat in cælo, in mundo etiam frequenter honorat, ad eorum memorias ſigna faciens & prodigia, per quæ pravitas confundatur hæretica & fides catholica confirmetur. Nos ergo quantas poſſumus, & ſi non quantas debemus, Omnipotenti Deo gratiarum referimus actiones, qui in diebus noſtris ad confirmationem catholicæ fidei, & confuſionem hæreticæ pravitatis evidenter innovat ſigna, & mirabilia potenter immutat, faciens illos coruſcare miraculis, qui fidem catholicam, tam corde, quam ore, nec non & opere tenuerunt. Sicut enim dilecti filii Clerus & populus Cornetanus nobis per dilectum filium Balſamum Diaconum, & Jacobum judicem Nuncios ſuos, & litteras intimarunt, & quorumdam Epiſcoporum ac Religioſorum præſentatæ nobis litteræ continebant, Dominus tantam piæ memoriæ fratri Benevenuto gloriam contulit, quod ſepulcrum ejus tot & tantis dat coruſcare miraculis, ut inter alios Sanctos ejus non invocari ſuffragia, eſt indignum: quare nobis humiliter ſupplicarunt, ut ſuper miraculis, quæ per eum Dominus operatur, teſtimonia recipi faceremus. Verum quia in tam ſancto negotio non eſt niſi maturitate & gravitate prævia procedendum, de diſcretione veſtra plenam in Domino fiduciam obtinentes, mandamus quatenus adcitis vobis viris religioſis & Deum timentibus, de virtute morum & veritate ſignorum, operibus videlicet & miraculis, diligentiſſime inquirentes, depoſitiones teſtium receptorum ſub ſigillis veſtris ſervetis incluſas, ut cum a nobis fueritis requiſiti eas ad Sedem Apoſtolicam fideliter tranſmittatis, quod ſi omnes &c. Datum Viterbii* VIII. *Kalendas Aprilis anno decimo*. Non ſegniter in opus incubuerunt Epiſcopi, ſed temporis turbulentia, & rerum magnarum agendarum pondus fecerunt, ut differretur ulterior de hac re tractatus. Interim conceſſum a Pontifice, teſte Mariano, ut in tribus vicinis Epiſcopatibus ejus celebraretur feſtum, & de eo divinum recitaretur Officium.

De eo celebratur in tribus Epiſcopatibus.

Marian. cit.

XX. Floruerunt etiam tunc alii præclariſſimi & ſanctiſſimi Viri, præcipue in Provincia Marchiæ. Inter hos clarus erat frater Lucidus antiquior, propter alium ejuſdem nominis juniorem, ita cognominatus, qui caritate in proximos incredibili flagrabat, & magna perfulſit ſanctitate. Continua verbi Dei prædicatione & catechizandi rudes, infaticabili labore multos ad rectam vivendi rationem perduxit. Illo clarior alius Bentivoglia, ſeu Bentivolius ex ſancto Severino Picenus, nobili ortus genere, pater Giraldus vir generoſus, mater Albaſia, quam, ob ſterilitatem

Rodul. fol. 119. Marian. c. 7. B. Lucidus.

B. Bentivol.

Digitized by Google

tatem & deformitatem pertæſus maritus neglexit, a thoro, & menſa ſeparavit. Accidit ut per id temporis dœmoniacus in ædem ſancti Severini adduceretur, in qua dum Albaſia cum pleriſque loquaculum muliebriter admiraretur, & curioſius exaudiret ad plura reſpondentem, ex circumſtantibus fuit, qui interrogaret quid de ea eſſet futurum? Indignanter ille acclamavit; propediem, reconciliata viro, pariet, præter alios, filium miræ ſanctitatis. Sicque factum eſt, namque duas ex ea ſuſcepit filias Palmam & & Pacificam, quæ in Monaſterio ſancti Salvatoris pauperum Dominarum, ſeu Clariſſarum, vitam egerunt religioſiſſimam; & filios quatuor Bentivolium, Bonaventuram, Antonium, & Bonaſpene, quorum priores tres evaſerunt Minores, quartus Bonaſpene, quamvis ei animo eſſet Prædicatorium Inſtitutum, uxoria cupidine victus, nupſit, & filios genuit itidem quatuor, quibus Fratrum ſuorum impoſuit nomina, ſuum autem commutavit in quarto filio in Penſabene. Nullus horum poſt ſeculi abiit voluptatem, omnes Minoritæ, Sacerdotes, & optimi facti ſunt concionatores. Ut vero iſtius fieret Inſtituti Bentivolius, & Palma ſoror tranſiret ad Clariſſas, in cauſa fuit beatus Paulus Spoletinus, una enim ignita concione utrumque convertit.

B. Maſſæus Severinas.

XXI. Item ille alium convertit Concivem Maſſæum Severinatem majoris ædis Præbendarium; dum enim ex frequenti, quam patiebatur, extaſi totus hæreret in aere inter nemora prope Monaſterium, forte hominem vidit Maſſæus, cujus ſpiritum vehementem in Deo amando genuflexus veneratus, propoſuit eum imitari in eodem Inſtituto. Gerebat hic Bentivolius curam miſelli leproſi in loco Trabe Bonati Cuſtodiæ Camerini, ſed ex obedientiæ præcepto oportebat abire in montem ſancti Vintini. Nolebat ille leproſum derelinquere, miſeriis & inedia alias periturum; quare ſublatum in humeros, adeo brevi interjecto temporis ſpatio, a crepuſculo ſcilicet auroræ uſque ad Solis ortum, ad prædictum montem per quindecim milliaria diſtantem, perduxit. Miram hanc tranſmigrationem narravit ejus præceptor Paulus Spoletinus, qui in dicto monte aſperam ducebat vitam, D. Fratri Leoni Archiepiſcopo Mediolanenſi, qui rem ſcriptis commendavit. Neque ſolum hoc perpetravit miraculum. Domina Ritamia nobilis Matrona Sanſeverinas multis preſſa doloribus, guſtu deſtituta, cum in extremis laborare ſe crederet, ſigno crucis ſuper eam per Bentivolium facto, ab omni pœna immunis evaſit. Obiit tamdem miraculis clarus in loco ſancti Severini, ad cujus cadaver contrectandum cum undique populi accurrerent, multi infirmi ſalutem, ſurdi auditum, cæci viſum, paralytici aliquot membrorum vigorem mirabiliter receperunt. „ Jacet reverenter ſub altare ſancti Antonii, ejuſ„ que memoria recolitur quotannis Dominica tertia Quadrageſimæ; & „ Prædicator ex ſuggeſto, confluente uuiverſo populo, ejus laudes re„ cenſet. Servatur ejus vita ſcripta in libro pergameno apud Patres di„ cti Cœnobii: ibique inter cetera monetur, ſocium fuiſſe cariſſimum „ ſancti Franciſci. Eodem in Templo ſub altare ſancti Ludovici requie„ ſcit beatus Pellegrinus, cujus dens appoſitus aliis male habentibus do„ lorem omnem frequenter expellit.

Bentivolii caritas in leproſum.

Plura ejus miracula.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Mon. MSS. hujus Prov.
Claud. Rob. de Epiſcop. Ambianen. n.45.
B. Bentivol.

XXII. Jacobus laicus e Civitate Nova in eadem Provincia oriundus, cum in culina aliiſque humilitatis miniſteriis deſerviret, mira Dei gratia repletus, inter ollas & patellas in cœleſtium contemplatione immobilis per horas integras hærebat. Non ſatis ad appetitum tanto fruebatur guſtu, rogavit proinde Guardianum, ut eum culinæ liberaret moleſtiis, vel-

B. Jacobus Laicus.
Marian. cit.

let enim plus temporis ſupereſſe orationi. Fecit, quod petiit Guardianus, ſed non ſine illius detrimento, perdidit namque univerſam dulcedinem & fructum, quem in oratione antea percipiebat. Rediit itaque ad Superiorem multis lacrymis exorans, ut ad priſtinum reduceret ſtatum, ad quem ut rediit, quam amiſerat gratiam recuperavit. Nocte quadam Nativitatis Dominicæ præmature cibum omnem decoxit, ut ſanctæ communioni, divinis Officiis, & diuturniori orationi in tam ſolemni vacare poſſet feſtivitate. Dum per aliquot horas in Eccleſiæ angulo latitaret, abiit Guardianus in coquinam, ſollicitius illo attendens die laxiori aliquantulum Fratrum refectioni; ſuſque deque omnia everſa reperit, ollam confractam, carnes a felibus ſemieſas. Perquiſitum cocum, & in Eccleſia inventum, reprehendit ob tantam incuriam. Abiit ille in culinam, rem factam videns, nec tempus ſupereſſe, ut prandio quidquam præparari poſſet, genuflexus Deum oravit, ut in illa afflictione ſuccurreret. Rediere ſtatim omnia in locum ſuum; olla reintegrata, nec lautius ulla Fratres manducavere feſtivitate. Mortuus ſub conſtanti opinione ſanctitatis, ereptus eſt a Presbyteris ſecularibus, & in eorumdem tumulatus Eccleſia.

Beatus Hermannus Fulginas.

Marian. cit. Rodul. fol. 107.

XXIII. Hermannus Fulginas Provinciæ ſancti Franciſci Vir ſanctus, jacet in Eccleſia ſancti Feliciani ſuæ Patriæ, Miraculis vivens & mortuus refulſit. Petronus Faber de caſtro Trevii, dum in prædicta Eccleſia ex ſummo laberetur faſtigio, ſuper Viri ſancti ſepulcrum, præter omnium ſpem, nedum vixit, ſed nec malum aliquod perpeſſus eſt. Bonaventura quidam Florentinus contractus, ad ejus ſepulcrum delatus, rectus receſſit; contractam item puellam ſanavit; necnon & Fulginatem quamdam, nomine Juntam, duobus annis miſere conglobatam. Multa alia operatus eſt mirabilia, & corpus ejus, poſt annos plurimos exhumatum, in altare translatum. Circa hoc etiam tempus duos ex Franciſci ſociis Guillelmum de Anglia, & Barbarum Aſſiſiatem mortuos, ait Marianus, quorum primum tamen ex ſcheda antiqua Conventus Portiunculæ potius obiiſſe anno MCCXXX. & ſecundum anno MCCXXIX. ſi hujuſmodi ſchedis facile credendum foret, dixiſſem. De utroque breviter egimus anno MCCIX. & MCCXII. neque hic plura occurrunt, quæ ſubnectamus.

B. Tentialbene.

Marian. cit. Rodulph. fol. 130.

XXIV. Frater Tentialbene Vir ſanctiſſimus & perdilectus ſocius, diſcipuluſque beati fratris Juniperi, in Eccleſia ſanctæ Illuminatæ, Cuſtodiæ Tudertinæ, & Provinciæ ſancti Franciſci requieſcit. Raro in gradu magnas aſſecutus eſt virtutes, præcipue obedientiæ & patientiæ. Si quis toto verberaret die, nec muſſitaret, neque aliquando quidquam ei præceptum, quin celeriter adimpleret. Ea exercitabatur arte in patientia, antequam Juniperi foret ſocius, ut tranſmitteretur ad illa loca, ubi res magis turbulentæ, & adverſæ, quas ſumma ferebat æquanimitate. In hoc genere virtutum ſummus evaſit, itaut præcipui pietatis proceres haberent in eo quod admirarentur, & commendarent. Plura per ejus merita operatus Deus mirabilia. Frater Damianus Tudertinus Vir pius hominis facta recenſuit, inter cetera, ait, ſe præſente, adductum quemdam utroque orbatum lumine, quem ſanum reddidit frater Tentialbene, uno facto crucis ſigno; eodem item modo ſanaſſe paralyticum, necnon juvenem brachiis & manibus valde dolentem.

Impenſe illum dilexit B. Juniperus.

XXV. Hominem valde dilexit frater Juniperus, cujus alibi, quam ſecum tunc degentis, cum mortem excepiſſet, validis clamoribus omnia replens, ſæpius lingua patria repetebat: *Non è or mai più bene el mundo,*

doppo

doppe che morì tal'uomo, come queſto, videlicet: Nihil boni eſt amplius in mundo, poſtquam talis homo deceſſit; & arripiens perticam, pro peregrino illo more ſuo culinam ingreſſus, obvia quæque infringere cœpit, dicens; abeat, inquit, in ruinam univerſus mundus poſt tanti hominis mortem; ut quid amplius edamus, aut bibamus, ſed moriamur cum eo. Niſi noviſſem ego concitandos in me Fratres, meque tamquam inſanum a ſe ejecturos, ad locum ſepulcri mei fratris Tentialbene protinus irem, & ſanctum illud caput, virtutum omnium ſeminarium, in duas partes dividerem, atque in una manducarem, ex altera epotarem. Credite, inquit, mihi Fratres, perfectæ virtutis Fratrem amiſimus, ſed bonum Patrem, & ſequeſtrum in cœlis obtinuimus.

XXVI. Non importune hic quædam de ipſo adjecerimus Junipero, *Anno 1210. n. 36. tom. 1.*
præter ea, quæ jam dedimus. Invidit hominis candidæ vitæ, & miræ pietati Dœmon, cui vel ipſum Juniperi nomen inviſum; ſtruxit ergo ei crudeles inſidias, quibus illum tolleret e medio. In agris Romanis graſſabatur magna tyrannide ingens prædo, Nicolaus nomine, fortis viribus, munito caſtro imperterritus, & optimi equi velocitate confiſus. In ſpectro nocturno ei perſuaſum Fraterculum quemdam veſte lacera cito in caſtrum venturum, qui vel ipſum Dominum, vel equum ſumme earum ſubula confodiat. Expergefactus, ſomnium non omnino neglexit, ſed anxius expendit, cum ſuperveniens in agricolæ ſpecie Diabolus, plenam ei rei fidem impreſſit, qua nocturnas ſpecies corroboravit. Dixit, ſe in agro hominem allocutum, qui ut minus ſollicitos de proditione caſtrenſes redderet, adveniebat veſte mentita ſub paupercula lacerna, ſubtus vero proditoria arma geſtare, ſubulam videlicet qua confodiat, & ignitabulum quo caſtrum incendat. Dum de ſua morte, & caſtri conflagratione dormiens & vigilans monetur, ſibi cavet, per vias omnes cuſtodes diſtribuit, qui proditorem ex ſigno cognitum ad ſe trahant. Incidit candide, nihil mali præmeditatus, in illorum manus Juniperus, nullum tunc habens ſocium a morte beati Tentialbene, ſub cujus lacernula invenerunt, quæ Dœmon præmonuit, nam ad ſandalia reſarcienda ſemper ſubulam pauperis more, & ad ignem excutiendum, ſilicem, ſuſcitabulum, & igniarium circumferebat. Compertis ſignis, feraliter rapitur ad Tyrannum, qui ex ſpectro nocturno cognitum, juſſit abſque mora torqueri in equuleo. In tormentis dum interrogaretur quis eſſet? Reſpondit, ſe maximum eſſe peccatorem. Dum ultra percontarentur, an cogitaverit de caſtro prodendo? dicebat ſceleſtiſſimum ſe eſſe proditorem. Deinde ſi ſubula illa intenderet caſtri Domino vitam eripere? addebat, atque hæc & pejora ſe facturum, ſi malo ſuo genio a Domino derelinqueretur. Ut expreſſius quidpiam fateretur, vel a quo miſſus ſit indicaret, fortius ſtringitur in tormentis, in quibus illa ſola ejus vox; laudetur Dominus Jeſus Chriſtus. Nihil tamdem extorquentes ex equuleo deponunt, & ſemianimem in terra jacentem, denuo de ſupradictis interrogant, quibus eadem repetebat. Nihil itaque confitentem novo tormenti genere afficiunt, in capite fortiter circumductis ad tempora funiculis. Nec ſic amplius quidpiam dixit, quare tamdem morti adjudicatur, in patibulo ſuſpendendus, eo ducendus ad equi caudam ſuper plauſtrum. Dum duceretur, alacriter Deum laudabat, & ſtimulos qua poterat arte, addebat caballo, ut velocius accederet ad locum ſupplicii. Forte fortuna prætereuntem cognovit quædam muliercula, quæ feſtina ad Cœnobium Fratrum extra caſtrum perrexit admonitura ingentis periculi

Struit Diabolus inſidias B. Junipero.

Marian. l. 1. c. 6.

riculi Juniperi. Supervenit etiam alius petiturus a Guardiano confeſſarium, qui proditorem ad bene moriendum excitaret. Abierunt confeſtim duo ex Fratribus, qui Juniperum agnoverunt amoto velamine, quo jam ſuſpendendi faciem contexerant. Petierunt, ut differretur executio latæ ſententiæ donec Dominum informarent, cui dum rem narrarent, hominemque incuſarent, quod perfectiſſimum Fratrem, & ſanctiſſimum Virum voluerit interficere; totus pavens & timens, inquit; vere nunc ſcio malorum meorum culmen expleri, & Deum juſte de me vindictam ſumpturum, quia hominem adeo ſanctum dire tribulavi. Prophetizavit ſibi malum; nam paucos poſt dies fœde eum adverſarii dilaniarunt, & caſtrum diripuerunt. Frater Juniperus vero iis diebus, quibus apud eos commoratus eſt, hominem valde dilexit, ſæpius viſitavit, munuſculis a piis Viris acceptis, frequenter affecit, aſſeverans nullum meliorem ullibi inveniſſe amicum. Ille vero erubeſcens de facto ubi obvium habebat Juniperum genuflexus errati veniam petebat.

Quomodo carnis vincebat tentationes.

XXVII. Colloquebatur aliquando cum fratribus Ægidio, Ruffino, & Simone Aſſiſiate de adhibendo remedio carnis tentationibus. Interrogati ſinguli quomodo eas effugabant, inquit Simon; dum ego conſidero hujuſmodi peccati turpitudinem malum facile vinco appetitum. Ruffinus ſubjunxit, ut ſtatim ſentio malas iſtas ſuggeſtiones, in terram me projicio, nec inde ſurgo, aut ab oratione recedo, quouſque per Dei auxilium, & Virginis interceſſionem, quorum opem imploro, me præſentio liberatum. Addidit vero Juniperus eo ſe occurrere remedio; cum in burgo caſtri præſentio hujuſmodi perſtrepentes tumultus, illico cordis oſtium claudo, & obfirmo piis meditationibus, & obvallo animæ fortalitium melioribus deſideriis: quando itaque malæ ſuggeſtiones ad cordis oſtium accedunt, & intrare vel aliunde accedere in caſtellum blande contendunt, ego ab intus reſpondeo, oſtio minime reſerato: Foris, foris manete, jam capta eſt arx, & ab aliis præventa; recedite, procul abite. Illæ itaque ſic victæ & illuſæ a priore illo arcis poſſeſſore profligatæ ab univerſa regione recedunt. Cui ſubſcripſit beatus pater Ægidius, dicens: ego teneo cum fratre Junipero, quia in carnis certamine melius pugnatur fugiendo, & occaſiones præveniendo. Alias dum inter ſacra audienda raperetur, factus ſui compos, exclamavit: o quam ſpecioſum, & amplum eſt Domini regnum, in quo cum Chriſto gaudent Angeli; o quam parum, aut nihil pro eo lucrando operamur! Quis etiam ex primis orbis proceribus non ferret libenter quidquam moleſtum, aut ſtatui indecorum, ſi regnum aliquod offerretur terrenum? & pro cœleſti, æterno, ſumme delectabili moleſtiæ modicum, verecundiæ nihil pati velimus. Cujus querelas ſumme juſtas lacrymarum irriguo confirmavit Ægidius. Alia hujus viri facta ad mortis commemorationem enarrabimus,

Quodcumque ferendum ait pro Regno cœleſti.

Chron. antiq.

XXVIII. Leo alius Franciſci ſocius inſigni florens ſanctitate, miras ſub hoc tempore cœleſtes excipiebat immiſſiones; quarum illa memorabilis in virginei patrociniis commendationem. Erat magna planities, & in ea ſpecies quædam judicii mox futuri. Magna aderat hominum multitudo: Angelorum tubæ perſonabant; denique binæ ſcalæ e ſummo cœlo uſque ad terram demiſſæ, altera candido colore, altera purpureo. Huic autem purpureæ imminens viſebatur ex alto Chriſtus, vultus habitu ſevero, atque ſubirato. At Franciſcus, paulo infra ipſum, Fratres ſuos evocabat, ut fidenter aſcenderent: nam Dominum ita velle, eoſque invi-

invitare. Cum autem illi ſe per ſcalas audenter efferrent, alius de tertio, alius de quarto, vel de decimo, alii de ſuperioribus, ac pene jam ultimis gradibus procidebant. Qua ſuorum clade magnopere commotus Divus Franciſcus, eos voce magna admonuit, ut ad ſcalam alteram candidam accurrerent; illic nihil fore periculi. Itaque cum ad eam acceſſiſſent, Mariam ei incumbentem videbant, quæ eos blandiſſime intuens, ſtudioſe etiam juvaret, exciperetque ſingulos, itaut nullo negotio ad unum plurimi in cœlum evaſerint. *Mira viſio fratris Leonis de Virginis Mariæ patrocinio.*

XXIX. Alias in viſione ei apparuit ſanctus Franciſcus conſolationem, & lenimen afferens de Europæ, præcipue Italiæ, calamitatibus & preſſuris, quibus ferme obruebatur tum ex bello undique perſtrepente, tum ex fame, belli ſequela, aliiſque miſeriis, quas ex innata pietate Leo deplorabat. Hæc immiſſa dixit ob excreſcentia populi peccata, & plurima in Deum crimina patrata, quæ citius & ſeverius a Deo punienda commonuit, niſi obſiſterent Sanctorum merita, & in mundo fuiſſent immaculatæ vitæ homines, Dei potentes amici, & ſtetiſſent in confractione in conſpectu ejus. Horum nomina multa diſcipulo recenſuit, addens, ex Dei beneficio non paucos Deo gratos, & ſumme caros in ſuo humili haberi ſodalitio, quos ut Leo foveret & diligeret, diſciplinam item regularem pro virili conſervaret, impenſe commendavit. *Clades immiſſæ ob peccata.*

XXX. Quam vero Deo grata ipſa Religio uno, atque altero hoc argumento per id temporis Deus ipſe voluit teſtatum. Cum in urbe Lutetiarum quidam inſignis doctor huic Inſtituto nomen dediſſet, mater ejus tenuis facultatis mulier, quæ filium eo uſque adoleſcentem, & in litteris proficientem manuum ſuarum laboribus ſuſtentarat, multis clamoribus, & lacrymis ſuam orbitatem, atque paupertatem lamentari cœpit, ac tum filium, tum Minoritas omnes tamquam inhumanos & injuſtos etiam accuſare. Quibus cum ille commotus jam a propoſito nutaret, & ante Crucifixi imaginem oraret, quaſi veniam petens ab eo diſcedendi ad matrem ſublevandam, vidit e Chriſti latere perfoſſo manantem cruorem, ſimulque hanc vocem audivit: ego te carius nutrivi, quam mater tua, quare non me deſerere debes, propter matrem tuam; quo ille & ſtupefactus, & ita roboratus eſt, ut deinceps maternas omnes, vel blanditias, vel querelas facile contempſerit. *Anton. cit. 14. c. 9. §. 4. Chron. antiq.* *Chriſti monitis confirmatur tiro vacillans.*

XXXI. Alteri tironi hæc item oſtenſa viſio ad eumdem perſeverantiæ effectum. Cum ille ita religionis oneribus premeretur, & præterea ita a Dæmone oppugnaretur, ut jam vix ſuſtineret, & de ſeculo repetendo indignas ageret cogitationes, hoc uno cœleſti remedio ſanatus eſt. Nocte quadam dum in Templo ante venerabilem Euchariſtiam pertranſiens, adorandi cauſa, genu corpuſque inflexiſſet, illo ipſo momento raptus, ac defixus eſt in ejuſmodi viſione. Aſpiciebat longum agmen multorum hominum ordine procedentium eodem habitu, eademque forma. Omnibus erant veſtes candidæ & nitentes, vultus autem, manus & pedes, quæ corporis partes e veſte prominebant, ita ſplendidæ ac radiantes, ut cum ipſa Solis claritate certarent. Omnes autem neſcio cui, tamquam hoſpiti, recens advenienti obviam ire, eumque cum feſtiva gratulatione amplecti, atque etiam cum honore deducere videbantur. Hæſitans qui eſſent? ab uno eorum, Franciſcanam eſſe familiam cognovit, quæ ad ſuum quemdam, qui tum e vita migrarat, in cœlum comitandum prodiiſſent. Vivere autem omnes illos in cœlo felices cum accepiſſet, in propoſito remanendi confirmatus, numquam amplius vacillavit. *Similiter confirmatur alter. Chron. antiq.*

XXXII. Ter-

Punitur ex ordine recedens. Ex eiſdem Chron.

XXXII. Terribilius iſtud quod ſequitur: Quidam hujus Ordinis votum ſuſcepit, poſtea, mutato conſilio, factus eſt Canonicus; ſed non impune, nam poſt paucos dies incidit in morbum lethalem. Admonitus a ſuis de anima per confeſſionem expianda, reſpondit: nihil hinc advenire lucri, quoniam jam oſtenſum erat, ſe eſſe damnatum: quare ne amplius ſibi moleſti eſſent, admonuit. Apparuit, enim inquit, mihi Dominus iratus dicens: vocavi & renuiſti, ideo vade ad pœnas inferni: quo dicto expiravit. Triſtis ſane, ac miſerandus hujus exitus miſelli.

Paſſi plures Minoritæ in Africa. Chron. antiq. Marian. l. 2. c. 1.

XXXIII. Circa hunc annum, multi ex Minoribus, variis in Africa locis, diverſa paſſi ſunt martyrii genera, irruentibus in eos feraliter, ex communi conſpiratione, Saracenis, quia multos ſuæ ſectæ viros videbant ad chriſtianam veritatem per illos converti. Subterfugit plurimorum exacta notitia, neque nomina comperta, præter illa trium in Marrochiorum Regno occiſorum Leonis, Hugonis, & Dominici, quibus additi alii duo Anonymi, qui multis opprobriis affecti, tamdem capite plexi ſunt.

Suadent Minoritæ, ut agatur de unione Eccleſiæ.

XXXIV. Hoc eodem anno inciderunt alii quinque Minoritæ in Oriente, ubi tunc res bello, & diſſidiis turbulentæ, in manus Turcarum, qui malis exſaturati, carceris, & id genus incommodis affecti, tamdem pervenerunt Nicæam, ubi hoſpitaliter excepti a Germano ſecundo Patriarcha Conſtantinopolitano, occaſione arrepta egerunt cum eo efficaciter de deſideranda & expetenda vera & perfecta unione cum Eccleſia Latina, a qua jam pridem Græci, levi quadam occaſione & ſuaſu, turbulentorum quorumdam hominum receſſerunt. Adeo efficaciter dixerunt, & religioſo morum exemplo, verbis potentiori, moverunt, ut vehemens conceperit unionis deſiderium, illudque gravibus his, ſed affectui ſuo inſervientibus litteris per proprium Nuncium ſimul cum Fratribus miſſum, Pontifici, necnon & ſancto Cardinalium Collegio ſignificarit.

Sanctiſſimo & excellentiſſimo Papæ veteris Romæ, & Apoſtolicæ Sedis Rectori, Germanus miſeratione divina Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus novæ Romæ.*

* Vatic. MS. decori.

Epiſtola Germani Conſtantinopol. Iſai. 16.

O Domine Jeſu Chriſte, ſalvum me fac. O Domine bene proſperare. Te enim lapidem angularem honorificatum, pretioſum, electum, in fundamentum pono hujus negotiationis toto orbi ſalutiferæ. Didici enim per Prophetam tuum Iſaiam, quod omnis qui credit in te, talem lapidem exiſtentem, nullatenus confundetur; neque a ſuæ ſpei baſe poterit commoveri. Et ita ſe habet veritas; & nullus contradicere audet, niſi patris mendacii diſcipulus fuerit. Opus autem tuum eſt, qui lapis angularis exiſtis, conjungere quæ procul ſunt, vel quæ inter ſe diſtant, & ea quæ diviſa ſunt in unitate fidei congregare. Tu enim es qui, & procul, & prope exiſtentibus pacem evangelizaſti, & fines orbis terrarum, per tuarum ſuper crucem exaltationem manuum, ad Euſebiam convocaſti, & paterno more ſuper humeros elevaſti. Tuæ igitur inæſtimabili clementiæ ſupplico, qui patris es Verbum omnipotens, conſubſtantialis ſapientia Dei, ædifica in me domum hujus rei, & tu ſis ejus & fundamentum, & tectum, qui juxta theologicam vocem Joannis Alpha & Omega diceris, tamquam omnium principium & finis incircumſcriptus. Hucuſque quæ ad orationem pertinent. Ac in primis oculos

Apocal. 21.

Digitized by Google

oculos elevantes ad montes cœleſtes, unde venire nobis auxilium oravimus, deinde ad te ſanctiſſimum Papam, qui Apoſtolicæ Sedis primatum ſortitus es, ſermonis mutamus exordium, ut velis deſcendere aliquantulum ab altitudine gloriæ, & incumbere verbis meis, qui miſer ſum, & vita & ſermone. Si tu, inquam, aſſimilaris ei qui in altis habitat, & humilia reſpicit Deus. Incipiam autem hinc. Inveſtigabilis ſapientia Dei, quæ ex non eſſe omnia ſimul produxit ad eſſe, ſemper autem continet, & provide regit, conſuevit multoties ex minima occaſione, velut quodam fundamento diu antepoſito, magna opera poſtmodum ſuperædificare, ad commune proficuum & ſalutem. Joſeph in Ægyptum argenteis venundatus, ſervus deducitur in lacum, & in carcerem traditur: quæ autem ſequuta ſunt poſtmodum, quam glorioſa, quam honorabilia fuerint, & qualiter Deus in medio ejus glorificatus extiterit, ſapientiſſimam mentem ſacræ animæ tuæ, ſanctiſſime Pater, non latet. Ad quid autem ſermo reſpiciat, & quid ſignificare vult, Fratres præſentes, quos quidam periculoſus occurſus & injuſtus carcer, fecit noſtro vultui præſentari, Veſtræ Sanctitati exponent: * quorum numerus prudentum virginum numero æquipollet. Nam & lampas operum ſuorum, & quod ex ea lumen exit, coram hominibus lucet in gloria cœleſtis Patris, ac prudenter oleum boni operis apponunt ſemper, ne lumen lampadis extinguatur, & ipſi ad ſomnum trahantur accidiæ, & introitu regni careant. Sine baculis ſunt omnes, & veſtes ſingulas ſinguli habent, & ſine calceamentis. Nunc autem pedes eorum pulchros ſecundum Apoſtolum exiſtimo, tamquam evangelizantium pacem inter Græcos & Latinos, ut breviter dicantur, velut ex toto vacui & leviſſimi & expediti curſores ad Chriſtum properantes attingere, qui omnium bonorum eſt meta. Ad quem cum pervenerint, ſiſtent curſum, & percipient quod peroptant. Hi quidem qui ſecundum Deum Minores Fratres dicuntur, ſic uniti ſub una voluntate & unanimitate, æquipollentes in quinquennario numero, in bonum ſignum apparuerunt, & ſpem bonam propoſuerunt, de unitate & concordia, annuente Domino, inter quinque Patriarchatus. Acceſſerunt autem in domum noſtram Fratres ipſi ex divina providentia, ſicut credidi, quæ cuncta diſponit in eo, quod expedit: & cum hinc inde inter nos multa verba fuiſſent exorta, vertebatur magis locutio præ ceteris ſuper ſchiſmate longi temporis tunicæ inconſutilis Euſebiæ deſuper contextæ, qua veſte videlicet Apoſtolorum manus catholicam Chriſtianorum Eccleſiam induerunt*. Præſumptuoſe, non quidem manus militum, ſed eccleſiaſticarum perſonarum ſenſus ſciderunt & diviſerunt, & ſchiſma equidem magnum & multorum annorum, & nullus eſt qui miſereatur ſponſæ Chriſti, quæ ſic ſciſſa veſte induta eſt, aut qui ejus velit turpitudinis miſereri. Hoc, ut credo, & David in libro Pſalmorum plangit, dicens, diviſi ſunt, & non ſunt compuncti. Si enim compunctionem habuiſſemus, doleremus & contriſtaremur: & ſi tribulationem & dolorem inveniremus, nomen Domini utique invocaremus, & adhuc nobis petentibus adeſſet, ſicut in medio diſcipulorum jampridem pacificans diſcordes, & cogitationum* amphibologiam corrigens. Numquid enim non mordentur ejus viſcera? Numquid non contriſtantur propter diſcordiam? etiam valde. Pater enim eſt, & omnium patrum piiſſimus, & non ſuſtinet videre pignora, hoſtili more, ſe ad invicem evellentia & diſperdentia, & more piſcium alterum ab altero devorari, eo quod major contra minorem extollitur, & qui potentior eſt opprimit infirmiorem. Siccine docuit nos piſcator hominum Petrus, qui contra naturam prioris artis de morte ad vitam, quos piſcatus eſt, traduxit? Heu, quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fon-*

Fatetur primatum Pontif. Romani.

Pſal. 112.

* *Vat.* ſemel.

Geneſ. 37.

Ibid. 45

* *Habentur hæc in Cod. Vat.* Quorum quidem converſatio bona eſt, & inſeparabilis unanimitas.

Matth. 25.
Rom. 10. 15.

Laudat Fratres Minores.

* *Habentur in Cod. Vat.* & ſanctorum Patrum atque Doctorum diverſa Concilia conſtrinxerunt, & velut zona cinxerunt.

Pſalm. 34.
Pſalm. 114.

* *Cod. Vat.* Amphilogiam.

fontem lacrymarum, ut plangam die ac nocte ſuper contritione novæ * Hieruſalem, de gentibus Eccleſiæ congregatæ? qualiter electus populus Dei, in Judam & Iſrael * diviſi fuimus, & civitates noſtræ in Hieruſalem & Samariam? Ea enim quæ de Cain & Abel, vel Eſau & Jacob contigerant, qui Fratres quidem natura erant, hoſtes quidem mente & ſibi contrarii. Piget me hæc ſermoni inſerere, ne forte primatui fraternitatis injuriari videar, aut ſurripere velle credar primogenita. Verumtamen, nec pater * meus ſenuit, nec oculi ejus caligaverunt; ſed in cœlis exiſtens, liquido omnia videt, & his, qui injuſte oppreſſi ſunt, benedictionem largitur. Sunt quippe hæc amara * valde, & intelligenti * tinea oſſium, ſi frequenter ad memoriam deducantur. Sed quod ſequitur, vel quod dicendum eſt, amarius, & malorum omnium eſt peſſimum, & omni gladio ſecante utrimque magis acutum, & magis reſecans, contra quoſcumque hominum fuerit adductum, ſive contra Græcos, ſive contra Latinos. Quid eſt hoc? Paulum dicentem audiamus: ſive nos ſive Angelus de cœlis evangelizaverit vobis præter id, quod evangelizavimus, anathema ſit. Et non ſemel hujuſmodi gladio percutit, ſed & ſecundo, ut majorem dolorem ex ſecunda percuſſione adducat, & ad medium quærendum exurgant, qui mortem animarum pertimeſcunt. Quid ergo dicam? Omnem curam, & omnem ſollicitudinem aliam a mentibus excutiamus, velut pulverem a pedibus, & cum deſideria quæramus quos tangit hic gladius biceps & terribilis, & qui ſunt quos ſeparat a compage eccleſiaſticorum membrorum, quorum caput Chriſtus eſt. Si nos Græcos, oſtendite plagam, & ſanguinem a vulnere tergite, ac emplaſtra ſpiritualia apponite, & ligamentis conſtringite, & ſalvos facite Fratres in periculo poſitos, ne pereant; & Salomoni acquieſcite proverbialiter ſic dicenti: Frater in anguſtiis comprobatur. Maxime autem ipſum Dominum audiatis, qui ſapientiam ipſi tribuit Salomoni, & qui loquitur per Prophetam: Qui ſeparaverit pretioſum a vili, quaſi os meum erit. Si autem nos quidem Græci ſine plaga ſumus, & abſque vulnere a gladio anathematis, contra autem Italicos & Latinos acutiſſime adducitur, & ad mactandum & perdendum quoſdam extenditur, exiſtimamus quod non ſuſtinebitis per ignorantiam & pravam pertinaciam vos a parte Domini ſeparari, pro quo decem millia mortes, ſi foret poſſibile, quilibet veſtrum libenti animo ſuſtineret. Quod autem diſcordia magna, & dogmatum contrarietas, & Canonum deſtructio, & rituum, quos tradiderunt Patres, immutatio, materia ſint ſepis, quæ ſeparat ea quæ prius unita fuerint & conjuncta concordiæ & pacis conjunctione, totus mundus una lingua factus acclamabit,* Dominum proteſtans, invocans cœlum & terram in teſtimonium: quo nos junctis manibus vobis uniri, & vos nobis, facta diligenti inquiſitione profundæ veritatis, cum invocatione ſancti Pneumatis, inſtantiſſime poſtulamus, nec amplius ſchiſmatico ſcandalo immerito deturpari, & a Latinis defamari, vel vos a Græcis depravari. Et ut veritatis medullam attingamus, multi potentes ac nobiles vobis obtemperarent, niſi injuſtas oppreſſiones & opum protervas exactiones & ſervitutes indebitas, quas a vobis ſubjectis extorquetis, formidarent. Hinc & crudelia bella in alterutrum, civitatum deſolatio, ſigilla januis Eccleſiarum impreſſa, Fratrum ſchiſmata, & ſacerdotalis miniſtrationis prorſus vacat operatio, * ne Græcorum climatibus, ut deceret, Deus collaudetur. * Unum, ut credimus, quod Græcis jampridem deſuper fuit præfinitum, huc uſque defuit, tempus ſcilicet martyrii: ſed & ipſum jam imminet, ut tribunal tyrannicum aperiatur, & ſedes tormentorum proponatur, * fluat cruor inundans, & nos ad martyrii ſta-

* Cod. Vat. Syon.
* Cod. Vat. adjungit nihilominus.
Geneſ. 4. Ibid. 27.
* Cod. Vat. noſter.
* In Cod. Vat. deeſt valde.
* Vat. addit cordi.
Gal. 1. 8.
Prov. 17. 17.
Jer. 15. 19.
Joan. 10.
* In Cod. Vati. neque hæc, neque ſequens periodus habetur.
* Cod. Vat. ne gregis laudetur vocibus Deus.
* Vat. unum defuit tantum, ſed & ipſum factum eſt ut martyrii tempus adſit, & tribunal. &c.
* In Vat. deſunt hæc tria verba.

*ſtadium deſcendamus, & bonum certemus agonem, coronas ab Omnipotentis dextera recepturi. Novit ea quæ dico * & propter quid,* [a] *Cyprus famoſa Inſula,* * *quæ novit, & quæ novos martyres fecit, & vidit milites Chriſti: qui prius per aquam tranſeuntes, lacrymarum compunctionibus & ſudoribus loti, ex confeſſionis laboribus per longa tempora ad ultimum etiam per ignem tranſierunt, & eduxit eos Agonothetes Deus in cœleſte refrigerium. Bona numquid ſunt, o Papa ſanctiſſime Apoſtoli Petri ſucceſſor? Hæc injungit Petrus mitis & humilis Chriſti diſcipulus? Siccine inſtruit ſeniores per epiſtolam ſuam, cum ſcribat:* [b] *Seniores, qui in vobis ſunt; obſecro conſenior & teſtis Chriſti paſſionum, qui & ei, quæ in futuro * eſt, gloriæ communicator: paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei providentes, non coacte, ſed ſponte: non turpis lucri gratia, ſed voluntarie: neque ut dominantes in Cleris, ſed forma facti gregis. Et cum apparuerit princeps paſtorum, percipietis immarceſcibilem æternæ gloriæ coronam. Hæc eſt Petri doctrina & videbunt, qui ei non obediunt. Nobis autem ſufficit ad conſolationem epiſtolæ pars illa, in qua gaudere præcipit contriſtatos diverſis tentationibus, ut examen fidei noſtræ multo magis pretioſius auro corruptibili, igne examinato, inveniatur in laudem, & honorem, & gloriam, in revelationem Jeſu Chriſti. Sed concede veniam, ſanctiſſime Domine, & omnium Prædeceſſorum tuorum * veteris Romæ clementiſſime, & ſuſtine verba multam amaritudinis habentia: ſunt enim languentis cordis.* ſuſpiria, & datur indulgentia a diſcretis his, qui propter cordis nimiam triſtitiam * in verba prorumpunt per ſingultus. Accinge igitur ſicut vir fortitudinis lumbos tuos & accende tuæ diſcretionis lucernam, & quære drachmam, quæ periit ſuper fidei unitate & compatiemur ſanctitati tuæ, etiam nos non parcemus infirmo corpori, * nec fatiſcentem cauſabimur ætatem, prætendendo ſenectutis excuſationem: non longam viam cauſabimur. Quanto enim laborioſius opus eſt quod incipitur, tanto magis erit cauſa plurium coronarum: unuſquiſque enim* [c] *ſecundum proprium laborem mercedem accipiet, ſicut generalis ſtadii luctator & * maxime victorioſus coronæ Paulus ait. Non ignoramus, ſanctiſsime Domine, quod quemadmodum nos Græci nitimur in omnibus obſervare orthodoxam & euſebiam ſententiam, ut in nullo erremus a ſanctorum Apoſtolorum & Patrum ſtatutis: eodem modo veteris Romæ Eccleſia bene ſcimus, pro ſe nititur, ut non exiſtimet ſe falli in aliquo, neque remedio indigere ſe aſſerit, vel correctione, hoc & apud Græcorum Eccleſiam & Latinorum dici novimus. Nam nemo unquam in propria facie exiſtentem turpitudinem videre poteſt, niſi ſuper ſpeculum ſe inclinaverit, aut ab alio certificatus fuerit, qualiter ſe circa faciem habeat, ſive turpiter, ſive non. Habemus autem ſpecula multa & magna, lucidaque, clarum videlicet Chriſti Evangelium, Apoſtolorum epiſtolas, libros Theologorum Patrum. Inſpiciamus in eis. Ipſa oſtendent nobis, qualiter unuſquiſque ſentit, ſive nothe, ſive legitime. Qui autem ad ſpeculum fuerit invitatus cauſa experientiæ, cum receſſerit, confitebitur, etiam invitus, ſuum vultum eſſe deformem. Deus autem pacis conterat Satanam ſub pedibus noſtris cito, auctorem diſcordiæ: pacificus, odientem bonum: qui cauſa eſt bonorum omnium, ſcandala facientem: & qui pacis eſt Deus, mittat ad nos, qui paſtores ſumus ovium ſuarum rationabilium, Angelum pacis, gaudium magnum annunciantem, ſicut prius in nativitate ſecundum carnem Emanuelis, paſtoribus brutarum ovium, & dignos faciat canere illam laudem mirabilem: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, & in ſancto oſculo ad invicem ſalutare. * Gloria Domini noſtri*

* *In Vat. deeſt* & propter quid.
* *In Vat. deeſt* quæ novit & *corrupte hic additi, ex ipſo colligitur contextu.*
[a] *Circa ea quæ hic dicit de Cypro, vide ſi placet Nicetam & Paulum Æmil. in Philip. Auguſto lib. 6.*
[b] *1. Pet. 5. 1.*
* *Cod. Vat. addit* revelanda eſt.
* *Vat. addit* Pontificum.
* *Vat.* genimina.
* *Vat.* aliquid loquuntur quod mordeat.
* *Vat. non habet* nec fatiſc. cauſ. ætatem.
[c] *1. Cor. 3. 8.*
* *Vat.* maximus victor.
Luc. 2. 8.
* *Vat.* gratia,

Jeſu Chriſti, & pax Dei Patris, & communicatio ſancti Spiritus vobiſcum. Amen.

XXXV. Tranſcripſit hanc epiſtolam Matthæus Paris in ſuam hiſtoriam Anglicanam ſub Henrico III. & anno Domini MCCXXVII. quam certo conſtat datam, & Pontifici traditam hoc anno, ut probatur expreſſe ex Pontificis reſcripto, quod mox ſubjiciemus, necnon ex ejus regeſto ubi ſub hoc anno numero 19. ipſa hæc habetur epiſtola, in quibuſdam ab excuſa apud Paris diſſentiens, atque in eo præcipue, quod nec verbum habeat illius periodi, *& ut veritatis medullam attingamus multi potentes ac nobiles vobis obtemperarent, niſi injuſtas oppreſſiones & opum protervas exactiones & ſervitutes indebitas, quas a vobis ſubjectis extorquetis, formidarent*. Quam verius addidiſſe Pariſium, vel aliquem illius hiſtoriæ corruptorem, quam omiſiſſe tabularium Pontificium credendum eſt. Ubique enim & paſſim, non tam oblata, quam arrepta & excogitata occaſione, ſuam in Pontificios & Romanos amarulentiam explicat, colligendarum vel emungendarum pecuniarum cupidinem, miraſque adinventiones in eiſdem, ſingulis ferme paginis effingens & inculcans; unde ob hæc, atque alia plura hujus generis non tantopere admirer, Illuſtriſsimum Cardinalem Baronium durius in eum egiſſe, impurum rabulam vocaſſe, & dixiſſe carpendi tantum cauſa Romanos Pontifices ſcribendi hiſtoriam viſum eſſe ſuſcepiſſe.. Atque ſane circa hanc quærimoniæ, vel calumniæ additionem ea mihi confirmatio, quod cum ad Patriarchæ epiſtolam plene reſponderit Pontifex, nihil ſuis litteris inſeruerit quod huic tanti ſchiſmatis cauſæ præcipuæ prætenſæ ſatisfaciat, nec objectionem hanc factam vel leviter inſinuet. Non id hic velim ut omnes excuſentur Pontificii, quorum plurimos negare non debeo, nec poſſum, communi hac avaritiæ peſte laboraſſe, & ſacram auri famem ſenſiſse; in eo candidus quiſquam Chriſtianus laborare debet, ut illæſam ſervet ſanctam Eccleſiam ab hæreticorum & temerariorum calumniis. Injuſte Matris ſanctæ vitio vertetur quidquid mali peccaverint filii, aut licentioſius egerint miniſtri. Ex ſimili etiam corruptione irrepſiſſe dixerim in datas ad Cardinales litteras eaſdem querulas objectiones, in quibus ſtylus aliqualiter diſcrepare videtur, cui rei argumento eſt, quod iis interciſis, quæ præcedunt & ſequuntur, genuino nexu coibunt. Epiſtolam exſcribo ex eodem, neque alibi mihi occurrit.

Suſpecta hiſtoria Matthæi Paris.

Baron. an. 1197.

Germanus miſeratione divina Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus novæ Romæ, ſanctiſſimis & diſcretiſſimis, & egregiis Cardinalibus, & Apoſtolicæ Sedis decori.

Ejuſdem epiſtola ad Cardinales.

Utilitas conſilii.

XXXVI. *Magnum utique bonum eſt huic mundo, & omnibus hominibus valde utile, diſcretum conſilium, in omnibus agendis communem habere tractatum, & inſimul convenire. Quod enim quandoque Deus uni celavit, alii inſpiravit: & ſic quid diſpenſative alicui bonum revelat, cum in commune producitur, propagative ad utilitatem ſubjectæ multitudinis transfertur. Si autem plures ſint conſiliarii, & ſint docti, & circumſpecti, quantum lucrum, quantaque utilitas univerſæ plebi & populo ſubjecto provenit? Si enim vir, qui ſine conſilio operatur, ſibi ipſi eſt contrarius, ſicut Salomon & veritas dicit: ergo per contrarium, qui plura & bona habet conſilia, amicos ſibi multa caritate conſtringit, imo ipſos ſibi attrahit ini-*

*inimicos. Quod autem hoc divinum ſit pariter & cæleſte, Propheta Iſaias te-
ſtatur, ubi conſubſtantiale Patris Verbum, & magnum conſilii Angelum,
admirabilem conſiliatorem, dicit & nominat: ut intelligatur videlicet,
* quantum quoad Dominum decet Patris conſilium ad diſtinguendam diffe-* * *Locus aliquantum obſcurus.*
*rentiam Perſonarum. Nam ſecundum Naturam Divinam una voluntas &
velle & Patris & Filii & Spiritus Sancti. Magnus ergo inde provenit honor
bonorum conſiliatoribus, eo quod ex hoc commune cum Domino vocabulum
ſortiuntur, ſi juxta quod ipſe acceptat, conſiliati fuerint pro ſalute humana.
Cum igitur nutu ſupernæ Providentiæ, quæ cuncta diſponit in eo quod expe-* Aucta hoc tempore Cardinaliſ dignitas.
*dit, magna Roma & egregia dignos ſuæ magnitudinis, & gloriæ vos præfe-
cerit, tamquam diſcretione & religione omnes Prædeceſſores veſtros Cardi-
nales alios præcellentes, ſicut religioſi Fratres noſtram humilitatem certifi-
carunt, ſupplico Sanctitati Veſtræ, ut in agonem ſpiritualem ſurgatis. In-
duimini loricam ſpiritus, deſtruite maceriam ſepis inimicitiæ veteris, inter
Latinorum & Græcorum Eccleſiam exiſtentis. Arma enim veſtra fortia
ſunt ad diruendas hujuſmodi munitiones; & hac ſepe deſtructa, pacificate
quæ diviſa ſunt, & conjunctione pacis, & caritatis, & communis fidei, ea
quæ a multis annis ſoluta ſunt alligate, & eſtote conſiliatores admirabiles,
& Deo acceptabiles, apud ſanctiſſimum & excellentiſſimum Papam, virum
deſideriorum, ſpiritu cognoſcentes eumdem pacificum, mitiſſimum, & ſe-
cundum * nominis ſui vocabulum, vigilantem ſemper, & orantem, & do-* **Nam apud Græcos* γρηγορῶ *ſignificat* vigilo.
*minum ſuum expectantem quando veniet, ut cum dulciſſimæ beatitudinis di-
gnum faciat, qui in ſimplicitate cordis ſui paſcit populum Chriſti, & in in-* *Matth. 24. 26. Pſal. 77.*
*tellectu manuum ſuarum ad paſcua Paradiſi deducet: manus autem, ut no-
ſtis in ſacra ſcriptura, operationem deſignat. Nos quidem ſpem gerentes ex
vera promiſſione omnipotentis Chriſti, qui perficit veritatem ſuam in infirmi-
tate noſtra, negotium unitatis incepimus, & ad ſanctiſſimum Papam litte-
ras dirigimus. Exoro autem Regem cælorum, qui ſervi formam induit, pro-
pter ſervos ſuos inutiles, qui exaltatus extitit ſuper crucem, & eos qui in
profundum malitiæ corruerant, exaltavit ad ſe, ut ipſe deponat a cordibus
veſtris omnem extollentiam cogitationum, extollentem ſe contra fraternam
unitatem noſtram, & illuminet conſcientias veſtras lumine ſcientiæ, ut
unum & idem dicamus, & non ſint inter nos ſchiſmata. Maneamus autem* *1. Cor. 1.*
*inſtructi in una, eademque mente, & non dicatur inter nos, ſicut inter Co-
rinthios quondam, quod ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo, ego autem
Cephæ, ego autem Chriſti; ſed ut omnes Chriſti eſſe nominemur, quemad-
modum & Chriſtiani vocamur. Maneamus quoque inſtructi in una, eadem-
que mente; & caritatem, quæ ſecundum Chriſtum eſt, ſectemur: & illam
Evangelicam vocem habentes in bucca, quæ dicit:* Unus Dominus, una fides, *Epheſ. 4.*
unum baptiſma, *liceat nobis vera confiteri, & induamini formam amico-
rum, ut liceat impune de veris confiteri. Quia autem ſcriptum eſt: Verba
ſapientis veridici, & corripientis, ſunt quaſi clavi in altum defixi: & veri-
tas plerumque parit inimicos, licet verear, tamen confitebor. Diviſio noſtræ
unitatis proceſſit a tyrannide veſtræ oppreſſionis, & exactionum Romanæ* Eadem ubique amarulentia in Pontificios, neque tantæ in hũc uſque locũ modeſtiæ, quæ ſequuntur, cohærent.
*Eccleſiæ, quæ de matre facta noverca, ſuos quos diu educaverat, more rapa-
cis volucris ſuos pullos expellentis, filios elongavit. Quæ etiam quanto humi-
liores, & ſibi proniores, tanto magis conculcat, & habet viliores, non
attendens illud evangelicum:* Qui ſe humiliat, exaltabitur. *Temperet igi-
tur vos modeſtia, & licet innata, pauliſper ſedetur Romana avaritia, &
deſcendamus ad veritatis ſcrutinium: & veritatis inquiſitione approbata,
utrimque ad unitatis ſoliditatem revertamur. Etenim eramus omnes tam*

Itali-

Digitized by Google

Italici quam Græci, aliquando in eadem fide; & in eiſdem Canonibus, pacem habentes inter nos, & pugnantes alter pro altero, & inimicos Eccleſiæ confundentes. Et qui ab Oriente populus irruebat, hæreticorum tyrannide perdurante, quia fidele refugium habuit ad nos, & pars ejus ad vos, ſcilicet magnam Romam, feſtino greſſu quaſi ad turrim immobilem, ſuæ fortitudinis, & conſolationem recepit utrobique, & mutua caritate Frater in Fratris ſinu ad protectionem recipiebatur. Et cum Roma multoties fuiſſet a gentibus occupata, Imperium Græcorum ab eorum tyrannide liberavit. Agapitus vero & Vigilius ad Conſtantinopolim, propter diſſentiones, quæ Romæ erant, aliquando confugerunt, & honorifice recepti, protectione defendebantur: licet nobis grata viciſſitudine numquam in arcto poſitis aſylum, vel auxilium præbuiſtis. Sed oportet, nos etiam ingratis bonos eſſe. Nam & pyratis pacantur maria, & ſolem facit Deus oriri ſuper juſtos & injuſtos. Heu, heu, quam amara diviſione ſequeſtramur! unus detrahit alii, & alter alterius, velut animæ periculum, vitat conſortium. Quid ergo dicemus? Si nos jacemus, erigite nos. Nolite in caſum noſtrum eſſe tantummodo corporalem, ſed eſtote etiam nobis in reſurrectionem ſpiritualem, & gratiarum vobis debitores nos forte fatebimur. Si autem culpa & initium ſcandali a veteri Roma prodiit, & a Succeſſoribus Petri Apoſtoli, illa verba Apoſtolica legite, quæ ad Galatas Paulus ſcribit, ſic dicens: Cum autem veniſſet Petrus Antiochiam, in facie ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat, & cetera, quæ conſequenter Paulus tangentia Petrum ait. Sed repugnatio hujuſmodi, ut pie credendum eſt, non alicujus cauſa fuit diſcordiæ, vel correptionis amaræ, ſed potius indagationis & profundioris diſputationis, temporalem condeſcendentiam irritantis. Vinculo enim caritatis in Chriſto jungebantur aſtricti, fide & doctrina conformes, nulla ambitione vel avaritia diſtracti: utinam in his illis aſſimilaremini. Mentibus autem noſtris ſcrupulum generat offendiculi, quod terrenis tantum inhiantes poſſeſſionibus, undecumque poteſtis abradere, aurum & argentum congregatis, diſcipulos tamen ejus vos eſſe dicitis, qui ait: aurum & argentum non eſt mecum. Regna vobis tributo ſubjiciatis; negotiationibus numiſma multiplicatis: actibus dedocetis, quod ore prædicatis. Moderetur vos temperantia, ut ſitis nobis & omni mundo exemplum & exemplar. Videtis quam bonum eſt, Fratrem juvari a Fratre. Solus enim Deus nullo eſt indigens auxilio, vel conſilio alicujus: homines autem indigent alter ab altero adjuvari. Ego autem, niſi vererer magnum Apoſtolum Petrum, qui caput eſt Apoſtolorum Chriſti, & petra fidei, reducerem utique ad memoriam, qualiter hæc petra mota fuit a baſe, & a muliere miſera commota fuerit, permittente Chriſto, judiciis quibus ipſe prævidet univerſa, cujus judicia abyſſus multa: qui per vocem galli recordantis reduxit Petrum ad memoriam verbi prophetici, & a ſomno deſperationis excitavit eumdem. Ille autem faciem ſuam lacrymis abluit excitatus, & confeſſus Deo & toti mundo, exemplum factus pœnitentiæ, claves portans regni cæleſtis, & coram omnibus hominibus currens & dicens: Numquid qui cadit, reſurgit ne? Qui cecidiſtis, ſurgite, intuentes in me, & obedite mihi properanti ad Paradiſum cæleſtem, cujus aperire portas accepi poteſtatem. Hæc autem Sanctitati Veſtræ ſcribo ac refero pro recordatione tantum. Novi enim quam omni eſtis ſapientia & ſcientia præditi, & Salomoni acquieſcens, ad hujus verbum veni: Da enim, dixit, ſapienti occaſionem, & addetur ei ſapientia. Doce juſtum, & feſtinabit accipere. Hoc ſolum addam, ut verbo finem imponam, quod videlicet multæ & magnæ gentes ſunt, quæ nobiſcum ſapiunt, & nobiſcum, qui Græci ſumus, conveniunt in omnibus.

Vide de his Baronium an. 536. & an. 546.

Matth. 5.

Galat. 2.

Act. 3.

Prov. 18.

Pſal. 35.
Matth. 75.
Marc. 72.
Luc. 22.
Joan. 21.

Primi

Digitized by

Primi illi, qui in prima parte Orientis habitant Æthiopes, deinde Syrii, & alii, qui graviores ſunt, & magis virtuoſi, ſcilicet Hyberi, Lazi, Alani, Gothi, Chazari, innumerabilis plebs Ruſſiæ, & Regnum magnæ Victoriæ Bulgarorum. Et hi omnes tamquam matri noſtræ obediunt, in antiqua orthodoxia immobiles hactenus perſiſtentes. Deus autem ſanctus, qui pro nobis homo factus eſt, & qui in caput poſitus eſt Eccleſiæ de gentibus congregatæ, congreget nos iterum in unitate fidei, & dignetur Græcorum Eccleſiam una cum ſorore ſua, & veteri Roma glorificare principem pacis Chriſtum per unitatem fidei in reſtitutionem orthodoxiæ, in qua ab antiquitus convenerunt. Det vobis caritatem fraternam, regat vos omnes, ſanctiſſimi Cardinales, manus Omnipotentis Dei, donec ad portum tranquillum cum gaudio pervenire poſſitis. Gratia Dei cum omnibus vobis. Amen.

XXXVII. Quid Cardinales ad hæc reſponderint, invenire non potui; Pontificis autem reſcriptum ex Vaticano codice ſubminiſtro, quod ille reddidit per duos ex quinario illo numero Minorum, quem Patriarcha miſit & commendavit. In eo placide confutat paterno affectu quidquid Patriarcha contra Petri primatum objeciſſe viſus eſt, ac gravi oratione Græcos orat, ut ad unitatem & gremium catholicæ Eccleſiæ revertantur. Quod ut ſuavius & rationabilius faciant, ſpondet, ſe miſſurum ad eos viros religioſos vitæ laudabilis, & probatæ ſcientiæ, qui coram agant circa tollenda unionis impedimenta; quod & perfecit mittens ei duos Prædicatorii, totidemque Minoritici Inſtituti Patres undequaque commendabiles, quorum nomina, qualitates & legationem dabimus anno ſequenti. Præ oculis etiam ei ponit quanta mala Eccleſiam Græcorum apprehenderint ſub tyrannica & acerbiſſima trociſſimorum Turcarum ſervitute ſtatim ut ab unitate & obedientia Romanæ receſſerunt Eccleſiæ, quaſi Deus noluerit eam habere in Oriente ſeculare dominium, quæ in Occidente noluit recognoſcere Petri principatum; & quæ renuit habere fidei magiſtram, Deo ita diſponente, tranſiret in barbaræ feritatis ancillam. Epiſtolam hanc graviſſimam habet Paris citatus, & ex Vaticano tranſcripſit Gerardus Voſſius vir doctus, quam eruditis notis illuſtratam dedicavit, cum aliis egregiis monumentis Gregorii IX. ſanctiſſimo Domino Sixto V., & Camillo de Comitibus Gregorianæ ſtirpis Viro Romano.

GREGORIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Venerabili Fratri Archiepiſcopo Græcorum ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

XXXVIII. F*raternitatis tuæ litteris nobis & Fratribus noſtris per tuum Nuntium præſentatis, qua decuit benignitate receptis, earumque tenore plenius intellecto, diſpoſuimus, viros religioſos vitæ laudabilis & probatæ ſcientiæ ad tuam præſentiam deſtinare, qui verba vitæ deferent, & noſtram & Fratrum noſtrorum plenius voluntatem exponent.* *Verum quia* de comedente exivit cibus, & de forti eſt egreſſa dulcedo, *ne ex ore leonis mortui non ſine rubore ſcribentis a patre favus exhibitus contemnatur, quædam duximus reſcribenda, ne videantur ſcripta deſpici, ſi contigerit non reſcribi*; quia audiens ſapiens ſapientior erit, & intel-

Reſcriptum Gregorii ad Germanum.

Judic. 14. 14.

Proverb. 1. 5. 1. *Cor.* 3. 12.

telligens gubernacula poſſidebit. *Licet autem Chriſtus, juxta quod tuæ ſeries epiſtolæ retexebat, primum ſit, & præcipuum fundamentum fidei, quod fatemur, præter quod aliud poni non poteſt: ſecunda tamen & ſecundaria fundamenta legimus Apoſtolos & Prophetas, quia fundamenta Eccleſiæ in montibus ſanctis, & Cives ſupernæ Hieruſalem ſupra fundamentum Apo-*
Pſalm. 86. 1. *ſtolorum & Prophetarum ſuperædificati leguntur. Inter quos primus & præcipuus beatiſſimus Petrus non ſine cauſa, ſed ex prærogativa ſpeciali a*
Joan. 1. 42. *Domino audire meruit:* Tu vocaberis Cephas, *quod interpretatur*, caput: *ut ſicut in capite ſenſuum plenitudo conſiſtit, a quo ad ſingula membra occultis meatibus pars aliqua, tamquam a fonte rivulus, derivatur: ſic tres fidelium ordines in Eccleſia, Noë, Daniel, & Job, Prælati videlicet conti-*
Ezech. 14. *nentes & conjugati, quos Ezechiel vidiſſe legitur in viſione ſalvandos, a Petro petra, ſuper quam non domum ſaltus Libani, non porticum columna-*
Galat. 2. *rum, nec domum filiæ Pharaonis, ſed Eccleſiam ſuam ædificavit Dominus fidelibus, veluti de omni genere piſcium in ejus rete concluſis, tamquam a*
Matth. 16. Luca 5. 6. *primate primatum, qui de fonte Dominici pectoris fluenta potavit, & ſuæ ſalutis debent poſtulare remedia, & cum omni patientia & doctrina non contentioſe vel ſuperbe in aliquo reſiſtentes, a mentis ſuæ tenebris dubietatis ſcrupulos removere. Nec obſtat quod aſſeris, ſi tempora locumque diſtinguas*
Quare Paulus reſtitit in faciem Petro. *Paulum Petro in faciem reſtitiſſe; cum diſpenſative ab orthodoxis Patribus hoc factum eſſe legatur: dum Petrus legem Moſaycam profitendo, Judæos, & Paulus circumciſionem evitans, totis viribus lucrifacere ſtuduerit ex hujuſ-*
Act. 15. 16. *modi ſimulatione Gentiles. Alioquin & Paulum perambulantem Syriam & Ciliciam, cum perveniſſet Derben & Lyſtriam ex eo argues, quod Timotheum ex patre gentili ortum, fidelis viduæ filium circumcidit. Secundo autem & tertio, vel te vel Paulum reprehendas, qui cum navigaſſet Syriam, & cum eo eſſent Priſcilla & Aquila, & caput timore Judæorum totondiſſent in Cen-*
Act. 18. Num. 6. 18. Judic. 16. 17. *chris, quia comam, quam ex voto nutrierat, quod Nazaræi, qui ſecundo voverant juxta præceptum Moyſi, facere conſueverant, ibidem totondit ex lege? Si Frater cariſſime dignitatis myſterium & auctoritatis officium pleno intellectu diſtingues, & Petri & Pauli zelum conſideres, qui animas*
Petrus & Paulus in doctrina ſemper concordes. *tantummodo ſitiebant; eos nec in morte, quos eadem fides & paſſio vere fecit eſſe germanos, nec dum viverent in doctrina invenies fuiſſe diſcordes. Licet enim Petrus pro duræ cervicis Judaico, & Paulus pro gentili populo lac parvulis, & eſcam provectis exhibentes diverſis linguis & ritibus laboraverint; cum jam plenitudo temporis adveniſſet, unum Dominum, unam fidem, unum baptiſma, & alios fidei articulos ſecundum gratiam ſibi collatam a Domino in uno eodemque ſpiritu prædicavit uterque. Fuit enim Paulus ex verbo Domini, Petro & ceteris Apoſtolis univerſaliter ſic dicentis:* Quorum remiſeri-
Joan. 20. 22. Matth. 18. 18. tis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt: *cum Petro myſterium dignitatis exercens, & ex verbis ejuſdem auctoritatis, ſin-*
Petri primatus probatur. *gulariter Petro propoſitis;* Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit li-
Matth. 16. 19. gatum & in cœlis; & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis, *in Petro auctoritatis officium recognoſcens: & ideo ad eum tamquam primatem & Evangelii Dominici fontem venit Hieroſolymam, & poſtmodum cum ipſo, & aliis ſecundum revelationem contulit Evangelium,*
Galat. 2. 2. Matth. 18. 22. *ne in vacuum curreret, vel etiam cucurriſſet. Quod iterum ex verbo Domini confirmatur, cum ſoli Petro, ſi Frater ſuus in ſe peccaverit non tantum* ſepties, ſed etiam ſeptuagies ſepties, *præcipitur dimittendum, ipſi ſoli*
Act. 5. 15. *oves ſuas indiſtincte committens, qui tam ſpeciali miraculorum virtute pollebat, quod per plateas in lectulis & grabatis poſiti ad umbram ejus ſanabantur*

tized by Google

tur infirmi. Cujus auctoritas ex ejuſdem Domini verbis expreſſius roboratur, cum ſibi ſoli dictum eſt: Duc in altum, *& pluraliter ſubinſertur*: Laxate retia in capturam. *Si ergo Petrus propter excellentiam fidei, qua in uno Chriſto duas naturas veraciter recognoſcens, cum dixit*: Tu es Chriſtus filius Dei vivi, *claves regni cæleſtis in terris ſolus accepit; cum unus ſit Dominus, una fides, unum baptiſma, unum principium, unum corpus Eccleſiæ militantis, & corpus cum pluribus capitibus monſtruoſum & ſine capite, acephalum cenſeretur: reſtat ut ad regimen generalis Eccleſiæ, quam ipſe cum Paulo & ceteris de gentibus Græcis*, Latinis, *Barbaris congregavit, caput ejuſdem, ſuumque Dominus per ea, quæ præmiſſa ſunt, manifeſte oſtenderet ſucceſſorem. Prævidens autem Dominus, quod Eccleſia Dei conculcaretur a tyrannis, laniaretur ab hæreticis, & a ſchiſmaticis ſcinderetur, ait*: Pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua, & tu, aliquando converſus, confirma Fratres tuos. *Ex quo colligitur evidenter, quod ad Sedem Petri omnis ſit quæſtio fidei referenda. Sed quod dolentes referimus, ut Epiſtolæ tuæ verbis utamur, præſumptuoſe quidem non per manus militum, ſed Eccleſiaſticarum perſonarum ſenſus, veri Joſeph talaris tunica & inconſutilis eſt paſſa ſciſſuram. Sed quis ſciderit, videatur: Cum enim Græcorum Eccleſia a Romanæ Sedis unitate receſſit, ſtatim privilegio caruit Eccleſiaſticæ libertatis, & quæ fuerat libera, facta eſt ſecularis poteſtatis ancilla, ut juſto Dei judicio, quæ noluit divinum recognoſcere in Petro primatum, toleret invita ſeculare dominium. Sub quo non modica contemnens, paulatim decidens, fidem informem profitens, & a fraterna caritate tepeſcens licentius per campum licentiæ non refrænata diſcurrit, ut ſine alicujus reprehenſione, licitum ſub illicito palliaret, & a templo Petri recedens, a Domino quaſi attritum foris ejicitur, quod virga ſua Joannes, prohibente Domino, non metitur, quoniam datum eſt illud gentibus, & hoc jam cognoſcit viſibiliter conſummatum. Quod Samaria, quæ a templo Domini, & a Juda, ac veræ fidei confeſſione recedens, facta idololatra præfigurans, bellorum cladibus continuatis attrita, & peccatorum gravata pondere: licet Elias & Eliſæus, tamquam magna luminaria ibi, velut in loco caliginoſo, refulſerint, data eſt gentibus, projecta foris in ultionem fornicationis & idololatriæ, quibus ſe a Domino ſeparavit. Quod ſi Paulum Græcorum Eccleſia ſe habere proponit, exhibeat vel a ſucceſſore Petri, & Vicario Jeſu Chriſti in Apoſtolorum Baſilica, quæ a Conſtantino conſtructa eſt, cum Petro exhibitum recognoſcat. Officii etiam notavit myſterium, licet litteris tuis, quaſi ſub forma reprehenſionis, inſertum fuerit quod Petrus ab Oſtiaria ter commotus, ad galli cantum excitatus, factus eſt oſtiarius paradiſi: ut videlicet qui præeſſe debuerat, pati ſciret & compati, & ex auctoritatis officio, cui ter dictum eſt ſingulariter, paſce, & non paſcite, oves meas non alienas, ad ſucceſſores tranſmiſſo veri paſtoris exemplo, ſubditorum exceſſus ad unitatem Eccleſiæ redeuntium in ſpiritu lenitatis corrigeret, & cultum Chriſtiani nominis ſponte profeſſos, ab Eccleſia aberrantes, exigente contumacia, juxta verbum Apoſtoli, tradendo hujuſmodi Satanæ in interitu carnis, ad ovile reduceret, vel invitos. Si vero ex compaſſionis affectu ad Apoſtolicæ Sedis primatem & judicem tamquam verus Iſraelita recurris; & ſuper contritione Joſeph de ſciſſura tunicæ inconſutilis, mota ſunt tuæ pietatis viſcera, paſſioni tuæ compatimur, & dolori tuo cum Apoſtolo condolemus, eique ad grates aſſurgimus, qui aperuit oculos cæci nati, humiliter poſtulantes, ut qui per collyrium ex felle piſcis Tobiæ illuminavit oculos, Eccleſiæ Græcorum corda cum tuo illuminet, & noſtris tuiſque temporibus ad unum ovile,*

Luc. 5. 4. — *Matth. 16. 16.* — *Epheſ. 4. 5.* — *Luc. 22. 32.*

Ad ſedem Petri queſtio omnis referenda.

Schiſmatica facta Eccleſia Græcorum ſtatim facta eſt ancilla.

Apoc. 2. — *4. Reg. 1. 2. &c.* — *Joan. 18. Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22. Joan. 21.* — *1 Cor. 5. 5.* — *Gen. 37.* — *Joan. 9. Tob. 11.*

unumque paſtorem providentiâ divina reducat. Librum igitur de quo dictum eſt Joanni in Apocalypſi, accipe Frater cariſsime, ac devora illum, & ſi amaricare faciat ventrem tuum, propter contritionis aculeos, qui in principio pungunt: tamen in ore tuo erit dulcis ad inſtar mellis, juxta verbum ſponſi dicentis in Canticis: Sonet vox tua in auribus meis, vox tua dulcis, *& tuæ prudentiæ conſcientiam ſine aliqua ſuperſtitione regira, & illuminatus invenies, quod Eccleſia Romana, quæ omnium Eccleſiarum caput eſt & magiſtra, in ſpeculo a te propoſito, Evangelii videlicet & epiſtolarum, & doctrina aliorum Doctorum, nihil contrarium invenit, quod interpretative vel diſpenſative ſecundum ſtatuta ſanctorum Patrum in unitate fidei & ſpiritus non concordet. In cujus libri apertione invenies, quod Romanus Pontifex omnibus omnia factus, ut omnes ſalvi fiant, non turpis lucri cauſa, vel voluntarie, ſed a Fratribus ſuis divina inſpiratione vocatus, ſtatim ſervus ſervorum Dei effectus, murum pro Fratribus & Coepiſcopis ſuis, eorumque ſubditis contra hæreticos, ſchiſmaticos, & tyrannos, ad tuitionem Eccleſiaſticæ libertatis, cum ſuis Fratribus ſe opponit. Et licet aliqui latenter ſubrepant, publice tamen quaſi ab omnium incurſibus modernis temporibus, Eccleſia Romana reſpirat. Sed ſi Græcorum Eccleſia patienter ſuſtineat, ut tuis verbis utamur, verba quæ mordeant, præter animarum pericula, quæ ex eorum ſciſſura provenerunt hactenus, & proveniunt; ſatis eis vexatio dediſſe debuerat intellectum, in quorum manibus ordo eccleſiaſticus per adverſas Orientis nationes in diverſa partitus, confunditur, Eccleſiaſtica libertas deprimitur, & ſacerdotalis dignitas conculcatur; nec eſt qui conſoletur eum ex omnibus caris ejus: quia tamquam acephali ad caput Eccleſiæ recurrere contempſerunt.* Revertere igitur Sunamitis, revertere revertere, ut intueamur te; *quia tunc recte poterit frater a fratre juvari, ſi filius, qui omnia conſumpſit diſſolute vivendo, a Domino inſpiratus, ſurgat, & dicat:* Pater peccavi in cœlum & coram te, jam non ſum dignus vocari filius tuus, fac me ſicut unum ex mercenariis tuis. *Tunc enim pater non ut mercenario, ſed ut filio revertenti occurrens, primam ſtolam proferet, occidetque vitulum ſaginatum & generale convivium faciens, univerſis Chriſti fidelibus cum exultatione annuntiabit & gaudio, quod & frater, & filius qui mortuus fuerat, jam revixit; & drachma, quæ perierat, eſt inventa, & ſic te in gremio matris Eccleſiæ cum honore recepto veritatem manifeſte videbis in ſpeculo puritatis, quam Eccleſia Latina ſervat in fidei unitate, quæ non recipit maculam neque rugam. Datum Reate* VII. *Kalendas Auguſti anno* VI.

[Margin: *Joan. 10.* — *Apoc. 10.* — *Cant. 2. 14.* — Sciſſuram Græcorum quot mala ſequuta. — *Thren. 1.* — *Cant. 6. 12.* — *Luc. 15. 21.* Graviter admonet Græcos ut reſipiſcant.]

[Margin: ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI. — Conventus Ambianen. — *Gonzag. in Prov. Franc. Con. 30.* — *Mon. MSS. hujus Prov. Claud. Rob. de Epiſc. Ambianen. num. 45.*]

XXXIX. Hoc anno vel circiter „ Initium accepiſſe Conventum Ambianenſem in Gallia ad Parochiam ſancti Remigii ſcribit Gonzaga; alii „ volunt vetuſtiorem, alii poſteriorem. Primos ſumptus ſuppeditavit „ Dominus de Halvin, alii partes addiderunt. Joannes Villanus anno MCCCXLV. chorum & clauſtrum majus, & anno MCCCCLXXXV. magiſter „ Hadrianus de Henancour Eccleſiæ Ambianenſis Decanus. Auctus eſt „ ſitus tum ad ædificii, tum ad horti amplitudinem anno MCCXLV. & bibliothecam, ac chorum optimis libris inſtruxerunt anno MDVII. Domini Waldoinus Rouſſel, & Rodulphus de Lannoy. Alia in ædem „ hanc contulerunt beneficia illuſtres Domini Joannes, & Nicolaus de „ Lanno, prædicti Rodulphi conſanguinei. Eccleſiam ſanctis Apoſtolis „ Andreæ, & Joanni dicatam, ornant aliquot ſacella pulchre elaborata, „ præſertim illud quod ſanctæ Mariæ Gratiarum nuncupatur, in quo digno

„ digno ornatu, & ſplendore coluntur imago beatæ Virginis a ſancto Lu„ ca Evangeliſta depicta, & plurimæ ſanctorum Reliquiæ. Ad dexte„ ram chori ſepultus eſt frater Nicolaus Sutor, Eboracenſis Epiſcopus, „ hujus Conventus Alumnus, qui obiit anno MDXVII. Prodierunt ex „ hoc loco multi Doctores celeberrimi; atque inter hos frater Bernar„ dinus Pollet, ſacræ paginæ Profeſſor inſignis apud Pariſienſes; qui „ integro ſexennio Franciæ Provinciam gubernavit. Eodem ferme tem„ pore „ ædificatus eſt Conventus Meduntenſis, nunc ſancto Bonaventuræ ſacer, ſecus fluminis Sequanæ decurſum, quarto a Medunta, Carnotenſis diœceſis, lapide, opera generoſiſſimi Domini Nicolai dicti lo Char, Militis, cujus litteræ ſuo ſigillo in cera viridi appenſo authenticæ datæ anno MCCXXXIV. in archivis dicti Conventus conſervantur integræ. Aucta vel continuata fabrica per Inclytum heroëm Robertum Catum Militem, ut conſtat ſimiliter litteris authenticis. Tertio manus & opem admovit Joannes dictus Rhenenſis Meduntenſis Civis, & Eudelina ejus uxor, qui ferventi qua Minoribus Fratribus afficiebantur dilectione, prædicto Conventui dederunt, cum vinea ſibi vicina quintam omnium ſuorum bonorum partem, quod liquido conſtat litteris ſuo ſigillo in cera viridi appenſo munitis, actis & datis anno ſalutis MCCXCII. menſe Januario. In hoc Conventu moram fecit Doctor Seraphicus ſanctus Bonaventura, ubi magnam ſuarum lucubrationum partem conſcripſit, & in hunc diem ſervatur in Templi muro, ſub craticula ferrea lapis, quem ferunt, Seraphicum Doctorem pro pulvinari habuiſſe. Adeo ſollicitam dicti loci curam ille gerebat, ut eum commendatum voluerit Optimatibus, & populo Meduntenſi, quod ex ſequenti Provincialis Miniſtri Franciæ epiſtola apertius conſtabit. *In Chriſto ſibi dilectis Majori Meduntenſi, & Communitati ejuſdem villæ frater Petrus Minorum Fratrum in Francia Miniſter & ſervus, ſalutem & pacem in Domino ſempiternam. De voluntate Reverendi Patris noſtri fratris Bonaventuræ Generalis Miniſtri volumus, & acceptamus, quod ſub dominio, & patronatu Communitatis veſtræ locus Fratrum Minorum de Medunta ſupponatur, Fratres autem loci, & ipſum locum veſtræ in Domino recommendamus caritati. Datum Atrebati tempore Provincialis Capituli anno Domini* MCCLXVIII.

Fr. Nicolaus Epiſcopus Eboracen.

Fr. Bernardinus Pollet.

Conventus Meduntens.

Gonza. in Prov. Franc. Conv. 19.

Plura hic ſcripſit Opuſcula S. Bonaventura.

XL. Non plane conſtat quo anno Magnificus Baro Dominus a Ponte Minoribus adaptaverit Conventum ſanctæ Mariæ Magdalenæ Coriſopiti, Curioſolitarum Civitatis, vulgo *Cornovaille* ſancto Corentino dicatæ, in Britannia Armorica ſub Archiepiſcopo Turonenſi. Præextitit domicilium & Eccleſia, male tamen habita, derelicta ut ferunt, a Templariis, quo tamen tempore neſcitur. Id ſolum in hac re certum, Eccleſiam quæ prius inſigniebatur ſancti Joannis Baptiſtæ nomine, refectam, & ſanctæ Mariæ Magdalenæ dedicatam fuiſſe, hoc ipſo anno, per ejuſdem Civitatis Epiſcopum, quem & hujus Conventus alumnum, & Renatum vocatum, ait Gonzaga; quem tamen Raynoldum ſeu Raynulphum appellat Bituricenſis in ſerie Epiſcoporum Coriſopitenſis Eccleſiæ, dum hunc electum, ait, anno MCCXVIII. & obiiſſe anno MCCXLV. infra quod tempus incidit prædicta dedicatio, licet nullam agat mentionem monachatus franciſcani hujus neque Guidonis de Poloenevez, quem tamen Minoritam fuiſſe, apud Venetos ſepulturam obtinuiſſe, & Renato vel Raynoldo ſucceſſiſſe in epiſcopatu, ait Gonzaga; licet non immediate ſucceſſerit, interveniente Herveo de Landeleau, qui ſedit annis ſexdecim. In eodem loco, atque eodem tempore floruit frater Joannes Diſcal-

Idem in Provin. Turon. Conv. 21.

Conventus Coriſopiten.

Joan. Chenu in hiſt. Epiſc. Galliæ.

Fr. Joan. Diſcalceatus.

ſcalceatus dictus ſancti Franciſci ſocius, qui ibidem obiit, & in ſacello ſancti Antonii extat ejus ſepultura craticulis ferreis circumſepta. Qui vero capitis dolore divexantur, in illius tumulum caput ſuum intromittunt, ſicque a morbo vindicati recedunt. Videtur item ibi Caput ſancti Turii Coriſopitenſium quondam Epiſcopi. Habetur etiam ille agnus Dei, quem ſecum deferebat beatus Ludovicus noſtri Ordinis ſacer Pontifex. Eſt ibidem illius cingulum, ſeu chorda, & mulieres parturientes gravibus afflictæ doloribus, appoſitis illa agni Dei effigie, vel imagine, & chorda, mox a tantis liberantur anguſtiis. Multorum inſuper Sanctorum viſuntur reliquiæ, quorum nomina ignorantur: nihilominus tamen maxima habentur in veneratione.

Conventus Ruthenen.
Gonzag. in Prov. Aquit. Conv. 5.

XLI. Hoc anno Ruthenam Aquitaniæ Civitatem, vulgo Rhodez, quam Montibus cinctam Averio alluit, Minores applicuere, quibus nobiles heroës, Hugo Ruthenenſium Comes, Almaricus ejuſdem Comitis patruus, & Deodatus domum majori ex parte, & Eccleſiam Ruthenicis muris contiguam ſuis ſumptibus ædificari curarunt. Quod vero reliquum fuit ædificii, puta dormitorium, refectorium, atque aliquot aliæ neceſſariæ officinæ, id totum ex liberaliſſimis Ruthenenſium eleemoſynis conſtructum fuit. Præterea Reverendiſſimus Guillelmus a Cardailharco ſancti Pauli Epiſcopus ipſam Eccleſiam de Chriſtiano more conſecravit. Cum autem hic locus Ruthenenſibus mœnibus omnino conterminus, Civitatem redderet imbecilliorem, atque inter Proceres de ejus ad terram dejectione ageretur, Illuſtriſſima ſimul, atque pientiſſima Beatrix a Claromonte Armaniaci, Ruthenæque Comitiſſa, atque Ludovici Regis Francorum neptis, ne tantum incommodum Fratres ſubire cogerentur, Conventus muros turribus, atque firmiſſimo aggere firmari juſſit: adeo ut nulla ex parte ipſa Civitas munitior ſit. Hæc igitur nobiliſſima heroina moriens erecto ſibi ſumptuoſo mauſolæo, in hujus loci Eccleſia in Minoritico habitu ſepeliri voluit. Hanc ſibi per omnia ſimilis Illuſtriſſima quædam Domina de Bithurio Armaniaci, atque Ruthenæ etiam Comitiſſa ſubſequuta eſt. Harum igitur duarum heroinarum ſepulcris, atque pluribus aliorum nobilium mauſoleis, necnon & ſacris Divi Eutropii reliquiis, hujus Monaſterii Eccleſia illuſtrior redditur. Tranſlata eſt domus hæc a Patribus Conventualibus ad Obſervantes anno Domini MCCCCXCVI. in qua floruerunt Viri illuſtres, frater Vivianus Epiſcopus ejuſdem Civitatis, quam rexiſſe anno MCCXLVII. conſtat ex veteribus tabulis, ut habet Bituricenſis in ſerie Epiſcoporum Ruthenenſium: venerabilis item Pater frater Petrus Borgellarius inſignis Concionator, & aliquando Conventus Guardianus, & Frater Petrus Tauzietius Sacerdos, atque ſummæ integritatis vir, atque frater Joachimus Dardanius a truculentiſſimis hæreticis martyrio pro fide Chriſti glorioſe laureati.

Gon. cit. (beside "Domini MCCCCXCVI.")

Conventus Aretinus.
Rodul. fol. 161.

XLII. Circa hunc annum tranſlatus a primo fundationis loco extra urbem Conventus Aretinus, recipientibus ſe Fratribus in eamdem ædificato dormitorio, & quadam Capella. Elapſo aliquanto tempore, venerabilis pater frater Angelus de Meglio Aretinus, magna diligentia, non ſine magno labore & ſumptu, inſignem Eccleſiam & Monaſterium extruxit. Floruit in hoc loco beatus Benedictus Aretinus, cujus vita & nomen non diſcordabant, qui dum primus eſſet Miniſter Antiochiæ, multaque præclare in Oriente geſſiſſet, inde rediens, digitum Danielis Prophetæ huic intulit loco, ut alias dum de ejus vitæ termino dixerimus latius referemus. Cum locus hic vexaretur a ſpiritibus immundis præ-

Digitized by Google

prædictus Benedictus inſtituit, ut cantaretur illa antiphona, *Angelus locutus eſt Mariæ, dicens &c.* Quam inſtitutionem confirmavit poſtea Divus Bonaventura Generalis. Hunc locum plurimum exornavit Joannes Maria Zavara Aretinus, Epiſcopus Neapolis Romaniæ: nam ſacrarium ornavit vaſis argenteis, & plateam pulcherrimam conſtruxit. Dominicus quoque Nardus, & Aurelius filius, vere Aurelius, aureæ ſcilicet, & inſignis probitatis adoleſcens, plurimis beneficiis divina quadam æmulatione hunc locum cumularunt.

XLIII. Hoc anno, vel præcedenti, introducti Minores Veronam (quæ antiquiſſima & nobiliſſima Civitas eſt in Marchia Tarviſina ad Volturrenorum limites, per quam minaci vehementia præcipitatur ex Tridentinis Alpibus deſcendens Atheſis fluvius) nam anno MCCXXX. extructam a Civibus Eccleſiam in honorem ſancti Franciſci in ſuburbio Veronenſi ea ex parte, quam Civitatulam vocant, ſcribit Hieronymus de Corte in hiſtoria Veronæ; deinde aliquoto poſt tempore evocatos ex aliis Civitatibus Fratres, ut ad eamdem Eccleſiam habitarent. Sed ad annum MCCLXI. conceſſa fuit eiſdem Eccleſia ſanctorum Martyrum Firmi & Ruſtici cum univerſis annexis poſſeſſionibus, qua tamen uſque ad annum MCCCXII. contradicentibus Monachis Benedictinis, pacifice non poterant potiri. Tamdem obtenta poſſeſſione, Henrico Imperatore ſuam interponente auctoritatem, prior ædes ſancti Franciſci deſtinata eſt pupillis Virginibus educandis. Conventus hic caput eſt Cuſtodiæ Veronenſis Minorum Conventualium in quo floruerunt viri graviſſimi; hinc aſſumptus ad regendam Provinciam Poloniæ Magiſter Camillus Tachetus Regius Cracoviæ profeſſor. Conventus Veron. *Hiſtor. Veronen. to. 1. lib. 7.*

XLIV. Probabile eſt ex iis, quæ ſupradiximus, hoc anno, vel ſequenti, initium accepiſſe Conventum Minorum intra ipſa mœnia Civitatis, olim elegantis municipii, Kilkenniæ, ſeu fani ſancti Canici in Hibernia in Provincia Lageniæ & diœceſi Oſſyrienſi, prope fluvium de Feoir, ſeu Neorum, qui e Blandinarum montium viſceribus infra Ormandiam, ſimul cum Suiro & Birgo editur, diviſo alveo plurima ſtringens propugnacula, donec Birgi vel Bearu aquis ſuas immiſcet prope urbem Roſſenſem, olim ampliſſimam. Repeto hujus probabilitatis fundamentum. Teſtis mihi eſt Matthæus Paris illorum temporum æqualis, *ſub anno* MCCXXXIV. *Comitem Mareſcallum ſpiritum Deo reddidiſſe* XVI. *Kalendas Maji, & ſepultum eſſe in Oratorio Fratrum Minorum apud Kilkenni, ubi*, idem inquit, *ſepulturam elegerat militiæ flos temporum modernorum*. Hiſtoria etiam generalis Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ Andreæ du Cheſne Galli, ita habet. *Richardus Mareſchallus Angliæ & Pembrochiæ Comes ſepelitur Kilkenniæ in Eccleſia Fratrum Minorum anno Domini* MCCXXXIV. quare mendum eſt in Annalibus Hiberniæ apud Camdenum in editione Londinenſi excuſis, dum dicitur, in choro Fratrum Prædicatorum ſepultum; niſi fortaſſis, ob humilitatem Oratorii Minorum, poſtea translatus ſit ad auguſtiorem locum in choro Prædicatorum; licet de humili ſepultura intelligendum videatur illud de eo recitatum carmen: *Cujus ſub foſſa, Kilkennia continet oſſa*. Cum ergo ſub menſe Aprilis illius anni in dicto Oratorio ſepultus ſit, juxta illorum Auctorum fidem, atque antea ex Gallo Auctore ibi conditus ejus frater Guillelmus, recte habetur ante illum annum obtinuiſſe jam ſedem Minores Kilkenniæ; quod in hunc, vel ſequentem rejiciendum putem, neque enim prius licet, dum Conventus Yocheliæ, aut Corcagiæ ante proxime elapſos annos MCCXXX. & ſequentem non extitiſſe probabilius duxerimus, juxta

Anno 1230. Conventus Kilkennienſis. *Paris anno 1234.* *Cheſne eodem anno.*

An. 1230. & anno 1231.
Clyn. in annal. MSS. a fol. 290.
Hiſt. utraque MS. Prov. Hiber.

juxta ea quæ tunc examinavimus; hi tamen Conventus Kilkennienſi ſunt priores.

Quidquid ſit de prima origine, paulo poſt ita excrevit hic Locus ut anno MCCLXVII. celebratum ſit ibi Capitulum provinciale, ut narrat Joannes Clyn illius Conventus alumnus, cujus & hæ reperiuntur obſervationes, quod anno MCCCXXI. conſecratum majus altare, quod unica marmorea tabula miræ longitudinis & latitudinis conſtat, ita ut proprie altare magnum valeat appellari. Anno MCCCXXXI. die Veneris in feſto ſanctæ Cæciliæ per Dominum Nicolaum Waterfordenſem Epiſcopum conſecratum fuit novum Cœmeterium extra Eccleſiam. Anno MCCCXLVII. Dominica prima Adventus incœpit Confraternitas pro turre campanaria extruenda, & Eccleſia reparanda. Eodem anno Dominica palmarum, & die Annunciationis beatæ Virginis Mariæ in eodem Conventu ſepulta fuit Domina Iſabella Palmer, quæ anteriorem faciem chori ædificari curavit. Etſi marito tradita juvencula, dicitur impolluta obiiſſe, tranſactis in ſancta viduitate abſque ulla ſuſpicionis malæ notæ annis circiter ſeptuaginta. Ambitus totius Monaſterii extenditur a platea Civitatis uſque ad flumen, & a fluviolo cujuſdam molendini ad flumen extructi uſque ad mœnia. Prope valetudinarium non longe a fluminis margine, ſcaturit abundans vena aquarum olim Fratribus in veneratione, & fons ſancti Franciſci dicta, propterea quod epota aqua ad invocationem ſancti Patriarchæ multarum afferebat ægritudinum medelam. Eadem hujus Monaſterii ac ceterorum Hiberniæ ſors ſub fera perſecutione hæreticorum; ampliſſimæ Eccleſiæ adhuc conſiſtunt muri, & tecti pars; officinæ Conventus ceſſerunt in profanos uſus & utilitatem urbis, quæ fundum a Rege Anglorum obtinuit. Viſa ibi gravia ſupplicia polluentium Sanctuarium, qui indigna in loco ſacro perpetrabant. Poſſidet nunc D. Joannes Shea filius Richardi Equitis aurati, prædium rurale *capella* dictum ad primum ab urbe lapidem, quod olim erat Monaſterii, dum inhabitaretur a Patribus Conventualibus.

XLV. Taxavit hoc anno Gregorius numerum Monialium viventium in Monaſterio ſanctæ Mariæ de Roſſano, urbe Archiepiſcopali in magna Græcia, ſeu Calabria, præcepitque ne velatæ duodecimum excederent, neque ſervientes ultra ſex haberent, præcavens illarum inopiæ, & malis quæ ex ea ſequuntur. Incipiunt litteræ, *volentes ut Monaſterium* datæ Anagniæ Nonis Octobris. Fecit etiam conſtrui ex piorum eleemoſynis Conventum Damianitarum ſancti Laurentii inter Vineas Urbevetanas, cui hoc anno Raynerius Epiſcopus Urbis veteris privilegium dedit exemptionis, quod inſertum litteris Pontificiis dabimus in regeſto Pontificio anno IX. Sua item pecunia fecit Pontifex aliud conſtrui Monaſterium inter angulos Spoletanos in loco, qui dicebatur Coſta de Cizana; quod hoc anno exemit a juriſdictione Epiſcopali Nicolaus Epiſcopus Spoleti, ut videre erit in regeſto hujus Tomi ſub anno X. Pontificis Gregorii. Commiſit etiam examen miraculorum beatæ Eliſabethæ Hungaricæ Archiepiſcopo Moguntino Siffrido, ac Conrado Marpurgenſi, quibus examinis modum præſcribit, quem ad calcem hujus Tomi ex Vaticano exſcripſimus. Hoſpitale ab eadem ſanctiſſima fœmina in Marpurg erectum commendat curæ & patrocinio Magiſtri Conradi Marpurgenſis. Initium litterarum, *Hoſpitale in Marpurch*. Datum Anagniæ II. Idus Octobris. Illius autem canonizationem non tepide ſollicitavit dictus magiſter Conradus, verum & alter Conradus Lantgravius Ludovici defuncti,

Hiſt. Lantg. cap. 45.

Eli-

Eliſabethæ conjugis Frater Romam veniens ſæpius habuit cum Pontifice de eius ſanctitate colloquium, & pro eadem canonizanda, ut Lantgraviorum refert hiſtoria, ſolerter laboravit.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

,, I. IN eos, qui religioſos noſtros vexantes, ſepulturæ iiſdem jura
,, negabant, apoſtolica auctoritas, qua compeſcerentur, erat his
,, diebus maxime neceſſaria: quamobrem Summus Pontifex expedito
,, diplomate *Ita vobis &c.* VII. Idus Martii, liberam noſtris ſepulturam
, conceſſit: & ad Germanum Græcorum Archiepiſcopum pro quinque
,, Fratribus Minoritis commendatitias epiſtolas direxit.

Indic. ex Firmam. fol.165.

Dipl. quo concedit. Fratribus libera ſep.

Item aliud. *Ex Oder. f. 435.*

,, II. Hilarion a Coſta quemdam Joannem Martyrem apprime lau-
,, dat, quod ab impiis Saracenis multis opprobriis, pluribuſque verbe-
,, ribus, ludibriis, atque contumeliis diu laceſsitus, ut fidem catholi-
,, cam abjuraret, conſtanter renuens, tamdem capite cæſus, in æter-
,, num victurus, cum morte vitam glorioſe commutaverit hoc anno.

Joan. Martyr. a Saracenis.

Hil. a Coſta li.1. catal.

,, III. Ruthenenſium Comitem Ugonem, Almaricum ejuſdem Comi-
,, tis patruum, & Deodatum Ruthenæ Fratribus noſtris domum ex ma-
,, jori parte, & Eccleſiam muris urbis contiguam propriis ſumptibus
,, extruxiſſe noſter Waddingus adnotavit; addendum nihilominus vi-
,, ſum eſt, tantam eorum Dominorum fuiſſe pietatem in Deum, & Ordi-
,, dinem Minoriticum reverentiam, & caritatem, ut Conventus Eccleſia
,, conſtructa, mox omnium de genere Comitum Ruthenenſium Lipſana
,, ad eam translata voluerint: in eaque in poſterum ſucceſsorum Comi-
,, tum matrimonia celebrarentur, & eorum filii ſacro baptiſmate dona-
,, rentur, ut ex pluribus inſtrumentis in Archivo illius Conventus con-
,, ſervatis liquet. Eſt autem Ruthena, antiqua Civitas Epiſcopalis
,, Aquitaniæ, Gallis *Rhodez*, olim Segdunum, poſtea Rhodium nuncu-
,, pata, in Guiennæ Ducatu contenta, & montibus undique cincta:
,, cujus ager inter Tarnem, & Lotham amnes comprehenſus, Gallis
,, *Voargois* dicitur: hodie ad Occitam regionem, in qua Toloſa ca-
,, put eſt, pertinet: jacet autem inter Vorinum ad Occidentem, & Mi-
,, niatum ad Ortum, fere XV. M. P. hinc inde diſſita: inter Albiam
,, vero, & Caſtra media ad X. a Toloſa tamdem in ortum ſupra XXV.
,, recedit.

Dominorum Ruthen. pietas in Ordine.

Bojard. in Theat. Wadd. ad ann. 1232. n.4.

In Eccleſ. Convent. Ruthen. oſſa Anteceſſor. translata.

Monumen. noviſs. Pr. Aquit. antiqu. MSS.

Ruth. C. E. deſcriptio.

Vide inf. ad annum 436.

AR-

ARGUMENTUM.

Congregantur ad Synodum univerſalem Numantinam in Hiſpania Minoritæ, quorum precibus Pontifex ſe univerſæque Eccleſiæ ſtatum commendat. Præclaras deinde eis committit miſſiones ad Soldanum Damaſci, ad Regem Georgiæ in Aſia, ad Regem Miramamolinum in Africa, ad varias etiam terras Saracenorum & Paganorum. Apocriſarios etiam mittit ad Germanum Conſtantinopolitanum Archiepiſcopum duos ex Ordine Prædicatorum, & totidem ex Ordine Minorum. Illatas moleſtias Minoritis per Canonicos Regulares Conymbricenſes, & Epiſcopum Placentinum ſua ſedat auctoritate. Occiditur Magiſter Conradus Marpurgenſis una cum Gerardo Minorita. Creſcit miro augmento numerus Monaſteriorum tam Fratrum, quam Monialium; ſed mirabile fuit præ ceteris Barchinonenſis Cœnobii virginum exordium per ſanctæ Claræ diſcipulas.

Ann. 1224. n. 28. tom. 1. Marian. lib. 2. c. 8. Gonzag. in Prov. Concep. Con. 13.

Soriæ celebratur Capitulum generale.

I. Convocavit hoc anno Miniſter Generalis Joannes Parens præcipuos Ordinis Patres ad Comitia generalia celebranda in Civitate Numantina, alias Soriæ, ſi ea dicenda venit Numantia, ut alias notavimus, in Hiſpania Tarraconenſi inter Arevacos ad Durium fluvium. Ea cauſa Comitiorum, ſeu Congregationis fuit, ut de Provinciarum diſtrictu & regimine ageretur, diſciplina regularis retineretur aut reſtitueretur, & ne ſancti Franciſci præceptum in Regula circa triennalia capitula negligeretur. In primordiis hujus congregationis, quæ poſt feſtum Pentecoſtes habenda erat, illud memorabile accidit. Laborabat omnis circumquaque regio maxima ſiccitate, nullaque futuræ meſſis ſpes ejus accolis erat: quamobrem Patres ſic in unum collectos obnixe rogarunt, ut pro ſe apud Deum intercedere vellent. Quibus denique ſimul cum Generali ad orationem recurrentibus, tanta ex tempore aquarum abundantia e cœlo ſubminiſtrata eſt, ut ſegetes, quæ jam omnino præ Solis ardore pallebant, faciem immutarint, ac in maximam fœcunditatem proruperint: unde & fertilitas ſubſecuta eſt.

Scribit ad Capitulares Pontifex.

II. Scripſit ad horum Comitiorum Patres Pontifex commendans eorum orationibus ſtatum univerſalis Eccleſiæ, ſuum item peculiarem, & animam A. Magdeburgenſis Archiepiſcopi. Graviores ſunt de hac re litteræ, quam ut debeant negligi; eas ex regeſto Vaticano num. 236. ſubminiſtramus.

GREGORIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI,

Fratri N. Fratrum Ordinis Minorum Generali Miniſtro & ceteris Provincialibus Miniſtris ipſius Ordinis ad generale Capitulum congregatis.

Matth. 8.

Per mare magnum & manibus ſpatioſum inter innumera perverſitatum reptilia navigantes, tot adverſis ventorum flatibus hodie quatimur, & fluctuum turbulentis elationibus deterremur, quod Jeſum iis excitare compellimur, & pulſare clamoribus; Domine niſi feſtinaveris nos ſalvare, perimus. Confidimus etenim quod is, qui non dormit, ſed quaſi dormiens prorogata miſericordia propter culpas, anxietates, quas patimur, quodammodo

Digitized by Google

modo non attendit nequaquam ſupplicantibus indignabitur, cum nos monitis & exemplis inſtruat ut rogetur. Vobis ergo qui ſpretis campeſtris terræ deliciis, & aquarum illum montem per ducatum ſpiritus aſcenditis, qui prophetico ſemper ſarculo ſeritur, ut nec terror veprium, & ſpinarum, nec auditionis malæ ſententia timeatur, qui Dominicis pedibus primæ contritionis unguento perfuſis, & pro beneficiorum ſuſceptione, manibus oſculatis, ad unctionem capitis, per laudis ſacrificium perveniſtis, & eo ad impetrandum potentiores facti eſſe credimini, quo familiarius eſtis Domini potentias introgreſſi, fiducialiter id clamoris genus injungimus, & tam generale totius Eccleſiæ ſacroſanctæ, quam præſulatus noſtri ſpeciale negotium commendamus, inſtantius oraturis ut Dominus Jeſus Chriſtus, quem conſtat, non diſſenſionis Deum eſſe ſed pacis, & a forinſecis inſidiis nos defendat, & cuſtodiat ab internis, cito ſub pedibus noſtris adverſarium conterat, & ſpiritum paraclitum non ſubducat. Ad hæc unicam petitionem univerſitati veſtræ porrigimus ut bonæ memoriæ A. Magdeburgenſi Archiepiſcopo, qui nuper obiens in litteris ad nos miſſis ſupremæ petitionis elogium, velut ultimæ voluntatis, indidit teſtamentum, pro Chriſtianis exequiis tale devotionis obſequium impendatis, ut pro animæ ſuæ remedio in toto Ordine Miſſam unam Sacerdotum ſinguli celebrent, & quilibet Fratres aliorum graduum ſeptem pſalmos pœnitentiæ cum litania, & Fratres laici ſepties Dominicam orationem decantent. Datum Laterani II. *Nonas Julii anno* VII.

Matth.7.7. Matth.4. Luc.7. Joann.11.

III. Magnam, pro ſuo munere, curam geſſit hoc anno Summus Pontifex Gregorius de Mahumetanis ad fidem convertendis, & de ſchiſmaticis ad Eccleſiæ unitatem reducendis. Elegit itaque plures ex Minoribus operarios inconfuſibiles, recte verba vitæ tractantes, quos ad Soldanum Damaſci, ad Georgianos, ad Saracenos, ad Conſtantinopolitanum Patriarcham, ad Calipham de Balac, ad Regem Miramolinum, & alios deſtinavit. Singulas has miſſiones, ad vendicandam tantarum rerum ſepultam memoriam, & commendandum ſancti Pontificis zelum, ipſaſque miſſivas litteras exſcriptas ex ſacro Eccleſiæ armario, Archivo Vaticano, ſuo hic miniſtrabimus ordine. Prima illa erit ad Damaſci Soldanum per duos Fratres, quorum nos nomina latent, hiulcis lacunis ſuppoſitis punctis ubi erant nuncupandi, in diplomate Pontificio, in quo doctiſſime & graviſſime ſanctus Pater exponit Dei curam circa animarum ſalutem, a mundi principio numquam interruptam, atque primum dediſſe Patriarchas, deinde Prophetas, demum unicum ſuum miſiſſe Filium, cujus vitam & facta egregie complectitur, tamdem hujus Vicarios, qui gentes vocent ad viam veritatis. Poſtremo pia, & efficaci oratione hominem ad veram fidem amplectendam invitat, atque ut eamdem docentes Fratres Minores gratanter velit audire, inſtanter hortatur. Omnia ex ipſis litteris, quæ habentur in regeſto Vaticano numero 295., clarius percipies.

GREGORIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei,

Nobili Viro Soldano Damaſci viam agnoſcere veritatis.

Dei circa ſuam Eccleſiam providentia.

Pro hominũ ſalute miſſi primo Patriarchæ.

Gen.15.

Probatur ex figuris ſacræ Scripturæ Trinitas perſonarum.

Iſai. 6.
Pſal. 66.

Secundo miſſi Prophetæ.

Tertio miſſi Apoſtoli.

Geneſ.12.3.
Ibid. c.22.

Ibid. c.28.

Gen.49.10.

Iſai.7.14.
Idem c.9.6.

Prophetiæ de Verbo incarnando.

Jerem.31.22.
Baruch 3.37.

IV. C*Œleſtis altitudo & immenſa benignitas Dei excelſi, hæc inter univerſa quæ condidit, rationali tantum creaturæ conceſſit, ut ſapientiæ oculis per opus opificem, per creaturam agnoſceret Creatorem, & ad totius ignorantiæ tenebras expellendas tres Ordines electorum, velut tria candelabra, per quædam ſibi ſuccedentium ſpatia temporum, Patriarchas primo, ſecundo Prophetas, Apoſtolos tertio direxit in via. Patriarchas a cæca multitudine ſeparatos juſtitia, inſignes Angelorum ſuſceptores, Dominum facie ad faciem intuentes in fundamento fidei poſuit, ſcriptura dicente*: Credidit Abraham Deo, & fuit ei ad juſtitiam reputatum; *& vere credidit, qui cum tres viros cerneret, unam divinam in eis ſubſtantiam adoravit, juxta quod Iſaias audivit Cherubim in cælo clamantia*, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, *dicente David*: Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ, *cum ter Sanctus, & ter Deus ſit pro perſonarum numero poſitum*; Dominus Deus Sabaoth, *&* metuant eum omnes fines terræ, *pro eſſentiæ unitate ſubjunctum. attribuente ſcriptura Patri potentiam, ſapientiam Filio, Spiritui ſancto benignitatem proprietate myſterii, cum ſit potentia, ſapientia, & benignitas una trium, ſicut ipſi ſunt unum. Deinde Prophetas ex Hebræorum populo, qui credebant, electos, fide ſummos, ſanctitate pollentes, claudentes & reſerantes orationibus cælum, curantes morbos & infirmitates hominum, & ſuſcitantes corpora mortuorum; poſt legem quam per Moſen edidit, velut parietes ædificii conſurgentis erexit. Apoſtolorum vero ſacrum perfectumque numerum ſuperduxit in operis complementum, & primum quidem luminare talium promiſſionum ſponſione ſuccendit ad Abraham magnum Patrem multitudinis gentium, in cujus carne fecit conſiſtere teſtamentum.* In te, *inquit*, benedicentur univerſæ cognationes terræ. *Ad Iſaac*, benedicentur in ſemine tuo gentes. *Ad Jacob vero, qui per duodecim filios, tribus totidem, & populum multitudinis innumeræ propagavit*: Ego ſum, *ait*, Dominus Deus Abraham Patris tui, & Dominus Iſaac; *& poſt pauca*, dilataberis ad Orientem, & Occidentem, Septemtrionem & Meridiem, & cunctæ benedicentur in te, & in tuo ſemine, tribus terræ. *Jacob vero filiis ſuis per ſingulos benedicens, præſentia tangens, futura proſpiciens, ait de Juda, ex cujus erant ſtirpe deſcenſuri Reges Hieruſalem, & tamdem Dei filius homo Chriſtus Jeſus, per uterum intactæ Virginis naſciturus.* Non auferetur ſceptrum de Juda, & dux de fœmore ejus, donec veniat qui venturus eſt, & ipſe erit expectatio gentium. *Luminare vero ſecundum talibus teſtimoniorum fulgoribus illuſtravit. Ait prophetarum præcipuus Iſaias*: Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emanuel. *Item* parvulus natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis, & vocabitur nomen ejus, admirabilis, conſiliarius, Deus fortis, Pater futuri ſeculi, princeps pacis. *Et Jeremias, Sacerdos ex Sacerdotibus, & in matris utero conſecratus*: Novum, *inquit*, faciet Dominus ſuper terram; fœmina circumdabit virum. *Item Baruch*, Deus noſter eſt, & non exiſtimabitur alius adverſus eum, hic adinvenit omnem viam diſciplinæ & tradidit

illam

Digitized by Google

illam Jacob puero ſuo, & Iſrael dilecto ſuo; poſt hæc in terris viſus, & cum hominibus converſatus eſt. *Et Dominus per Oſee*: Ex Ægypto, *inquit*, vocavi filium meum. *Et per Michæam*; & tu Bethlehem Ephrata Oſea 11.1.
parvulus es in millibus Juda; ex te enim egredietur, qui ſit dominator Mich.5.2.
in Hieruſalem, & egreſſus ejus ab initio a diebus æternitatis. *Denique illud ſemen benedictionis, & gratiæ quod promiſſum fuerat Patriarchis, de quo cecinit Iſaias dicens*; niſi Dominus reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrha, *Civitates videlicet, quas ſubvertit* Iſai.1.9.
Dominus in momento. Et item; Rorate cœli deſuper, & nubes pluant Ibid. c.45.8.
juſtum; aperiatur terra, & germinet ſalvatorem, & juſtitia oriatur ſimul, ego Dominus creavi eum. *Et David*; Veritas de terra orta eſt, & terra dabit fructum ſuum. *Et cum de morte, ac remuneratione fidelium loque-* Pſal.84.12.
retur, hæc eſt, *inquit*, hæreditas Dei Filii merces, *qui fructus eſt ventris,* Pſal.126.3.
per operationem ſancti Spiritus intactæ Virginis utero ſeminatum, cibus hominum, & ſalus fieri voluit pœnitentium. Poterat autem nos abſque ſua humiliatione redimere, qui cum Deo Patre & Spiritu ſancto potuit omnia ſine aliqua difficultate creare, ſed ſapientia ſapienter cuncta diſponens, attulit illud genus remedii, quo ſolo dilectioni fierent obnoxii, liberati ſicut prophetizaverat Iſaias: Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum & livore ejus Iſai.53.6.
ſanati ſumus. *Et item*, oblatus eſt, quia ipſe voluit & non aperiet os ſuum; ſicut ovis ad occiſionem ducetur. *Et poſt pauca* de anguſtia, & de Ibidem 7.
judicio liberatus eſt; Generationem ejus quis enarrabit? *Et item*; tradidit in mortem animam ſuam, & cum ſceleratis reputatus eſt, & ipſe tulit peccata multorum. *Hic in fine temporum juxta quod prophetarum vatici-* Luc.1.
nio fuerat præſignatum, angelo nunciante, conceptus eſt. Naſcentem ſtella Mat.2.
novæ lucis apparens nuntiavit Regibus Orientis, & Angelus in Judæa paſto- Luc.2.
ribus ovium, quorum ſimplicitas verbum non perverteret, nec mutaret auditum, cum quo facta eſt ſubito cœleſtis militiæ multitudo laudantis, & dicentis; Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.
Ipſe dedit Regibus intellectum, qui dederat ſignum, & quod fecit intelligi, Ibidem.
fecit inquiri, ac per ducatum novi ſideris venerunt ad adorandum in pannis Ex Leone ſerm.1. de Epiphan.
infantiæ Dominum majeſtatis. Joannes, quo major inter mulierum natos Mat.11.
nemo ſurrexit, & qui tantus habebatur, ut Chriſtus a populo crederetur, eum mox ut vidit, digito demonſtravit, dicens; Agnus Dei es, qui tollis Joan.1.
peccata mundi. *Poſt hæc curavit ab omni morbo languentes, & mortuos* Mar.6. Matth.8.
ſuſcitavit. Illum quoque omnia elementa ſuum cognoverunt auctorem; ſub Joan.2.4.
plantis ejus mare ſe calcabile præbuit, & ad ipſius imperium fluctus & Matth. 14.& 15.
æquora ſiluerunt, voluntas ejus aquas tranſubſtantiavit in vinum, & ipſius & Mar.3.& 8.
benedictio, pane modico, multa hominum millia ſatiavit. Quo moriente,
terra contremuit, ſol lucis ſuæ radios occultavit, velum Templi & petræ Luc.9.
ſciſſæ, ac aperta ſunt monumenta, & cum ſurgente apparentia multa cor- Matth.27.
pora mortuorum, multis in Civitate teſtibus ſurrexerunt. Ad extremum Luc.33. Ibidem.
temporali, quam pro totius mundi ſalute pati dignatus eſt, morte calcata, Matth.27.
Vicarios operis ſui reliquit Apoſtolos, & concedens eis eamdem faciendi miracula poteſtatem, ipſis cernentibus, eſt elevatus in cœlum, & judicaturus Act.1.
vivos & mortuos expectatur. Ipſi etiam quos reliquit in tertium luminare, nihil minus miraculorum, quæ Deum feciſſe viderant, effecerunt, & quotidie tam per venerabiles ipſorum reliquias, quam per omnes, qui fidem & opera ſectantur eorum catholica Mater Eccleſia miraculis illuſtratur, dum cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, liberantur energumeni, mortui ſuſcitantur, quod in alia religione non contingit. Quia igitur debito-

res ſumus omnium, & ſalutem quærere ſervus ſervorum illius debet qui neminem vult perire; non immerito circa te & ſubditos tuos miſericordiæ viſceribus affluentes, affectum Pauli gentium Doctoris induimus, qui ſciens, Creatorem omnium acceptionem non facere perſonarum, conformatus infirmis, & omnibus omnia factus, ut omnes domino lucraretur. Scientes inſuper, inſtare tempus correctionis errantium animarum, & gentes ante converſionem Iſraelis qui adverſus eſt ad fidem, per gratiam intraturas, vobis qui hucuſque reſtitiſtis, & Evangelii Jeſu Chriſti Filii Dei, boni videlicet nuncii, quod per ſeipſum attulit & tranſmiſit, notitiam non habentes, ſicut abyſſus inſtabilis ſenſu carnis contra Catholicæ navem Eccleſiæ fluctuantes; Verbum Chriſti, & celatum a ſeculis Chriſtianæ fidei ſacramentum, non ſimul omnibus, ſed ſicut ab æterno ſapientia divina diſpoſuit aliis poſt alios revelatum, æternæ videlicet myſterium ſalutis, & pacis annunciare decrevimus Jeſum Chriſtum verum Deum, veri Dei Filium tibi, & tuis per epiſtolam noſtram, & per viros virtutis ejus, miniſtros gratiæ, prædicamus, ſi forte Deus Omnipotens, qui vocat ea quæ non ſunt, ſicut ea quæ ſunt; illud lumen infundat cordibus noſtris, quod vocationem omnium gentium præfigurans trium in Oriente quomdam Magorum cordibus aſpiravit. Quod in propria veniens ſuſceptum non fuit a ſuis, quod per Evangelium Pauli populus qui ambulabat in tenebris, apprehendit, quod nunc quoque lucet in tenebris, nec videtur ab eis, quia venire nequit ad veritatis indaginem qui non reliquit errorem. Unde cæleſtem Curiam, & cælum, & terram in teſtimonium invocamus. Si enim, quod abſit, fidem tot argumentis, talibus teſtimoniis, tantis ſignis & miraculis ingentibus approbatam, ſuſcipere ac tenere negligitis, nullam penitus de peccato prætendere, nullam in ejus conſpectu, qui ſeculum judicare per ignem in poteſtate, ac majeſtate venturus eſt, poteritis excuſationem habere. Ceterum vos, non veſtra requirimus, animarum veſtrarum cum Jeſu Chriſto lucra ſitimus. Nihil de facultate ſubtrahere quærimus, vel minuere de honore, ſed provehere vos, & ampliare potius affectamus. Erit proinde, dante Chriſto Jeſu, noſtris affectibus incrementum: ut tu qui & Caput & Princeps populi tui per gratiam intellectus, quo a multitudine ſubjecta diſcerneris, ſi propoſita tibi per pacis Nuncios audieris patienter, per cognitionem fidei efficieris Chriſto primitiæ populi credituri. Sicut de quorumdam Principibus nationum factum eſt, qui ſolidata ſibi deſuper ſignificatione, credentes, multorum, & præcipue ſubjectorum, cauſa ſalutis effecti, temporali gloria non amiſſa, ſed aucta, cæleſte regnum quod numquam finitur, a Deo percipere meruerunt. Quapropter tuam exhortamur induſtriam, & tibi per eum qui cuncta creavit, injungimus, quatenus diligenter filios .... & ...... Fratres Ordinis Fratrum Minorum, ad te pro tua, & tuorum ſalute directos, libenter ſuſcipere debeas, & diligenter audire, non reputans otioſum, quod a nobis in hac parte, diebus noviſſimis, inſpiratione divina, de Fratrum noſtrorum conſilio, ſitientium illuminationem omnium populorum, non ſine ſacrarum Scripturarum eſt auctoritate proviſum. Datum Anagniæ XV. *Kalendas Martii anno* VI.

Rom. 2. 11. 1. Cor. 9. 22.

Convertit orationem ad Soldanum.

Joan. 1.

Mittuntur in hanc legationem Fratres Minores.

V. Paulo poſt, ultra unum menſem, rediens ex Aſia Frater Jacobus de Ruſſano ſignificaturus, meſſem multam illius regionis pluribus indigere operariis, retulit, quam humaniter cum ſuis exceptus fuerit a Rege Georgiæ (quæ Aſiæ regio eſt juxta Corſitas, Phoriſtas, & Riphales, jam ab anno MCCXI. a Tartaris, ut ſcribit Blondus ſubacta) ad quem gratiſſi-

Blond. lib. 7. decad. 2.

Mittuntur alii ad varias partes Aſiæ.

tiſſimas dedit per eumdem Jacobum litteras rogans, ut redeuntem cum aliis ejuſdem Ordinis profeſſoribus benigne recipiat, & caritative pertractet. Ipſis autem Fratribus in plures terras, ultra Georgianas & Saracenitas, perrecturis ampliſſimas concedit facultates. Litterarum tenorem ſubjungimus. Regiæ litteræ habentur in regeſto Vaticano num. 22. Fratrum vero num. 25. datæ VI. Idus Aprilis, licet apud Supplementum Ordinis Rodericum, & alios X. & XVI. Kalendas Junii: ſed in eo eſt controverſia, quod ſucceſsive per integrum illum annum plures ex zelo animarum ad illas partes tranſierint, quibus datæ litteræ, ſub tempore quo diſcedebant.

GREGORIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Illuſtri Regi Georgiæ.

Cum ſit omnis ab omnipotente poteſtas, & quæ ab eo ſunt, ordinata Rom. 13. 1.
credantur, illi profecto Reges non portant gladium ſine cauſa, qui &
erecti adverſus impios libenter vindicant injuriam Creatoris, & fidelibus
inclinati, pia ipſorum facta favendo pariter & muniendo collaudant. Sane
dilecto filio Jacobo de Ruſſano de Ordine Fratrum Minorum, latore præſen- Laudat Minores.
tium, accepimus referente, quod tu thronum gloriæ, cui præſides, ab au-
ctore omnium recognoſcens, perſonas ipſius Ordinis, quin potius operantem
in eis ſpiritum venerans, intelligens, ſicut credimus, & attendens, quod
qui cuſtodit parvulos hodie in confuſionem hereticæ pravitatis, catholicam
dignatur Eccleſiam evidentioribus ſignis, atque miraculis decorare per eos,
ut quo ſe fortius paupertate ſimul & ſimplicitate dejiciunt, eo majoribus ab
eo, qui humilia reſpicit, virtutum honoribus attollantur. Ut igitur juſti Matth. 10.
& prophetæ mercedem accipias, ſi Rex pro illo Rege, qui per ignem vivos Matth. 25. 40.
& mortuos judicare venturus, quidquid minimis ſuis actum clementer inve-
nerit, ſibi præſtitum reputabit, gratiam & favorem talium factis accomo-
das, & eorum miſericorditer infirma ſupportas: ſerenitatem veſtram roga-
mus, monemus, & hortamur attentius, ac per Apoſtolica tibi ſcripta in
remiſſionem peccaminum injungentes, quatenus dictum Fratrem, dilectum
familiarem noſtrum, & ceteros ipſius Ordinis Profeſſores, qui in Ordine
voluntariæ paupertatis pro Chriſto legatione funguntur ad gentes, quæ non
noverunt Deum, & aſſumunt in vanum nomen ejus, benigne recipias, &
caritative pertractes, in ipſis magnificans opus ejus, qui ſeipſum nobis præ- Commendat eos Regi.
buit, & pro nobis, & nos de corruptionis redimens ſervitute, in filiorum
libertatem vocavit, hæreditaturos cum ipſo gloriam ſempiternam. Datum
Laterani III. *Idus Aprilis Pontificatus noſtri anno* VII.

GRE-

GREGORIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Dilectis filiis Fratribus Ordinis Minorum in terras Georgianorum, Saracenorum, & aliorum infidelium proficiſcentibus.

Matth. 9. 37. Idem c. 20. Concedit privilegia Minoribus proficiſcentibus in terras infidelium. *Matth. 3. & Luc. 3. Galat. 5.*

VI. *Cum meſſis multa ſit, operarii vero pauci: Evangelicus ille Paterfamilias adhuc mittit operarios in vineam ſuam: & eos hac quaſi hora undecima vineæ ſuæ novos deputat vinitores, quorum laborem pari cum primis denario recompenſet. Cum igitur in terris Georgianorum, Saracenorum, aliorumque infidelium vobis animarum ſollicitudine commiſſa illius operante clementia, qui de lapidibus poteſt filios Abrahæ ſuſcitare, verbo & exemplo proficiatis, & ibidem exiſtentes in invio reducatis ad vitam; nos conſiderantes quod miniſterium veſtrum diligenter implentes, vos operarios inconfuſibiles exhibetis, vitiorum ſentes extirpare de agro Dominico ſatagendo, propter quod indubitanter de vobis fiduciam obtinemus, ut qui ſpiritu vivitis, ſpiritu & ambuletis: & de doctrina veſtra, & converſatione flores & fructus proveniant gratiores. Devotioni veſtræ præſentium auctoritate concedimus, ut in terris illis vobis ſit licitum excommunicatis communicare, in iis quæ ad ſalutem pertinent animarum. Quibus &, dummodo Latini ſint, & Apoſtolicæ Sedi obediant, Fratres veſtri presbyteri valeant, congrua ſatisfactione præmiſſa, ſecundum formam Eccleſiæ abſolutionis beneficium impartiri: eorumque confeſſione audita, pœnitentiam ſalutarem injungere, & cum Ordinis veſtri Fratribus ſuper levi irregularitatis nota provide diſpenſare. Nulli ergo &c. Datum* VI. *Idus Aprilis anno ſeptimo.*

VII. Alii plures hos ſequuti ſunt ad partes Saracenorum & Paganorum hoc eodem anno circa menſem Junii, quibus & ampla conceſſit privilegia, ut ex hoc quod ſequitur indulto Lector percipiet. Habetur in Monum. & Speculo Ordinis tract. 1.

GREGORIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Dilectis filiis Fratribus Ordinis Minorum in terras Saracenorum & Paganorum proficiſcentibus.

Pro zelo fidei Chriſtianæ, & pro illuminatione gentium in ignorantiæ ac erroris ambulantium cæcitate peregrinationem vobis aſſumentibus, & ad exteras regiones, præſentium vobis auctoritate concedimus, ut proponere verbum Dei, & illarum partium homines per miniſterium exhortationis veſtræ convertere ad unitatem fidei Chriſtianæ cupientes, recipere, ac baptizare poſſitis: & Eccleſiæ ſacroſanctæ filiis aggregare, aggregatos inſignire charactere clericali: ac eos qui per apoſtaſiam, ſchiſma, vel hæreſim a Chriſtiani confeſſione nominis recedentes inter Saracenos habitant, abſolvere & reconciliare per gratiam pœnitentiæ ſalutaris, ſi ad obedientiam Eccleſiæ Romanæ in humilitatis ſpiritu duxerint redeundum. Datum XVI. *Kalendas Junii Pontificatus noſtri anno ſeptimo.*

Digitized by Google

VIII. Non eſt oblitus Gregorius anno ſuperiori per ſuas litteras debitorem ſe conſtituiſſe Germano Patriarchæ Conſtantinopolitano de tranſmittendis ei viris doctis, & virtute conſpicuis, qui de unione utriuſque Eccleſiæ ſerio tractarent. Miſit itaque ex Prædicatoribus duos, Hugonem & Petrum, ex Minoribus totidem, Aymonem Anglicum, poſtea ſui Ordinis Generalem Miniſtrum, & Rodulphum, quos *virtutis religione viros conſpicuos, morum honeſtate præclaros, & ſcripturarum ſacrarum ſcientia præditos*, in ſuis litteris vocat Pontifex; per quos graviſſimam miſit ad Patriarcham de duplici gladio epiſtolam, in qua ponderoſe hortatur, ut ad unitatem Eccleſiæ Catholicæ velit ſuos reducere. Eam accepimus græce & latine ſcriptam ex vetuſto codice Vaticano MS. & altero Bibliothecæ Sfortianæ, ad quam Illuſtriſſimus Cardinalis Franciſcus Sforza nobilis memoriæ, noſter familiaris patronus benignum & liberum nobis tribuebat acceſſum. Eam ſub utroque idiomate, ob rei gravitatem & commendationem, hic duximus deſcribendam. Scholia ad eamdem dedit Gerardus Voſsius, quæ in ejus libello de præcipuis monumentis Gregorii IX. poterit Lector conſulere.

Η ΤΟΥ ΓΡΗΓΟΡΙΟΥ ΠΑΠΑ Θ'.

ΕΠΙΣΤΟΛΗ ΠΡΟΣ ΤΟΝ ΠΑΤΡΙΑΡΧΗΝ

ΚΟΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥΠΟΛΕΩΣ ΓΕΡΜΑΝΟΝ:

Ἵνα πρὸς τὴν ὁμόνοιαν τῆς ῥωμαϊκῆς ἐκκλησίας ἐπανήκῃ. καὶ περὶ τῶν ἀμφοτέρων μαχαιρῶν τῆς Ἐκκλησίας.

ΓΡΗΓΟΡΙΟΣ ΕΠΙΣΚΟΠΟΣ ΔΟΥΛΟΣ

Τῶν δούλων τοῦ Θεοῦ τῷ σεβασμίῳ ἀδελφῷ τῷ ἀρχιεπισκόπῳ τῶν γραικῶν σωτηρίαν, καὶ ἀποστολικὴν εὐλογίαν.

ΩΣ ἐγγὺς τὸ μαρτύριον τῆς ἀληθείας, ἀφορμὴ δὲ τῆς πλάνης ἡ ἀγνωσία ἐστὶ
τῶν γραφῶν· τοῖς πᾶσι συμφέρει ταύτας ἀναγινώσκειν, ἢ καὶ ἀκούειν. ὅτι
τὸ ἐν αὐταῖς ἡ θεία ἐμπνεύσις ἀνέθετο, τῇ διδασκαλίᾳ τῶν ἀκολουθησάντων,
γ. Βασιλ. ιβ'. καὶ ἠθέλησεν ἑλκύσαι ταύτας εἰς φυλακὴν τῶν παρόντων. ἀληθῶς ὁ Ἱεροβοὰμ
ὃς ἐποίησεν ἁμαρτῆσαι, καθὼς ἀναγινώσκεται, τὸν Ἰσραὴλ, καὶ προσλαβεῖν τὴν
διαίρεσιν τῶν φυλῶν, προδήλως σημαίνει τὸ σχίσμα τῶν γραικῶν, καὶ τὸ πλῆθος
τῶν βδελυγμάτων τῆς σαμαρείας τὰς διαφόρους αἱρέσεις σημαίνει τοὺς πλήθεις
ὠσηὲ ζ. ν. ἀπὸ τῆς προσκυνήσεως τοῦ ἀληθινοῦ ναοῦ τοῦ κυρίου, τῆς ῥωμαϊκῆς δηλαδὴ Ἐκκλη-
σίας, καὶ τῆς τιμῆς διαχωρισθέντος. ὅτι δὲ ὁ Χρυσόστομος, καὶ ὁ τῆς Ναζιανζοῦ,
ὁ μέγας Βασίλειος, καὶ ὁ Κύριλλος παραδόξως ἐξέλαμψαν· αὕτη ἦν οὐ-
ράνιος, καὶ ὑψηλὴ βουλὴ, ὡς ἠθέλησε διατελεῖν ἐν μέσῳ τῶν εἰδωλολα-
δ. Βασιλ. α. ϗ αὐτόθι, κεφ. β'. τρῶν, τὸν Ἠλίαν, τὸν Ἐλισσαῖον, καὶ σὺν ὑμῖν τῶν προφητῶν. Νῦν τὸ λοιπὸν
ὅτι ἐν τοῖς ἑτέροις γράμμασι τοῖς προαποσταλεῖσι σοι, ἐδήλωσε τὴν αὐθεν-
τίαν, καὶ τὸ δίκαιον περὶ τοῦ πρωτείου τῆς Ῥωμαίων Ἐκκλησίας, καὶ τὰς μεθόδους
ἐνδεχομένας, τοῦτο μόνον προστιθέαμεν· Ἔτι ἀμφότεραι αἱ μάχαιραι τῷ Ἀρ-
λουκ. κβ'. χιερεῖ τῶν Ῥωμαίων διαφέρουσιν εἰς τὸ διακρατεῖσθαι, καὶ ἐκ τῆς εὐαγγελικῆς ἀνα-
γνώσεως κατέχομεν· καὶ γὰρ λαλοῦντος τοῦ Ἰησοῦ τοῖς μαθηταῖς περὶ ζητήσεως
αὐτ. ιϛ'. τῆς πνευματικῆς μαχαίρας, ἐκεῖνοι ἐκεῖ δύο καμμίας ὑπέδειξαν. περὶ ὧν ὁ
κύριος εἶπεν, ἱκανόν ἐστι, εἰς συνοχὴν δηλαδὴ πνευματικῆς καὶ σωματικῆς
ματθ. κϛ'. προκόψεως. Ἐὰν τὴν κοσμικὴν μάχαιραν παραχωρῆς διακρατεῖσθαι παρὰ τῆς
χειρικῆς ἐξουσίας, πρόσχες, ὅτι ὁ κύριος, ἐν τῷ εὐαγγελίῳ τοῦ Ματθαίου, εἶπε
αὐτ. ιϛ'. τῷ Πέτρῳ, ἐπίστρεψον τὴν μάχαιράν σου εἰς τὸν τόπον αὐτῆς. εἰπὼν τὸ σου,
ἐσήμανε τὴν κοσμικὴν μάχαιραν, μεθ' ἧς ἀπέτεμε τὸν δοῦλον τοῦ ἀρχιερέως.
περὶ τῆς πνευματικῆς γὰρ οὐδενὶ ἦλθεν εἰς δισταγμὸν, ὅτι αὐτῷ, ἤγουν τῷ Πέ-
τρῳ, διὰ τῆς πνευματικῆς ἐπισκέψεως ἢ ἀναγκαλήσεως, τοῦ δεσμεῖν καὶ
λύειν τὴν ἐξουσίαν ἀνέθετο. Λοιπὸν αἱ ἀμφότεραι μάχαιραι δίδονται τῇ Ἐκ-
κλησίᾳ· πλὴν παρὰ τῆς ἐκκλησίας ἡ μία ὀφείλει ἐνεργεῖσθαι, ἡ δὲ ἑτέρα
διὰ τῆς χειρὸς τῆς ἐκκλησίας τῷ κοσμικῷ ἄρχοντι δίδοσθαι. ἡ μία δίδοται εἰς
ὑπηρεσίαν στρατιώτῃ παρὰ τοῦ ἱερέως, ἡ δὲ ἑτέρα ἀπομένει εἰς τὸ τοῦ ἱερέως θέλει.
διὰ ταῦτα λοιπὸν, καὶ τὰ ἄλλα τὰ μετ' αὐτὰ διατεταγμένα, καὶ διατετυ-
πωμένα, σὲ τὸν ἀγαπῶντα τὴν τῆς ἀληθείας ἀνίχνευσιν, ποιήσουσι νοῆσαι
τὴν ἀγάπην, σὺν παρόντας ἀποκομιστὰς, τὸν Οὖγον καὶ Πέτρον σὺν ἐκ τῶν
κηρύκων,

GREGORII PAPÆ IX.

EPISTOLA AD GERMANUM

PATRIARCHAM CONSTANTINOPOLITANUM:

Ut ad unitatem redeat Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac de duplici gladio Eccleſiæ, & de uſu utriuſque ſpiritali & temporali, &c.

GREGORIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI:

Venerabili fratri Archiepiſcopo Græcorum, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Cum juxta teſtimonium veritatis, occaſio ſit errorum ignorantia Scripturarum, cunctis expedit illas legere vel audire: quia quæ in eis inſpiratio divina repoſuit pro doctrina ſequentium, ad cautelam trahere voluit modernorum. Sane ſub Jeroboam qui peccare fecit, ut legitur, Iſraelem, præſumpta diviſio tribuum patenter ſignat ſchiſma Græcorum; & multitudo abominationum Samariæ, diverſas hæreſes multitudinis, a veneratione veri Templi Domini, Romanæ videlicet Eccleſiæ reverentia ſeparatæ. Quod Chryſoſtomus, Nazianzenus, magnus Baſilius, & Cyrillus emicuerint in cœtu diſſentientium, eadem fuit cœleſtis altitudo conſilii, qua degere voluit inter idololatras, Heliam, Heliſeum, & filios Prophetarum. Nunc igitur quia in aliis litteris, quas dudum tibi remiſimus, latius hanc, & alias, auctoritatem & rationem, quæ pro Romanæ primatu Eccleſiæ faciunt, materias explicamus, illud tantum adjicimus, quod utrumque gladium ad Romanum pertinere Pontificem ex Evangelica lectione tenemus. Etenim loquente Jeſu diſcipulis de acquiſitione gladii ſpiritualis, illi duos ibi poſitos oſtenderunt, quos Dominus dixit ſufficere, ad cohibitionem videlicet ſpiritualis & corporalis offenſæ. Si materialem gladium pertinere concedis ad potentiam temporalem: attende quod in Matthæi Evangelio Dominus dicat Petro: Converte gladium tuum in locum ſuum, *dicendo tuum, materialem ſigificavit gladium, quo percuſſerat ille ſervum principis Sacerdotum. De ſpirituali, nemini venit in dubium, cum ei, id eſt, Petro, per cujuſdam ſpecialitatis apicem, ligandi & ſolvendi commiſerit poteſtatem. Uterque igitur gladius Eccleſiæ traditur; ſed ab Eccleſia exercendus eſt unus, alius pro Eccleſia, manu ſecularis principis eximendus: unus a Sacerdote, alius ad nutum Sacerdotis adminiſtrandus a milite. Propter hoc ergo & alia, quæ poſt diligentem veritatis indaginem, ordinatam te ſentire faciant caritatem; latores præſentium Hugonem & Petrum, de Prædicatorum: Aymo-*

3. Reg. 11. Oſeæ 7. 8. 4. Reg. 1. & 7. Romanus Pontifex duplicem habet gladium. Matth. 26. Matth. 26. Deſtinatur Apocriſarii ex Prædicatoribus & Minoribus.

κηρύκων, τὸν Ἀμμώνιον, καὶ Ῥαδοῦλφον ἐκ τῆς τῶν ἐλαχίστων ἀδελφῶν τάξεως, ἄνδρας δυνάμεως εὐλαβείᾳ συντετηρημένης, καὶ τῇ τῶν ἠθῶν κοσμιότητι καθαρὺς, καὶ τῇ τῶν ἱερῶν γραφῶν γνώσει περιχοῦντας, φροντίσαντες ἀπεστάλκαμεν πρὸς σε, καθὼς ἐν τοῖς προμνημονευθεῖσι γράμμασι διεμηνυσάμεθα· οἷς ἂν μετ' αὐτῶν περὶ πάντων, ὧν εἰς συζήτησιν ἔλθοιτε, πιστῶς καὶ σωφρονικῶς ἐπιφέρης, καὶ διερμηνευτικῶς, ἐν τῷ τρόχῳ, τοῦ ἐντὸς τροχοῦ τοῦ ἀποδειχθέντος τῷ Ἰεζεκιὴλ, δυνηθῆς ἀκοῦσαι τὴν φωνὴν τῆς βροντῆς καὶ καταπείσασθαι ἐν τῷ ὑάλῳ τῆς θαλάσσης· ὅτι ὁ εἰς Ἀδὰμ ὁ τεθεὶς εἰς ἔργον, καὶ φυλακὴν τοῦ παραδείσου, καὶ ἡ δοθεῖσα αὐτῷ μία γυνὴ, προτυποῖ τὸν ἕνα κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν κτισθέντα ἐν δικαιοσύνῃ, καὶ ἁγιότητι ἀληθείας, καὶ τὴν μίαν νυμφὴν τὴν αὐτοῦ ἐκκλησίαν· ὅτι ὁ Λαμὲχ, ὃς τὸν παρανομοῦντα σημαίνει, ἐν τῷ τὴν μίαν γυναῖκα διαμερίσαι εἰς δύο, αἱμοχαρὴς ἐγένετο, καὶ ἄνδρα ἀπέκτεινεν εἰς τραῦμα αὐτοῦ· Ἔτι οὐκ ἀναγινώσκεται εἶναι ἑτέρα κιβωτὸς εἰ μὴ μία. ὡς γὰρ τὰ πάντα τῷ κατακλυσμῷ διεφθάρησαν, εἰς ἕνα πατριάρχην ἀφεθεῖσα ἡ ἐκκλησία, ὀλίγας ψυχὰς πλειότητος ἀριθμοῦ διεφύλαξεν· καὶ τὸν νόμον δεύτερον ὁ Θεὸς οὐκ ἄλλον δέδωκεν, ἀλλὰ τὸν αὐτόν· ὥσπερ τὰ δύο χερουβὶμ τὰ ἐπισκιάζοντα τὸ ἱλαστήριον, οὐκ ἀλλαχόθεν ἐπέστρεφον, ἀλλ' ἔβλεπον πρὸς ἓν πρόσωπον· καὶ τὸν ἕνα χιτῶνα τοῦ Ἰωσὴφ τὸν ὄντα ὑφαντόν· καὶ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν τὸν ἕνα ἄῤῥαφον χιτῶνα· πλὴν ἐὰν δηλοῖ ἔννοια τῆς εὐχαριστίας τῆς θείας εἰς διαφορὰν ἕλκει τὸ ὑμέτερον ἀπὸ τοῦ ἡμετέρου· πρόσχες, ὅτι οὐκ ἔστιν ἕτερον, οὐδὲ διαφέρει τοῦ ἑνὸς κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ πρῶτον προσλαβόντος δι' ἡμᾶς σάρκα παθητὴν, καὶ μετὰ θάνατον παντελῶς διαμείναντος ἀπαθοῦς, καὶ τοῖς Γραικοῖς, καὶ τοῖς Λατίνοις ἴσον τὸ μυστήριον τῆς ἡμετέρας σωτηρίας πολυτρόπως οἰκονομήσαντος. ὁ Γραικὸς προστρέχων πρὸς τὴν πίστιν μετὰ τοῦ νεωτέρου μαθητοῦ, καὶ τοσαύτης χάριτος οὐκ ἀχαριστωθεὶς τῆς ἐκείνου ἀξιότητος, ἣν ὁ Θεὸς ἵλεως ἀνθρωπίνοις συνέπαθεν, ἄνθρωπος θελήσας παθητὸς γενέσθαι, καὶ ἐκλεγόμενος καθημέραν καὶ μνημονεύων θυσίαν ἀναφέρειν ἀποκαταστήσας, καθὼς ὁ ἀπόστολος λέγει· ὅτι ἐκ τῆς ζύμης τὸ φύραμα φθείρεται, ἐνζύμου φθορᾶς δὲ περὶ τῆς ἀναστάσεως τὸ κυριακὸν σῶμα ἀποκεῖσθαι ἠδύνατο, καθὼς δέδεικται. ὁ Λατῖνος δὲ μετὰ τοῦ πρεσβυτέρου Πέτρου ἀκολουθήσας τοῖς γράμμασι τοῦ μνημείου, ὅπου ἐκπορεύεται πνευματικὸς νοῦς, πρῶτος εἰσῆλθεν, καὶ τὰ ὀθόνια κείμενα εἶδεν, τὰ τὸ ἱερὸν καὶ ἅγιον σῶμα ἐντυλίσσοντα, ὅπερ σημαίνει τὴν ἐκκλησίαν· χωρὶς γὰρ τὸ σουδάριον ὃ ἦν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, τὴν θυσίαν τοῦ δεδοξασμένου σώματος ποιῆσαι θαυμαστοτέρως ἐν ἀζύμοις εἰλικρινείας ἐξελέξατο· ἀλλὰ τὰ ἀμφότερα ψωμία ἁπλῶς ψωμία ἐστὶ περὶ τῆς θυσίας· μεταβαλλόμενα δὲ διὰ τῶν κυριακῶν ῥημάτων, ψωμία οὐκ ἔστιν· καὶ διὰ τοῦτο ὅτι ἔνζυμον, ὅτι ἄζυμον δύναται λέγεσθαι· ἀλλὰ μᾶλλον ἄρτος πιστεύεται ἐκεῖνος εἶναι ὁ ἄρτος ὁ ζῶν ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβὰς καὶ διδοὺς ζωὴν τῷ κόσμῳ. Ταῦτα, καὶ τὰ τούτοις ὅμοια ἐδίδαξεν ὁ θεόπνευστος τοῦ Πέτρου χαρίσματι τοῦ πνεύματος, καὶ ὑγιῶς συνέσει. ἄφιλον καὶ σύ πάντα τὸν νεώτερον μαθητὴν τὸν ἰδόντα, καὶ πιστεύσαντα ἀκολουθήσας, ἀσφαλῶς ἐν πάσαις συνέσεσι, καὶ μεθ' ἡμῶν ἴσως ἀληθῶς ψάλλειν ἐκεῖνο τὸ δαβιδικόν· Ἰδοὺ δή τι καλὸν, ἢ τι τερπνὸν, ἀλλ' ἢ τὸ κατοικεῖν ἀδελφοὺς ἐπὶ τὸ αὐτό. Ἐδόθη ἐν Λατερανοῖς, πέμπτῃ καὶ δεκάτῃ Καλάνδας Ἰουνίου, ἑβδόμῳ ἔτει τῆς ἡμετέρας Ἀρχιερωσύνης.

Aymonem & Rodulphum de Minorum Ordinibus Fratres, viros virtute, religione conſpicuos, morum honeſtate præclaros, & Scripturarum ſacrarum ſcientia præditos, juxta quod tibi per memoratas litteras intimare curavimus, ad te duximus deſtinandos: ut ſi cum eis de omnibus, quæ in quæſtionem veniunt, tractare fideliter, & ſocialiter conferre decreveris, in rota, quæ infra rotam Ezechieli oſtenſa eſt, vocem — Ezech. 1. & 10.
poteris audire tonitrui; & in mari vitreo ſpeculari, quod unus Adam collocatus ad opus & cuſtodiam paradiſi, unam eſt ſortitus uxorem, unum Dominum Jeſum Chriſtum in juſtitia & veritatis ſanctitate creatum, & unicam ſponſam ejus Eccleſiam præfigurans: quod Lamech, qui — Figuræ unitatis Eccleſiæ. — Gen. 4. 19.
humiliatum ſonat, dum uxorem unam diviſit in duas, ſanguinarius factus eſt, & virum in ſuum vulnus occidit: quod alia, præter unam, — Gen. 6. & 7.
arca non legitur, quæ cuncta vaſtante diluvio, ſub unius Patriarchæ remigis potentatu, paucas animas ſub perfectionis numero reſervavit: quod — ac 1. Petr. 3. & 2. Pet. 2.
legem Dominus ſecundo dedit, non alteram ſed eamdem: quod duorum — Exod. 26. 11.
Cherubim, qui propitiatorium obumbrant, non aliorſum verſi, ſed reſpicientes erant eorum vultus ad unum: & unam Joſeph tunicam fuiſſe — Exod. 25. & ad Hebi 9.
talarem: & noſtri Salvatoris inconſutilem veſtem unam. Verumtamen ſi dubietatis ſenſum circa auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, veſter diverſus a noſtro ritus inducit: attende quod non ſit aliud nec diverſum unius Domini Jeſu Chriſti prius in aſſumpta propter nos carne paſſibili, poſt ſicut a morte, ſic ab omni paſſibilitate prorſus immunis, a Græcis pariter & Latinis noſtræ ſalutis myſterium frequentatum. Græcus — Jean. 20. 2.
ad fidem cum diſcipulorum juniore præcurrens, & tantæ gratiæ non ingratus, illius dignationis, qua Deus compaſſus miſeriæ humanæ homo voluit eſſe paſſibilis, eligens quotidie reminiſci, hoſtiam offerri conſtituit — Agit de azymo & fermentato.
fermentatam: ut Apoſtolo dicente, quod ex fermento maſſa corrumpitur, — 1. Cor. 5. & Galatæ 5.
in fermentato corruptionis, cui ante reſurrectionem Corpus Dominicum ſubjacere potuit, oſtendatur. Latinus vero cum Petro ſeniore ſecutus — Jean. 20.
litteræ monumentum, de qua procedit ſpiritalis ſenſus, prior introivit, & linteamina poſita, quæ ſacroſanctum Corpus, quod Eccleſiam ſignat, involuerant, ſeparatumque ſudarium, quod fuerat ſuper caput, aſpexit: Sacramentum glorificati Corporis celebrare mirificentius in azymis ſinceritatis elegit. Sed utique panis ſimplex ante ſacrificium panis eſt: Tranſubſtantiatione vero facta per verba Dominica, panis non eſt, & ideo nec fermentatus, nec azymus dici poteſt. Sed ille potius creditur eſſe — Joan. 6. 51.
panis vivus qui deſcendit de cœlo, & tribuit vitam mundo. Hæc & his ſimilia docuit Petri Sedem unctio ſpiritus, & ſanitas intellectus. Utinam & tu tamdem aliquando juniorem diſcipulum, qui vidit & credidit, ſecutus introeas, ut omnibus intellectis, nobiſcum vere pſallas illud Davidicum: Ecce quam bonum, & quam jucundum habitare fratres — Pſal. 132.
in unum. *Datum Lateran. decimoquinto Kalendas Junii Pontificatus noſtri anno ſeptimo.*

IX. Quid hi Apocriſarii fecerint in hac miſſione, quomodo cum Patriarcha, Imperatore, aliiſque Græcorum Prælatis egerint, facile erit nobis referre ex ampla & plena ipſorum relatione data ipſi Pontifici Gregorio, quam integram læti exſcripſimus ex codice MS. archivi Vaticani inſcripto *Cencii Camerarii*, in quo antiquo charactere fol. 329. & ſequentibus tota rei ſeries habetur. Illa porro ita ſe habet ſub compen-

Refertur iter & hiſtoria Apocriſariorum hujus legationis.

dio. Quibuſdam conſumptis in itinere menſibus tandem ineunte proximo anno, Nicæam, Aſiæ, & Bithyniæ Metropolim, in qua celeberrima illa Synodus contra Arii dogmata celebrata eſt, ubi etiam Germanus Patriarcha, & Cæſ. Fl. Joannes III. Ducas. P. F. Aug. Imp. Græcorum in Aſia, hærebant, pervenerunt Dominica prima poſt octavam Epiphaniæ, occurrentibus eis longe a Civitate Nunciis utriuſque tam Imperatoris, quam Patriarchæ, qui læte advenientes exceperunt. Deinde obviam proceſſerunt majoris Eccleſiæ Canonici, quibus, & Nunciis prædictis ſtipati, ducti ſunt cum magna majeſtate in Civitatem, deinde in antiquam & nobilem illam Eccleſiam, in qua præmemorata Synodus celebrata eſt, & oſtenſi eis in parietibus depicti ſancti Patres, qui illi interfuerunt Concilio. Demum per præcipuas plateas longo circuitu, & magnifico comitatu venerunt ad hoſpitii locum, honorifice Imperatoris juſſu præparatum, miniſtratis laute & abundanter quibuſcumque ad refectionem corporis neceſſariis. Sequenti die ſuas litteras Patriarchæ in publica aula dederunt, conſedentibus & circumſtantibus univerſis Urbis Eccleſiaſticis, præmonitis ut legationi referendæ adeſſent. Diploma, ut accepit Patriarcha, oſculatus eſt magna cum reverentia, & ad ſuos converſus inquit: Πέτρος Παῦλος, verba referens ad inſculptas effigies, & expreſſa nomina Sanctorum Apoſtolorum in plumbo pendenti. Interrogati deinde an velut Legati Sedis Romanæ acceſſerint, vel Concilium indici vellent; reſponderunt: pro Apocriſariis aut meris Nunciis miſſos, non ad Concilium convocandum, ſed cum ipſo Patriarcha tractandum, neque velle ut Legatorum honores ſibi deferrentur. Contendente vero Patriarcha, vel minimo Nuncio Papæ veteris Romæ ſummos deberi honores, iiſque gratias agentibus, multis hinc inde curialiter dictis, redierunt domum magna & præcipua Cleri parte comitante. Feria tertia per Nuncios præmoniti ut in Imperatoriam aſcenderent, acceſſerunt, Imperatorem ſalutarunt, ea qua decuit reverentia, gratias reddentes pro acceptis honoribus & beneficiis, qui amicabiliter & benigne eos excepit, præſente Patriarcha cum magna parte Cleri; coram quo cauſam ſui adventus expoſuerunt, addentes, Patriarcham litteras recepiſſe, eamdem plenius exprimentes. Actum deinde eſt de illorum poteſtate, quam dixerunt ex litteris Pontificiis conſtare, & Pontificem ratum habiturum, quidquid illi circa unionis negotium concluderent. Statim ergo tractatum eſt de modo, quo in hac cauſa procedendum eſſet, an publica diſputatione, vel amica collatione? an in aperto Concilio, vel cœtu privato? Reſpondentibus Apocriſariis, ſe non ad diſputandum circa aliqua, de quibus Eccleſia Romana dubitaret, miſſos, ſed ad agendum de unione utriuſque Eccleſiæ, & explicanda amice ea, de quibus

Cauſa ſchiſmatis.

illi dubitabant, vel propter quæ receſſerunt. Tandem multis hinc inde prolatis de cauſa vel modo receſſus, deventum eſt ad duo ſeparationis capita, nimirum differentiam circa proceſſionem Spiritus ſancti a Filio, & conſecrationem Latinorum in azymis. De his itaque determinatum eſt, ut tractaretur; monuerunt tamen Apocriſarii, rem graviſſimam eſſe, mul-

multamque præmittendam orationem, in ſacroſanctiſque Sacrificiis petendum, ut Deus dignaretur illorum mentes illuminare, & Spiritus ſanctus infundere, quid æque & digne de ſua proceſſione eſſet proferendum.

X. Aſſignata eſt Apocriſariis Eccleſia pro ſuo cultu juxta hoſpitii Sedem, in qua indulſit Patriarcha, ut, qui vellent, ritui intereſſent Latinorum, licet ante publicatam facultatem quidam ex Papatibus, ſeu Miniſtris Græcis dixerit in Latinum laicum ſententiam, quia ſacrificio interfuit Pontificiorum. Toto die Mercurii inſtiterunt precibus & jejuniis, die vero Jovis vocati in Cæſaris Palatium, ubi inchoata eſt prima collatio de Spiritus ſancti proceſſione, licet Apocriſarii quibuſdam de cauſis voluerint, ut ab alia controverſia de Sacramento altaris inciperetur. Propoſita Græcorum fide per Patriarchæ Cartophylacem, deventum eſt poſt varias diſceptatiunculas ad rei medullam, an ſcilicet catholice aſſerendum erat, Spiritum ſanctum a Patre Filioque procedere? In eo per aliquot dies multum & acriter inſtiterunt Græci, temere & contra veram fidem, ſanctorumque Patrum doctrinam additum a Latinis illud verbum *Filioque* Symbolo fidei, præcipue contendente Patriarcha ex epiſtola Cyrilli Alexandrini ad Joannem Antiochenum, quæ incipit: *Lætetur cælum, & exultet terra* non licere mutare, addere, nec detrahere voculam illam Symbolo Nicæno. Prolata in medium & lecta coram omnibus ad Apocriſariorum inſtantiam ipſa Epiſtola, docte monuerunt non vetuiſſe Cyrillum, ut ulla vocis vel dictionis additio fieret ad ipſum Symbolum, ſed ad fidem Symboli, ut ipſe exprimit Cyrillus ibidem, atque in ipſis illis verbis ex epiſtola lectis obiter docuiſſe Spiritus proceſſionem a Filio. Dum itaque nihil ex Cyrillo poterant probare, neque ex eo condemnare additiunculam illius voculæ a Latinis factam; palam interrogarunt an confiterentur Latini aperte, ſe quidpiam Symbolo addidiſſe. Intelligentes quo hæc interrogatio tenderet, & quam vociferationibus, remorationibuſque fomitem præberet, ſi palam admitteretur, factam fuiſſe additionem, Apocriſarii rogarunt, ut Symbolum, cui prætendebant hanc factam additionem, legeretur. Recitantibus autem illis Conſtantinopolitanum, inſtiterunt hi ut legeretur Nicænum, cui ex utriuſque collatione, cum evidenter conſtaret plura addita in Symbolo Conſtantinopolitano, contenderentque Apocriſarii non minus eo damnandos Patres Concilii Conſtantinopoleos propter plura addita, quam Latinos ex illa additiuncula; ſuo ſe argumento videntes irretitos Græci, negabant additionem eſſe, ſed clariorem explicationem; quam etiam ſolutionem ſtatim retorſerunt in eos Apocriſarii. Non valentes illi vim reſponſionis effugere, iterum eo reverſum eſt, an veræ fidei hæc ſit explicatio, vel corruptæ additio, in eoque hærere negotii cardinem, an vere ita ſe res habuerit, ut a Filio Spiritus proceſſerit? Supererat ſola rei probatio, quam nullo argumento melius afferre poterant, quam ſi hoc ex ſanctis Patribus, ſed præcipue Græcis oſtenderent. Expanſis itaque multis libris & codicibus Græcis, quos ſecum ex Conſtantinopoli attulerant, multa congeſſerunt loca, præſertim ex Cyrillo, quibus id aperte teſtatum comprobarunt. Deinde cum ultra hæc expeteretur ſacræ Scripturæ teſtimonium, præter cetera prolata, valde urſerunt illud ex Joan. Evangelio: *Cum venerit Spiritus veritatis, ille vos docebit omnem veritatem*; egregiis rationibus & deductionibus oſtendentes, propterea dici ſpiritum veritatis, quia etiam ſpiritus eſt Filii, cui veritas appropriatur.

Diſputatur de proceſſione Spiritus ſancti.

Cyril. ep. 18. & habetur in 3. p. Concil. Epheſ.

XII. Ina-

XI. Inanibus ſubterfugiis contendentibus Græcis hinc inde dilabi, objectas rationes infringere, & tempus protrahere, tamdem propoſita eſt per Apocriſarios ſecunda quæſtio, de materia Sacramenti Euchariſtiæ, compendioſe & nervoſe uſum probantes Latinorum. Unicum & ultimum excogitavit ſuæ preſſuræ remedium Patriarcha, videlicet allegare non ſuum dumtaxat hoc eſſe negotium, neque ad eum ſolum ſpectare quæſtiones iſtas dirimere, nec unionem perficere; ſed ad Confratres ſuos Patriarchas Hieroſolymitanum, Antiochenum, & Alexandrinum, hæc etiam attinere. Hos itaque ſe convocaturum dixit in Concilium ad Martii medium, cui ut intereſſent Apocriſarii rogavit coram Imperatore ſequenti die diſceſſuro. Reſponderunt, neque ad Concilium, neque ad alios Patriarchas ſe a Pontifice miſſos, attamen ei, ſi placeret, in poteſtate eſſe Synodum congregare; atque in ea de ſancta & deſiderabili unione tractare, ſe vero Conſtantinopoli operituros Patriarcharum determinationem, ut eam referant Pontifici. Bona cum Patriarchæ venia e Nicæa receſſerunt verſus Conſtantinopolim, ubi ad tempus ſtatutum ejus expectarunt reſponſum. Tunc autem ſupervenerunt litteræ Patriarchæ, in quibus rogabat eos, ut Leſcharam vellent ire, quo quantocius ſuperventuri erant Prælati. Ægre hoc tulerunt Apocriſarii, ut eo tempore, quo rei exitum ſperabant excipere, vocarentur contra conventionem eo loci, quo adhuc Prælatorum nullus confluxerat. Reſponderunt itaque denuo, ſe non poſſe ad Concilium coire; ad quod ingemuit Patriarcha dicens, ſe perdidiſſe oleum & operam, nec ibi quidquam poſſe abſque eis pertractari, juſteque proinde Eccleſiarum Prælatos de ipſo conqueſturos, quod e ſuis ſedibus eos diſturbarit. Quare tertio hoc idem rogans, adhibuit interceſſores Imperatorem, & venerandos Patres fratrem Benedictum Aretinum Miniſtrum Romaniæ, & fratrem Jacobum de Ruſſano, quem hoc anno diximus miſſum ad Georgianos, qui tunc Conſtantinopoli hærebant, ad quos ſuas litteras dedit ſuper hoc Patriarcha, addens quod ſi ad Concilium renuerent accedere, non abſque fundamento diceret, eos pacem aut unitatem haud deſiderare.

XII. Imperator inſuper e Leſchara proprium deſtinavit nuncium, conteſtans, ut eo transfretarent, dicens, navim & omnia itineri neceſſaria in promptu haberi. Inito cum viris piis & doctis conſilio, ſtatuerunt tamdem acquieſcere, movitque ad accelerationem itineris periculum Civitatis Conſtantinopolitanæ deſtitutæ præſidio, abeuntibus omnibus militibus ſtipendiariis propter Balduini Imperatoris, ſive ejus curatoris anguſtias, qui unde ſolveret, non habebat: naves item Venetorum, Piſanorum, Anconitanorum, & aliarum Nationum jam ſolvere volebant, cogitantes de regreſſu imminentibus undique Civitati inimicis, ab Aquilone Aſano Rege Bactrorum, ab Oriente & Meridie Vatatio, ab Occidente Emanuele. Solventes igitur Conſtantinopoli Dominica tertia Quadrageſimæ, quæ ultima erat Martii, prius inito tractatu de induciis poſtulandis a Vatatio, venerunt ſequenti die in locum Calogorum, ſupra mare ſitum, unde ſcripſerunt ad Patriarcham, monentes, ſe Leſcharam tendere, & rogantes ut quamprimum cum ceteris velit adeſſe, atque alias præmiſerunt litteras ad Imperatorem, ut ſciret, eos eſſe in itinere. Deinde Dominica *Lætare* venerunt Lupardium, ſequenti vero die Leſcharam appulerunt; at feria quinta exceperunt Imperatoris Nuncium, & epiſtolam, qua monebat, non ibi, ſed Nimphæ ſeu

Digitized by Google

ſeu Nymhææ ad pontum Euxinum congregandam Synodum. Illi vero reſponderunt, ſe nequaquam illinc poſſe recedere abſque Patriarchæ reſponſo, & timere ne poſtea per Patriarchas a Nimpha Leſcharam revocarentur. Sequenti die Sabbati ſupervenit Nuncius Patriarchæ per litteras ſignificantis, intimatum ſibi Imperatoris deſiderium de celebranda Synodo Nimphæ ſe præſente; & rogantis, ut juxta illius votum vellent præcedere, ſe vero cum Prælatis brevi ſecuturos. Itaque Dominica in Paſſione abierunt ad ſtatutum locum, gratanter ab Imperatore excepti, nec diu moratus eſt Patriarcha, die Jovis adveniens, nil tamen potuit fieri illis diebus, quantumvis rem urgerent Apocriſarii, hortantibus & rogantibus Imperatore & Patriarcha, ut patienter ferrent, & expectarent adventum Patriarchæ Antiocheni, permitterentque, ut ſacris illis diebus orationi & myſterioſis ritibus Dominicæ Paſſionis recolendæ inſiſteretur.

XIII. Feria ſecunda poſt Paſcha congregatis Prælatis in domo Patriarchæ Conſtantinopolitani, vocati ſunt ad Cætum Apocriſarii, in quo propoſuerunt quid actum ſit Nicææ, & quomodo propter pacis & unionis deſiderium patienter tulerint, ut convocarentur præcipui Orientis Prælati, quomodo vaſta terræ, mariſque ſpatia emenſi ſunt, qualiter etiam tot vitæ diſcriminibus ſemet expoſuerunt, eo ſolo fine ut fraternitatis & unitatis vinculo Græci cum Latinis colrent; neque ſe velle, ut a capite res tota inciperetur, ſed a ſecunda adhuc indiſcuſſa quæſtione de Sacramento altaris, originem ſuſciperet collatio. Illi e contra contendebant rem totam a capite coram ipſis agitandam, incipiendumque tamquam a potiori dubio a proceſſione Spiritus ſancti, ſed in eam ventum eſt ſententiam, ut recitaretur quid Nicææ geſtum ſit, deinde diſputaretur de azymo & fermentato; & ſi quid dubii ſupereſſet Theologis Nicænis, aliiſve de proceſſione Spiritus ſancti, redigeretur in ſcripta, & utrimque offerretur. Archiepiſcopus autem Samaſtriæ in Flagonia Ægyptianæ regionis, neſcio quid commentus eſt duplicis Sacramenti Euchariſtiæ in ſuperioribus litteris Pontificiis, quas Apocriſarii detulerant Conſtantinopolitano, in cujus dubii explicatione, & tenaci hujus contradictione nonnihil temporis inſumptum eſt. Tamdem poſt multas diſceptationes & querelas hinc inde exhibitas de injuriis exceptis, & prætenſis per utriuſque fidei viros in odium profeſſionis Græcæ & Latinæ, tamdem contendentibus Græcis, & ſubſcribentibus Patriarchis, ſinguliſque Prælatis, præcipue præfato Archiepiſcopo Samaſtriæ, hæreticum eſſe, & in viam perditionis abire, qui dixerit poſſe confici in azymis, pactum eſt, ut illi fidem hanc ſuam circa conſecrationis materiam, Apocriſarii etiam ſuam circa proceſſionem Spiritus ſancti ſciberent, & ſcriptam traderent. Data utrinque ſcripta hæc, quæ ſubminiſtramus ad controverſiæ clariorem notitiam, & rei actæ a Pontificiis auctoritatem.

PRO-

PROFESSIO FIDEI GRÆCORUM,

Qui convenerant in Synodo Nimphæ celebrata circa materiam, in qua conficiendum erat Sacramentum altaris.

XIV. *QUæſierunt a nobis honorabiliſſimi Apocriſarii Sanctiſſimi Papæ antiquioris Romæ, ſi poſſunt conficere Anematon, hoc eſt, ſacrificium Corporis Chriſti in azymis? & reſpondimus, impoſſibile eſſe hoc hominibus volentibus ſequi novam gratiam, propter eam quam a principio traditionem Salvator tradidit ſanctis ſuis Diſcipulis & Apoſtolis per fermentatum panem ſecundum tenorem Evangeliorum. Tradiderunt autem & ipſi hujuſmodi myſterium, quale & ipſum acceperunt ſecundum ſermonem Magiſtri Pauli ſcribentis ad Corinthios, ſic*: Fratres ego accepi a Domino, quod & tradidi vobis; quoniam Dominus Jeſus, in qua nocte tradebatur, accepit Arton, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis frangitur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem poſtquam cænavit dicens, hic calix novum teſtamentum eſt in ſanguine meo; hoc facite quotieſcumque bibetis in meam commemorationem; quotieſcumque enim comedetis panem hunc, & hunc calicem bibetis mortem Domini annunciabitis; *quia ego ſic & vos accepimus a bonæ famæ Apoſtolis, ſicut & ipſi acceperunt a Chriſto, & ſic tenent quatuor Eccleſiæ Diœceſes Orbis uſque nunc. Æſtimamus autem, quod & Diœceſis antiquioris Romæ, & ſic accepit & tenebit. Propter hoc dicimus, quod non poteſt conſummari ſacrificium per azyma, ut azymo per ſe exiſtente, cujus typus ceſſavit legalis ſervitutis. Et hæc quidem ſcripſimus quaſi in compendio ſecundum Apocriſariorum voluntatem non patientium audire latius. Si autem quærantur a nobis auctoritates, & probationes ſermonis noſtri, tunc dilatabimus & a veteri & a novo Teſtamento. Menſe April. Indictione* VII. *I. Cartofilax Sanctiſſimæ magnæ Dei Eccleſiæ Conſtantinopolis, ex præcepto Sanctiſſimorum Patriarcharum univerſalis Teupolitanæ, magnæ Antiochen. & eorum qui cum eis aderant, Præſulum ſubſcripſi.*

1. Cor. 11.

XV. Lecta

XV. Lecta eſt publice hæc fidei profeſſio in ipſa Synodo; deinde tradita venerabilibus Apocriſiariis, qui ad eamdem reſponderunt, prout infra ſubjiciemus. Deinde ſuam tradiderunt, prius lectam coram omnibus, profeſſionem circa Spiritus ſancti proceſſionem, tenoris ſubſequentis.

Digitized by Google

ΟΡΟΣ ΤΩΝ ΑΠΟΚΡΙΣΙΑΡΙΩΝ ΤΟΥ ΓΡΗΓΟΡΙΟΥ ΠΑΠΑ Θ·

Ὅτι τὸ Πνεῦμα τὸ Ἅγιον ἐκ τοῦ Πατρὸς καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεται.

Δόγμα περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου πνεύματος ἀπ' ἀμφοτέρων.

Ὁ Πατὴρ ἐστὶ πλήρης Θεὸς ἐν ἑαυτῷ, ὁ υἱὸς Θεὸς πλήρης ἀπὸ τοῦ Πατρὸς γεννητὸς, τὸ πνεῦμα τὸ Ἅγιον πλήρης Θεὸς ἀπὸ τοῦ Πατρὸς, καὶ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορευόμενον· καὶ τὸ πνεῦμα μὲν ἐκ τοῦ υἱοῦ ἐκπορεύεται ἀμέσως, ἀπὸ τοῦ πατρὸς μεσιτεύοντος τοῦ υἱοῦ. Τὸ δὲ, ὅτι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκπορεύεται ἀπὸ τοῦ υἱοῦ, τοῦτο ἔχει ὁ υἱὸς ἀπὸ τοῦ πατρός. Διὰ τοῦτο, ὅστις πιστεύει ὅτι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον οὐκ ἐκπορεύεται ἀπὸ τοῦ υἱοῦ, ἐν ὁδῷ ἀπωλείας ἐστίν· ὅθεν ὁ ἅγιος Ἀθανάσιος ὅταν ἐν τοῖς μέρεσι τοῖς Δυτικοῖς ἐξόριστος ἦν, ἐν τῇ ἐκθέσει τῆς πίστεως, ἣν τοῖς Λατινικοῖς ῥήμασι διεσάφησεν, οὕτως ἔφη. Ὁ πατὴρ ἀπ' οὐδενός ἐστι ποιητὸς, οὔτε κτιστὸς, οὔτε γεννητός· ὁ υἱὸς ἀπὸ τοῦ πατρὸς μόνου ἐστὶ, οὐ ποιητὸς, οὔτε κτιστὸς, ἀλλὰ γεννητός· τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἀπὸ τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, οὐ ποιητὸν, οὐδὲ κτιστὸν, οὐδὲ γεννητὸν, ἀλλ' ἐκπορευτόν· καὶ ὁ αὐτὸς ἅγιος Ἀθανάσιος ἐν τῇ ἐκθέσει τῆς πίστεως, ἣν ῥήμασι γραικοῖς ἐξηγήσατο, οὕτως ἔφη κατὰ ῥῆμα· τὸ πνεῦμα δὲ τὸ ἅγιον ἐκπόρευμα ὂν τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ πάντα φέροντος υἱοῦ, δι' οὗ ἐπλήρωσε τὰ πάντα· ὅθεν καὶ ὁ μακάριος Γρηγόριος, ὅστις δικαίως θαυματουργὸς λέγεται, τῆς Νεοκαισαρείας ἐπίσκοπος, ἐν τῇ ἐκθέσει τῆς πίστεως, ἣν δι' ἀποκαλύψεως παρὰ τοῦ μακαρίου Ἰωάννου τοῦ Εὐαγγελιστοῦ μεσιτευούσης τῆς θεογεννητορος ἔσχεν, ἀριδήλως οὕτως κέκραγε λέγων· εἷς Θεὸς πατὴρ λόγου ζῶντος, σοφίας ὑφεστώσης, καὶ δυνάμεως, καὶ χαρακτῆρος αἰωνίου, τέλειος τελείου γεννήτωρ, πατὴρ υἱοῦ μονογενοῦς, εἷς κύριος μόνος ἐκ μόνου, Θεὸς ἐκ Θεοῦ, χαρακτὴρ καὶ εἰκὼν τῆς θεότητος, λόγος ἐνεργὴς, καὶ τὰ λοιπά· ὧδε περὶ υἱοῦ λαλῶν, λέγει μόνος ἐκ μόνου· οὐχὶ τοίνυν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ μόνου· ἐκ τοῦ πατρὸς οὐκοῦν, καὶ ἄλλου, ἐπειδή ἐστιν ἀπότιπος· ὅταν δὲ λέγομεν ἐκ τοῦ πατρὸς, καὶ ἄλλου· οὐ λέγομεν ἐξ ἄλλου κατὰ τὴν οὐσίαν· ἀλλὰ κατὰ τὴν ὑπόστασιν· ὅτι δὲ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ υἱοῦ ἐστιν ἀμέσως, ἀπὸ δὲ τοῦ πατρὸς μεσιτεύοντος τοῦ υἱοῦ, διαμαρτύρεται ὁ μέγας Γρηγόριος ὁ Νυσσαέων οὕτω λέγων· τὸ ἀπαράλλακτον τῆς φύσεως ὁμολογοῦντες, τὴν κατὰ τὸ αἴτιον, καὶ τὸ αἰτιατὸν διαφορὰν οὐκ ἀρνούμεθα· ἐν ᾧ μόνῳ διακρίνεσθαι τὸ ἕτερον ἀπὸ τοῦ ἑτέρου καταλαμβάνομεν, τὸ μὲν αἴτιον πιστεύειν εἶναι, τὸ δὲ ἐξ αἰτίου, καὶ τὸ ἐξ αἰτίας ὄντος· πάλιν ἄλλην διαφορὰν ἐννοοῦμεν· τὸ μὲν γὰρ προσεχῶς ἐκ τοῦ πρώτου, τὸ δὲ διὰ τοῦ προσεχῶς ἐκ τοῦ πρώτου· ἐπειδὴ ἐκείνῳ ᾧ τινι διαφέρουσί τινα ἀδυνατόν ἐστι τὸ ἀμφοτέροις ἁρμόζεσθαι· τὸ προσεχῶς εἶναι ἐκ τοῦ πρώτου ἢ μόνον τῷ υἱῷ, ἢ μόνον τῷ ἁγίῳ πνεύματι ἁρμόζεσθαι ἀναγκαῖόν ἐστι· λέγουσιν οἱ ἅγιοι, ὅτι μεταξὺ τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, οὐδέν ἐστι μέσον· μόνος οὐκοῦν ὁ υἱὸς ἐκ τοῦ πατρὸς προσεχῶς ἐστιν· ἔστι δὲ κοινὴ ἔννοια, ὅτι περ οὖν ἐστὶν ἀπό τινος, ἀπό τινος ἐστὶ προσεχῶς· ἐπειδὴ οὖν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἀπό τινός ἐστιν, ἀπὸ τινός ἐστι προσεχῶς· ἀλλ' οὐκ ἔστιν ἀπὸ τοῦ πατρὸς προσεχῶς, ὡς ἤδη ἐδείχθη· οὐκοῦν ἀπὸ τοῦ υἱοῦ ἐστι προσεχῶς. Τούτοις τοίνυν τοῖς ἁγίοις πατράσιν ἡμῶν ἀλλὰ καὶ τῷ μακαρίῳ Ἀμβροσίῳ ἐπισκόπῳ Μεδιολάνου, καὶ τῷ μακαρίῳ Αὐγουστίνῳ τῷ

Ἐκ συμβόλου τοῦ Ἀθανασίου. *Ἀθανασ.* *Ἑρμη. ἐκ. Γρηγ. Θαυματουργ.* *Γρηγορ. Νυσσ. πρὸς Ἀβλάβιον.* *Ἀμβρόσ. λέγων.*

Ἱππο-

DEFINITIO APOCRISIARIORUM

GREGORII PAPÆ IX.

Quod Spiritus ſanctus a Patre Filioque procedat &c.

Pater * *perfectus Deus eſt in ſeipſo, Filius perfectus Deus, a Patre genitus, Spiritus ſanctus perfectus Deus, a Patre & Filio procedens. Procedit autem ex Filio quidem immediate; at ex Patre, mediante Filio. Quod enim Spiritus ſanctus a Filio procedit, id Filius habet a Patre. Propterea quicumque non crediderit Spiritum ſanctum a Filio procedere, in via perditionis eſt. Unde ſanctus Athanaſius, dum in partibus Occidentalibus exulabat, in expoſitione fidei, quam Latinis verbis reddidit, ſic ait:* Pater a nullo eſt factus, nec creatus, nec genitus; Filius a Patre ſolo eſt, non factus, nec creatus, ſed genitus; Spiritus ſanctus a Patre, & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens. *Idemque Athanaſius in expoſitione fidei, quam græcis verbis declaravit, ſic ad verbum inquit: Spiritus autem ſanctus proceſſio eſt patris,* omniaque portantis *Filii, per quem implevit omnia. Unde & ſanctus Gregorius, qui jure dicitur Thaumaturgus, ſeu mirabilium effector, Neocæſareæ Ponti Epiſcopus, in expoſitione fidei, quam per revelationem a beato Joanne Evangeliſta, mediante Dei Genitrice, accepit, ſic apertiſſime exclamavit, dicens:* Unus Deus Pater Verbi viventis, ſapientiæ ſubſiſtentis, & potentiæ ac characteris ſempiterni, perfectus perfecti Genitor, Pater Filii unigeniti, unus Dominus, ſolus ex ſolo, Deus ex Deo, character & imago Deitatis, verbum operativum, *& reliqua. At hic de Filio loquens, dicit:* Solus ex ſolo, *non ergo Spiritus ſanctus ex ſolo eſt: ergo ex Patre & alio, cum ſit ab aliquo. Ceterum dum dicimus,* ex Patre & alio, *non dicimus* ex alio *quoad ſubſtantiam, at ſecundum hypoſtaſim, ſeu ſubſiſtentiam. Quod enim Spiritus ſanctus immediate ex Filio ſit, ex Patre autem mediante Filio, teſtatur Gregorius Nyſſenus ita dicens:* Nos qui divinam naturam differentiæ variationiſve eſſe confitemur expertem, eam quæ circa cauſam & cauſatum conſideratur, differentiam non inficiamur: per quod ſolum comprehendimus, alterum ab altero diſcerni, nimirum eo quod credimus, aliud quidem cauſam eſſe, aliud autem ex cauſa, & ex eo quod ex cauſa eſt. *Quin & aliam rurſus differentiam conſideramus: Nam aliud quidem continenter ex prima cauſa eſt. Cum illi, quo aliqua differunt, utrumque convenire ſit impoſſibile: quare continenter & immediate ex primo eſſe, aut ſolum Filio, aut ſolum Spiritui ſancto conveniat neceſſe eſt: Quod ſi (ut ſancti Patres aſſerunt) inter Patrem & Filium non ſit dare medium; erit igitur ſolus Filius ex Patre immediate, cum & ſecundum communem ſententiam atque intellectum, id quod eſt ab aliquo, ab eodem ſit immediate. Sed cum Spiritus ſanctus ſit ab aliquo, ab aliquo immediate erit: at non eſt a Patre immediate, ſicut nunc oſtenſum eſt; erit igitur immediate a Filio. Sanctos itaque hos Patres, & inter alios beatum Ambroſium Epiſcopum Mediolanenſem, beatum Auguſtinum Civitatis*

** Cod. Vat. plenus.*

Athan. in Symbolo.

Idem in expoſit. fidei ad finem.

Hebræ. 1.

Thaumat. in expoſit. fid.

Nyſſen. lib. quod non ſint tres Dii.

[Ἱερωνυμ. Κύριλ. Σύνοδ. Ἐφέσ.]

Ἱππῶνος πόλεως ἐπισκόπῳ, ἁγίῳ τῷ Ἱερωνύμῳ τῷ ἰσχυροτάτῳ τῶν αἱρετικῶν στρεβλοτήτων καταμαχητῇ ἀκολουθήσας ὁ μακάριος Κύριλλος, καὶ σὺν αὐτῷ ἡ ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ Τρίτη σύνοδος, γεγραμμένον ἡμῖν ἐγκατέλιπον ἐμφανῶς, τὸ πνεῦμα εἶναι ἐκ τοῦ Υἱοῦ. Ὅθεν ὀρθόδοξος οὐκ ἔστιν, ἀλλ' ἐκ τῆς πίστεως ἐξόδιος, ὅστις τοῖς ῥήμασιν αὐτοῦ καταμάχεται. Λέγει γὰρ φανερωτάτως ἐν τῷ ἑαυτοῦ πρὸς τὸν βασιλέα Θεοδόσιον περὶ τῆς ὀρθῆς πίστεως προσφωνητικῷ, τὸ πνεῦμα εἶναι ἐκ τοῦ υἱοῦ, διὰ τούτων τῶν ῥημάτων. [Κύριλ. πρὸς Θεοδόσιον.] Καὶ μὴν ἄνδρα λέγων, τὸν ὅσον οὔπω παρεσόμενον, καὶ ὀφθησόμενον, αὐτὸν ἔφη βαπτίζειν ἐν πυρὶ καὶ ἁγίῳ πνεύματι, οὐκ ἀλλότριον τοῖς βαπτιζομένοις ἐνιέντα τὸ πνεῦμα δουλοπρεπῶς, καὶ λειτουργικῶς, ἀλλ' ὡς Θεὸν κατὰ φύσιν, μετ' ἐξουσίας τῆς ἀνωτάτω, τὸ ἐξ αὐτοῦ καὶ ἴδιον αὐτοῦ. Τί ταύτης τῆς μαρτυρίας φανερώτερον; ὧδε γὰρ φανερώτατα περὶ τοῦ υἱοῦ λέγει· ὅτι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τοῖς βαπτιζομένοις ἐνίησι τὸ ἐξ αὐτοῦ, καὶ ἴδιον αὐτοῦ· καὶ τοῦτο αὐτὸ διὰ τῶν αὐτοῦ ῥημάτων τῷ Ἑρμείᾳ γράφει ὁ αὐτὸς μακάριος Κύριλλος, ἐν τῷ λόγῳ τῷ πρὸς αὐτὸν Ἑρμείαν, οὗτινος ἡ ἐπιγραφή ἐστι. [Κύριλ. πρὸς τὸν Ἑρμείαν. Κύριλ. ἀναθεμ.] Περὶ τῆς ἐνανθρωπήσεως τοῦ μονογενοῦς, καὶ ὅτι Χριστὸς εἷς καὶ Κύριος κατὰ τὰς γραφάς· καὶ ὁ αὐτὸς μακάριος Κύριλλος ἐν τῇ ἑρμηνείᾳ τοῦ ἐνάτου ἀναθεματισμοῦ, τοῦτο αὐτὸ λέγει· ἐν τῷ αὐτῷ γὰρ ἀναθεματισμῷ, ἴδιον εἶναι τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα εἰπὼν, τὸν αὐτὸν ἔνατον ἀναθεματισμὸν ἑρμηνεύων, τινὶ ἐννοίᾳ ἴδιον αὐτοῦ ἐστὶ τὸ πνεῦμα εἶπεν, ἀνέπτυξε λέγων· ἄνθρωπος γεγονὼς ὁ μονογενὴς τοῦ Θεοῦ λόγος, ἀπομεμένηκε καὶ οὕτω Θεὸς, πάντα ὑπάρχων ὅσα καὶ ὁ πατὴρ, πλὴν τοῦ εἶναι πατὴρ, καὶ ἴδιον ἔχων τὸ ἐξ αὐτοῦ, καὶ οὐσιωδῶς ἐμπεφυκὸς αὐτῷ πνεῦμα ἅγιον, καὶ τὰ λοιπά· ὧδε πάλιν φανερώτατα, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ υἱοῦ εἶναι λέγει ὁ ἅγιος Πατὴρ, οὐκ ὀφείλει δέ τι εἶναι ἀμφίβολον, ὅτι τὴν ἔννοιαν ἐκείνην ὧδε ἀνέπτυξεν ὁ ἅγιος, ἥν τινα εἶχεν, ὅτε τὸν ἀναθεματισμὸν ἐξέθετο· [Σύνοδ. οἰκουμ. Ἐφέσ.] τὸν ἀναθεματισμὸν δὲ ἐκεῖνον σὺν πᾶσιν ἄλλοις ἀναθεματισμοῖς ἐδέξατο ἡ ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ Τρίτη σύνοδος ἐν ἐκείνῃ τῇ ἐννοίᾳ, ἐν ᾗ ὁ ἅγιος ἐξέθετο. Ἀρίδηλον γάρ ἐστι τοὺς ἁγίους πατέρας ἐν τῇ ἁγίᾳ προειρημένῃ συνόδῳ συναχθέντας ὅλην τὴν τρίτην τοῦ προειρημένου πατρὸς ἐπιστολὴν πρὸς τὸν ἀσεβῆ Νεστόριον τῆς [Κύριλ. ἐπιστολ. γ'. πρὸς Νεστόρ.] Κωνσταντινουπόλεως ἐπίσκοπον γεγραμμένην, χωρίς τινος δισταγμοῦ ἀναξαντίως δεδέχθαι· γινώσκομεν δὲ ὅτι τῆς προειρημένης ἐπιστολῆς τὸ ἔσχατον μέρος, τοὺς προειρημένους περιέχει ἀναθεματισμοὺς δώδεκα· εἰ δή τις νομίμως ἐπιχειρεῖν τὰ τοῦ Θεοδωρήτου ἐπισκόπου Κύρου ῥήματα ἀσεβέστατα, ἅτινα κατὰ τῶν προειρημένων ἁγίου πατρὸς δώδεκα ἱερῶν κεφαλαίων αὐτὸς ἐξέθηκε, γινωσκέτω τὴν πέμπτην ἁγίαν καὶ οἰκουμενικὴν σύνοδον ἀναθεματίσασαν τοὺς τοῦ προειρημένου Θεοδωρήτου βαβησμοὺς· ὅσοι κατὰ τῶν μακαρίου Κυρίλλου ῥήματα, ἐν οἷς αὐτῷ ἀπεκρίνατο, μόνον οἶδε κατηγορεῖν. [ε. Σύνοδ. οἰκουμ. πρᾶξ. η.] Λέγει γὰρ ἡ πέμπτη ἁγία καὶ καθολικὴ σύνοδος, ἐν Πράξει ὀγδόῃ οὕτως. Κατακρίνομεν καὶ ἀναθεματίζομεν πρὸς τοῖς ἄλλοις πᾶσιν αἱρετικοῖς τοῖς κατακριθεῖσι, καὶ ἀναθεματισθεῖσι παρά τε τῶν εἰρημένων ἁγίων τῶν τεσσάρων συνόδων καὶ ἀπὸ τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας, καὶ Θεόδωρον τὸν γενόμενον ἐπίσκοπον Μοψουεστίας, καὶ τὰ ἀσεβῆ αὐτοῦ συγγράμματα, καὶ τὰ ἀσεβῶς συγγραφέντα παρὰ Θεοδωρήτου, κατά τε τῆς ὀρθῆς πίστεως, καὶ τῶν δώδεκα κεφαλαίων τοῦ ἐν ἁγίοις Κυρίλλου, καὶ τῆς ἐν Ἐφέσῳ ἁγίας τρίτης συνόδου, καὶ ὅσα ὑπὲρ συνηγορίας Θεοδώρου καὶ Νεστορίου αὐτοῦ γέγραπται. Ἐκ τούτων ἀρίδηλόν ἐστιν, ὅτι ἐκεῖνα ἅπερ ὁ Θεοδώρητος κατὰ τῶν δώδεκα κεφαλαίων τοῦ ἐν ἁγίοις Κυρίλλου ἔγραψεν, ἀθέμιτά εἰσι, καὶ ἀσεβείας γέμοντα, καὶ ὅστις αὐτὰ ὡς ἀληθῆ νομικὴν ὑπερηγορίαν ἔχει, ἐχθρός ἐστι τῆς πίστεως· γράφει γὰρ ὁ μακάριος Κύριλ-

*Hipponenſis Epiſcopum, beatum quoque Hieronymum fortiſſimum perverſiſſimorum hæreticorum oppugnatorem, ſecutus beatus Cyrillus, & cum eo univerſa ſancta, & œcumenica Tertia Synodus, perſpicue ſcriptum reliquit, Spiritum ſanctum ex Filio eſſe; unde quiſque ejus verba oppugnat, non orthodoxus eſt, ſed a fide aberrans. Affirmat enim manifeſtiſſime, in ſua ad Theodoſium Regem de recta fide * expoſitione, Spiritum ſanctum ex filio eſſe, hiſce verbis:* Præterea virum dicens, qui mox effuturus & videndus erat, ipſum dicit baptizare, in igne & Spiritu ſancto: Non quod alienum his qui baptizantur, immittat ſpiritum ſervilem in modum, & quaſi miniſtrum; ſed ut Deum ſecundum naturam, cum ſuprema poteſtate, quia ex ipſo & per ipſum &c. *Quid eo teſtimonio clarius? Siquidem hic manifeſtiſſime de Filio dicit, quod Spiritum ſanctum his, qui baptizantur immittat ex ſeipſo, ac proprium ejus. Quin & hoc ipſum iiſdem verbis Hermiæ ſcribit beatus idem Cyrillus in ſermone ad eumdem Hermiam, cujus inſcriptio eſt: De incarnatione unigeniti: & quod Chriſtus unus, & Dominus ſecundum ſcripturas. Illudque ipſum ab eodem Cyrillo in declaratione noni anathematiſmi dicitur: In eodem quippe anathematiſmo proprium filii eſſe ſpiritum inquiens, eumdemque anathematiſmum nonum declarans quo ſenſu proprium ſuum eſſe ſpiritum dixerit, aperuit dicens:* Cum homo factum ſit unigenitum Dei Verbum, etiam ſic tamen Deus manſit, omnia exiſtens quæ Pater, ſolo hoc dempto, quod ille Pater eſt, & proprium habens, quod ab ipſo eſt, & eſſentialiter ipſi inhærens Spiritus ſanctus, & reliqua. *Ubi rurſus Spiritum ſanctum ex filio eſſe, clariſsime ſanctus Pater affirmat. Quare nemini debet eſſe dubium, quin eumdem hic ſenſum Sanctus aperuerit, quem tenuit quando anathematiſmum expoſuit. In eodemque ſenſu anathematiſmum hunc cum omnibus aliis ſancta & œcumenicæ Tertia Synodus ſuſcepit, in quo illum Sanctus declaravit. Certum namque eſt, ſanctos Patres in præfata ſancta Synodo congregatos, totam tertiam jam dicti Patris Epiſtolam ad impium Neſtorium Conſtantinopolitanum, ſcriptam abſque ulla hæſitatione irrefragabiliter ſuſcepiſſe. Novimus autem prædictos duodecim anathematiſmos in poſtrema dictæ Epiſtolæ parte contineri. Porro ſi quis tamquam legitima tueri conatus fuerit, impientiſsima Theodoriti Cyri Epiſcopi verba, quæ ipſe adverſus dicti ſancti Patris duodecim ſacra capita, licenter nimis, ac temere evomuit, noverit is a Quinta ſancta generalique Synodo, præfati Theodoriti blaſphemias damnatas eſſe: quippe qui adverſus beati Cyrilli verba, quibus ei reſpondit, nihil præter calumnias dicere novit; ait enim Quinta ſancta & univerſalis Synodus in actione octava, ad hunc modum:* Condemnamus & anathematizamus cum quibuſcumque aliis hæreticis, qui damnati, & anathemate percuſſi ſunt a dictis quatuor ſanctis Synodis, & ab Eccleſia Catholica & Apoſtolica, & Theodorum, qui fuit Epiſcopus Mopſueſtienſis, impiaque ejus conſcripta: & quæ impie a Theodorito conſcripta ſunt adverſus rectam fidem, ac contra duodecim ſancti Cyrilli capita, necnon contra tertiam ſanctam generalem Synodum Epheſinam, & quæcumque ad defenſionem Theodori, ipſiuſque Neſtorii ſcripta ſunt. *Ex quibus perſpicuum evadit, illa quæ Theodoritus adverſus duodecim ſancti Cyrilli capita ſcripſit, damnata eſſe, impietatiſque plena. Et quiſque ea ut vera & legitima tenet, tueturque, inimicus exiſtit fidei. Scribit enim beatus Cyrillus ad*

Cyril. de recta fide ad Theodoſ.

* *Cod. Vat.* Profſonetico.

Idem lib. 6. ad Hermiam de Trinit. & lib. de incarnat. unigenit. Idem in 9. anathemat.

Synod. Epheſina.

Cyril. Ep. 3. ad Neſtor.

Quinta Synod.

Cyril. ep. ad Acacium.

Idem ep. ad Donat. Epiri Epiſc.

Κύριλλ. πρὸς Ἀκάκιον ἐπίσκοπ.

Κύριλλ. πρὸς Δωνάτον ἐπίσκοπον.

Κύριλλος πρὸς Ἀκάκιον ἐπίσκοπον Μελιτηνῆς, μετὰ τὴν ἕνωσιν τῶν ἐκκλησιῶν, οὕτως λέγων· ἃ δὲ γεγράφαμεν ὀρθῶς κατὰ τῶν Νεστορίου δυσφημιῶν, οὐδεὶς ἀναπείσει λόγος ὡς οὐκ εὖ γεγόνασιν εἰπεῖν· καὶ πρὸς Δωνάτον ἐπίσκοπον ὡσαύτως γράφει λέγων· γεγράφαμεν γὰρ ὀρθῶς ἃ γεγράφαμεν τῇ ὀρθῇ καὶ ἀμωμήτῳ συνηγοροῦντες πίστει, καὶ οὐδὲν τὸ παρὰ πάντων ἰδίων ἀρνούμεθα· οὐ γὰρ εἴρηταί τι, καθάπερ αὐτοί φασιν, ἀτημελῶς, ἀλλὰ τῆς ὀρθότητος ἐχόμενα πανταχοῦ, καὶ τῇ τῆς ἀληθείας δυνάμει συντρέχοντα. Ἐκ τούτων φανερώτατά ἐστι τὸν μακάριον Κύριλλον οὐδὲν ἐκείνων ἀρνήσασθαι, ὧν εἶπεν· ἀλλὰ ἐν τῇ αὐτῇ ἐννοίᾳ, ἐν ᾗ αὐτὸς εἶπε, χωρὶς σημειώσεώς τινος διορθώσεως καθεστηκέναι· οὐδὲ αὐτὸς μόνος διορθώσασθαι ἠδύνατο ἄν, καὶ (ὅπερ ἄπειη ἀπὸ τοῦ ἁγίου) ἤθελεν, ὅπερ ὅλη ἡ ἁγία σύνοδος χωρὶς τινὸς ἀμφιβολίας ἀναξετάσεως, θαρρούντως ἐδέξατο· ἐδέξατο δὲ, ὡς εἴρηται, ἐν ἐκείνῃ τῇ ἐννοίᾳ ἐν ᾗ ἐξέθετο, μετὰ τῆς ἁγίας συνόδου δέξασθαι ἀπαιτεῖν. Ταύτην γὰρ τὴν ἁγίαν σύνοδον, πάντες οἱ ἅγιοι πατέρες, οἱ ἐν ταῖς μετακολουθήσαις συνόδοις σέβονται, καὶ ταῦτα πιστεύουσιν ἅπερ καὶ αὐτή· ἀλλὰ καὶ οἱ ἅγιοι πατέρες ἐκείνην φθάσαντες, τὰ αὐτὰ ἐφρόνησαν, ἅπερ ἐκείνη. Ταύτην τὴν πίστιν ἔχομεν, καὶ οὕτως πιστεύομεν καὶ φρονοῦμεν καὶ ὁμολογοῦμεν.

Συνόδ. Νικαί. οἰκουμ. α.

ΑΙ ΥΠΟΓΡΑΦΑΙ.

Ταύτην τὴν πίστιν ἐγὼ Ῥαδοῦλφος, ὁ ἀπὸ τῆς τάξεως τῶν ἀδελφῶν τῶν ἐλαχίστων τοῦ κυρίου Πάπα Γρηγορίου τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης ἐπισκόπου Ἀποκρισιάριος ἔχω, οὕτως ὑπογράφω καὶ οὕτως πιστεύω.

Ταύτην τὴν πίστιν ἐγὼ Ἀμμώνιος, ὁ ἀπὸ τῆς τάξεως τῶν ἐλαχίστων ἀδελφῶν τοῦ κυρίου Πάπα Γρηγορίου τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης ἐπισκόπου Ἀποκρισιάριος, οὕτως πιστεύω καὶ οὕτως φρονῶ.

Ταύτην τὴν πίστιν ἡμεῖς ὅτε Οὖγος καὶ Πέτρος ὁ ἀπὸ τῆς τάξεως τῶν Κηρύκων τοῦ κυρίου Πάπα Γρηγορίου τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης ἐπισκόπου Ἀποκρισιάριοι, οὕτως πιστεύομεν καὶ οὕτως φρονοῦμεν.

XVI. Tra-

Digitized by Google

ad Acacium Melitinenſem Epiſcopum, poſt concordiam, ac pacem ſanctarum Eccleſiarum, ſic inquiens: Quæ vero recte contra Neſtorii blaſphemias ſcripſimus, omnino nemo nobis, ut non recte ſcripta dicamus, perſuadebit. *Quid? quod & ad Donatum Epiſcopum eodem modo ſcribit, ubi ait: Quæ ſcripſimus, recte ſcripſimus, veræ & inculpatæ patrocinantes fidei, neque quidquam omnino noſtrorum ſcriptorum ſumus negaturi: cum neque quidpiam, ut illi referunt, ſit dictum temere, verum ubique nos rectitudini adhærere fidei, veritatiſque virtuti conſentire oportere. Ex his itaque longe clariſſimum exiſtit, beatum* Cyrillum *eorum nihil inficiari, quæ dixit: ſed in eodem ſenſu, quo hæc ab eo dicta ſunt, citra ullam correctionis notam perſtitiſſe; cum neque ipſe ſolus corrigi potuiſſet, licet etiam (quod tamen a ſancto abſit) voluiſſet, in his quæ univerſa ſancta Synodus, abſque ulla ambiguitate, irrefragabiliter, confidenterque accepit: accepit autem in eo ſenſu, ſicut dictum eſt, quo expoſuit, cum ſancta Synodo hæc ſuſcipienda repetens. Siquidem illam ſanctam Synodum omnes ſancti Patres in Conciliis poſt conſequentibus venerantur, eademque cum illa credunt: quin & ſancti Patres, qui hanc ipſam anteceſſerunt, eadem cum illa ſenſere. Hanc fidem tenemus, ſic credimus, ſentimus, & profitemur.*

SUBSCRIPTIONES.

Hanc fidem teneo ego Rodulphus ex Fratrum Minorum Ordine, Domini Papæ Gregorii veteris Romæ Epiſcopi Apocriſiarius, ſic ſubſcribo, & ita credo.

Hanc fidem ego Ammonius Ordinis Fratrum Minorum Apocriſiarius Domini Papæ Gregorii veteris Romæ Epiſcopi habeo, ſic credo, & ita ſentio.

Hanc eamdem fidem & nos Hugo & Petrus Prædicatorum Ordinis, ac Domini Papæ Gregorii veteris Romæ Epiſcopi Apocriſiarii, amplectimur, ſic credimus, atque ita ſentimus &c.

XVI. Tra-

Digitized by Google

Continuatio hiſtoriæ legationis.

XVI. Tradito ſcripto Patriarchæ Conſtantinopolitano, cœperunt agere de porrecta ſibi fide Græcorum circa ſacramentum altaris, & interrogare quo ducti fundamento aſſerebant, conſecrantes in azymis, ſeu azymatos, ut illi conſueto nomine vocabant, eſſe in via perditionis, & cum omnes eſſent in partibus, appellabant ad codices ſacros, & ſanctos Doctores. Sed vel nulli ibi ſuppetebant Græcis tunc libri, vel porrigere nolebant, ita ut ipſa petentibus Biblia non liceret habere. Ultra itaque inſtantibus Apocriſariis, ut Græci traditæ fidei rationem redderent, illam tradiderunt, ſe Chriſtum in conſecratione imitari; cum vero amplius quæreretur, unde conſtaret, Chriſtum in azymis celebraſſe? Reſponderunt, ex Evangelio, ubi habetur quod *Dominus accepit ἄρτον, & fregit*; ἄρτον autem contendebant ſignificare panem perfectum, panem levatum, panem fermentatum. Hic ſibi hærendum judicarunt Apocriſarii, & oſtendendum, vel ex ipſa Græcorum confeſſione ἄρτον non ſemper ſignificare fermentatum, & aliquando poni per ſe dictionem, aliquando cum adjuncto: neque ſemper abſolute poſitum idem cum eadem proprietate ſignificare; ſed & ſæpiſſime ſolum panem in communi; propterea que in Evangeliis Latinis recte translatum pro ἄρτον panem. Confirmaruntque veram & doctam hanc ſolutionem ex Leviticorum 7. ubi in lege hoſtiæ Pacificorum habetur ἄρτος azymus, & ἄρτος fermentatus; atque hinc ſequi, azymum & fermentatum ſe habere tamquam differentias ſpecificas, vel accidentales verbi ἄρτος atque ita dictionem illam per ſe abſolute poſitam utrique tam azymo quam fermentato pani æque convenire; neque enim genus magis proprie prædicatur de una ſpecie quam de alia.

Matt. 26. Marc. 14.

Interpretatio nominis ἄρτος.

XVII. Deinde quod allegarunt Græci de facto & exemplo Chriſti, refutarunt ex illo loco Matthæi 26. *Prima die Azymorum acceſſerunt ad Jeſum Diſcipuli dicentes: ubi vis paremus tibi comedere Paſcha?* Cui objectioni reſponderunt ex Joanne Chryſoſtomo, per primam diem azymorum intelligi primam diem ante azymos. Admiſerunt illi ita explicaſſe Chryſoſtomum, attamen amplius addidiſſe, & veram Latinorum ibidem confirmaſſe ſententiam, ita adjungendo. *Prima die ante azyma: Conſueverunt enim ſemper a Veſpere dies numerare; & eam commemorat in cujus Veſpere Paſcha erat immolandum*, &c. ergo in illo Veſpere fuerat Paſcha Judæorum, & fuit eis prohibitum ne fermentum, vel fermentatum haberent in domibus ſuis, vel in omnibus terminis vicinis; ita enim legitur Exodi 12. *Septem diebus azyma comedetis, in prima die non erit fermentum in domibus veſtris; quicumque comederit fermentatum, peribit anima illa de Iſrael, a primo die uſque ad ſeptimum.* Ex quo intulerunt per optimam conſequentiam Chriſtum, Paſcha ſuum in azymis celebraſſe, quia legem obſervavit uſque ad ultimum vitæ ſuæ terminum, ut expreſſe habent Chryſoſtomus citatus, & Epiphanius. Hinc argumentum ad hominem deduxerunt ex illis verbis, quæ in ſcripto Græci porrexerunt, dum abſque ſalutis detrimento dixerunt, non poſſe in alio pane confici Sacramentum, quam in illo in quo Chriſtus conſecravit; nam ex dictis apparebat, Chriſtum in azymis celebraſſe; ergo inferenda erat illa conſequentia; Græci nullatenus poſſunt conficere in fermentato; quod tamen publica proteſtatione caverunt, ſe non velle inferre, nec dicere, cum illorum hunc cultum, vel ritum non condemnabant Pontifices, neque Eccleſia Latina, imo tolerabat, ſed & probabat; atque ita ſimiliter debuiſſe eos facere circa ritum Latinorum, non condemnando eos, uti faciebant, pro hæreticis azymitis.

Matth. 26.

Probatur Chriſtum celebraſſe in azymis.

Chryſ. hom. 82. in princip.

Exod. 12.

Chryſ. citat. parum poſt initium. Epiph. hæreſ. 50.

XVIII. Ut vero apertius eorum, quæ dicebant, veritas conſtaret; inſtiterunt ut producerentur codices ſanctorum Patrum Græcorum (quibus illi magis adhærebant) in medium, quos cum habere non poterant, memoriter cœperunt hæc quæ ſequuntur ex Chryſoſtomo & aliis recitare. Ex Homilia 81. (ſecundum recentiores editiones eſt 82.) Joannis Chryſoſtomi in Matthæum reſumpſerunt ſuperius objecta verba, quæ proſequuti ſunt ex illius temporis, vel ſua, translatione in hunc modum. Explicans ſanctus Doctor illa verba Evangeliſtæ. *Prima die azymorum venerunt Diſcipuli ad Jeſum*: ita ait. *Prima azymorum erat, quæ ante azyma dicebatur: conſueverunt enim ſemper a Veſpere numerare diem, & eam commemorat, in cujus Veſpere Paſcha erat immolandum. Quinta enim Sabbathi acceſſerunt, & hanc hic quidem, quæ ante azyma erat, vocat ipſe diem, in qua acceſſerunt.* Alius vero ſic ait; *Venit dies Azymorum, in quo oportebat immolari Paſcha. Venit, hoc eſt, in azymis erat, Veſperam ſcilicet illam commemorans; a veſpera enim incipiebatur, propter quod unuſquiſque Evangeliſtarum addidit, quando immolabatur Paſcha.* Item, quod Jeſus obſervabat legem in cœna, & ritum Judæorum probat idem Chryſoſtomus, dicens in eadem homilia. *Propterea autem venit ad Paſcha, per omnia oſtendens ut ad ultimum diem, quod non erat contrarius legi.* Et homilia octuageſima ſecunda (in recentioribus editionibus octuageſima tertia,) ita ait: *Quod autem tempore Paſchæ myſterium conſummabat, illud fecit, ut diſcas undique etiam veteris teſtamenti ipſum eſſe latorem, & omnia quæ in veteri lege ſunt, propter hanc novam fuiſſe figuratam, propter hoc ibi figuræ veritatem imponit. Veſpera autem impletionis temporum argumentum erat, & quod ad ipſum de cetero, ut ad finem omnia reſpiciunt.* Item Epiphanius Cypri in opere quod Panarium inſcribitur, in tractatu contra Ebionitas, ſic ait: *Quomodo carnium comeſtione non ſtatim eorum dementia redarguetur? Primo Domino comedente Paſcha Judæorum; Paſcha autem Judæorum erat ovis & azyma, carnes ovis aſſæ igne, ſicut Diſcipuli ſui ei dicunt; ubi vis paremus tibi comedere Paſcha.* Et ibidem contra Marcioniſtas in redargutione, ſeu confutatione ſexageſima prima, quæ ita incipit. *Nubem ſagittarum contra te &c.* ubi poſt pauca inquit: *Contra te, o Marcion, induxiſti multis modis redargutionem, magis autem ab ipſa veritate coactus. Paſcha enim antiquum nihil aliud erat, quam ovis immolatio, & carnium comeſtio, animatorumque perceptio cum azymis.* Et poſt paucula. *Quod enim tu deteſtaris carnium comeſtionem, Dominus Jeſus cum ſuis Diſcipulis comedit, faciens Paſcha ſecundum legem. Et ne dicas quod quia facturus erat myſterium hoc prænominavit, dicens: volo; volo vobiſcum comedere Paſcha. Ut enim per omnem modum te confundat veritas, non in principio facit myſterium, ut non neges; ſed poſtquam cœnavit accipiens hæc & hæc, & dicens hoc, eſt hæc, & hæc, & non reliquit locum malignitati; oſtendit enim poſtquam comedit Paſcha Judæorum, id eſt, poſtquam cœnavit, venit ad myſterium.*

Chryſ. cit. Matth. 26.

Chryſ. parum poſt initium.

Epiph. hære. 30. poſt med.

Idem hæreſ. 42.

XIX. Renuentibus autem Græcis plures audire auctoritates Sanctorum, & jam dictis opponentibus locum illum Joannis: *Non introierunt* Judæi *in prætorium, ut non contaminarentur, ſed ut manducarent Paſcha*: reſponſum fuit ab Apocriſariis, nequaquam id vel leviter credendum, ut Joannes ceteris contradixerit Evangeliſtis; quare verba illa *ut comederent Paſcha*, ita explicanda eſſe dixerunt, ut ſcilicet comederent cibos Paſchales, ſic enim alias in veteri teſtamento verbum hoc *Paſcha* ſume-

Joan. 18. 28.

Digitized by Google

batur; atque ſuperiora dicta ſunt luna decima quinta. In his ſeſsionem protraxerunt uſque ad profundam noctem, donec diſſolvente cœtum Imperatore, receſſerunt. Præterlapſi ſunt aliquot dies, quibus nihil diſputatum eſt, agente clam Imperatore cum Apocriſariis de ſuavi aut faciliori quopiam modo ineundi fœderis & unitatis inter utramque Eccleſiam. In illam tamdem ineptam & ridiculam abiit ſententiam (ut communiter contingit in Principibus ſecularibus, qui controverſiis Eccleſiaſticis temere ſe immiſcent) Domini ſeculares inter ſe contendentes de rerum dominio hinc inde aliquid ſui juris relaxant, & quiſque partim cedit cauſæ, ut tamdem optata pace fruantur; ita hic agendum judicarem, videlicet ut ſuam de proceſſione Spiritus ſancti opinionem miſſam facerent Latini; & ex ſymbolo ſuiſque libris expungerent verbum *Filioque*, permittentes ut Græci in controverſia hac eodem modo, quo prius, ſentirent. E regione vero Græci approbarent conſecrationem Latinorum in azymis, neque amplius eos hæreticos propter hoc proclamarent; ita ut in duobus punctis controverſis unaquæque pars unum probaret, alterum condemnaret. Animoſe & aperte ſignificarunt Apocriſarii in quanto vir alias, ut ſcribunt, bonus & unionis ultra modum cupidus verſaretur errore, idque ſibi ſciendum eſſe, ob nullum lucrum rei, aut Provinciæ, quantumvis magnæ, Eccleſiam Romanam Catholicam jota unum aut apicem fundatiſſimæ ſuæ fidei mutaturam; neque ullo modo uniri poſſe cum Græca, niſi hæc prius abjectis & condemnatis erroribus, præcipue circa illud punctum de proceſſione Spiritus ſancti, omnes ſuos libros, in quibus doctrinam illam perſuaſit, aut ſcripſit, condemnaverit, ignique tradiderit. Quod vero attinet ad conſecrationem in fermentato, Græcam Eccleſiam non propter hoc rejici aut condemnari a Latina, neque velle ab eadem condemnari propter azymum, dum licite unaquæque in utroque conſecrat pane.

Imperator erroneum præſcribit modum ineundæ concordiæ.

XX. Audiens hæc Imperator animo concidit, omnem unionis ſpem exuens, quia perſpectam habebat ſuorum tenacitatem, ob nimiam propriæ opinionis prælationem, quos nullo modo vel prece ſciebat eo ducendos, ut Latinis cedere, aut alte impreſſis valedicere vellent ſententiis. Idque ipſo facto ſequenti cognovit die dum habitum cum Apocriſariis referret colloquium; adeo enim commoti & indignati ſunt, ut magno exorto murmure fremuerint in Apocriſarios, & ſecreta contra eos inierint conventicula, ut illos confunderent. Monuerunt vero die Mercurii tertiæ poſt Paſcha hebdomadæ, ut ſequenti die Jovis ad Concilium accederent pro unanimi hinc inde ejuſdem diſſolutione; neque enim jam videbatur debere ut ulterius cogeretur. Accedentibus illis, invenerunt univerſam plebis multitudinem congregatam, & apertis januis ſediſſe in atrio Patriarcham, coacto in ampliori illo patulo loco Concilio. Sedentibus vero alta voce coram omnibus dixit Patriarcha; dum ſpes erat unionis, omnem vobis loquuti ſumus pacem, omnem exhibuimus amorem, modo vero ſpe fruſtrati quid agamus neſcimus, veſtram nobis de Spiritu ſancto dediſtis fidem in ſcriptis, vultis ut eam per gentes, nationes, & provincias noſtras promulgemus, quæ hic coram aſtantibus & vobis, dum placeat, volumus ut recitetur. Illis reſpondentibus, ſibi hæc valde placere, neque quidquam amplius optare, quam ut ubique diffundatur & legatur Romanæ Eccleſiæ vera doctrina, ſtatim unus ex grandævis conſiliariis univerſam definitionem Apocriſariorum perlegit.

Græci ſuarum opinionum tenaces.

XXI. Poſt hæc contra lecta, & in favorem ſuæ opinionis Græci quaſ-

Digitized by Google

quaſdam protulerunt Sanctorum Patrum auctoritates, primo Damaſi Papæ dicentis; Quicumque non credit Spiritum ſanctum eſſe a Patre proprie, anathema ſit. Cui reſponſum ab Apocriſariis; Nos credimus Spiritum ſanctum proprie eſſe a Patre, & qui hoc non crediderit, anathematizetur. Adjungimus etiam eſſe Spiritum ſanctum a Filio proprie, ſicut dicit beatus Cyrillus, quem jam oſtendimus, ita ſcripſiſſe; & qui ita ſimiliter non credit, anathematizetur. Aliam objecerunt ex Baſilio, vel ex alio quopiam Patre Græco auctoritatem in hunc ſenſum, quod Spiritus ſanctus erat a Patre & non aliunde, quam etiam libenter admiſerunt Apocriſarii, dicentes verum dixiſſe non aliunde, id eſt, non de alia ſubſtantia eſſe Spiritum ſanctum. Alia plura conglomerarunt hujuſmodi loca ſanctorum Patrum, obſcuriora & minoris efficaciæ, quæ nullo negotio Apocriſarii diſſolvebant. Exorto tunc magno murmure & tumultu in populo, Patriarcha manu & voce ſilentium indixit, timentibus ſibi Apocriſariis ab infræni & ſeditioſo populo: ut tamen pacatus eſt, & a murmure ceſſavit, dixerunt alta voce Apocriſarii; Creditis Spiritum ſanctum procedere a Filio, vel non? Reſpondit pro omnibus unus Patriarcha; Credimus quod non procedat a Filio, & ſubjunxerunt; ſed beatus Cyrillus, qui præfuit tertio Concilio anathematizat omnes, qui hoc non credunt, ergo vos eſtis anathematizati. Item vos creditis & dicitis, quod Corpus Chriſti non poteſt confici in azymo, ſed hoc eſt hæreticum. Illi commoti de dure condemnatis illorum ſententiis, Apocriſarios fautoreſque vel ſectatores illarum opinionum conclamabant hæreticos, & excommunicatos.

Dama. epiſt. ad Pauli Epiſc. Antioch. habetur apud Theod. lib. 3. c. 11. & in t. 1. conc. 1. p. 1. cum notis.

XXII. Facta itaque magna ſeditione & tumultu receſſerunt Apocriſarii caventes ſibi, & antequam pranderent, inſtanter egerunt cum Imperatore de obtinenda regrediendi facultate; videntes, ſe nihil potuiſſe proficere, nec ſpem ullam ſupereſſe de flectenda gente duræ cervicis, & in ſuis erroribus pertinaci. Venia itaque obtenta (dolebat enim Imperator, rem infectam manſiſſe, atque ad contentionem ſeditionemque proceſſiſſe) ſummo mane ſequentis diei Sabbati receſſerunt a Nimpha, datis ſibi itineris ducibus & comitibus, & poſtridie venerunt ad villam Calami, ubi ſupervenerunt curſores nuncii, miſſi ab Imperatore & a Patriarcha. Imperatorius omnia eis bona precabatur & felicem itineris terminum; ſignificabat vero, ſibi diſplicuiſſe ita latenter & ex abrupto abiiſſe inſalutatis Patriarchis & ceteris in Synodo congregatis; cui illi feſtini ſui receſſus juſtas expoſuerunt cauſas, quas poterant, maximas gratias agentes Imperatori ob ſingularia in eos beneficia. Patriarchales vero Nuncii ſe a Concilio miſſos dixerunt, ut profeſſionem ſeu definitionem fidei circa proceſſionem Spiritus ſancti porrectam ab Apocriſariis, eiſdem redderent, repeterentque, quam Græci tradiderunt circa Euchariſtiæ Sacramentum. Reſponderunt Apocriſarii propterea ſe illis definitionem dediſſe, ut remaneret in memoriale fidei & doctrinæ Eccleſiæ Romanæ; ſcirentque univerſæ Græcorum Eccleſiæ quid credere & docere deberent circa illum articulum. Scriptum vero veſtrum, inquiunt, circa Sacramentum altaris volumus nobiſcum deferre, ut Latinorum Eccleſiæ ac ſanctiſſimo Domino Papæ certius conſtet in quo errore verſamini, neque ab eo vos velle diſcedere. Inſtiterunt tamen Nuncii de ſcripto reddendo per biduum, quod dum habere non poterant tulerunt excommunicationis ſententiam in omnes Comites & Duces Apocriſariorum, prohibentes ſub anathemate, ne quiſquam eis eſſet auxilio aut con-

conſilio. Illi fruſtra tentarunt ſoli pedites abire, nam poſt emenſa ſeptem vel octo milliaria ob iter periculoſum terræ deſertæ & inaquoſæ, inſidiaſque in montibus præparatas ab Imperatoris Nuncio, precibus & obſecrationibus revocati, & proteſtationibus Imperatoris nomine factis, ferme coacti, regreſſi ſunt ad locum unde exierunt. Patriarchales videntes, nihil ſe prece potuiſſe efficere circa obtinendam, quam petebant, chartam, manum admoverunt, vi ſarcinas omnes, libros, & quidquid erat ſupellectilis Apocriſariorum minutim inveſtigantes; donec tamdem vocatos in partes ſocios explorarunt, & ſub veſtibus alligatam originariam ſcripturam detexerunt, & abſtulerunt. Sed translationem vel exemplar Latinum non invenerunt, quod ad Pontificem detulerunt Apocriſarii, cujus nos tranſumptum dedimus ſupra. Obtento quod deſiderarunt, ad bona verba converſi dimiſerunt eos in pace, dantes eis has litteras Patriarchæ Nicæni ſeu Conſtantinopolitani, nec non Antiocheni, ſive potius univerſæ Synodi, in quibus ad nauſeam uſque ſuum errorem de proceſſione Spiritus ſancti, conglomeratis ſanctorum Patrum auctoritatibus, inculcant.

Epiſtola ſeu profeſſio Patriarchæ Nicæni & univerſæ Synodi Nimphæ Græcorum miſſa ad Sanctiſſimum D. Gregorium IX.

XXIII. *CRedimus in unam Deitatem, quæ in Patre, Filio, & Spiritu ſancto adoratur & glorificatur ab omni creatura; inprincipiatam, quantum ad temporale initium; increatam, creaturarum omnium factricem; omnipotentem ſuper omnia poteſtatem habentem, & ſine fine. Confitemur principium naturale Patrem Filii, & Spiritus ſancti, a quo Patre enim ante omnia ſecula impaſſibiliter & influxibiliter illuxerunt Filius & Spiritus ſanctus, non hoc prius, & illud poſterius, ſed ſimul Pater, ſimul Filius, & ſimul Spiritus ſanctus, æquali honore Filio & Spiritu a Patre procedentibus, Filio quidem naſcendo, Spiritu autem ſancto procedendo. Neque enim ſunt in Trinitate duo fontes, aut duæ radices, aut duo principia, ne & duos Deos confiteamur. Quod vero propter hoc nobis unus Deus eſt, quidquid adoratur, quia ſolus Pater eſt principium & fons, & radix Filii, & Spiritus, teſtes omni exceptione majores ſunt duo magna luminaria ſanctus Gregorius Thaumaturgus, & Gregorius Theologus. Quod autem ſolus Pater principium, & radix, & fons Filii & Spiritus ſit, teſtes abſque exceptione ſunt prædicti Sancti, ac Magnus Athanaſius, & totum Nicænum generale primum Concilium, & Joannes Chryſoſtomus, & maxime præ his omnibus, qui revelationes cæleſtes vidit, magnus Dionyſius, qui os Pauli factus eſt, quemadmodum Paulus Chriſti, quorum teſtimonia ita ſe habent. Sancti Dionyſii ex epiſtola ſuper divinis nominibus edita. Eſt autem & diſcretis in ſuperſubſtantialibus theologiis non ſola, quam dixi quod ſecundum ipſam unionem inconjuncte conjuncta eſt, & inconfuſe una, quam thearticharum a theos, & archi quod eſt principium, vel archos quod eſt princeps, Ypoſtaſeon, id eſt, unaquæque deitatis ſubſtantia. Sed quod in ea, quæ in ſuperſubſtantiali theologonia, id eſt, a theos quod eſt Deus, & gonos quod eſt ſanctum, id eſt, divinum ſeminium ſunt, non convertuntur ad invicem, ſolus autem fons ſuperſubſtantialis Deitatis Pater eſt, non quod Filius Pater ſit, nec Pater Filius, unaquæque divina ſubſtantia vocabulum ſuæ proprietatis convenienter ſervans. Item in ſermone illo ubi de divinitate con-*

Areopagita os Pauli, Paulus os Chriſti.

Dion. de divi. nom. c. 2.

conjuncta & abſcondita tractat ſic dicit: Quod quidem fons Deitatis Pater eſt, Filius autem & Spiritus theogonice Deitatis ſunt, ſi ſic dici decet rami theophici, id eſt a Deo plantati, aut velut flores & ſubſtantialia lumina ex ſacris ſcripturis accepimus, qualiter autem hæc ſunt, neque dicere neque intelligere poſſibile eſt. Item in epiſtola, in qua de myſtica theologia tractat, ſic dicit: in exemplis quidem Divinitatis principales proprietates laudavimus, qualiter divina & bona non ſingularis dicitur, qualiter ternalis, quæ ſit, quæ in ea dicitur paternitas & filiatio, & quid velit ſignificare theologia ſpiritus. Qualiter ex immateriali & individuali bono præcordialia bonitatis lumina prodierunt, & ab ea quæ in ſe ipſo & in ſe ipſis & in adinvicem coæterna pullulatione ſola permanſerunt impertita. Hæc quidem tertius decimus Apoſtolus Dionyſius, qui ſolum fontem ſuperſubſtantialem Deitatis Patrem dixit, & quod ea quæ in ſuperſubſtantiali theogonia ſunt, non convertuntur adinvicem; ita quod & Filius & Spiritus ſanctus theogoniam, id eſt, originem Deitatis habeant, ſed in ſolo eam Patre eſſe inſpiciendam, & ipſum fontem & radicem eſſe Filii & Spiritus, & luminum emiſſorem ſibi coæternorum & præcordialium luminum, videlicet Filii & Spiritus. Item Gregorius Thaumaturgus, ſi quæratur quomodo unus Deus eſt, ſi ex Deo filius, dicemus, quod juxta principii vocabulum, ſecundum quod unum principium eſt Pater. Et poſt pauca iterum dicit; ſi dixerint impii: quomodo non ſunt tres Dii tres perſonæ, & ſi non unam habeant Deitatem, dicemus, quod Deus principium & Pater eſt Filii, & ipſe Filius imago eſt & genimen Patris: non frater ejus, & Spiritus ſimiliter ſpiritus Dei eſt. Et jam pridem per Prophetam David; Verbo Domini cœlos dicitur firmaviſſe, & ſpiritu oris ejus omnem virtutem eorum. Et iterum dicit: Et propter hoc unus Deus eſt, quia principium Pater eſt: qui autem duo principia in Deitate dicit, duos Deos neceſſe eſt eſſe ut fateatur: Et iterum idem dicit: Perfectus autem eſt Spiritus ſanctus ex Deo per Filium datus his, qui adoptionis filii ſunt. Hæc ex ſermone, quem de fide edidit idem ſanctus Gregorius, dicta ſunt. Didicit autem iſte Sanctus hujuſmodi theologiam per ſanctum Evangeliſtam Joannem ad exhortationem Beatæ Virginis, ut dicit ſanctus Gregorius Nyſſenus, qui vitam ipſius refert. Doctrinæ autem ipſius verba ſunt talia; unus Deus Pater verbi vivi, ſapientiæ ſubſiſtentis, & virtutis & characteris æterni, perfectus perfecti genitor, Pater unigeniti, Filius unus Dominus, ſolus a ſolo, Deus de Deo, character & imago Deitatis, verbum ſine principio, ſapientia per quam univerſa conſiſtunt, omnia comprehendens, & virtus totius creaturæ creatrix. Filius verus veri Patris, inviſibilis ex inviſibili, incorruptibilis ex incorruptibili, ac immortalis ex immortali, æternus æterni. Unus Spiritus ſanctus, qui ex Deo exiſtentiam habet, & per Filium manifeſtatus hominibus innoteſcit, imago Filii perfecta perfecti. Hæc ſunt de revelatione. Quidam vero non intelligentes quid dicunt, vel de quo affirmant illud, quod dicitur, ſolus ex ſolo, ſic calumniantur, quod ſolus Filius a ſolo Patre, tamquam ſi Spiritus non ex Patre ſolo ſit, veritas autem aliter ſe habet, ſolus enim Filius Dei a ſolo Patre eſt, omnes autem hominum Filii non a ſolo Patre ſumus, ſed a matre ſingulare in Deitate intelligendum eſt, id eſt, quod non ex aliqua materia conſiſtit propter immateriale & ſimplex & individuum divinæ naturæ. Duale autem materiale eſt, & de his, quæ materiei ſubjecta ſunt; ſolus enim pater eſt genitor, id eſt, a quo procedit Spiritus ſanctus, vel prolator & provolens, & ſolus Filius genimen Patris, & ſolus Spiritus, id eſt, a Patre procedens, vel proceſſura & pneuma Patris. Qui autem dicunt, a Patre

Idem cit. c. 3.

Areopagita tertius decimus Apoſtolus.

Thaumaturg. in expoſit. ampliori fidei, ad med. habetur to. 3. biblioт. vet. patrū. Pſal. 32. 6.

Nyſſen in vita Thaumaturgi.

tre & Filio Spiritum eſſe, dualitatem ſingularitatis genitricem dicunt, quod neque in numero verum reperitur, neque ſimplicis & incompoſitæ naturæ proprium eſt, ſed compoſitæ & materialis. Iſte autem Sanctus ſicut de Spiritu ſancto ab Evangeliſta Joanne didicit, ſic & docuit, & ea idem Evangeliſta ſecundum Gregorium docuit, quæ ipſe in Evangelio ſcripſerat: ſcripſit ille in Evangelio quod Spiritus ſanctus ex Patre procedit, *ſcripſit ipſe etiam ut dicatur* Spiritus veritatis, *ac ſicut ipſe ſcripſerat, ſic ſancto Gregorio revelavit. Sermo autem de Spiritu ſancto ſic ſe habet: unus Spiritus ſanctus ex Deo exiſtentiam habens, & per Filium manifeſtatus hominibus, innoteſcit. Vides quare dicitur Spiritus eſſe Filii, pro eo quod per Filium exiſtit manifeſtatus hominibus, & deinde ſequitur: imago Filii perfecta perfecti, imago autem Patris Filius eſt, & propter incommutabilitatem vel incommutabile ſubſtantiæ: & pro eo quod Patrem mundo manifeſtavit dicit in Evangelio, qui* videt me, videt & Patrem, *& iterum:* Manifeſtavi hominibus nomen tuum, *& iterum*: ego glorificavi te ſuper terram. *Simili autem modo ſpiritus eſt imago Filii. Spiritus enim ſanctus ſuperveniens ad diſcipulos ejus & implens eos miraculorum gratia clarificavit Filium in mundo, & innotuit omnibus, quod Deus verus eſſet. Scriptum eſt enim, quod* ille me clarificabit, quia de meo accipiet. *Sic enim mundanus Rex, qui non poteſt in regno ſuo ſemper præſentialiter adeſſe & videre, mittit multoties imagines ſuas, homines autem loco illius ipſas videntes imagines, ſicut ipſum venerantur eaſdem, & ad ipſum honorem transferunt. Sic & Pater cum Filium in mundum miſit, notus factus eſt omnibus hominibus Pater eſſe & Deus ſine principio; & Filius veniens cum carne in mundum, & illuſiones & paſſiones ſuſtinens, ſepultus fuit, & reſurrexit, & aſcendit in cælum, & miſit Spiritum ſanctum diſcipulis ſuis, ac miraculorum virtute innotuit, quod qui crucifixus & ſepultus extitit & reſurrexit, vere fuit Dei Filius, & verus Deus. Hoc autem quod dicit, miſit, nullum perturbet, bonam voluntatem enim pro miſſione poſuit, ſeu notavit, nam in libro Iſaiæ Prophetæ invenitur ipſe dicens:* Dominus miſit me, & ſpiritus ejus, *& hoc qui diligenter legit, intelliget. Uſus eſt autem hujuſmodi teſtimonio magnus Baſilius, ubi contra Eunomium tractat, ac propter hoc & ſanctus Gregorius de Spiritu dixit quod haberet exiſtentiam ex Deo Patre, manifeſtatus autem fuiſſet hominibus per Filium, ac ad certitudinem manifeſtationis hujuſmodi ſubjunxit: ſicut & Spiritus imago Filii eſt. Item de geſtis primi Concilii dixerunt ſancti Patres per Leontium ad Philoſophum: accipe unam Deitatem Patris, qui genuit Filium ineffabiliter, & Filii qui ex eo natus eſt, & Spiritus ſancti qui procedit ex ipſo Patre. Item de eiſdem capitulum ſexageſimum ſecundum, addentes ſancti Patres dixerunt ad Philoſophum de fonte, flumine, & aqua per Leontium Epiſcopum. Illud autem intelligendum eſt, o amice, de cetero veritatis, Philoſophe, quod fontem intelligimus, qui fluvium aquæ generat: omnis enim fluvius, ſicut noſti, fontem habet genitricem, deinde pervenit quidem fluvius de fonte aquæ, ſed nullus vocat fluvium fontem, aut fontem fluvium; ſed fons quidem fons nominatur, & fluvius fluvius nominatur, & uterque eadem aqua. Cum autem quis de flumine, aut de fonte aquam haurire voluerit, mutat nomen, non enim dicit, vade & hauri, & defer mihi fontem aut fluvium, ſed aquam; & una quidem natura eſt, tres tamen perſonæ nominandæ, fons, fluvius, aqua. Hic quoque ſimilia Chryſoſtomus ſcribit in ſermone illo; Dominus regnavit, qui ſic incipit. Item nobis beati David ſpiritualis cythara, &c. & exemplum hujuſmodi apertius oſtendit, proponens unum eſſe fontem, & non duos. Ma-*

Joan. 15. 26. Idem c. 14. 15. 16.

Futilis interpretatio verbi Imaginis.

Joan. 14. 9. Idem c. 17. 4. Ibid.

Idem c. 16. 14.

Iſai. 48. 16.

Baſil. adver. Eunom. l. 2. Thaumat. ubi ſupra.

Conc. Nice. Habentur quæ hic citantur l. 2. Conci. Nic. ex interpretatione Alphōſi Piſa.

Chryſ. ſerm. in Pſ. 92.

Digitized by Google

Magnus vero Gregorius & Theologus apertius exemplum hujuſmodi declaravit. Dicit enim in ſermone illo ad Evagrium de Deitate: ſicut ſolaris luminis radii individui, qui habentes naturaliter ad invicem in ſeipſos quamdam habitudinem, neque aliunde ſeparantur, neque ad invicem dividuntur, & uſque ad nos gratiam luminis dirigunt ſive mittunt, eodem modo Filius, & Spiritus ſanctus, duplex Patris radius, & uſque ad nos lumen veritatis adminiſtrant, & Patri uniti ſunt. Ac quemadmodum ab aliquo aquarum fonte duo fluvii manant & poſitione quidem dividuntur, fluenta ad invicem humoris qualitatem unam & eamdem habent, licet ſpecialiter uterque per ſe fluat, eodem modo prima cauſa Pater, fons vitæ duplicem quamdam Filii & Spiritus ſancti gratiam nobis mittens, non aliquando in Uſia ſuſtinuit paſſionem, neque aliquam diminutionem ſuſtinuit per aliorum ad nos acceſſum, hi uſque ad nos acceſſerunt, & a Patre nihilominus permanſerunt inſeparabiles.

Nazianz. orat. 45.

Quia igitur de primo Concilio mentionem fecimus producendus eſt etiam magnus Athanaſius, qui in primo emicuit Concilio de ſermone æternæ eſſentiæ Filii & Spiritus contra Sabellianos edito, qui ſic incipit: fides Judæorum contraria eſt fidei Gentilium. Judæi unum Deum colunt, Gentiles plures: Judaiſmus oppoſitus eſt Ethniciſmo, hoc videntes exemplum, etiam nunc alienati ſumus ab his, qui ethnicizant ſub nomine Chriſtianiſmi, qui opus Dei audent theologizare, id eſt, Deum vocare & adorare. Separamur autem ab his, qui judaizant, & qui chriſtianiſmum in judaiſmo corrumpunt, qui deinde Deum ex Deo negantes, unum Deum juxta Judæos dicunt, non ideo quod ſolus non natus, & ſolus fons deitatis eſt, propterea dicentes ipſum eſſe ſolum Deum, ſed tamquam carentem filio, & ſine fructu exiſtentem vivi verbi & ſapientiæ veræ. Vide & in hoc loco quod ſolus Pater fons Deitatis eſt, & quod propterea unum Deum dicimus, quia unus fons Deitatis Pater eſt. Si autem & Filius fons eſt, ſicut quidam dicunt, duo utique dii: item de diſputatione facta cum Macedonio, ſi ponatur ejuſdem eſſe naturæ & Deitatis Patris & Filii, & Spiritus, qui ex ipſo Patre per Filium effuſus eſt: προσκύνησον καὶ λάτρευσον, καὶ πῶς ἐνδείκνυται, id eſt, adorabis, & cui latria exhibenda eſt, demonſtrabitur. Item de eodem ſermone. Sicut enim Filius, qui in natura omnia habens Patris, ſicut Filius, dicit de ſeipſo; quod nihil facio a me ipſo, ut bonorum principium ad Patrem reducat; ſic & de Spiritu audi ipſum dicentem, quod cum omnia in natura Deitatis ſicut Spiritus Dei haberet, ad cauſativum tamen ipſum reducit, dicens: Non loquetur a ſemetipſo, ſed quæcumque audiet, loquetur; & quæ ventura ſunt annunciabit vobis, & quod ille de meo accipiet, ſcilicet de Patre: item de eodem diſputationis ſermone dixit Macedonius. Tria ergo ingenerata dicis. Reſpondit idem Sanctus dicens: ſed non incauſata, nec etiam ſine Patre, etenim ingeneratus eſt Spiritus, ſed non incauſatus, habet enim cauſativum Deum, cujus ſpiritus eſt. Licet ſit ingeneratus Filius, ſed non eſt ſine Patre, habet enim Patrem Deum, a quo & natus eſt, Pater autem & ingeneratus eſt, & ſine cauſa, & ſine Patre. Idem de eodem, credimus in unum ingenitum Deum Patrem omnipotentem; Spiritus autem ſanctus & pneuma exiſtens Patris, ſemper eſt in manibus mittentis Patris, & ferentis Filii: idem de eodem. Capitulum ſeptuageſimum ſextum, de teſtimoniis ſcripturarum de communione ſecundum naturam Patris & Filii & Spiritus ſancti. Quid eſt Deus? principium omnium, ſicut ait Apoſtolus, unus Deus Pater a quo omnia; etenim Verbum ex eo generative, & Spiritus ab eo proceſſive: item idem ex epiſtola ad Serapionem miſſa, de Spiritu ſancto: nonne male ſentientes

Athana. orat. contra gregales Sabellii.

Non facile eſt invenire hanc diſputationem. De Athanaſii diſputationibus vide ſi placet notas Binii ad fin. lib. 2. Concil. Nic. ex interpret. Piſani.

Joan. 8. 28.

Joan. 16. 13.

Atha. lib. ad Serapion. de Spirit. ſanct.

tes

tes de Spiritu ſancto neque de Filio ſentiunt bene, ſi enim recte de verbo ſentirent, ſentirent etiam ſane de Spiritu ſancto qui ex Patre procedit, & Filius exiſtens proprius, & ab eo datur diſcipulis, & omnibus, qui credunt in eum. Audiant qui bene de Spiritu ſancto non ſentiunt, qualiter neque de Filio bene ſentiunt. Sanum namque intellectum de ipſo Sanctus iſte docet ſic eſſe, ſcilicet, quod ex Patre quidem procedit, proprius autem Filii eſt, tamquam qui ab eo Diſcipulis datus eſt, ac omnibus fidelibus datur. Sunt etiam & aliæ multæ auctoritates ipſius Sancti, qui pro noſtro dogmate faciunt, ſed eas propter ſermonis prolixitatem prætermittimus. Item de ſermone ſancti Gregorii Theologi ubi tractat de dogmatibus & inſtitutione Epiſcoporum: ſervet quidem ſermo meus, quod unus nempe eſt Deus, vel ad jus cauſarum Filio &c. Secundum cauſa & Filio & Spiritui præferentis, non quod compoſiti ſunt, vel diviſi. Ergo ſi propter hoc nobis unus Deus eſt qui adoratur, quia ſine cauſa, vel ad jus cauſatum eſt Filio & Spiritui præferentis: qui duas cauſas dicis in Trinitate, neceſſitas tibi incumbit duos etiam glorificare Deos. Cum autem Spiritus non ſit cauſa alicujus conſubſtantialis hypoſtaſeos, nec Deus etiam eſt, quod blaſphemum eſt, non dimittitur ei neque in præſenti neque in futuro: *Item in ſermone illo, ubi tractat de Spiritu: nobis unus Deus eſt, quia una eſt Deitas, & ad unum ea quæ ex eo ſunt reſpectum habent, licet tria dicantur, ac nec hoc magis Deus, & illud minus Deus, neque hoc prius & illud poſterius, neque de voluntate dividuntur, neque virtute ſeparantur. Item de eodem. Quandoquidem ad Deitatem reſpectum habemus, & ad primam cauſam, & ad Monarchiam, id eſt, unum principatum, unum eſt nobis quod imaginamur, cum autem ad ea in quibus eſt Deitas, & ad ea quæ eſt prima cauſa ſine tempore, ſimilique gloria ibidem ſunt; tria ſunt quæ adorantur &c. ubi ſunt qui male interpretantur, mediatum & immediatum, ſanctus enim Doctor iſte ſimili gloria ex prima cauſa dixit, a Patre videlicet, Filium & Spiritum ſanctum illuxiſſe: item de eodem ex ſermone ad Heronem Philoſophum: vere Filium dico Filium, quia ſolitarie & ſolus & tantum, neque enim & Pater eſt, & in totum Filius, & totius, & ab initio. Nota quod Filius tantum filius & totum filius ſed non etiam προβολεὺς provolens, id eſt, quod ex eo proceſſio ſit, vel prolator: item in ſermone de his qui navigio ex Ægypto acceſſerunt. Si autem omnia, quæ habet Pater, Filii ſunt, præter cauſam, omnia vero quæ ſunt Filii, ſunt & Spiritus præter filiationem, & præter illa quæ temporaliter de ipſo dicta ſunt propter me hominem, meum honorem, & propter meam ſalutem. Nota ſaltim hæc quomodo ſicut dixit quod Filius omnia habet, quæ Patris ſunt præter cauſam, non dixit quod eodem modo Spiritus omnia habet, quæ Filii ſunt præter cauſam, ſed dixit præter filiationem. Si enim ſciret quod Filius quoque cauſa eſſet Spiritus, non utique tacuiſſet. Item de eodem: ſi enim Filii & Spiritus dignitatem fatentes, ipſos eſſe ſine principio ponere debemus, aut ad aliud ipſos referre principium, neceſſe utique foret, ut ita honoraretur, vel inhonoraretur Deus, aut illud quod contra Deum eſt apud nos periclitaretur. Si autem quantumcumque extuleris Filium, ſive Spiritum non ſupra Patrem pones, neque a cauſa alienaveris, ſed illuc ad Patrem, ſcilicet, bonum genimen, & mirabilem proceſſionem referes, ſeu reduces. Quæram a te Ophila, (genuit) & Philanarcha, id eſt o amice ingenerati & inprincipiati, utrum injuriatur Deo magis ille, qui iſtorum ponit principium, quorum ipſe inducit, vel ille qui parit, iſtorum, ſcilicet Filii & Spiritus, ſed natura ſimilium, ſimilique gloria exiſtentium, & qualium noſter, id eſt ſermo noſter intendit: & poſt pau-*

Nazian. oration. 29. Obſcur. hic locus neq; expreſſe habetur in oratione citata.

Luc. 12. Idem Nazianz. orat. 37. quæ eſt ultima de Theolog. ante med. Ibid. paucis interpoſitis.

Idem oration. 23. longe poſt med.

Idem orat. 24. ad med.

Idem orat. 35.

pauca item dixit. Ego Deitatis principium introducens ſine tempore, & ſine diviſione, & ſine termino, & principium, & ea, quæ ex principio ſunt æqualiter veneror: hoc quidem, quia iſtorum principium, iſta, quia ſic & talia ex tali, neque loco, neque natura, neque bonitate diſtantia. Item de tractatibus beati Baſilii contra Eunomium. Ea quæ Patri & Filio communia ſunt, ea etiam communia ſunt Spiritui. Si igitur commune eſt Patri & Filio proceſſio Spiritus, erit etiam commune Spiritui, ac procedet ab iſto alius Spiritus. Item: generat Deus non ut homo, generat autem vere, & genimen a ſemetipſo eſt: profert Verbum non humano modo, nam nec os in Deo corporaliter eſt, ex ipſo eodem autem & Spiritus eſt, & non aliunde. Hoc autem quod dixit non aliunde, quid aliud notat, niſi quod Spiritus non ſit ex aliqua alia hypoſtaſi, niſi tantum ex hypoſtaſi Patris? Item idem, in ſermone illo quem edidit contra Eunomium exponens: Manus tuæ fecerunt me, & plaſmaverunt me: *dicit, duas manus eſſe Patris Filium & Spiritum. Item Athanaſius contra Arrianos & Sabellianos in ſermone illo qui ſic incipit:* repugnat Judaiſmus Ethniciſmo, *ſpiritualiter filius ex Deo eſt & Spiritus ex Deo eſt, natura Filius a Patre exivit, & Spiritus a Patre procedit, ſed Filius quidem a Patre naſcendo, Spiritus autem ineffabiliter ex Deo. Item Baſilius in epiſtola miſſa Gregorio Fratri ſuo in qua tractat de differentia uſiæ & hypoſtaſeos. Quia igitur Spiritus ſanctus, a quo omnium bonorum diſtributio ſuper terram abundat, a Filio nempe pendet, cum quo indiſtanter comprehenditur, a cauſa autem Patris exiens habet eſſe, a quo & procedit. Hoc notiale proprietatis, quæ ſecundum hypoſtaſim eſt, ſignum habet quod per Filium, & cum eo cognoſcitur, & quod ex Patre ſubſiſtat: Filius autem, qui ex Patre procedentem Spiritum per ſe ipſum & cum ſeipſo cognoſcens, ſolus more unigeniti ab ingenito lumine reſplendens, nullam ſecundum proprietatem notionum communionem habet ad Patrem, vel ad Spiritum ſanctum. Et quomodo tu dicis communionem habere hypoſtaticam Filium ad Patrem, quia æqualiter ex hypoſtaſi Patris, & ex hypoſtaſi Filii ipſe exiſtentiam habet? & hoc & aliud inconveniens habes, quod confundis duas hypoſtaſes Patris & Filii in unam hypoſtaſim, ſicut enim in Trinitate communionum ſingularitatem habet, ita ſi ſicut vos dicitis communionem hypoſtaticam habet Filius ad Patrem, neceſſe erit vobis etiam unam perſonam Patris, & Filii confiteri. Item Damaſus Papa Romanus de his quæ ad Paulinum * Theſſalonicenſem Metropolitanum ſcripta fuerunt. Quicumque non dixerit Spiritum ſanctum ex Patre eſſe, omnimode, vere, & proprie, ſicut & Filium ex divina Uſia, & Deum Dei Verbum, anathema ſit: iſte Damaſus propugnator fuit in ſecundo generali Concilio. Cæleſtinus vero qui ſimiliter fuit Papa Romanus & Propugnator in tertio Concilio, ſcribit ſic in Capitulo decimo geſtorum ejuſdem tertii Concilii ad Neſtorium ſermonem ſuum dirigens. Quis numquam non dignus excommunicari judicatus eſt, aut auferens, aut aliquid addens fidei? Ea enim quæ plene & aperte nobis ab Apoſtolis fuerunt tradita neque additamentum, neque diminutionem ſuſcipiunt. Legimus, libris noſtris, neque addere licere, neque minuere: magna enim & addentem & minuentem pœna ligat. Unde cauterium & ferrum paramus, cum aliter non ſint curanda vulnera, quæ jam inciſione digna ſunt. Item Gregorius * Dialogus Papa Romanus de oratione, quæ in feſto Pentecoſtes legitur;* * Mentes noſtras quæſumus Domine Spiritus ſanctus, qui a te procedit illuminet, & inducat in omnem, ſicut tuus promiſit Filius, veritatem. *Item, in fine libri ſecundi Dialogorum dicit hoc: unde ſi quidem & ipſa veritas Dominus noſter Jeſus Chriſtus ut fidem*

Baſil. lib. 1. adverſ. Apologetic. Eunomii.

Idem lib. 5.

Athanaſ. orat. contra grecales Sabellii.

Baſil. epiſtol. 43. ad Gregor. Nyſſenum ante med.

Damaſ. cit.

* *Potius* Antiochenum.

Vide Baron. anno 378. n. 43.

Cyril. epiſtol. ad Neſtor. habetur in 1. part. Conc. Epheſi c. 18.

* *Ita cognominant Græci Gregorium magnum ob editos docte libros dialogorum.*

* *Habetur in libro Sacramentorum S. Grego. inter liturgias Pamelii Grego. l. 2. dialo. c. 38. ad fin. Joan. 16.*

Diſcipulis adderet, *dixit*: Niſi ego abiero, Paracletus non veniet ad vos. *Manifeſtum igitur eſt quod Spiritus Paracletus ex Patre provenit*, *vel progreditur*, * *& in Filio permanet*. *Sicut igitur iſti veteris Romæ Pontifices de Spiritu ſancto docuerunt*, *ſic & nos alumni novæ Romæ credimus*, *neque addentes aliquid*, *neque detrahentes*. *Si enim ſcirent*, *quod Spiritus a* Filio *ſicut a* Patre *procederet*, *hoc nullatenus occultaſſent*, *neque exmediate fidem docuiſſent*, *ex parte enim confiteri veritatem*, *& ex parte celare non eſt Patrum orthodoxorum*, *& maxime in verbis*, *quæ de Trinitate ſunt*; *ubi etiam prætermiſſa minima parte*, *magni periculi cauſa efficitur*. *Veniamus quoque ad teſtimonia ſancti Gregorii Nyſſeni*, *quæ de Spiritu ſancto dixit*, *ſufficit vero divulgatum ab omnibus ſanctis Patribus*, *qui in ſecundo* Concilio *convenerunt*, *ſecundum fidei ſymbolum*, *ubi ex Patre procedere Spiritum ſanctum apertiſſime dictum eſt*, *non addito quod* ex Filio: *nam & hoc ſecundum Concilium contra Macedonium Pneumatomarchum*, *id eſt*, *ſpiritum repugnantem*, *a pneumate quod eſt ſpiritus*, *& marchi*, *quod eſt pugna*, *extitit celebratum*, *qui dicebat Spiritum ſanctum eſſe Filii creaturam*. *At ſi ſcirent ſancti Patres*, *qui in ipſo Concilio congregati fuerunt*, *quod ex Filio ipſe Spiritus haberet exiſtentiam*, *hoc nullatenus tacuiſſent*, *ſed dixiſſent utique*, *quod non eſſet creatura Filii*, *ſed ejus pneuma*, *ſicut & Patris*, *qui de Filio propter hoc mentionem minime facientes*, *ad Patrem ſolum reduxerunt cauſam exiſtentiæ Spiritus*, *& ſic equidem totus orbis terrarum*. *Ex hoc ſecundo generali Concilio ſymbolum fidei accepit & tenet uſque hodie*. *Illis autem*, *qui dicunt quod ea quæ privatim ab aliquo Sanctorum ſcripta fuerunt*, *firmiora ſunt his quæ communiter & in Concilio fuere ſtatuta*, *non decet reſpondere*, *deriſorium enim eſt*, *ſi hoc ſolummodo cogitetur*; *tamen ut ipſos ex majori abundantia devincamus*, *proponamus in medio ea*, *quæ privatim ad Ablabium a ſancto Gregorio Nyſſeno ſcripta ſunt*: *incommutabile naturæ fatentes*, *quæ ſecundum ex cauſativo & cauſatum eſt*, *differentiam non negamus*, *in quo ſolum diſcerni unum ab alio invenimus*, *hoc quidem cauſativum eſſe credere*, *illud vero ex cauſativo*. *Item illius quod ex cauſa eſt*, *aliam rurſus differentiam intelligimus*. *Hoc etenim eſt proxime ex primo*; *illud per id quod eſt proxime ex primo*. *Dicta quidem ipſius ita ſunt*. *Reſponde ergo mihi*, *qui ex adverſo in ſecundo ſymbolo addidiſti*, *quod ex Patre* & ex Filio *Spiritus procedit*, *nunc iterum quomodo contraria tibi ipſi ſcribis*, *qualiter intelligis prædictam clauſulam ſcilicet*; *per id quod eſt* proxime ex primo, *de Spiritu hoc dictum eſſe*? *Si dices quod ex Filio exiſtentiam habet proprie & vere Spiritus*, *ſed quia Filius ex Patre eſt*, *propterea & Spiritus ex Patre eſt*. *O quanta inconvenientia! Abſtuliſti enim cauſam exiſtentiæ Spiritus a Patre*, *& ſolum Filium fontem exiſtentiæ Spiritus dogmatizas*, *& imples in hac parte illud Proverbiorum impoſſibile*, *e converſo dicens*; ſurſum a fluminibus recedunt fontes, *& flumen dicis aquæ cauſativum non fontem*, *unde & fluvius & aqua exeunt*. *Sic ſancti Patres in Niceno Concilio dixerunt*. *Oſtendis autem & Damaſum Papam mendacem*, *qui anathematizat eos*, *qui non dicunt proprie & vere ex Patre Spiritum procedere*, *qui autem dicit*, *quod procedit*, *nempe Spiritus ſanctus ex Filio*, *per Filium autem & ex Patre*, *timeat hujus terribile interdictum*. *Vera autem interpretatio prædictæ clauſulæ*, *ſcilicet* proxime ex primo, & per id quod eſt proxime ex primo, *ita ſe habet*, *quod & Filius*, *& Spiritus ſanctus*, *a primo ſunt*, *ſcilicet ex Patre*, *Filius tamen immediate propter reſpectum*, *qui eſt ad Patrem*: *nam Pater & Filius de his ſunt*, *quæ ſunt ad aliquid*, *& ſimiliter invenitur*

* *Corruptus eſt locus, aliter enim habetur in textu.*

Nyſſen. orat. ad Ablabium de non dicendis tribus diis.

Damaſ. cit.

*nitur Filius medius Patris & Spiritus in annumeratione ſola nominum, ſed non diſtantia temporali, vel per diſtantiam temporalem. Per Filium autem & Spiritus ſanctus ex cauſa Patris proprie & vere exiſtens eſt, unde & procedit. Item de eodem ex * ſermone edito contra Eunomium. Patri etiam ſecundum increatum conjunctus eſt Spiritus, iterum ab eo ut Pater, non ſicut ipſe diſtinguitur. Ea autem qua Filio eſt ſecundum increatum conjunctione conjunctus, & in eo quod cauſam exiſtentiæ a Deo fonte omnium habet, regreditur iterum ad ſuum proprium, in eo quod neque more unigeniti a Patre ſubſiſtat, & in eo quod ipſum illuceat. Item de eodem ſermone. Quomodo impoſſibile erit, quod in inferioribus, hoc & increata & ante ſecularia exiſtimare exiſtentiam eſſe, in qua Pater quidem inprincipiatus, & ingenitus, ac ſemper intelligitur, ex ipſo autem ſecundum proximitatem indiſtanter unigenitus Filius cum Patre ſimul intelligitur, per ipſum autem & cum ipſo antequam aliqua nova & inſubſtantialis per medium intercideret cogitatio, ſtatim Spiritus ſanctus per Filium conjunctum comprehenditur, non poſterior Filio ſecundum exiſtentiam, ita quod numquam unigenitus Filius ſine Spiritu intelligatur; ſed quod ex Deo omnium & ipſe cauſam eſſendi habeat, unde & unigenitum lumen eſt; per verum autem lumen ipſe Spiritus reſplendens ſit. Item contra eum qui non recte intelligit, quod per Filium ex Patre, producamus etiam ipſius Nyſſeni Fratrem magnum Baſilium, quibuſdam Canonicis ſic ſcribentem. Si non eſt ex Deo Spiritus ſanctus, per Chriſtum autem eſt, omnino non eſt, adeo quod detrimentum quod in Ordine ſit, ipſius exiſtentiæ contemptum habeat & totius fidei negationem. Quod eſt autem hujuſcemodi detrimentum, quod cum omnes ſancti Patres a Patre procedere Spiritum doceant, & quod per Filium hominibus datur, illi qui ex oppoſita parte ſunt, dicunt quod ex Filio Spiritus exiſtentiam habeat, per Filium autem & ex Patre, hoc eſt detrimentum quod magnus Baſilius fidei abnegationem dicit. Item ſanctus Cyrillus in capitulis contra Neſtorium excommunicatum in nono videlicet Capitulo dixit ſic: quicumque unum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum glorificatum fuiſſe a Spiritu, & eo tamquam aliena virtute uſum fuiſſe, & ab eodem Spiritum recepiſſe ut poſſet adverſus immundos ſpiritus prævalere, & in homines divina miracula exercere, & non potius proprium ejus Spiritum eſſe dixerit per quem miracula operatus eſt, anathema ſit, huic ergo verbo adhærens videlicet*, & non potius proprium ejus ſpiritum eſſe dixerit. *Theodoricus Epiſcopus inter alia multa dicit: ſi tamquam ex Filio, aut per Filium exiſtentiam habentem proprium dicis Spiritum eſſe Filii o Cyrille, blaſphemum eſt hoc, ſicut impium id projicimus; credimus tamen Domino dicenti, Spiritum ſanctum* qui a Patre procedit. *Et beato etiam Paulo dicenti ſimiliter*: Nos autem non Spiritum mundi accepimus, ſed Spiritum, qui ex Deo eſt. *Reſpondit ergo ad hæc ſanctus Cyrillus, & cum venit ad locum illum, ubi de Spiritu tractarat, * non repugnat ſuper his contra Theodoritum, nec dicit quod non ſit blaſphemum dicere, quod Spiritus ex Filio exiſtentiam habeat, imo orthodoxum eſt hoc maxime & pium. Sed quod dixit procedit, nempe tamquam ex Deo & Patre Spiritus ſanctus juxta vocem Salvatoris, ſed non eſt a Filio alienus, omnia tamen habet cum Patre, & hoc ipſe de Spiritu docuit dicens*: omnia quæcumque habet Pater, mea ſunt. *Explanavit ergo & expoſuit hic Sanctus ſuper his omnia diſputabilia verba ſua ſuper exiſtentiam Spiritus, & docuit nos ubicumque hujuſmodi verbum inveniamus, ſcilicet Spiritum Filii & Spiritum Chriſti dici, intelligere & credere poſſimus hoc propter identitatem naturæ dictum & intel-*

* *Non invenio inter Nyſſeni opera hujuſmodi ſermonem, fortaſſis æquivocatio eſt de libris Baſilii Fratris contra Eunomium.*

Baſil. epiſt. 341.

Cyril. anathematiſmo 9.

Theodoret. contra Anathemat. 9. Cyrilli.

Joan. 15. 26.
1. Cor. 2. 12.

* *Imo ibi repetit, quod* Spiritus ſanctus eſt Filii Spiritus, ſicut certe & Patris.

Joan. 16. 15.

lectum fuiſſe. Si tamen crederet idem Sanctus quod a Filio exiſtentiam haberet, hoc nequaquam ſilentio tranſiviſſet, animæ etenim periculum eſt ſubticere ea quæ ad fidem ſpectant, & maxime ei, qui potentes adverſarios habet & quem propter hoc ipſum blaſphemum vocant. Qui autem dicunt, quod Capitula ipſius Theodoriti excommunicata fuerunt ſive reprobata per quintum Concilium,

Quinta ſynodus.

audiant a nobis: numquid etiam omnia quæcumque de divina Scriptura idem Theodoritus dixit, ut illud; Chriſtus verus Deus eſt, & quod credimus Domino dicenti, Spiritum, qui ex Patre procedit, *& beato*

Joann.15.26. 1. Cor. 2.12.

Paulo ſimiliter dicenti: Nos autem non Spiritum mundi accepimus, ſed Spiritum, qui ex Deo eſt, *inſimul excommunicata fuerunt? Numquid & reſponſum ſancti Cyrilli ſuper his factum inſimul excommunicatum fuit? nequaquam. Interrogatus fuit Chriſtus a Caipha, & ab impio cœtu ejus:*

Matth.26.64.

Tu es Chriſtus Filius Dei vivi? *Qui reſpondit:* Ego ſum: *ille autem re-*

Futilis redargutio.

ſpondit, quod blaſphemaſſet: nos autem excommunicamus Caipham & dictum ejus, qui dixit quod blaſphemaſſet, ſed reſponſum Chriſti adoramus & veneramur ut verum. Idem etiam ſanctus Cyrillus Joannem Antiochenum & Synodum ejus, cujus pars potiſſima idem Theodoritus erat, recepit, & ſocios ipſos habere confeſſus eſt, ac & ex tunc cavebat ſibi ne ſcriberet de Spiritu ſancto, quod ex Filio profunderetur & emanaret, &c. quæ habere ſcandali materiam videbantur. Poſt reſponſum tamen ejus ad Theodoritum factum ſcribit Joanni Antiocheno epiſtolam de concordia vel unitivam quæ

Cyrill. epiſt. 28. & habetur 3. p. Concil. Epheſ. c. 31.

ſic incipit: Exultent cœli & lætetur terra, *& procedens dicit: nullo modo commoveri, vel concuti ab aliquibus ſuſtinemus ſtatutum fidei, id eſt, fidei ſymbolum, quod a Sanctis noſtris qui in Nicæna Civitate convenerunt pro tempore ſtatutum extitit, nec etiam permittimus nobis vel aliis aut dictionem mutare, de his quæ continentur ibidem, aut unam ſaltim tranſgredi ſyllabam, memores exiſtentes illius, qui dixit:* Ne tranſgrediaris ter-

Prov.22.28.

minos ſempiternos, quos poſuerunt Patres tui: *non enim ipſi erant qui loquebantur, ſed Spiritus Dei Patris qui ex Deo quidem procedit, eſt autem non Filii alienus ſecundum Uſiæ rationem. Poſt hæc iterum Poto exiſtente*

Potius Proclo.

Patriarcha Conſtantinopolitano ſcribit quamdam epiſtolam quibuſdam Monachis, cujus initium eſt: diligentia doctrinæ, & diligentiam laboris

Cyrill. in expoſit. ſymb. Nicæni ad Athanaſiũ & ceteros Monachos & hab. 3.p. Con. Epheſ. c.43.

veſtræ caritatis, in qua totum ſymbolum ſanctum narrat, ac expleto ſermone in quo de Filio tractavit, incipit tractare de Spiritu, ſcribens ſic: explicato ſermone quem beatiſſimi Patres de Chriſto ediderant, fecerunt de Spiritu ſancto mentionem; credere enim dixerunt in eum quoque, ſicut & in Patrem, & in Filium; conſubſtantialis enim eis eſt, & profunditur utique, id eſt, procedit ſicut a fonte ex Deo Patre, diſtribuitur autem crea-

Joan.20.

turæ per Filium; inſufflavit namque Apoſtolis ſuis dicens: Accipite Spiritum ſanctum: *in ſuperioribus autem epiſtolæ iſta dicit; editam ergo & in-*

Indidem poſt princip.

ſtitutam a ſanctis Patribus, qui in Nicæa Civitate convenerunt, fidem ſervaverunt ſine tranſgreſſione, & alii ſancti Patres, qui poſt illos fuerunt, & qui doctores populorum, & lumina Eccleſiarum, & optimi artifices myſteriorum fuerunt ſecundum conſilium. Idem Cyrillus in hoc tertio Concilio notans, quod & ipſe ſecutus eſt, & cui ipſe præfuit; qualiter enim dictum

Indidem.

eſſet tertium Concilium niſi ſecundum & tertium ſequeretur? Item idem Cyrillus. Nihil penitus defuiſſe vel prætermiſſum eſſe de omnibus quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, inveniet quis in ſanctorum Patrum confeſſionibus, id eſt, ſtatutis quæ condiderunt de recta & incomparabili fide ad reprobandam omnem hæreſim, & obturandum os blaſphemum, ac ad certitudinem & firmitatem illorum, qui recte in fide incedunt. Sciendum namque eſt, quod idem

Digitized by Google

idem ſanctus Cyrillus magnum certamen iniit, & multos ſermones propoſuit contra Neſtorii hæreſim, qui Neſtorius inter alias blaſphemias ſuas, hoc etiam de Chriſto dicebat, quod miraculorum gloriam dominaliter Chriſto Spiritus ſanctus largitus fuiſſet: hoc autem non eſt verbum meum, ſed eſt verbum ipſius ſancti Cyrilli in reſponſo quod fecit Theodorito in nono Capitulo excommunicationum, ubi talia dixit: accedens dixi, quia injurioſis verbis, id eſt; blaſphemiis & praviloquiis, quæ nimis incaute a Neſtorio dicta ſunt, vis Capitulorum pugnat. Illo enim dicente de Spiritu ſancto; quod tantam gloriam largitus fuiſſet, quod dæmonibus ipſum terribilem feciſſet, & aſcenſionem ei ad ſe largitus eſſet; ac eodem, ſicut de aliquo homine nobis ſimili, una hæc proferente facta fuit neceſſario excommunicatio, non quidem contra illos qui dicunt Jeſum glorificatum fuiſſe a Spiritu, id eſt, quod humanatum fuiſſet Verbum Dei, ſed contra illos potius, qui ipſum dixerunt virtute ſpiritus ut aliena uſum fuiſſe. Et contra hujuſmodi hæreſim repugnans feſtinavit oſtendere, qualiter alienus non erat Spiritus ſanctus ab Uſia unigeniti Filii, neque Dominus Chriſti, ſed æqualis ei honoris. Atque in multis ſermonum ſuorum hujuſmodi intentionem habuit; quandoque quidem dicit quod profunditur a Filio ſicut a Patre; quandoque quod emanat a Filio; quandoque quod diſtribuitur a Filio; interdum quod Spiritus eſt Filii. Hæc autem ad unam tantum intentionem reſpiciunt, quod videlicet non eſt alienus Spiritus ſanctus ab Uſia Filii, & effunditur ex eo, non quod per participationem ipſum Spiritum ſecum habeat ſicut omnes juſti, ſed quod ante omnia ſecula quidem Patris ſic exiſtens & Filii etiam in ſeipſo, non in Filio requieſcit & permanet, ſicut Sancti docent, perfunditur autem non Uſia Spiritus, Deus enim non effunditur, ſicut ait Chryſoſtomus in ſermone quodam, quem de Spiritu ſancto edidit, ubi dicit, ſe donum Spiritus. Item breve reſponſum ſuper prædictis de omnibus quæ ad quæſtionem videbantur pertinere, ab eodem magno Cyrillo factum, ipſe enim ex debito expoſitor eſt ſermonum ſuorum, qui interrogatus quomodo diceret Spiritum ex Filio proprium, non dixit, pro eo quod ex Filio procederet, ſed quod non eſſet a Filio alienus, videlicet ſecundum naturam, quod autem ſecundum naturam alienum non eſt, proprium eſt ſecundum naturam: quod ſentit, Omouſion. Non autem omne quod ſecundum naturam proprium eſt alicui, jam ex eo eſt. Poteramus etiam alia nobis teſtimonia producere tam de ſancto Confeſſore Maximo concordantia noſtro dogmati per omnia, & multa & efficacia, & quibus contradici non poſſet, & cum Evangeliis convenientia de Spiritu ſancto, quod ex Patre procedit, & quod Spiritus veritatis dicatur: quam a ſancto Sophronio Patriarcha Hieroſolymitano, quæ teſtimonia ſextum Concilium approbant, & etiam a ſapientiſſimo & beato Joanne Damaſceno, qui inter alia multa, ſic dixit: Spiritum Filii dicimus, ex Filio autem non dicimus. Sed quia ad prolixitatem noſter ſermo extenſus eſt, in hoc ſermone ſignamus; recipimus omnes traditiones Apoſtolorum tam ſcriptas, quam non ſcriptas: veneramur ſeptem ſacra & generalia Concilia, & quos illa receperunt recipimus, & quos reprobaverunt, reprobamus. Et ritus eccleſiaſticos, qui tunc tenebantur, ſequimur & hactenus obſervamus, ſicut a ſanctis Apoſtolis Eccleſiis per univerſum mundum exiſtentibus, tradita fuerunt, ac ſicut regali purpura induti animam fide orthodoxa clari ſtabimus ante tribunal Chriſti, & per eam regni Chriſti erimus participes intercedente immaculata Domina noſtra Dei Genitrice, & ſemper Virgine Maria, cum omnibus Sanctis, qui pro fide certaverunt certamen dulciſſimum, per quod meruerunt coronam immarceſcibilem & gloriam

Cyrill. in reſponſ. ad reprehenſionem Theodor. circa Anathem. 9.

Chryſoſt. ſerm. de Spirit. ſancto habetur tom. 3.

Cyrill. in expoſit. Anathem. 9.

Damaſc. l. 1. de fide orth. cap. 11. Conſule commentarium Clictovei ad eumdem locū.

riam ſempiternam. Fiat hoc Pater omnipotens, Genitor unigeniti Filii tui, & provolens Spiritus tui ſancti. Amen, Amen, Amen.

Carthophylax ſummæ Dei Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Aulinus præſentem libellum noſtræ confeſſionis, & fidei, præcepto ſanctorum Patriarcharum tam generalis, quam Theopoleos magnæ Antiochiæ, perſuaſione etiam ſacri Concilii, ſubſcripſi.

XXIV. Nullibi adeo diffuſe Græcorum fundamenta pro pertinaci illa ſua hæreſi vidi congeſta, neque in aliis eorum ſcriptis quæ occurrerunt, neque in Concilio Florentino, neque apud controverſiſtas, quare conſultum judicavi, omnem etſi longam tædioſamque, tranſcribere epiſtolam, ut in ea cognoſcatur quid poſſint aut ſoleant a tot annorum centuriis pro ſua probanda pervicacia proferre, & facilius ad ſingula præ manibus habeantur reſponſa. Sane quædam citant Opuſcula, quæ non facile licet invenire, alia corrupta ſunt, modo ad caſtigatiſſimas hujus temporis editiones græco-latinas ea conferamus, cetera facilem habent ſolutionem. Nam vel eorum vis in eo conſiſtit, ut Patrem dicant fontem, principium, radicem, & his ſimilia ſuperſubſtantialis Deitatis, quod verum eſt, dum Pater ſit principium ſine principio, Filius vero etiam principium eſſe poteſt, ſed principium de principio, Deus de Deo, rivulus de fonte; vel negant Filio cauſalitatem, phraſis eſt antiqua Græcorum, quam habet Pater, quod verum eſt de cauſalitate, qua Pater reſpicit Filium, ſimiliterque de notione Patris dicendum eſt, quam Filio quidam ex Græcis negant: vel aſſerunt, Spiritum ſanctum procedere a Patre per Filium, quem loquendi modum in ſenſu cohærere cum locutione Latinorum largius probat Beſſarion Cardinalis Nicænus Archiepiſcopus, Ordinis Minorum olim Protector, in oratione habita pro unione utriuſque Eccleſiæ in Concilio Florentino, quæ habetur poſt ſeſſionem ultimam, nec non ipſum Concilium, atque multi, qui, data opera, de hac controverſia ſcripſerunt. Fugiebant autem phraſim illam; *procedere ex, vel a, vel de filio*, judicantes, has præpoſitiones rationem denotare principii, quod in divinis illi unicum, ut & unicum Deum recte ponebant, putantes neceſſario ex illo modo loquendi ſtatim inferri duo principia. Ut vero perceperunt rationem unius principii conſtare cum ſententia Latinorum, & apertius eorum ſermocinationis perceperunt Theologiam, facilius & alacrius eiſdem ſubſcripſerunt, ut videre eſt in concluſione Concilii Florentini, & ex iis quæ geſta ſunt in Concilio Lugdunenſi ſub Gregorio X.

Cauſa hæſitationis Græcorum.

XXV. Quæ ex univerſa hac percipio hiſtoria, ea ſunt; impenſius Imperatorem, & Germanum Patriarcham deſideraſſe unionem, pacatius mitiuſque per eos actum Nicææ, neque aſperiorem modum agendi Nimphæ tam eis, quam Antiocheno & aliis tribuendum; nam præterquam quod illos non ſemel valde laudent Apocriſarii, ex litteris Joannis Cardinalis de Columna, ad Ottonem Cardinalem legatum in Anglia, quas exſcripſit Paris, conſtat, quam culpaverint Antiochenum. Verba ejus ad amicum de hac miſſione ſunt. Redierunt Fratres a regione diſſidente cum Principe, id eſt Pontifice, ſed pacis impreſſa veſtigia non apparuerunt; quia non paruerunt pacis bajulis diſcordiæ ſectatores Antiochenſis a ſocietate diſtrahitur, nec a redeuntibus commendatur. Præterea Apocriſarios vehementer ardenterque ſuam exercuiſſe legationem, ad ſingula quæcumque puncta vigiles & acres, nec diſſimulaſſe, aut dulcicule egiſſe in rebus fidei, ſemper tamen, & aliquando fortaſſis pluſquam opor-

Paris ad annum 1237. fol. 308.

Digitized by Google

oportuerit, ſibi timuiſſe de verſutia & figmentis gentis inconſtantis.

XXVI. Præter præclaras has miſſiones, ſuperſunt hujus anni aliæ duæ non minoris gloriæ & famæ, tanti Pontificis zelo dignæ; ad quas item deſtinati Minores, prima ad Calypham de Baldac (aliis corrupte Calippum de Ballac) originem & caput impii erroris Mahumeti, ut habet Marinus Sanutus, & quem omnes, eodem teſte, quaſi Mahumet ſucceſſorem venerabantur. Alia ad Miramolinum Regem in Africa datis ad utrumque Laterani VII. Kalendas Junii eiſdem litteris, quas ſcripſit ad Soldanum Damaſci mutatis mutandis, & accomodatis pro unaquaque miſſione clauſulis. Adjunxit vero ad Miramolinum aliam epiſtolam, in qua valde ei commendat Agnellum Ordinis Minorum Fezii Epiſcopum, atque alios ejuſdem Ordinis ad eum miſſos Fratres, erga quos, ut quidam ex ipſis Pontifici retulerunt, ſe benignum & benevolum exhibebat, ut ſub martyrio quinque Fratrum ab eodem occiſorum, jam præmonuimus. Epiſtola ex Vaticano num. 135. exſcripta ita ſe habet.

Aliæ duæ legationes.

Sanut. lib. 3. de ſecret. crucis par. 13. c. 6. & 7.

GREGORIUS &c.

Nobili Viro Miramolino viam agnoſcere veritatis, & in ea fideliter permanere.

XXVII. *IN aliis litteris noſtris, quas per dilectos filios Fratres de Ordine Minorum Magnitudini tuæ dirigimus, veritatem tibi oſtendentes fidei Chriſtianæ, Patri luminum ſicut poſſumus ſupplicamus, ut pietate ſua reſpiciens noſtræ intentionis affectum, precibus noſtris clemens aſſiſtat, benignus aſpiret, januamque miſericordiæ ſuæ reſerare dignetur, adaperiatque aures præcordiorum tuorum, ut nobis ſitientibus tibi gratiam in præſenti, & gloriam in futuro, in devotione cordis, & humilitate ſpiritus acquieſcas. Deſideramus ſiquidem & ardenter depoſcimus, ut tibi, qui in tenebris ambulas, unicum filium ſuum verum lumen oſtendat, teque ad fidem Chriſtianæ veritatis miſericorditer advocet in agnitionem ejuſdem Filii ſui Domini Jeſu Chriſti, ut per lavacrum regenerationis ablutus, Domino in novitate vitæ, tamquam Filius adoptionis ipſius, valeas complacere, qui fideles ſuos ſibi vult in regnis cæleſtibus conregnare. Et utinam fiducia quam concepimus non fallamur, de tua converſatione ſperantes, pro eo quod religioſis viris fidei noſtræ, & ſpecialiter Ven. F. N. A. Facenſi Epiſcopo, & aliis Fratribus de Ordine Minorum, te manſuetum exhibes & benignum, & eos in quibus decet, habes propenſius commendatos, quod ad ſalutationem tuam perſpicuum indicium divinæ miſerationis exiſtit. Unde Epiſcopus & Fratres prædicti te in Chriſto ſincerius diligentes, temporale, & æternum commodum tuum apud Dominum, & Sedem Apoſtolicam indefeſſæ pietatis ſtudio, & amore ſatagunt promovere. Denique cum ineffabiles ſint bonitatis Chriſti divitiæ, firmam ſpem debes habere, plenamque fiduciam, quod ſi mutatio dexteræ excelſi in te facta fuit, quod cupimus & optamus, ipſe tui principatus honorem augebit qui dilectoribus ſuis in via centuplum, & vitam æternam in patria pollicetur; noſque tibi majora & digniora ad ampliorem tui laudem & magnificentiam committemus. Alioquin ſi forte Chriſti hoſtis eſſe malueris quam amicus, nullatenus patiemur, ſicut nec pati debemus, quod tibi a ſuis fidelibus ſerviatur. Datum Laterani* VI. *Kalendas Junii anno* VII.

XXVIII. Sub

Digitized by Google

XXVIII. Sub hoc anno multa præclare in Italia feciſſe beatum Gerardum Mutinenſem, olim ſancti Franciſci diſcipulum, & a Parmenſibus ob ſpectatam integritatem & innocentiam, patratis etiam multis in Chriſti nomine ſignis, ad Civitatem ſuam adminiſtrandam adſcitum ſcribit Sigonius; qui & de Gerardi conſodalibus, & Prædicatoribus quæ ſequuntur, ſubnectit. (Ceterum quæ pietatis cura Bononienſes hoc anno cœpit, eadem reliquorum etiam animis Italicorum objecta eſt, cum multi in omnibus Civitatibus concionatores ex novis Dominici, Franciſcique familiis exiſterent, qui labentes populos ſuſtinerent, errranteſque ad pœnitentiam ingentibus atque aſſiduis clamoribus revocarent. Quorum vocibus matutinis & pomeridianis incitati, ac tacita quadam religione perfuſi, in urbibus, caſtris, agriſque omnium ætatum, ſexuum, ordinumque homines laudes divinas per vias incedentes canebant, ac Deo gratias agebant, cruces & vexilla præferentes, ac ramos, aut candelas accenſas tenentes. Ex quo hic annus vulgo dictus eſt generalis devotionis annus.)

Sigon. lib. 5. hiſt. Bonon. ad hunc annum.

XXIX. Quantumvis vero inſignes hi Viri pro univerſa laborabant Eccleſia, non tamen in illa defuere qui eos conturbarent, & injuriis oppeterent. Præ his Patrum Canonicorum Regularium Conimbricenſium majores hoc anno moleſtiæ, quibus ut mederetur ſanctus Pontifex ſcripſit ad Viſenſem & Lamecenſem Epiſcopos, & Priorem Vimaranenſem, ut compellerent eos, ne amplius Minores moleſtarent, neque impedirent, quin domum vel Eccleſiam in villa Lerenæ ædificarent. Deinde aſperrimam ad Priorem prædictorum Canonicorum, qui plus ceteris in hoc vexamine videbatur excedere, ſcripſit epiſtolam, in qua ſummum affectum erga Minores oſtendit, & quam doluerit ad eorum offenſiones, vehementius inculcat. Neſcio unde his illuſtribus Dominis & Patribus tanta bilis amaritudo provenerit, niſi fortaſſis ex arrepto ſibi Antonio Ulyſſiponenſi, alias Patavino, in quo jam in ſanctos relato multum ſui Ordinis & Cœnobii fulgorem ſe perdidiſſe conſpexerunt. Augebat ſtomachum frequens aliorum Cœnobitarum pro Antonii exemplo ad Minores tranſitus, quos continuis ſeculis, etiam hoc noſtro, plures ſunt imitati. Id ego nunc noverim experientia trium vel quatuor annorum, quibus Conimbricæ ferme præ foribus horum Patrum & Dominorum in collegio D. Bonaventuræ ſacræ Theologiæ vacavi, optimos ſe probaſſe amicos, neque adeo commotos ad unum vel alterum ex ſuis factos Minoritas. Rerum mutantur viciſſitudines, & inimici fiunt amici, his qui modo ſunt non crediderim diſpliciturum (quos neque leviuſcule contriſtari voluerim) ſi quales fuerint illius temporis, ex Pontificiis litteris exponamus, utraſque damus ex Vaticano regeſto, prima numerum 147. ſecunda præfert 163.

Conturbātur Minores a Canonicis regul. Conimbricenſibus.

GREGORIUS &c.

Viſenſi & Lamecen. Epiſcopis & Priori Vimaranen. Bracarenſis Diœc.

XXX. E*Tſi neceſſe ſit contingere, ſcandala, ut ex multis cordibus cogitationibus revelatis inde laudetur patientia pauperum, unde prodire cernitur inſolentia ſuperborum, cito tamen coercendi ſunt a ſuis præſumptionibus peſtilentes, ut nec ipſi, licet difficile corrigantur, libere poſt deſideria ſua pereffluant, nec humiles ex prolongata contra ſe nimium per-*

Digitized by Google

*perſecutione tabeſcant, ſed, contrito baculo impiorum, juſti tranquilla
gaudeant libertate, proficientes ſibi per vitæ meritum, & aliis per exemplum. Intelleximus ſiquidem, nec poſſumus ſine amaritudine recenſere, quod
Prior & Canonici Monaſterii Sanctæ Crucis Conimbricenſis, ſtultitiam verbum crucis & vitam juſtorum reputantes, dilectos filios Fratres Ordinis Minorum, qui per vitam ſalutaribus inſtitutis inſignem, & multis jam miraculis approbatam, paſſim catholicam conſolantur Eccleſiam & confundunt hæreticam pravitatem, impie perſequuntur; & non permittentes eos habere
locum, vel Eccleſiam in Villa Lerenæ, ne ipſorum tortitudo vicinæ rectitudini comparata diſpliceat, & irreligioſitas religioni compoſita plus vileſcat,
ſed potius præſumentes ipſos & benefactores ſuos, & qui conveniunt ad Officia, vel prædicationes eorum, excommunicare de facto, cum de jure non poſſint, alias eis injurioſi nimis exiſtunt, & lateribus ac humeris impingentes
dictos Fratres, velut infirmiora pecora potentiæ ſuæ cornibus ventilant, &
aquas Siloe ſalubres, videlicet exhortationes eorum, ſine ſtrepitu ſcientiæ* Iſaia 8. 6.
*ſecularis, & phariſaici ſupercilii tumiditate currentes, ne a verbum Dei
ſitientibus appetantur, quantum in ſe eſt, fœditatis ſuæ pede perturbant.
Quia igitur illius vicem, licet indigni, gerentes,* cui Pater dedit omne ju-
dicium, *judicare debemus inter macilentum & pingue pecus arietum &* Joan. 5. 22.
hircorum, & inopes de fortiorum manibus liberare; diſcretionem veſtram Pſal. 34. 10.
*monendam duximus, & hortandam per Apoſtolica vobis ſcripta præſentia
mandantes; quatenus auctoritate noſtra denunciantes hujuſmodi excommunicationis ſententias non tenere; Priorem & Canonicos memoratos, ut a prædictis Fratrum Minorum injuriis & perſecutione deſiſtant; nolentes vero per
cenſuras eccleſiaſticas, ſublato cujuſvis appellationis obtentu, compellatis.
Quodſi non omnes, &c. Datum Laterani* XII. *Kalendas Junii anno ſeptimo.*

GREGORIUS &c.

Priori Monaſterii ſanctæ Crucis Conimbricenſis.

XXXI. *Intelleximus cum dolore, & ſine amaritudine recenſere nequi-
vimus, quod tu qui noſtræ pacis homo jam fueras, & nobiſ-* Pſal. 54. 15.
*cum in domo domini cum conſenſu ambulare ſolebas, paratus a facie perſe-
quentis cum Abdia paſcere, quos Helias arguitur ignoraſſe, nunc mutato,* 3. Reg. 18.
*vel potius amiſſo conſilio, converſus in arcum pravum, & malum Angelum
Babyloniis & incircumciſis amicitia jungeris, Sion & Hieruſalem filiis ad-
verſaris. Nam factus es promptulus allegator exclamans; turbatur Herodes* Matth. 2. 3.
*& Civitas fabricantium idola, & ego cum eis, quia Chriſtus in Fratrum
Minorum Ordine naſcitur, & ſalutem innumeræ multitudinis exemplo, do-
ctrina & miraculis operatur. Amara eſt veritas, & ab initio ſuſtinuit per-* Mali ſemper perſequuti ſunt bonos.
*ſequentes. Detraxerunt Moyſi & Aaron Jannes & Mambres ſignis coram
Pharaone mendacibus: Simon, & Elimas Apoſtolorum Principibus reſiſte-* Exod. 7. 11.
runt; & ut altius repetamus, quis Sanctorum ab Abraham uſque ad David Act. 17. 8.
*a filiis hujus mundi mala non pertulit? Quem Prophetarum, terra cui ma-
ledixit Dominus, non peremit? Sanaballath, qui interpretatur egreſſa de-* Act. 7. 52. Eſdr. 2. 10.
*voratio peccatoris, Hieruſalem reædificari non patitur, & opus arcis, ac
Templi Domini ab his qui Deum Patrem oderant, impeditur. Ad extremum
Chriſtus occiditur, Apoſtolorum chorus turpiter flagellatur, Martyrum per
injurias triumphat exercitus, hodieque navis in qua per reptilium & fera-
rum medium navigamus, prora quidem manet immobilis, ſed puppis ſolvitur*

& conquaſſatur a ventis. Novimus qui prædixit; ſi me perſecuti ſunt, &
Joan. 15. 20. vos etiam perſequentur. *Tu vero quondam unanimis & ſervus a principio*
Salomonis, quam improviſe velut alter Jeroboam in felle amaritudinis, &
obligatione iniquitatis multitudinem poſt te trahere niteris ſub quadam ſpe-
cie pietatis, ut peccare facias Iſrael, & populo laborioſos actus & vias aſpe-
3. Reg. 12. 29. Matth. 26. 47. *ras renuenti in Bethel, & Dan vitulos ſtatuas, ut illum a Templi venera-*
tione ſubducas. Chriſtum diſcipulus prodidit, & in Eccleſia primitiva com-
munis innocentiæ caſtitatem unus ex ſeptem Diaconis, per immunditiam ze-
lotypiæ, violavit. Ex omni, ait quidam, re naſcitur, quod rem exterminat,
utpote de ligno caries, de panno tinea, vermis ex olere; ut & in iis com-
prehenſum te noveris, cum in dilectorum filiorum Fratrum Minorum inju-
riis debaccharis, lucis ad tenebras, Chriſti ad Belial, non eſt ulla con-
2. Cor. 6. 14. ventio; *& obvium ſemper offendit cedere neſcia rectitudo. Tu cum primam*
in Synagoga teneas cathedram, amittere times peccantium obſequelam. To-
Joan. 11. 48. *tus, ais, mundus poſt Fratres Minores abiit, ſi dimittamus eos ſic. Vocas*
præterea pſeudoprophetas & operarios ſubdolos, adjicias etiam, Samarites,
Joan. 8. *ut titulo magiſtri ſui noverint ſe notatos. Ad cibum volantes animas bla-*
ſphemiarum lapidibus impetis, invides pœnitentibus, quos ab auditione ſan-
ctæ prædicationis avertis, dicens hujuſmodi non habere auctoritatem rela-
xandi crimina, pro eo forſitan quia non eſt eis ambitio veſtium, nec equorum
ſubvectio, nec æs in zona, nec mancipiorum grex, nec etiam concubina. De-
trahis poſtremo miraculis, quaſi & de domino patres tui non dixerunt, quod
in Beelzebub principe dœmoniorum ſpiritus immundos ejecit. *Blaſpe-*
Luc. 11. 15. *mia hæc eſt in Spiritum ſanctum, qui factor eſt operum, non tibi dimittet*
niſi pœnitentiam egeris, ſicut nec illis, quorum invidiam imitaris. Unde
Luc. 13. 3. Sap. 2. 25. *non eſt mirum ſi te creavit ambitio, & ſi Angelos lædere geſtiens, ſaluatio-*
nis oſtium invenire non potes. O cor durum & caput miſerum, omni lacry-
marum fonte lugendum, cui pœna cœpit eſſe malitia, ut ſicut malorum pœni-
tudinem, ſic bonam nequeas reſumere voluntatem! Miſer, ſi ratione aliqua
契utereris, & debita in te vigeret humanitas, præfatos Chriſti milites ubique
ad noſtrum imperium cum David hoſtiliter contra hoſtes tam morum quam
1. Reg. 18. 3. *fidei procedentes, & ſi renuis, pro virtute diligere, cum Jonathas eum, in*
quem regnum ſibi debitam noverat transferendum, judicio conſcientiæ non po-
tuerit non amare, propter nos ſaltim, qui ut Eccleſiæ membra nobilia di-
gnos Apoſtolica gratia reputamus, & ut noſtra viſcera complectentes, vices
dolemus ipſorum, ne dum contra eos nec mutire debueras, ſed in ipſis vitam,
ſapientiam, & doctrinam inſpicere humiliter, & ſuſcipere reverenter.
Quapropter illius imitantes exemplum, qui primum in ſpiritu manſuetudi-
nis reconciliare ſtuduit, quos averterat ſpiritus falſitatis, tibi ſub divini
numinis vindicta præcipimus, quatenus, recognita veritate, vel in laudem
exercitus dominici tam illuſtris erumpere ſtudeas, vel ſi non eſt hoc tibi præ-
ſtitum deſuper, ſaltim ab eorum prorſus injuriis obmuteſcas. Quod ſi non vis
erigi poſt ruinam, ſed ſuperbiæ prærupta conſcendens, labi præceps eligis in
profundum, & imitans eorum vitam, quorum tormenta non metuis, quaſi
pinguis hoſtia in mortem propriam ſaginaris: inobedientem hominem poſt
unam & forte ſecundam monitionem ſeparare curabimus, ut in te quid bla-
ſphemo conveniat, oſtendamus. Datum Laterani v. *Idus Junii anno* VII.

Gonz. in Prov. S. Michaelis Conv. 4. XXXII. Aliam intulit moleſtiam Placentinus in Hiſpania ad Elzam
fluvium, qui poſtquam in aliis rebus ſævientem in Minores iram oſten-
dit, etiam illud intulit gravaminis, ut prope eorum Monaſterium (quod
ex

ex hoc loco jam ab aliquo tempore, ſed Gonzagæ omnino incerto, in ea Civitate obtinuiſſe conſtat) aliud extrueret Sanctimonialium, a quarum conſortio dum longius diſtare abeſſeque vellent Fratres, juxta frequentia ſui patris monita, timentes ne ex vicinia ſcandalorum ſubeſſet occaſio, ad Pontificem recurrerunt, qui cauſam remiſit gravi data epiſtola ad Epiſcopum Caurienſem in Extremo Duræ VII. Kalendas Junii, quæ incipit, *Solutior Satan*. Super aliam etiam controverſiam cum Abbate & Monachis Virziliacenſibus in Gallia circa extruendam ſibi domum, in Virziliaco conſtituit favorabiles judices Turonenſem, & Rothomagenſem Archiepiſcopos, & Epiſcopum Pariſienſem, quos in tuendis, & fovendis Minoribus benignos laudat benefactores, juſſitque ut conventiones in urbe initas, Minoritis utiles, obſervari curarent. Litteræ incipiunt *Gratum geminus*. Datæ Later. III. Non. Junii, ad quam controverſiam ſpectant aliæ datæ ad Abbatem prædictum VI. Idus Junii, incipientes, *ex parte tua*. „ Porro primam ſtructuram hujus Conven-

Extractam Monialium domum prope Monaſterium Minorum jubet Pontifex removeri.

ADDITIO Patris Lucæ Waddingi.

„ tus tribuunt Fr. Pacifico Provinciæ Franciæ primo Miniſtro, & Lu-
„ dovico, S. Franciſci ſociis, ipſo adhuc vivente ſancto Inſtitutore.
„ Cum vero fundationi contradicerent, diuturno multorum annorum
„ conatu, etiam ſub Joanne XXII. uti ex ejus apparebit Regeſto, Pa-
„ tres Benedictini Vezeliacenſes, & tamdem victi a contradictione de-
„ ſiſterent: domum undequaque abſolvit nobilis Heros Guillelmus de
„ Caſtaluce, cujus adhuc conſpicitur in Eccleſia ſepulcrum lapideum
„ inciſo hoc Gallico Epitaphio. *Cy giſt Meſſire Guillaume de Monreal,*
„ *dict de Chaſtelux, en ſon vivant Chevalier Seigneur dudict Chaſtelux,*
„ *Vicomte d'Avallon, Seigneur de Bozoche, & Chambellaine du Roy, qui*
„ *treſpaſſa au mois de Juin* 1408. Paulo inferius appoſito pulchro ſtem-
„ mate ſubditur: *Les armes de Madame Joanne de S. Verin femme du dit*
„ *Seigneur*. In aula capitulari conſpiciuntur ejuſdem familiæ Caſtælu-
„ cis inſignia, addita hac epigraphe. *Cy giſt Meſſire Henry de Methynes,*
„ *qui treſpaſſa l'an de grace* MCCXCI. *au mois* ..... *Dieu aye priè de*
„ *l'ame de luy*. Totum Cœnobium circa annum MDLXVIII. ab hæreticis
„ fuit funditus everſum, ſed ſolerti Fratrum cura paulo poſt ex parte
„ reſarcitum.

Gonz. ibid. Conv. 4. Monum. MSS.

XXXIII. Conradus de Marpurg verbi Divini concionator (quem perperam Franciſcanum faciunt Marianus, & Marcus, ſed nos nullius regularis Inſtituti eſſe ſuperius probavimus) animadvertere cœpit in perfidam quamdam hæreſim, quæ in Alemania occulte pullulaverat, & detecta eſt anno ſuperiori. Quapropter circa Rhenum, nec non & alibi innumerabiles hæretici per eum auctoritate Apoſtolica (ut ſcribit auctor additionum ad Lambertum Schafnaburgenſem inter illuſtres Germanorum Scriptores) examinati, ac per ſententiam ſecularem damnati, igne combuſti ſunt. Fuerunt autem, præſente eodem Conrado, Erphordiæ quatuor combuſti. Hoc vero anno Rex Philippus Archiepiſcopus Moguntinus, & Magiſter Conradus, Moguntiæ Conventum Epiſcoporum, & Comitum, atque Clericorum fecerunt pro quibuſdam infamatis de hæreſi, inter quos Comes de Seine accuſatus, inducias purgationis ulteriores obtinuit: ſuper reliquos vero, qui non comparuerant, prædictus Conradus de Marpurg ibidem populum cruce ſignavit. Quapropter illi felle amaritudinis commoti, jam dicto Conrado in reditu inſidias juxta Marpurg ponentes, ipſum una cum Gerardo Minorum Ordinis Fratre, probatæ vitæ viro III. Kal. Auguſti crudeliter occiderunt.

Marian. lib. 2. c. 3.
Marc. 2. par. lib. 1. c. 3.
An. 1226. n. 40.

Conradus Marpurg. animadvertit in hæreticos.

Addit. ad Schafnaburg.

Sed occiditur.

Digitized by Google

Anton. Vinc. Domenec. lib. 2. de Sanctis Catalon. fol. 63.
Vita MS. barum Sanctarum.

Diſcipulæ S. Claræ appellunt Barcinonem.

XXXIV. Mirabili incremento propagatus eſt Ordo Clariſſarum circa hæc tempora, nam & plura conſtat hoc anno fundata earumdem Monaſteria, & plurium occurrit ſub hoc tempore in diplomatibus Pontificiis memoria. Præ omnibus celebre habuit initium hoc anno x. Januarii Monaſterium ſanctæ Claræ Barcinonenſe ante Divæ mortem, ſancti Antonii dictum, ob dedicatam a diuturno tempore vetuſtam Eccleſiam ſancto Antonio Abbati; nam cum ex ſancti Damiani ſeminario miſiſſet Clara binas diſcipulas & conſanguineas Agnetem Perandæ ſuam neptem, & Claram alteram, ad primiceriæ exemplar ita nuncupatam, prædictæ item Agnetis neptem, ut Virginum religioſa Collegia in Hiſpania ædificarent: illæ ſive naufragio, ſive quopiam alio infortunio, aut provido Dei miraculo, in humili ſcapha abſque remis & velo, per maris Mediterranei fluctus appulerunt Barcinonem. Hæſit in littore cimbula e regione Eccleſiæ prædictæ ſancti Antonii, juxta quam poſtea accepturæ erant domicilium, e qua dum modeſtæ adoleſcentulæ decori aſpectus, & religioſi candoris in terram aſcenderent, ad ſpectaculi prodigium accurrit plebis multitudo de patria, vitæ Inſtituto, adventus cauſa, ut moris eſt, ſolerter inquirens. Univerſa percepta hiſtoria cum reverentia & comitatu multo eas deducunt obvii Preſbyteri ad Berengarium urbis Epiſcopum, qui ſumma admiratione rei ſeriem audivit, & pio affectu opem omnem promiſit. Hinc ad Minores, quorum tum ibidem ab aliquot annis extructum domicilium, digredientes, eorum conſilio & auxilio cœperunt de fabricanda ſibi domo cogitare. Ipſam illam Eccleſiam ſancti Antonii, quam omnium primam ſalutarunt, benigne eis conceſſit Epiſcopus, cujus ſuaſu & eleemoſynis, piorumque ſubſidio contiguam conſtruxerunt domunculam. Hanc ſexto poſt anno, multiplicatis Sororibus, rebuſque ad exitum deductis, propter virtutum merita, & pietatis exempla, cum conſenſu Pontificis, nec non ſui Capituli, prædictus Berengarius ab omni jure Epiſcopali libere exemit, quod & ejus ſucceſſor frater Petrus ſimiliter fecit anno MCCXLV. quorum litteras dabimus illis annis inſertas Pontificiis in regeſto ad calcem Voluminis.

XXXV. Crevit quotidie Monaſterium tam Monialium numero, quam ædificii amplitudine, beneficio præſertim Jacobi Regis Aragoniorum, qui, præter alia, dedit dilatandæ Monialium clauſuræ magnam navalis & littoris partem, necnon aquarum profluvium molare ad hortorum irriguum, quæ ſe propterea concedere affirmat in ſuo diplomate dato XXV. menſis Junii anno MCCXLVI. quia propter tot virtutum exempla, & ſanctitatis merita, ſperat illorum precibus ſibi conſequi ſalutem, & animabus ſuorum parentum requiem ſempiternam. Inſuper quidam Berengarius Ferran. poſſeſſiones & facultates ſuas quaſcumque eidem donavit Monaſterio, nec non ſe ipſum ſub habitu pœnitentum Tertii Ordinis S. Franciſci eorum devovit obſequio, Abbatiſſæ Agneti, ejuſque locum habituris perpetuam promittens obedientiam, ut ex publico a ſe facto inſtrumento, quod in illius Monaſterii ſervatur archivo, aperte collegi.

Monaſterium S. Claræ Barcinonen. evaſit Benedictinum.
Gonza. in Prov. Catalon. Monaſt. 1. & 5.

XXXVI. A multis jam annis totum evaſit hoc Monaſterium Benedictinum, qua id cauſa, quo privilegio, quove procurante, non potui exacte percipere. Fortaſſis quando reformata ſunt Monaſteria Sanctimonialium Hiſpaniæ, & reducta ad regulam, vel ab ipſo ſancto Franciſco, vel alteram ab Urbano IV. traditam, hujus Cœnobii Moniales noluerunt Benedictinam reſpuere, & quam nomine tenus in regula a Gre-

Gregorio Pontifice, dum in Minoribus eſſet, accepta, profitebantur, voluerunt opere obſervare, & penitus fieri Benedictinæ. Fuiſſe porro prius & per multos annos Ordinis Minoriſſarum ſeu Clariſſarum inde ſufficienter probatur, quod illinc aſſumptæ fuerint quatuordecim primæ Fundatrices Monaſterii B. Virginis de Petralbis Barcinonenſis Ordinis S. Claræ poſt annum MCCXX. a Jacobo II. Rege Aragonum extructi, necnon primæ Magiſtræ Monaſterii S. Claræ Caſtilionis. Efficacius adhuc & irrefragabiliter comprobatur ex privilegiis duobus Innocentii IV. datis anno I. & III. ſui Pontificatus, & altero Alexandri IV. anno IV. in quibus vocantur Ordinis incluſarum S. Damiani Aſſiſiatis, & jubetur Miniſter Provincialis Aragoniæ earum curam aſſumere, & ex Cœnobitis S. Franciſci Barcinonenſis ſacrorum miniſtros adminiſtrare. Demum id exprimit aliud diploma ejuſdem Alexandri in ipſius Conventus archivo ſervatum, ad dictam Agnetem Abbatiſſam directum anno MCCLVIII. XXVII. Julii Pontificatus anno IV. in quo Abbatiſſæ officium deponere volentem rogat & jubet, ut ferat patienter. Vitas & res præclare geſtas ſanctarum harum Fœminarum dabimus ad annum MCCLXXXI. quo B. Agnes diem clauſit extremum.

Conceditur Clariſſis Monaſteriū SS. Coſmæ & Damiani Romæ.

XXXVII. Hoc item anno, vel circiter, diſtributis per alias urbis ædes Patribus Benedictinis, datum fuit Clariſſis Monaſterium eorumdem SS. Coſmæ & Damiano ſacrum in regione Tranſtyberina, quod ex ſtructura, & loci elegantia *mica aurea* cognominabatur. Ex primis & præcipuis, quas habebant in Urbe plurimas Abbatias, hæc una erat multis locuples poſſeſſionibus, quarum magnam partem voluit Pontifex penes Sanctimoniales remanere. Quarumdam memoriam dabimus in privilegio Gregorii IX. ad annum ejus Pontificatus X. Inde autem mihi conſtat, jam circa hoc tempus conceſſum Clariſſis locum hunc, quod Pontifex anno Pontificatus VIII. qui mox hunc ſequitur, conſtituerit fratrem Jacobum Ordinis Minorum illius Monaſterii œconomum his verbis.

GREGORIUS &c.

Dilecto filio fratri Jacobo de Ordine Fratrum Minorum &c.

De tua diſcretione confiſi, ut in Monaſterio S. Coſmæ in Tranſtyberim de Urbe poſſis œconomum facere, ac ordinare, quæ ſecundum Deum videris ordinanda, præſentium tibi liberam concedimus poteſtatem. Datum Spoleti XV. *die Septembris Pontificatus noſtri anno* VIII. Quod officium dum per aliquot menſes exercuit, ex Pontificis facultate illud tranſtulit ad alium ejuſdem Ordinis, Paulum nomine, hac data ſcriptura. *In nomine Domini. Anno Dominicæ Incarnationis* MCCXXXIV. *anno Pontificatus Domini Gregorii IX. Papæ, Indictione* VIII. *menſis Aprilis die* XXV. *Ego quidem Jacobus de Ordine Fratrum Minorum, quoniam Dominus Papa mihi commiſit & conceſſit liberam poteſtatem faciendi œconomum in Monaſterio ſancti Coſmæ de Tranſtyberim, ſicut ſuis litteris continetur; idcirco hac die propria mea bona voluntate in præſentia hujus ſcribæ & teſtium ſubſcriptorum ad hoc ſpecialiter rogatorum, facio, conſtituo, ordino te fratrem Paulum œconomum & legitimum actorem prædicti Monaſterii ſancti Coſmæ, ad agendum, petendum, reſpondendum, defendendum, & recipiendum, & ad omnes actus legitimos faciendum, promittendo nomine Pontificis, & obli-*

Digitized by Google

obligando ut bene placuerit. Quicquid prædicto modo feceris, me ratum ac firmum habere, & contra non venire, ſed obſervare & adimplere & manutenere, & ab omni homine defendere in juris rectitudine procurabo &c. Scripſit rogatus Joannes Marſilius Scrivius menſe & Indictione ut ſupra, coram pluribus teſtibus ibi nominatis.

Laudatur ſoror Urſula Formicina.

XXXVIII. Habentur hæ ſcripturæ in libro monumentorum ejuſdem Conventus, quem ſcripſit, & in tres partes diſtinxit ſoror Urſula Formicina bis illius ædis Abbatiſſa graviſſima & ponderoſi ingenii fœmina, diſciplinæ regularis, dum vixit ſedula reſtauratrix & fotrix. In prima agit de originaria fundatione, & ſucceſſione Abbatum, rebuſque præcipuis ab eiſdem actis. In ſecunda de translatione ejuſdem ad Sanctimoniales, & rerum ſtatu uſque ad reformationem Monaſterii. In tertia a reformatione ad ſuum uſque tempus. Mirum ſane eſt, quomodo recluſa inopſque fœmina tot potuerit videre libros, & antiqua acquirere, quæ in Opere citat monumenta, qua etiam dexteritate diſpoſuerit & explicuerit res univerſæ hiſtoriæ, & occurrentes ſuperaverit difficultates; ſingula etiam quæ ad bonum Monaſterii regimen attinent, ante oculos ſibi ſucceſſuris Abbatiſſis apponens. Penes eaſdem ſemper ſervatur in honore hic codex MS. quem mihi licuit videre, penetralia ingreſſus Monaſterii graviſſimi & religioſiſſimi, cum Reverendiſſimo Patre Benigno a Genua hodierno Generali Miniſtro, dum quaſdam intra clauſtra peragi oportuit functiones. Miror proinde, quo duci potuerit fundamento Reverendiſſimus Gonzaga, ut translationem hujus Conventus a Patribus Benedictinis ad Clariſſas reducat ad annum MCCCCLXXV. ſub Sixto IV. niſi illinc irrepſerit error, quod ignota prima conceſſione facta Clariſſis, originem referat ad dictum Pontificem, ex affixis ſupra portas Eccleſiæ & Monaſterii ejus inſignibus, propter ampliores collatos hortos, & redditus, adjunctamque elegantem Eccleſiam. Id ultra naturæ vim contulit beneficium, quod miraculi loco referunt Moniales, ut profundiſſimi cujuſdam putei aquas inſaluberrimas ſigno crucis correxerit, & potabiles reddiderit. Plures in hoc Cœnobio vixere ſpectatiſſimæ vitæ Monachæ, quarum alias recolenda memoria, & ex eodem plurimæ prodiere ad alia Virginum Seminaria fundanda, ſcilicet ſancti Laurentii Paniſpernæ in Urbe; SS. Simonis & Judæ Viterbii; Sanctæ Claræ Orbeti; & ſanctæ Mariæ de Gratiis Civitatis Caſtellanæ. Plures altarium conſecrationes inveni in vetuſtis Monaſterii membranis, primam præcipue altaris SS. Coſmæ & Damiani ſub Innocentio IV. anno MCCXLVI. die 11. poſt Dominicam de Paſſione per Dominum Theodoricum Epiſcopum Eſculanum de mandato venerabilis Domini Stephani Cardinalis, tunc temporis Vicarii Domini Papæ in Urbe: Secundam ejuſdem altaris anno MCCCCLXXVI. die Dominico XXI. menſis Aprilis, quæ octava erat Reſurrectionis, factam per Simonem Archiepiſcopum Patracenſem, jubente Sixto IV. quando noviter Eccleſiam a fundamentis reſtauravit: Tertiam altaris ſancti Benedicti, non obſervatis tamen tempore, aut conſecrante: Quartam altaris majoris ſanctorum Martyrum Coſmæ & Damiani, & ſancti Michaelis anno MDLXXIV. die XV. menſis Novembris ſub Gregorio XIII. per Joannem Franciſcum Ormanum Mediolanenſem Epiſcopum Montisfeltrenſis.

Gonz. in Prov. Roman. Monaſt. 3.

XXXIX. Aliorum ſub hoc anno Monaſteriorum Clariſſarum ſeu Damianitarum mentionem invenio in litteris Pontificiis. Duodecimo Kalendas Martii conceſſit ut bona hoſpitalis S. Blaſii Modocien. in quo hoſpi-

ſpitalitas debita non ſervabatur, converterentur in pios uſus Monaſterii ſanctæ Mariæ Damianitarum Mediolanenſis. Quinto Kalendas Aprilis jubet, ut Epiſcopus Aſculanus non permittat moleſtari Monaſterium Aſculanum earumdem Sororum, ſuper quædam bona ex teſtamento legata ſorori Cæciliæ Aſculanæ, ejuſdem ædis Sanctimoniali, quæ Monaſterio adjudicari debebant. Undecimo Kalendas Novembris ſcribit Conſulibus Pizzicarolis Senenſibus, ut bona relicta Monaſterio Senenſi pauperum incluſarum ſeu Damianitarum, Divæ Petronillæ ſacro, a Vitali de Donato cive Senenſi illius Cœnobii fundatore (ut ex aliis Pontificiis litteris datis anno ſequenti habetur) illi reciperent, proventus eorum colligerent, & in uſus Sanctimonialium fideliter converti curarent. Bullæ ipſæ in regeſto hujus tomi clarius rerum ſeriem enarrabunt. Hoc etiam anno Vitalis Archiepiſcopus Piſanus, Sardiniæ Primas novo extruendo Monaſterio ejuſdem Inſtituti in ripa Arni conceſſit Eccleſiam omnium Sanctorum, & privilegium exemptionis, quod dabimus inſertum in bulla Pontificia anno MCCXXXV. Nec non Homo-bonus Epiſcopus Cremonenſis privilegio exemptionis donavit Monaſterium Monialium ſancti Franciſci in clauſis Cremonen. ut videre erit in regeſto anno x. Pontif. Gregorii.

Plura monialiũ hoc tempore extructa Cœnobia.

XL. Circa hoc tempus Monaſterium Fratrum Minorum Brugenſe in Flandria, prius ædificatum a generoſo milite Henrico Rem extra muros oppidi, nunc Civitatis Epiſcopalis, beneficio Pauli IV. ob loci incommoda, transferri cœptum eſt, propter preces plurium, præcipue Gualteri Epiſcopi Tornacenſis, ad ſitum aptum intra oppidum per Joannam Flandriæ Comitiſſam, ſub qua Brugis domicilium accepiſſe habet Meyerus, cujus etiam alia in Sodalitium beneficia nos ſupra connumeravimus. Opus cœptum perduxit ad exitum ejus ſoror Margareta Conſtantinopolitana in regnum ſuccedens, ſuaſu & auctoritate Innocentii IV. Pontificatus anno v. qui non potuit incidere in annum MCCLVIII. ut enumerat Gonzaga, dum ejus electio incidit in MCCXLIII. neque ut ibidem habet, conjux Joannæ Infans Portugalliæ Ferdinandus, filius fuit Sebaſtiani Regis (cujus nominis Luſitanus unicus fuit Rex, qui animoſius, quam felicius trajecit in Africam anno MDLXXVIII.) ſed Sancii I. & Aldonſæ Comitis Barcinonenſis filiæ. Templum multorum mercatorum, præcipue Florentinorum, qui ad celeberrimum illius ſeculi Flandriæ emporium adnavigabant, eleemoſynis & pietate conſtructum, præfatus Tornacenſis Epiſcopus in honorem beatæ Virginis Mariæ dedicavit. In eo ſepulturam ſibi elegit Balduinus filius Guidonis inclyti Comitis Flandriæ, anno MCCXC. (licet ut refert Meyerus, ſint qui ſcribant, monachum fuiſſe Bodolonenſem) ac plurimi deinceps nobiles Barones, Principumque filii ac filiæ in Ordinis habitu ſunt ſepulti. Puteus quidam ejus Conventus dicitur a Divo Bernardino benedictus, ex cujus aqua bibentes certum adverſus febres antidotum ſuſcipiebant, cujus etiam ſancti Viri viva effigies depicta ibidem conſervabatur. Præter hunc Conventum alius extructus traditur extra urbis muros Fratribus Obſervantiæ per Coſmam Medices Leonis X. avum, e quo tranſlati Fratres anno MDXV. ad inſtantiam Dominorum Civitatis, & prænominati Pontificis auctoritate ad Conventum magnum, ut religioſioris vitæ normam inducerent, erga quos tantopere crevit populi pietas, ut ubi antea pauci laxioris vitæ vivebant, deinceps ultra centum abunde alerentur, & Cœnobium floreret pietate atque doctrina, donec anno MDLXXIX. ab hæreticis inhumaniter everteretur. Alius ille Conventus extra Civitatem in egre-

Tráſfertur Monaſterium Brugenſe.

Gonz. in Prov. Fland. Con. 2. Hiſtor. MS. hujus Prov.

Meyerus ad annum 1244.

Meyerus ad ann. 1304.

Digitized by Google

egreſſu Fratrum, conceſſus fuit Monialibus, quas de Annunciatione vocant, ſub obedientia Miniſtri Flandriæ, ſed ſub eodem tempore, quo Fratrum Conventus totus eſt demolitus.

Conven. Gandaven.

XLI. Ejuſdem temporis cum ſuperiori Conventu conſtituunt annales Hannoniæ Monaſterium Gandavenſe, a quo per octo diſtat leucas, erectum a Ferdinando Luſitano, & Comitiſſa prædicta Joanna Conſtantinopolitana in honorem Petri & Pauli, Mariæ Magdalenæ, & Marthæ ſororis, qui tutelares ſunt Eccleſiæ. Collapſa hic regularis diſciplina, reſtaurata eſt anno MDIII. ſubjectuſque eſt Conventus Provinciæ Pariſienſi ante erectionem Provinciæ Flandriæ. Eodem tempore, quo a Brugenſi expulſi hinc Fratres, non tamen æque dirutus Conventus. Ætate, licet incerta, proxime ſequitur Monaſterium Iprenſe fundatoribus Joanne de Porta, & Suſanna de ſancto Audomaro viris nobilibus, dedicata Eccleſia ad honorem ſanctæ Crucis. Reformatus & deſtructus eſt hic locus ſimul cum ſuperioribus. Antiquior vel coævus alius hujus Provinciæ Conventus Odomaropolis, ſeu Audomaropolis vulgo *Sainct Omer* urbis Arteſiæ in Gallia Belgica, fundatus a Ducibus Burgundiæ, tunc etiam Arteſiæ Comitibus, extra & prope muros Civitatis. In eo habitarunt Fratres, donec ſedem mutare oportuit propter continua imminentia bella, & in urbem ſe transferre anno MCCCCLXXXVIII. diruto illo loco ex permiſſione Sixti IV. miſſa anno MCCCCLXXVIII. & ædificato alio illo tutiori per Margaretam Maximiliani filiam Imperatoris, dum pro Carolo V. Provincias Belgicas gubernaret. Sub tempore ſancti Bernardini rexit hunc Conventum venerabilis P. fr. Joannes Marcelli, aſſumptus ab eodem Viro ſancto in adjutorem pro reformandis quibuſdam Conventibus Galliæ & Flandriæ, cujus corpus jacet in Conventu ſanctæ Mariæ Sluſis.

Gonz. cit. Con. 1. 3. & 4.

Conven. Ipreuſ.

Conv. Audomaropoli.

Idem in Prov. S. Andreæ con. 2.

Conven. Valencenen.

XLII. Anno hoc, Dominica poſt feſtum inventionis ſanctæ Crucis conſecrari & dedicari fecit ſupradicta Comitiſſa Joanna Conſtantinopolitana Templum Monaſterii Valencenenſis ſub titulis Trinitatis, ſanctæ Crucis, & beati Franciſci per R. Epiſcopum Cameracenſem. Ipſa autem conſecrationis die illuſtriſſima herois cum celebritate & ſolemnitate maxima, & frequentiſſimo populi concurſu, deferri fecit ad Templum noviter conſecratum corpus ſancti martyris Victoris, pretioſiſſimo & ditiſſimo loculo incluſum. Fuit hic Chriſti martyr ſocius beati Mauritii ex legione Thebæorum, qui pro chriſtiana fide ſub Maximiano Imperatore in agro Sedunenſi Galliæ occubuerunt. Corpus etiam Virginis & martyris cujuſdam e numero undecim millium, quæ cum Diva Urſula apud Coloniam Agrippinam in ſuperiori Germania ad Rhenum pro Chriſto & virginitate ſanguinem & animas profuderunt; nomen ejus hactenus fuit incognitum. In eadem dedicationis ſolemnitate, & ſpinam unam ex corona Chriſti Domini auro gemmiſque ornatam, Templo & Fratribus dedit, quæ ſingulis noctibus feriæ ſextæ Paraſceves per integram horam rubea, & ſanguinolenta ſtupendo miraculo apparebat, cum alias eſſet aridior. Sed hæc omnia & alia multa ſanctuaria & ornamenta, inſania & rabie hæreticorum Calviniſtarum in urbis vaſtatione circa annum Domini MDLXVI. ſpoliata, direpta & exuſta fuere, ſimul cum litteris, bullis, privilegiis, & tota Conventus ſupellectile. „ Hujus Conventus origi-

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Outrem. l. 4. c. ult.

„ nem ita deſcripſiſſe Petrum d'Outremannum Valentienenſem in ſua „ Conſtantinopoli Belgica, quæ poſt primam hujus Tomi editionem „ prodiit, comperio. (Sub annum chriſtianum MCCXV. cum jam D. Franda-

„ ciſci Sodalitas adoleſceret, beatus Pacificus, ejus Inſtituti per Gallias B. Pacificus.
„ Miniſter, ut ajunt, Epiſcopo Atrebatenſi rogante, aliquot in Belgi-
„ cam e ſuis emandavit; qui quidem a Valentianenſibus benevole ſimul
„ & magna cum veneratione excœpti, eorum ope anno MCCXXII. in
„ agro ſuburbano ædes, exiguas quidem illas, exædificarunt, e quo, Con. Valentian. origo.
„ ſtipis gratia, ad urbem ipſam, & loca commeabant vicina. Id tempo-
„ ris turris, ſeu ſpecula, quam Belfridum vocant, a Civibus in foro po-
„ nebatur, & ei operi invigilabat Materenſis Toparcha, Hannoniæ, &
„ Valentianarum Præfectus; cum unum aliquem ex ejuſmodi Franciſca-
„ no Sodalitio tranſeuntem conſpicatus ex facie, gemina cicatrice de-
„ formata, viſus eſt hominem ſibi alias notum intueri, ideoque eum vi-
„ rum, qui jam idipſum ne agnoſceretur veritus, ſeſe proripuerat, con-
„ ſcenſo equo feſtinat occupare; & poſtridie Atrebatum inter & Dua-
„ cum aſſecutus deprehendit, Jodocum Materenſem eum eſſe patruum
„ ſuum, qui importunis nepotis precibus hæc referebat: ſe cum pluri- Fr. Jodocus Materen.
„ bus quidem aliis, ſed in primis ſeptem & viginti ſociis, qui jam inde
„ ab prima Balduini expeditione, individuam inter ſe vitæ ſocietatem
„ pacti erant poſt Balduini & Henrici Imperatorum obitum, Alphonſo
„ Luſitaniæ Regi, adverſus Mauros operam navaſſe eo tempore, quo
„ quinque Franciſci Sodales Marochii illuſtrem martyrii coronam retu-
„ lerunt, eorumque ſacra lipſana Ulyſſiponem relata, miraculis coru-
„ ſcare cœperunt. Plurimos e prima variarum gentium nobilitate, qui Multi nobiles advenæ in Luſitania eodē tempore fiunt Minoritæ.
„ ad idem bellum confluxerant, iſtis cum prodigiis, tum martyrum
„ virtute & conſtantia permotos, ſub Franciſci ſigna, relictis mortalium
„ ſtipendiis, convolaſſe. Ex Anglis quidem, Nortamptorium, e Lon-
„ gobardis Ambroſium Malaſpinam, ex Aquitanis Alphonſum Bajonen-
„ ſem Comites ſacrum ejus Ordinis habitum induiſſe: e Belgis vero Ro-
„ gerium Gaverenſem, Raſonis ſeu Eraſmi fratrem, Henricum Jugella-
„ num, Levinum Axellenſem, Winocum Hondeſcotanum, Theodori-
„ cum Diximuſdenſem, Petrum Oudenhovium, Joannem Somerghe-
„ mii Curionem, Gualterum du Roſoy Roberti fratrem, Joannem de
„ Trith, Macarium de ſancto Maneholdo, Bartholomæum Cononis
„ Bethunii fratrem, Joannem Akerenſem, cum Friderico fratre, Joſſe-
„ lonem ſeu Jodocum de Bellhean, Gualterum de Villeſis, Balduinum
„ de Novavilla, Guillelmum de le Porcrie, Sigerum de Silly, Joannem
„ de Hove, poſtremo ſe Jodocum de Materen, pluresque alios e Bal-
„ duini ſociis, humanam ſortem pertæſos, Ulyſſipone in ſancti Franci-
„ ſci familiam adſcriptos eſſe, atque ex eorum numero nonnullos in
„ aſceterio D. Bartholomæi (ejus enim Sacelli, quod Franciſcanis Pa-
„ tribus in Suburbio Valentianenſi attributum fuerat, tutela fuit ſan-
„ ctus hic Apoſtolus) etiamnum degere; reliquos varia in loca eſſe di-
„ ſperſos: Ita ille Dynaſtæ Materenſi nepoti ſuo narrabat. Hic vero
„ ejus verbis incenſus, non ita multo poſt Gandavi Franciſci ſociis ædes
„ de ſuo exædificaſſe parum habuit, ſed inſuper ſic eos in Joannæ Comi- Conv. Gandavenſis auctor.
„ tiſſæ gratiam inſinuavit, ut illa præter alia plura beneficia, quæ in eos
„ contulit, Valentianis ſuam iis domum, quam *Donion*, hoc eſt arcem,
„ vocabant, & in qua Balduinum noſtrum lucem primum aſpexiſſe dice-
„ bamus, donarit: in quam ipſi ſub annum MCCXXIII. commigrarunt.
„ Prænominati Heroes qui ad Franciſcanos tranſierunt, ſocii fuerunt
„ Balduini Belgici Principis, qui cum multis viris nobilibus Cruciatis
„ expeditionem ſuſcepit Syriacam, Conſtantinopolim oppugnavit, &

Digitized by Google

,, Græcorum electus eſt Imperator: ſed infelici exitu, ad Adrianopolim ,, pugnavit, ubi captus poſtea, ad Trinobam trucidatus eſt, cui ſucceſ- ,, ſit Henricus frater paulo poſt Theſſalonicæ extinctus. Reverſuri in ,, patriam Ulyſſiponem appulere, ubi Alphonſo II. Regi ſuam præſti- ,, terunt operam anno MCCXVII. & Salaciam, fortiſſimum Maurorum ,, oppidum, expugnarunt. Fr. Jodoco debet Belgium, quod Pſeudo- ,, Balduini, Eremitæ ſcilicet ruſticani, ſe Balduinum Imperatorem fin- ,, gentis, & præcipuas urbes Belgicas ſuis figmentis occupantis, dolos ,, & mendacia detexerit, propter quæ ille in patibulo appenſus eſt.

Vaſconcel. in Alphon. II. n° 3.

XLIII. Hoc item anno in nobili oppido Lugi (quod correctius Luci dicendum contendit Leander Albertus) in Romanula, ſecundo a Cotignola lapide, quod ob amplitudinem, populique frequentiam, & ædificiorum ſplendorem e caſtello Civitatem efficere cogitavit Julius II. ædificatum eſt in loco vulgo dicto *Policaro* Minorum domicilium ex decreto ſeptuaginta duorum virorum Conſularium, dum percrebreſceret inter oppidanos fama & devotio ſancti Franciſci. Extructa in ejus honorem Eccleſia, quam conſecravit frater Petrus de Trano Epiſcopus Teleocinus. Hunc locum ſuis virtutibus plurimum exornarunt magiſter Pelegrinus, & magiſter Alexander, Doctores Pariſienſes; & poſt annum MD. magiſter Auguſtinus vir doctus, & magiſter Marcus Antonius Gambaronas, concionator eximius, præclari omnes viri Ordinis Minorum Conventualium, ad quorum cuſtodiam Ravennatem ſpectat hoc Monaſterium.

Leand. in deſcrip. Ital. regio. 14. pag. 487.

Conven. Lugi.

Rodulph. fol. 168.

XLIV. Dabo hic, ad aliorum Principum exemplum, diploma miſſum ad fratrem Jacobum Ordinis Minorum Regium Confeſſarium, ut Sancium I. ablolvere poſset a cenſuris, quibus innodari ſe judicabat ob impulſos aliquando in bello Clericos, non ſuadente diabolo, aut malo mentis motu, ſed neceſſitate cogente, aut ordinandæ aciei, vel præſſuræ declinandæ gratia; a quibus humiliter pius Rex ſe abſolvi ſupplicabat. Diploma exſcriptum ex regeſto Vaticano num 171. ita ſe habet.

Committitur Miniſtro Portog. abſolutio Regis Sancii.

GREGORIUS &c.

Fratri Jacobo Miniſtro Ordinis Fratrum Minorum in Portugallia.

EX parte cariſſimi in Chriſto filii noſtri Sancii Portugalliæ Regis illuſtris, fuit nobis humiliter ſupplicatum, ut cum ipſe in exercitu, vel alibi conſtitutus, non ſuadente diabolo, ſed ordinandi aciem vel declinandæ preſſuræ neceſſitate cogente, virga interdum impulerit quoſdam Clericos, ſive manu; impendi ſibi abſolutionis beneficium faceremus. Nos igitur ipſius precibus inclinati præſentium tibi auctoritate committimus, ut ei hac vice juxta formam Eccleſiæ ſuper prædictis exceſſibus abſoluto, injungas pænitentiam ſalutarem, præcipiens ei, quod a talibus exceſſibus de cetero ſtudeat abſtinere; per hoc autem nolumus ſententiæ Ordinarii vel delegati Judicis derogari. Datum Laterani XVIII. *Kalendas Julii anno* VII.

XLV. Quædam etiam indulta ipſis Minoribus conceſſit hoc anno Pontifex, videlicet proficiſcentibus in terras Saracenorum & Paganorum, ut poſſent Chriſtianorum ibidem morantium confeſſiones excipere & a cenſuris eoſdem abſolvere. Incipit diploma *Animarum ſalutem*. Datum Laterani II. Nonas Maii. Præterea propter læſam multoties a Fri-

Digitized by Google

Friderico immunitatem eccleſiaſticam, illataſque Eccleſiæ injurias a multis ab eo conſtitutis urbium & militiæ præfectis, quotidie fulminabantur cenſuræ eccleſiaſticæ, in ipſos ipſorumque dominia, in quibus degentes Fratres aliquando has incurrebant; unde neceſſe erat multas emetiri terras, ut a Pontifice reſervatam ſibi abſolutionem obtinerent. Quare eorum laboribus & moleſtis diſcurſibus compatiens Pontifex, dedit eis privilegium, ut poſſent abſolvi a quibuſcumque Eccleſiarum Prælatis intra proprias Diœceſes. Incipit: *Quia proni ſunt*. Datum Anagniæ xvi. Kalendas Martii. Deinde alias litteras Honorii III. ipſis eiſdem verbis revalidavit, quibus licentiam conceſſit celebrandi tempore interdicti. Initium habent *Devotionis veſtræ*. Anagniæ vi. Idus Martii. „ Liberam „ etiam dedit Fratribus ſepulturam pro ſeipſis dumtaxat; erant enim „ ex Ordinariis, & Parochis, qui in ſuis Eccleſiis tumulandos eſſe con- „ tendebant. *Ita vobis, & Ordini veſtro*. Anagniæ vii. Idus Martii.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Conceditur Fratribus libera ſepultura.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. HOc anno alios Fratres Minoritas ab illis, quos ſupra comme- „ moravimus, Pragam Bohemiæ perveniſſe *Boſſacios* ab incolis „ nuncupatos, ideſt nudipedes, vel diſcalceatos, admonemur: qui „ humaniter, & benigne recepti a Wenceſlao Rege clementiſsimo hujus „ nominis primo, in ſuburbio Pragenſi, & loco *Kourana* dicto, domum „ obtinuerint: imo quod ibidem præfatis religioſis ipſe Wenceſlaus „ regia liberalitate Monaſterium, & Eccleſiam ſub titulo ſancti Am- „ broſii conſtruxerit.

Prag. alii Minorit. perveniunt.

Vide ſup. ad an. 1224. pag. 107. 108.

A Wenceſlao Rege benigne excipiuntur.

Monumen. Prov. Bohemiæ MSS. an. 1694. vide ad ann. 1422.

„ II. Vivebant per hæc tempora Moniales Clariſſæ Montis Lucis in „ ſumma vitæ auſteritate, & fere ſupra vires: quod Summus Pontifex „ ut audivit, earum fragilitati paterno affectu compatiens, ut vinum, „ a quo ſevere abſtinebant, bibere poſſent, dato brevi: *Quia & Apo- „ ſtolus &c.* iv. Idus Aprilis clementer indulſit; ſollicitus vero pro re- „ bus Terræ ſanctæ, ut ſubſidium ex Longobardiæ partibus pro iiſdem „ haberi poſſet, diploma *Pro tuæ celſitudinis &c.* ii. *Idus Auguſti* expe- „ divit.

Clariſſæ Montis Lucis diſpenſantur.

Ind. ex regeſt. Vatic.

Diplom. Terræ ſanctæ.

Ex Oder. fol. 444.

ARGUMENTUM.

Denuo committitur examen miraculorum, & vitæ ſanctæ Eliſabethæ Epiſcopo Hildesheymenſi, duobuſque Abbatibus Ordinis ſancti Bernardi. Agnes Bohemiæ Regum prognata, ſpreto connubio Friderici Imperatoris, & Henrici Anglorum Regis, fit Clariſſa Monialis. Burgenſes & Ceſarauguſtanæ, miſſis ex ſuo Sodalitio oratricibus in Urbem, accipiunt regulam & auctoritatem eligendi ſibi canonice Abbatiſſam. Multi Viri ſancti hac ætate florent, quorum vitæ ſub compendio referuntur, nec pauci Viri clariores Ordinem ingreſſi. Domicilia aliqua extruuntur, ſed largius agitur de Pariſienſi.

I. OCciſo per viros temerarios ſuperiori anno Magiſtro Conrado Marpurgenſi, verbi Dei prædicatore (de quo vehementer indoluit Pontifex, & lugubres dedit ad Eccleſiarum Prælatos epiſtolas) paululum remiſſus eſt fervor Eliſabethæ Lantgraviæ canonizandæ. Hic

Mortuo Conrado Marpurgenſi tepide agitur de canonizatione S. Eliſabethæ.

etenim præcipue honorem ſanctæ ſuæ diſcipulæ perurgebat, & penes eum erat proceſſus de conſcriptis & approbatis per Archiepiſcopum Moguntinum miraculis, cui commiſſionem examinandorum teſtium factam a Pontifice diximus ſuperius, eamque executum ſcribit Theodoricus Thuringus his verbis. Cum ad declaranda ſamulæ ſuæ Eliſabethæ merita, in loco ubi corpus ejus quieſcit, Deus omnipotens virtutum multiplicaret inſignia, conſtructa ſunt in ipſa capella ad laudem ejus a fidelibus duo altaria. Quæ dum venerabilis Dominus Sigfridus Moguntinus Archiepiſcopus, ſicut evidenter in revelatione acceperat, ad preces devoti viri Magiſtri Conradi prædicatoris verbi Dei in die ſancti Laurentii dedicaret, præfatus Prædicator populo, qui ex omni parte confluxerat infinitus, injunxit; ut qui aliquam curationis gratiam meritis Dei famulæ Eliſabethæ percepiſſet, ſequenti die mane Archiepiſcopo ſe præſentarent, quod circa ipſos actum foret per Dei gratiam, per teſtes fideliter probaturi. Convenit igitur non modica multitudo; Archiepiſcopus autem Moguntinus evidentia conſcribi fecit: ſuoque ac aliorum Prælatorum ſigillis roborari, ad Sedem Apoſtolicam transferenda.

Anno 1232. in fine. Theodor. lib. 8. c.7.

Committitur denuo cauſa aliis Prælatis.

II. At non prius tranſmiſſa, quam mortuus Conradus, & exinde neglecta, vel deperdita acta proceſſus, quare denuo inſtiterunt Lantgravii apud Pontificem, ut iterum juberet examen fieri miraculorum, quæ quotidie fiebant ad ſanctæ Heroinæ ſepulcrum. Rem commiſit Conrado II. Epiſcopo Ildeſemenſi, ſeu correctius Hildesheymenſi, Hermanno de valle ſancti Georgii, & Raymundo Heruordenſi Ordinis Ciſtercienſis Abbatibus Moguntinæ diœceſis; datis ad eoſdem litteris ſequentibus extractis e regeſto Vaticano num. 244.

GREGORIUS &c.

Epiſcopo Ildeſemenſi de valle ſancti Georgii, & Hervordenſi Abbatibus Moguntinæ diœceſis.

NE poſſimus argui ſi lucernam dignam ſuper candelabrum collocari, detineri ſub modio patiamur, præſertim cum evidentibus indiciis de cælo noſcatur emittere multæ radios claritatis, diſcretionem veſtram per Apoſtolica ſcripta in virtute obedientiæ præcipiendo mandamus, quatenus inquiſitionem, quam de miraculis beatæ recordationis Eliſabethæ Lantgraviæ Thuringiæ per venerabilem Fratrem noſtrum Archiepiſcopum Moguntinum & bonæ memoriæ Magiſtrum Conradum de Marpurch, fieri mandavimus, nobis per ſolemnes Nuncios quorum committi meritis tanti excellentia negotii debeatur ad noſtram præſentiam, infra quinque menſes poſt ſuſceptionem præſentium deſtinetis. Verum ſi præfata inquiſitio forte præ manibus non habetur, vos habentes præ oculis divinæ reverentiam majeſtatis, teſtes eoſdem, quos dicti Archiepiſcopus, & Magiſter ſuper ipſius Eliſabethæ miraculis receperunt, aut alios, ſi habere poteritis fide dignos, advocatis ad hoc viris prudentibus, & in jure peritis, examinantes qua convenit ſollicitudine diligenti, dicta eorum, & ſeriem teſtimonii de verbo ad verbum in ſcriptis fideliter redigi faciatis; quæ, ut inſtruamur de dono gratiæ, quam circa gratitudinis filiam videtur virtutum Dominus effudiſſe, ſub veſtris, ac Prælatorum, nec non religioſorum virorum ſigillis infra dictorum menſium ſpatium, omni occaſione poſtpoſita, nobis mittere procuretis. Quod ſi non

Digitized by Google

ſi non omnes, &c. Tu Fr. Epiſcope cum eorum altero &c. Datum Peruſii v. *Idus Octobris Pontificatus noſtri anno* viii.

III. Poſt hæc Pontifex hoſpitale ſancti Franciſci Marpurgenſe a beata Eliſabetha extructum, deſtitutumque cura & regimine Magiſtri Conradi jam defuncti, cujus gubernio erat ab ipſo Pontifice, ut ſupra diximus, commiſſum, ad preces Henrici & Conradi, Fratrum Ludovici Lantgravii, Eliſabethæ viri, concedit Magiſtro & Fratribus Hoſpitalis ſanctæ Mariæ Teutonicorum Hieroſolymitanorum, quorum domus, inquit Pontifex, velut dexteræ divinæ plantatio, generalem Eccleſiam religionis odore delectabat, & fructu reficiebat caritatis. Illud etiam Eliſabethæ Xenodochium exemit Pontifex ab omni juriſdictione Ordinariorum, & multis affecit privilegiis. Principes præmemorati quidquid in illud juris habebant, liberaliter remiſerunt, eidem inſuper auctoritate Apoſtolica concedentes jus patronatus, quod in Parochiali Eccleſia de Marpurch competebat eiſdem; quæ ſe conceſſiſſe ajunt, in ſupplici libello ad Pontificem pro reverentia beatæ memoriæ Eliſabethæ Lantgraviæ Thuringiæ, cujus corpus requieſcit ibidem, ut ſicut eſt celebre veneratione fidelium, ſic prerogativa gaudeat libertatis. Dedit circa hæc Pontifex litteras ad utriuſque hoſpitalis Magiſtros & deputatos eorumdem, quæ habentur in regeſto Vaticano num. 145.

Hoſpitale ſancti Franciſci Marpurgenſe datur Teutonicis.

Anno 1232. in fine.

IV. Hoc anno vel circiter, ut ex ſequentibus litteris conſtabit, nobiliſſima Princeps Agnes Bohema, Primiſlai Otthogari, ſive Otthiſchgari, hujus cognominis primi, & Conſtantiæ Hungaræ, ſive ut aliis placet, Aragoniæ Regum Bohemiæ filia, ab incunabulis Deo oppignorata, fit veſtalis Clariſſa. Eam mater in ſomnis intellexit, ſanctam futuram, ex habitu oſtenſo ſanctæ Claræ & myſterioſo modo in ipſis cunis complicatis brachiolis & pedibus in formam crucis. In Trebnicenſi Monaſterio aſſueta piis exercitiis, jejuniis, eleemoſynis, orationibus, & pietatis chriſtianæ officiis, repudiavit Friderici Cæſaris, & Henrici III. Regis Angliæ nuptias, quod Legatus Cæſaris in ſomnis edoctus, dum unam coronam vidit deponere, alteram glorioſam magis ſibi imponere, unde anno ſequenti duxit Fridericus dicti Henrici ſororem Iſabellam. Alienum a Cæſare animum habuiſſe ſacram Virginem propter ſummam Friderici intemperantiam ferunt, per quam Deus ab illo offenſus, eum tradidit in cupiditates ignominioſas, ita ut more Regum ethnicorum greges aleret pellicarum, quarum ipſe, devorato omni pudore, velut admiſſarium agebat manifeſtum. Contra, ipſa Agnes inter Sodales virgines, dum non aliud cogitat, quam ut ſit ſancta corpore, & ſpiritu, audita fama Claræ Aſſiſiatis, accerſitis Fratribus Minoribus, quibus ab aliquot annis jam Pater Primiſlaus Pragæ Domicilium extruxerat, ſuſcepit ejuſdem Inſtitutum ſimul cum aliis nobiliſſimis fœminis, benedictione prius obtenta Pontificia. Multum reluctaſſe Patrem ſcribit Marianus, ne in ſe commoveret Friderici repudiati furorem; ſed illa in incæpto fervore animoſius perſeverans, hæſitabundum patrem in ſuas partes traxit dicens; non eſſe ſibi timendum ob rejectum propter Chriſtum Imperatorem terrenum, neque quidquam hinc ei mali provenire poſſe; ubi Chriſtus in ſponſalitiis arrham ſecuritatis & pacis erat præſtiturus.

Agnes Bohema fit Clariſſa.

Pontanus Bohemia pia lib. 2. pag. 22. & lib. 4. pag. 52.

Dubravius l. 15. hiſt. Bohem.

Marian. lib. 1. c. 9.

Rodulph. fol. 136.

V. Paulo poſt patre decedente, & ſuccedente in regnum Fratre Wenceslao, patrimonium ſibi a patre relictum in pios uſus diſtribuit, Monaſterium in honorem ſancti Spiritus prope pontem pro Religioſis Ordi-

Ordinis Crucigerorum cum rubea ſtella conſtruxit. Deinde in fundo a Fratre Rege liberaliter conceſſo, & ab Epiſcopo Pragenſi plena libertate donato extruxit Monaſterium pro ſe & conſodalibus, nec non hoſpitale in honorem ſancti Franciſci ad exemplum ſanctæ Eliſabethæ Lantgraviæ, ut ibi pauperes cujuſcumque generis alerentur. Scripſit de his Rex, & Capitulum Eccleſiæ Pragenſis ad Pontificem, qui non ſolum quæ illi conceſſerunt, confirmavit, verum & alia adjunxit, datis his litteris quæ ſequuntur exſcriptis e Vaticano regeſto numero 208. ad eamdem Agnetem.

GREGORIUS &c.

Cariſſimæ in Chriſto Filiæ Agneti, ſorori cariſſimi in Chriſto Filii noſtri, illuſtris Regis Bohemiæ &c.

Sincerum animi tui fervorem, tuæque devotionis flagrantiam nuper cum gaudio ſentientes, in hoc ſumus velut in odore agri pleni, cui benedixit Dominus, delectati; attendentes in Agnete altera caritatem, quam aquæ multæ extinguere nequierunt, (Cant. 8. 7.) *ſuper quo in laudes & gratias aſſurgimus bonorum omnium largitori, qui tibi hunc affectum miſericorditer inſpiravit, ut prudentibus juncta puellis improviſum ejus adventum ſecura cum lumine præſtoleris.* (Matth. 25. 4.) (Laudat Pontifex ſanctum virginis cogitatum.) *Agnes enim Agnetem beatiſſimam imitata, te nullatenus quamvis delicata & juvenis permiſiſti ſeculi decipi blandimentis, aut potentia vel gloria temporali ſeduci; ſed pro nihilo ducens mundi favores, & rerum affluentiam terrenarum, carnem coegiſti ſpiritui deſervire, ut abdicatis tranſitoriis univerſis, cæleſti ſponſo in Religione pauperum Monialium incluſarum elegeris in munditia cordis & corporis famulari, illi voto ſolemni te dedicans, & ejus ancilla fieri cupiens ex Regina, qui celſitudini divinitatis humilians, & formam ſervi ſuſcipiens, exaltat humiles in ſalutem.* (Conceſſus Monaſterii fundus a Rege.) *Unde cariſſimus in Chriſto Filius noſter illuſtris Rex Bohemiæ germanus tuus pie conſiderans, te ex alto virtute ſpiritus roboratam & caritatis ardore in Chriſto ſuccenſam tuoque propoſito divinitus inſpirato, cohibitis germanæ dilectionis affectibus, grata benignitate concurrens, fundum ad conſtruendum Monaſterium cum hoſpitali apud Pragam in honorem beati Franciſci, in quo te cum aliis Sororibus claudere ſtatuiſti, Eccleſiæ Romanæ conceſſit, & ipſe, ac Venerabilis Frater noſter Pragenſis Epiſcopus loci Diœceſanus, de conſenſu Capituli ſui utrumque locum pietatis intuitu plenæ libertati donarunt, ſicut in eorum litteris ad nos tranſmiſſis plenius continetur. Quia igitur devotæ mentis & affectio amplectenda, & circa ſacræ Religionis novella plantaria humanæ ſollicitudinis cura debet propenſior adhiberi, ut uberes flores & fructus proferant honeſtatis; nos eorumdem Regis, Epiſcopi, & Capituli precibus inclinati, præfatum Monaſterium & hoſpitale in jus & proprietatem ac tutelam Apoſtolicæ Sedis ſuſcipimus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus, libertates & immunitates conceſſas eis a Rege, Epiſcopo & Capitulo ſupradictis auctoritate Apoſtolica confirmantes, & diſtrictius nihilominus inhibentes, ne quis Archiepiſcopus, Epiſcopus, vel quilibet alius Prælatus in dictum Monaſterium & Hoſpitale, vel perſonas exiſtentes ibidem excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti audeat ſententiam promulgare; quam contra prohibitionem noſtram prolatam, decernimus, non tenere. Statuimus inſuper ut, juxta morem Eccleſiæ Romanæ, ibi divinum Officium celebretur, (ſimiliter Roma-*

manum excepit pſalterium ſanctus Franciſcus in Regula Fratrum Minorum cap.3. ubi vide noſtras notas) excepto pſalterio, quod ſecundum conſuetudinem poſſitis dicere Gallicanam. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ protectionis, confirmationis, inhibitionis, & conſtitutionis infringere. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Spoleti III. *Kalendas Septembris Pontificatus noſtri anno* VIII.

VI. In eumdem modum, verbis competenter mutatis, ſcripſit de his ipſis Fratri Joanni Miniſtro Saxoniæ, & Fratri Thomæ Cuſtodi Bohemiæ, dicens, ſe magno cum gaudio ſenſiſſe ſincerum animi fervorem ejuſdem Agnetis, devotioniſque flagrantiam, & ſpem magnam accepiſſe, quod cum unctio ſancti Spiritus docuerit Agnetem ad hanc viam ſectandam, per ejus ſtudium Religio juxta ſuum deſiderium ibi plantata de bono ſemper in melius ſuſcipere debeat incrementum. Quapropter jubet, ut Apoſtolica auctoritate in Abbatiſſam illius Monaſterii præficiant eamdem, conceſſa ſibi tamen poteſtate ut ſuper eo quod certis diebus, juxta Regulam, in pane & aqua erat jejunandum, & ſuper uſum calceamentorum & pellium, juxta diſcretionem ſibi datam a Domino, valeret diſpenſare. Alias dedit litteras II. Nonas Septembris ad Epiſcopum Pragenſem, incipientes. *Quoniam diebus his*, quibus ei commendat protectionem dicti Monaſterii, quod in tutelam Eccleſiæ Romanæ ſe accepiſſe ſignificat. Deinde per aliud diploma. *Quia ſenſus hominis* multas largitur indulgentias Eccleſiam illius Monaſterii viſitantibus, ſtatutis in bulla diebus, quam ſimul cum ſuperiori ad Epiſcopum Pragenſem, & privilegio Regis Wenceslai dabimus in hujus Tomi regeſto. Deinde alia quam plurima ad Agnetem data Pontificum diplomata ſuis quæque annis inſeremus; præcipua vero vitæ acta, & ſanctitatis argumenta miniſtrabimus anno MCCLXXXIII. quo migravit ad ſuperos.

Multis commendat Prælatis Agnetem ejuſque Monaſterium.

VII. Eodem anno venerunt ad Curiam Romanam, e Civitate Burgenſi in Hiſpania, quatuor Minoriſſæ ſeu Damianitæ, quarum nomina Maria Sanchez, Maria Mingis, Juliana, & Todda, a Conſodalibus collegialiter, ſed ut diximus, abſque ſufficienti inſtructione, & regulari methodo viventibus, tranſmiſſæ, ut unam e duabus, quas apud ſanctum Damianum primævæ illius Inſtituti Virgines acceperunt regulas, & ſufficientem auctoritatem ad eligendum ſibi canonice Abbatiſſam reportarent: dedit ad univerſum Collegium Pontifex litteras, quibus datam conſociis Regulam, & epiſtolam ad Epiſcopum Burgenſem de præficienda Abbatiſſa, ſignificabat. Datæ ſunt apud Lateranum Idibus Aprilis atque incipiunt: *Ille dulciſſimus ſpiritus.* Eodem etiam anno accepit Pontifex a nobili heroina Cæſarauguſtana Ermeſſeide de Sillis, ſive ut habet Hieronymus Zurita Ermeſenda de Cellis, eam voluiſſe de ſuis facultatibus Monaſterium quibuſcumque Deum timentibus, ac ejus mandata cuſtodientibus ædificare; ſuper quo ejus conſenſum & conſilium requirebat. Cui Pontifex per has litteras reſpondens, hortatus eſt, ut illud conſtrueret pro Damianitis.

Datur Regula Clariſſis Burgenſibus.

Ann. 1218. n. 13. tom. 1.

Zurita t. 1. l. 2. c. 73.

Et Monaſterium Cæſarauguſtanis.

Ex regeſto n. 79.

GREGORIUS &c.

Nobili mulieri Ermeſſeidi de Sillis.

Virtutem ſibi de neceſſitate videtur efficere, qui relinquenda poſt modicum, & cum occurrentis ac inevitabilis jacturæ perdenda periculo, theſaurizat in cælo, ut poſt dies multos, quibus præſentis rota ſeculi volvitur panem ſuum ſuper fluentes humani generis aquas poſitum aſſequatur. Quapropter in Domino commendamus ſanum tuæ devotionis propoſitum per tranſmiſſas nobis litteras intimatum, ut de facultate terrena timentibus Deum, & ipſius mandata cuſtodientibus ad temporales neceſſitudines competentem, ad ſpirituales profectus utilem ſtatuens conſtruere manſionem, earum mercedem cum juſtorum ſuſceptoribus in futura ſupernæ patriæ felicitate percipias, quarum ſtatum pro ſexu fragilem in præſentis itineris tribulatione ſuſtentas. Tuam igitur nobilitatem monendam duximus, & hortandam, in remiſſionem tuorum tibi peccaminum injungentes, quatenus inſtanter quantum Deus dederit in idoneo Cæſarauguſtenſi territorii loco juxta Ordinem ſancti Damiani, & incipiens & conſummans opus, ei de tanta & tali poſſeſſione provideas, unde ad omnes temporales neceſſitudines viginti ad minus ſuſtentari valeant Moniales, ut ille qui in eis ſuſcipitur, cæleſte regnum pro terreno tibi patrimonio largiatur. Datum Laterani XIII. *Kalendas Maii anno* VIII.

VIII. Interim dum illa Monaſterium conſtrueret ſub titulo ſanctæ Catharinæ juxta Cœnobium S. Engratiæ Sanctimonialium Benedictinarum, congregatæ ſunt in Civitate in unum collegium aliquot Virgines, quæ non aliter, quam ſupradictæ Sanctimoniales Burgenſes quatuor ſorores, quarum nomina ſub his capitibus indicantur litteris R. M. V. & V. ad Pontificem tranſmiſerunt pro obtinendis Regula, & Abbatiſſa. Illam ſub bulla dedit oratricibus Abbatiſſæ electionem, & Monaſterii tutelam per litteras commiſit Epiſcopo Cæſarauguſtano; ad ipſum autem Virginum Collegium litteras dedit datas Reate VII. Idus Junii incipientes: *Ardens & illuminans ignis*. Ab ipſa ſua primæva inſtitutione Monaſterium hoc multa floruit pietate, & regularis eminentia diſciplinæ, multæ proinde ex eo miſſæ vel ad novos extruendos, vel ad laxiores reformandos Conventus. Anno MCCXLVI. jubente Innocentio IV. per ſuas litteras datas Lugduni, illinc miſſæ Fundatrices Conventus Sanctimonialium Ilerdenſium. Anno MCCLIV. præcipiente Alexandro IV. extractæ aliæ ad inchoandum Monaſterium S. Mariæ Magdalenæ Tarraconenſe. Anno MCCCCXCVI. prodierunt aliquot ad reformationem Monaſterii Petralbenſis Barcinonenſis. Anno MD. & MDIX. hinc egreſſæ reformatrices Conventus S. Engratiæ Pampilonenſis. Anno MDLVII. ad meliorem vivendi normam reduxerunt Monaſterium S. Mariæ de Altabaſio Cæſarauguſtano; anno MDLXI. fundarunt Conventum S. Luciæ Barbaſtri; anno MDLXXIII. reſtituerunt mores Monaſterio S. Claræ Oſcenſis; & demum fundatrices fuerunt Monaſterii S. Michaelis urbis Boriæ. Dignum certe laude virtutis ſeminarium, & bonarum magiſtrarum promptuarium. Ut autem quæ de hujus Monaſterii ſanctitate diximus, clarius innoteſcant, aliquot Sorores in eo ſepultas, quæ peculiari aliqua prærogativa emicuerunt, in medium adducemus. Nempe ſororem Magdalenam Magaloniam,

Gonz. in Prov. Arag. monaſt. 1. Hiſtor. MSS. ejuſdem Prov.

Religioſum hoc Monaſterium.

Digitized by Google

niam, cujus vita perpetua oratio, atque contemplatio extitit, qua etiam de cauſa plures moleſtias a dæmone pertulit. Et ſororem Mariam Lorienam, cujus ſilentium, abſtinentia, atque caritas incredibiles fuere. Et ſororem Angelam a Verveto, quæ Chriſtum Dominum in elegantiſſimi pueruli forma in ſacroſancta hoſtia propriis oculis intuita eſt. Fertur hoc in loco, quod cum duæ hujus loci Moniales Aſſiſium benedictionem tum ſuo, tum quoque ceterarum Sororum nomine a beata Clara adhuc ſuperſtite accepturæ, petiiſſent ab ea, quod ſpreta clauſura, ut aliqui volunt, tantum iter emenſæ eſſent, vel, ut aliis placet, quod redditus in communi haberent, repulſam paſſæ fuerunt. Hujus Monaſterii Eccleſiam, quod anguſta nimis eſſet, a Sereniſſimo Aragonum Rege Jacobo, ex maxima, qua in beatam Claram ferebatur devotione, ampliata, eleganterque exornata eſt. Hoc item anno, non ex certa ſcientia, aut gravi aliquo momento extructum, ait Gonzaga, Monaſterium S. Claræ Venetum, fundatrice B. Agnete Claræ ſorore; & ſorore Auria Claræ diſcipula prima Abbatiſſa. Ampliorem hujus loci notitiam miniſtrare non poſſumus, conflagratis ex infortunio univerſis Conventus ſcripturis.

Gonz. in Prov. S. Anton. Monaſt. 6.
Monaſterium S. Claræ Venetum.

IX. Floruerunt circa hoc tempus ex Minoritis Viri ſanctiſſimi, quorum aliquos hic commemorabimus. In Marchia in loco Suffiani territorii S. Geneſii cuſtodiæ Firmanæ, mortuus eſt frater Humilis Picenus, cujus germanus frater Pacificus alibi habitans vidit animam recta aſcendentem in cœlum. Factus mox illius loci incola, dum ad inſtantiam Dominorum de Bruſortio poſt aliquot annos transferretur ad ipſos Conventus, & Fratrum exhumarentur oſſa, collegit illa, quæ erant Fratris, optimo lavit vino, ſerico involvit; nec oſculari ceſſabat. Interrogatus cur adeo inhæreret fraternis oſſibus, nec ſimilem exhiberet reverentiam aliorum Fratrum piis reliquiis? reſpondit humiliter, non ſe carne, aut ſanguine motum, ut ea præſtaret Fratri, quæ ceteris non impendebat; ſed ex facta ſibi illa a quibuſdam annis viſione, certo ſibi conſtare, oſſa illa in paradiſo futura; & proinde quæ illuc aſcenſura erant, ubi Deus eſt, omni dicebat honore in terris veneranda. Paulo poſt ipſe obiit in eodem loco, & juxta fratris tumulum ſepultus. Cum eiſdem jacet frater Liberatus vir ſanctiſſimus & nobiliſſimus. Comes fuit loci, qui nunc ſanctus Liberatus dicitur ob Comitis ſancti reverentiam, & memoriam; tanta enim humilitate, & ſanctitate vixit in Religione, ſpretis mundi divitiis & honoribus, ut ſanctus ab omnibus proclamaretur. Horum trium feſtum recolitur in dicto loco quotannis, cum magno populi concurſu, in prima die infra octavam Paſchalis Reſurrectionis, quo die profluit ab eorum ſepulcro manna, ab hora ſexta diei uſque ad veſperas, idque in tanta quantitate, ut a populo colligatur.

Marian. lib. 2. c. 7.
Piſan. conform. 8. in loco Suffiani. fol. 70.
Creſcent. in dialog. MS.
B. Humilis;
B. Liberatus.

X. Præter hos jacet ibi alius Vir ſanctiſſimus, ſed Anonymus, tantæ contemplationis & extaſis, ut ſemper Deo inhærere videretur. Cum aliquando ſtaret abſorptus in ſilva, diverſæ volucres in ſcapulas, humeros, caput & brachia avolarunt mira melodia concinentes. Cum a contemplatione redibat, tantam mentis lætitiam præferebat, ut Angelus vel quiſpiam alterius ſeculi videretur. Facies ex conſortio divini ſermonis a longe reſplendebat ad modum Moyſis, ita ut eum aſpicientibus admirationem & ſtuporem ingereret. Quando interrogabatur a quoquam reſpondebat, tamquam ſi eſſet Angelus Dei, mira ſuavitate, & modeſto lepore. Neque diebus, neque noctibus ceſſabat ab oratione,

Vir S. Anonymus.

Digitized by Google

neque a contemplatione rerum cœleſtium animum in hoc genere invictum relaxabat. Fratres, propter divinam gratiam quæ in eo fulgebat, quaſi alterum Moyſem cariſſimo venerabantur affectu. In his ſanctis exercitiis aſſiduus & conſtans, tamdem pervenit ad vitæ terminum, præeunte diutino languore, quem ſumma tulit patientia, neque medicamine ullo petiit allevium. Solum illud adhibebat, verum & optimum ſolamen, ſæpius, aut frequentius refici pane ſalutari vivifici Sacramenti. Voluit & beata Virgo aliam addere mirificam conſolationem; nam cum jam pene deficeret, & ardentius ſolito cruciaretur doloribus, apparuit ei cœleſtis medicinæ apotheca, tribus aſſociata Virginibus, tres pixides ferentibus, e quarum una poſt dulcia colloquia cochleari mirificum intulit ori electuarium; ad cujus guſtum odoremque adeo mirifice & vehementer exultavit, ut tantum gaudium ſub anguſto pectore continere non poſſet, quin ſtatim exclamaret: non plus o mater dulciſſima, non plus o medica benedicta; tantam ſuavitatem conſolatrix generis humani amplius ferre non valeo. Cum illa ad ſecundam pixidem manum appoſuiſſet, altius exclamavit, dicens; ſi primæ pixidis pretioſum reconditum ferre non valeo, quid ſi ſecundi vaſculi tradas potiora medicamenta? Cui illa; ſi hæc tibi nimis bona videntur, potiora tibi dabit Filius meus, propter quem amara & aſpera hujus vitæ alacriter tuliſti; neque amplius ſenties corporis dolores ex rei ſuavitate perceptæ, donec ego infra paucos dies cum Filio meo redeam, te ex hoc ergaſtulo eductura. Quod ille ſummo ſuo bono probavit, nihil illis diebus manducans neque bibens, omnibus tranſactis in ſummo jubilo, & perpetua cordis lætitia, in qua abſque mortis anguſtiis, alacriter ex hoc ſeculo migravit in prædicto loco Suffiani, licet poſtea cum ceteris translatus ſit Brufortium.

B. Adam Rufus. Marian. cit.

XI. Clarebat etiam iſtis temporibus in eadem Provincia fr. Adam Rufus maximus prædicator, & vir ſanctiſſimus, qui inter plura mirabilia, & illud patravit, ut cum concionaretur in vaſta & derelicta Eccleſia, in qua hyrundines nidificabant, atque illæ nimio garritu eſſent moleſtæ, juſſit ut evolarent; cui ex tempore paruerunt, nullo unquam tempore illuc redeuntes. Poſitus in vaſta ſolitudine, cum in itinere aberraret, accurrit lupus cauda blanditus, qui per veſtis fimbriam apprehenſum ad viam rectam reduxit. Magnis pro animarum ſalute perfunctus laboribus, tamdem obiit in Cuſtodia & Conventu Firmano, multis coruſcans miraculis, quorum aliqua ſubjicio. Quædam illius regionis puella, Paſcha nomine, cum vaſculum lactis epotaret, ſubito, velut atramentum, factum eſt nigrum, apparuitque viliſſimæ & fœdiſſimæ ſtaturæ Æthiops immenſo capite, validum incutiens timorem, & dicens: Ex lacte quod ſorbuiſti, mortua es. In furias ſtatim abiit miſera puella a dæmone obſeſſa, ut horribilia patraret. Nullo potuit remedio liberari, donec tamdem a parentibus ad Adami ſepulcrum deferretur, ubi ab omni dœmonum infeſtatione totaliter eſt liberata. Vir quidam Matthæus nomine, judex Servienſis, genu dextro ita intumuit, ut loco dimoveri non poſſet; miſit itaque ad ſancti Viri ſepulcrum uxorem, ut pro eo oraret. Magna fide pannos, quibus genu fovebatur, ſepulcro impoſuit, & pro viro oravit, quem domum rediens ſtatim curavit ex appoſitis panniculis. Quidam de Atrio Pennenſi quinque annis utriuſque oculi viſu privatus, ad ejus ſepulcrum integrum viſum recepit. Liberati alii ibidem a variis languoribus, & multi curati energumeni.

XII. Mi-

Digitized by Google

,, XII. Miracula hæc omnia tribuit Marianus B. Adamo, qui apud
,, Firmanos jacet, eumque Rufum cognominat. At Adamum Rufum
,, non in Cœnobio Firmano, ſed in Barolitano in Provincia S. Nicolai
,, conſtituunt Bartholomæus Piſanus, Rodulphus, & Marcus: atque Ada-
,, mum ſimpliciter dictum, ignoti ſcilicet cognominis, in Firmano, quibus
,, accedit Philippus Ferrarius in ſuo Catalogo de Sanctis Italiæ. Ad hæc
,, autem miracula, quæ retulimus, & vere ſunt Adami Rufi, alia adjun-
,, git Rodulphus, quæ nos hic duximus addenda. Maria Rapollæ a
,, dæmone vexata ad Viri beati tumulum cunctis cernentibus ſanitatem
,, recepit, nullas deinceps paſſa hujuſmodi infeſtationes. Pariſius de
,, ſancta Sophia ore diſtorto, & altero brachio paralytico, oratione
,, ad B. Adamum præmiſſa, nondum illa completa ſenſit ſe a moleſtia
,, liberum, clamanſque & ſtupens, gratias reddidit Deo liberatori, &
,, Adamo potenti interceſſori. Margarita, Petri Medici uxor, partus
,, dolore ex vehementi puerperii dolore morti propinqua, appenſo ad
,, collum annulo, qui B. Adami corpus attigerat, emiſſo fœliciter fœtu,
,, continuo immunis evaſit. Magna habetur apud Barenſes in venera-
,, tione.

B. Adamus Rufus multa patrat miracula.
Piſan. conſ. 8. & 11.
Rodul. fol. 72.
Marc. 2. p. l. 9. c. 24. 4.
Ferr. ad diem 16. Maii.

XIII. In Provincia Saxoniæ floruit tunc frater Otto Teutonicus, qui e Presbytero & Canonico ſeculari factus eſt divino monitu Minorita. Nam cum de ſecuriori vitæ genere cogitaret, eſſetque impedimento, ut in religioſis ſodalitiis reciperetur, fœda & ingens ſtruma, cui nulla potuit arte mederi; apparuit ei nocte quadam ſancta Eufemia virgo, quam ſpecialem ſibi elegit patronam, monens, id Dei eſſe beneplacitum ut Franciſci ſectaretur veſtigia; ne vero impedimento eſſet male affectum guttur, ſtrumam plene deterſit. Expergefactus, ſanumque ſe comperiens, ſanandæ animæ totus incubuit, ingreſſus protinus Ordinem Minorum. Priores deliciæ, lautiorque vita non obſtiterunt, quin aſperrimam in religione ſubiret, plureſque leucas pedes jam ſenex devoraret, quam antea metiri poterat equitando, ut ex pluribus ſociis, qui eum comitati ſunt per utramque Germaniam, ſe percepiſſe ſcribit Bernardus a Beſſa. Obiit ſancte in Cuſtodia & Conventu Halberſtadenſi; poſt mortem miraculis clarus. Fratrem in collo fiſtula laborantem liberavit; necnon alterum quatuordecim annis eo malo affectum. Mulierem in mammilla vexatam, aliam item genua valde dolentem mirabiliter ſanavit.

Bernard. á Beſſa in chron. MS.
Piſan. conſ. 8. in loco Halberſtad.
B. Otto Teutonicus.

XIV. Tres item floruiſſe ferunt hoc tempore Rodulphos (modo primus juxta ſenſum Antonini, Mariani, & Bernardi a Beſſa eo nuncupandus ſit nomine, quem potius Robertum vocandum diximus ex Nicolao Harpsfeeldio) videlicet Epiſcopum illum Herfordenſem, de quo ampliorem dedimus ibidem notitiam, cujus initiationis hanc cauſam refert citatus Bernardus. Profunde ſecum meditatus de vita religioſa ſubeunda, factus in extaſi, ductus eſt in ſpiritu ad videndas cœleſtes manſiones, ubi cum Fratres Minores non perſpexiſſet, valde admiratus eſt, atque eo magis quo ſanctiorem de eis conceperat opinionem. Admirabundo occurrens Dei mater, ſtupentem duxit ad beatitudinis penetralia, ubi ſub ipſius ſupremi judicis alis collectos Minores ſumme exultantes oſtendit, dicens: Hos intime diligit Filius meus, quia perfecte imitati ſunt vitam ipſius, id ergo quam primum cures, ut cum iſtis ſalves animam tuam. Expergefactus, illorum conſiderans gloriam & ſalutare Virginis conſilium, votum vovit de ingrediendo Ordine Minorum,

Anton. tit. 24. c. 7. §. 2.
Marian. c. 8.
Bernard. a Beſſa citat.
An. 1220. n. 61.
Epiſcopus Herforden. fit Minorita, & quare?

Digitized by Google

Paris ad annum 1241.

ut habet Paris, circa quod implendum, ſolum Pontificis Gregorii IX. expectavit aſſenſum, quo obtento, in dicto Ordine ſumma humilitate, & manſuetudine per omnem vitam permanſit. Cujus exemplo alios commotos ad idem vitæ genus amplectendum, narrat dictus Pariſius, inter quos numerat Abbatem de Oſencia Ordinis S. Auguſtini. Secundus fuit Rodulphus Ebifac Pariſienſis Magiſter, vir doctus in ſacra pagina, cujus hoc vocationis initium. Cum ſemel ex ſtudio feſſus ſomno opprimeretur, apparuit ei diabolus, comminatus oculorum cæcitatem, dicens; ego te ſtercoribus excæcabo. Uno atque altero die eaſdem repetiit minas malus artifex, quem ſemel digitos oculis inferre volentem valenter repulſit Magiſter, inquiens; abi in malam rem, non tu me, ſed ego te excæcabo. Atque ecce ſequenti die, dum e roſtris doceret, allatæ ei Regis Angliæ litteræ quibus pinguem ei offerebat Epiſcopatum: Memor ille viſionum præteritarum, hæc, inquit, illa ſtercora divitiarum, quibus Diabolus dicebat me obcæcaturum: ego ejus eludam artes, & procul faciam pulverem hunc rerum terrenarum. Nec multam interpoſuit moram, quin ſtatim Minorum ſe committeret Sodalitio. Tertium numerat Marianus Rodulphum Radiptonum Anglum, ſed in ſequens ſeculum rejiciendum judicat Joannes Pitſeus, quem mortuum, ait, anno MCCCL. cui ego potius hærendum judicaverim, atque tunc Rodulphi hujus geſta referenda.

Idem Rodulphus Magiſter Pariſien.

Et Rodulphus Radiptonus. Pitſ. de ſcriptor. Anglicis. Chron. antiq.

Miraculoſe providetur Fratribus fameſcentibus.

XV. Unum, atque alterum hujus temporis miraculum divinæ providentiæ circa Fratres Minores, hic inſerere libet. Per inculta & deſerta peragrantes duo Fratres integro die queruli fameſcebant; donec in aperta planitie occurrit ſpecioſus adoleſcens, interrogans cauſam mœſtitiæ. Rem aperientibus, & veluti irritæ promiſſionis Deum inculpantibus, dixit ut ſederent, & patienter ferrent; moxque ad eos rediens recentes appoſuit panes talis ſaporis & alimenti, ut nullo indigerent obſonio. Deinde ſuaviter increpavit eos dicens, indigne feciſſe, dum vel minimum deſperarent de divino ſubſidio, neque enim Chriſtianum erat putare ſperantibus in ſe defuturum, qui dixit: *jacta cogitatum tuum in Domino, & ipſe te enutriet, & non dabit in æternum fluctuationem juſto*, & qui prohibuit ne Evangelici viri *quidpiam ferrent in via*. Illis, inquit, deerit, qui adfuturum non credunt, neque tenetur iis providere, qui proviſurum nec ſperant, nec credunt. Similiter accidit cuidam Fratri, novitium alio ducenti ne moleſtaretur a parentibus, nam cum in vaſta ſolitudine oberrarent, ſub noctis crepuſculo apparuit eis vir, qui ad interiora proximæ ſilvæ minatus, domunculam ſeu tuguriolum ex virentibus arborum ramis egregie contextum obtulit pro hoſpitio: ſtratum etiam humi juncum olenteſque herbas, ut æſtate media temperate cubarent, oſtendit, cœnamque appoſuit optimorum piſcium recentium, veluti ſi tunc extraherentur e mari, quod tamen per dietas plures ab illo loco diſtabat. Mane ſurgentibus adfuit, & noviter refectos præceſſit, donec extra ſilvam & ſolitudinem faceret, quibus jam poſitis in aperta & regia via valedicens, repente diſparuit. Alius transferebatur tiro e Podio Bonitio Senas ſumma hyeme, itinere nivibus cooperto. Dum vero a caſtro Stagiæ impranſi diſcederent, emenſis aliquot milliaribus, tiro præ fame deficiebat. Socius ferventer invocato ſancto Patre Franciſco, in ipſa nive poſitum vidit panem albiſſimum & calidum, tamquam ſi tunc e furno extraheretur. Acceptum adoleſcentulus medium comedit, ſuperſtitem partem alteram ſocius in ſinu repoſuit, ut albeſcentem

Similiter aliis.

Item aliis.

Digitized by Google

tem & optime olentem Fratribus ſenenſibus oſtenderet, & ex ipſa panis qualitate fidem miraculo conciliaret. Sed dum ad locum pertingeret, atque extrahere vellet e ſinu, ſenſit mirabiliter inventum mirabilius evanuiſſe.

XVI. Hoc anno in menſe Novembri Joannes Averſanus Epiſcopus cum conſenſu, & ex voluntate Capituli Eccleſiæ Averſanæ conceſſit fratri Nicolao de Terracina Miniſtro Fratrum in Regno Neapolitano Eccleſiam ſancti Laurentii poſitam in foro ſeu Mercato, ut loquuntur, veteris urbis Neapolitanæ; & alia quæcumque ad eam attinebant, præter apothecas, redditus & terras quaſdam ad eamdem Eccleſiam pertinentes, quæ a prædicta donatione exceperunt. Illam adjecerunt conditionem, ut ſi quando contingeret, Fratres recedere, redeant donata omnia ad Eccleſiam Averſanam, & ſi Fratres vellent redire, poſſent redire, & denuo poſſidere locum illum. Donationem confirmavit Gregorius IX ſuo diplomate XIV. Kalendas Februarii anno ſui Pontificatus octavo, quod tunc dabimus in regeſto. Multis incrementis & pietate Caroli I. & II. Regum Neapolis, præcipuorum Monaſterii ſtructorum excrevit in vaſtum & magnificum opus, caputque eſt Provinciæ Terræ laboris Patrum Conventualium, in quo ſemper graviſſimi Viri floruerunt, ſed & ſanctiſſimi homines in eodem jacent beatus Auguſtinus Aſſiſias primus Miniſter illius Provinciæ, qui vidit animam ſancti Franciſci ad cœlos evolantem. Beatus item Donatus, necnon noſtrorum dierum vir Bartholomæus Agricola de Ambergh Germanus, cujus ſolemnis ibi agitur memoria, cujuſque ſepulcrum dum præſens adorarem, vidi multis tabellis & votis exornatum, a populo frequentatum, & in reverentia habitum. Compendium vitæ & publicos ſermones in anniverſariis ejuſdem habitos apud me habeo excuſos, ex quibus potiora, Deo annuente, ſuis dabo temporibus. Floret nunc in eodem Conventu magiſter Angelus Vulpes a Montepiloſo ſtudiorum Regens, carus & ſincerus amicus noſter, cujus elucubrationes, quas duobus voluminibus hucuſque in librum primum edidit Scoti, hominem per univerſas Academias commendarunt, ſitimque addunt plurium ejuſdem argumenti voluminum.

Conven. S. Laurentii Neapolis.

Rodulph. fol. 275.

XVII. Ludovicus ſanctus Gallorum Rex, ob intimum in Franciſcanos, a quibus etiam enutritus & edoctus, affectum, hoc anno fundum & locum, quem inhabitabant ab illorum ingreſſu in urbem, ut alias diximus, multo ære comparavit ab Abbate & Monachis ſancti Germani, ad quos ſpectabat proprietas. Venditionis & emptionis litteræ regio ſigillo munitæ ſervantur apud eoſdem Monachos datæ hoc anno menſe Aprili. Et ut totum hoc venditionis, emptionis, & conceſſionis negotium firmius conſiſteret, Gregorii Pontificis judicium interceſſit. Deinde dato diplomate Interamnæ III. Nonas Junii Pontificatus ſui anno X. in initio rogat, deinde hortatur, denique pro ſua in omnes Chriſtianos auctoritate diſtricte præcipit Abbati & Monachis ſancti Germani a Pratis, ut amicis ſpiritualibus Fratrum Minorum juſto pretio vendant tantum terræ intus & extra muros Civitatis Pariſienſis, quantum Epiſcopi Silvanectenſis prudenti judicio videretur neceſſarium pro Conventus illorum conſtructione. Sed quoniam, creſcente in dies Fratrum numero, locus deſignatus nimis poſtmodum anguſtus viſus eſt, aliis rurſum litteris datis Laterani VI. Idus Decembris, Pontificatus ſui anno XIII. idem Chriſtiani gregis ſupremus Paſtor conceſſit Fratrum noſtrorum amicis; ut alias item terras tum intra, tum extra muros Urbis poſitas, & ad præno-

Gonz. in Conven. Pariſ.

Anno 1219. n. 43. tom. 1.

Conventus Pariſien. incrementũ & plena deſcriptio.

A quibus ampliatus.

nominatum Monaſterium ſancti Germani ſpectantes compararent, & Conventus Fratrum noſtrorum amplificationi dederent. Illic itaque, id eſt in terris ac locis ad Abbatem præfatum prius attinentibus, poſtmodum autem a Chriſtianiſſimo, ſimulque ſanctiſſimo Rege Francorum Ludovico, aliiſque aliquot piis Lutetianis Civibus, quorum nomina ſunt in libro vitæ, comparatis: quantum a porta olim de Cubardo, nunc a ſancto Germano appellata, ad portam fere D. Michaëlis intra juxtaque muros Civitatis extenduntur; & ex altera parte collegiis Burgundiæ, Juſtitiæ, Haricuriæ, ædeque SS. Coſmæ & Damiani finiuntur, ſuccedente tempore, conſtructum & erectum fuit, quod nunc Pariſiis extat Franciſcanorum Monaſterium & Collegium, Ut vero dilatandi locum finis eſſet, litteris publicis ſuper hac re confectis anno Domini MCCLX. F. Robertus Provinciæ Franciæ Miniſter, totuſque Conventus Pariſienſis, quem etiam una regebat, Abbati & Religioſis ſancti Germani ſancte juraverunt & promiſerunt, terminos ejuſdem Conventus ſuper eorum terris, & dominiis numquam ulterius proferre. Pleraque circa hæc diplomata ſuis annis nos dabimus in regeſto.

XVIII. Sunt & aliæ ſcripturæ in Conventus ſacrario, quibus frater Dionyſius Conventus Pariſienſis Guardianus conteſtatur, univerſum fundum ab Abbate receptum, ab omnibus omnino cenſibus liberum, & humano commercio exemptum, quod vulgo amortiſatum dicitur, eſſe. Ad hæc Philippus Rex Francorum, cognomento pulcher, D. Ludovici ex filio nepos, anno Domini MCCXCVIII. quamdam viam (Ruellam vocant litteræ publice de hoc confectæ) pone domum Fratrum, prout a porta D. Michaelis, quæ a dœmonibus adjacens caſtrum viridis vallis infeſtantibus porta inferni tunc dicebatur, uſque ad aliam portam extenſam, in ſui Conventus amplificationem intra illius ſepta claudendam, & ab ipſis ac ſucceſſoribus in perpetuum poſſidendam contulit. Poſtremo cum anno Domini MDLXI. bellis civilibus ab hæreticis Hugoniſtis in Regem, patriam, & Eccleſiam excitatis, omnia in Galliis ferverent, animadverterentque Ordines ac Cives Pariſienſis urbis ex ſupradicto Fratrum noſtrorum Conventu, tamquam ex æquo Trojano plurimos, eoſdemque ſpiritualibus armis inſtructiſſimos milites, ac fidei Catholicæ acerrimos propugnatores quotidie prodire, qui tum in eadem Civitate Regia, tum in cunctis aliis finibus Regni, graſſantibus hæreſeon miniſtris & ſatellitibus conſtanter ſe opponerent; gratitudinis gratia ejuſdem Conventus hortos, qui valetudinario adjacent, alterius horti non aſpernandæ longitudinis adjectione & donatione liberaliter adauxerunt.

Blanchæ Reginæ in Minoritas Pariſienſes pietas.

XIX. Favit primis initiis Blancha Regina, mox ſimul cum filio Ludovico a viri morte liberius opus proſecuta. Magna fuit mulieris in univerſos Religioſos, præcipue in Franciſcanos, pietas, de qua ample ſcripſit Dominus Gaufredus de Bello loco. Quamvis nulli indigenti ſua benignitate non ferret opem, illis tamen, qui divino cultui, & ſaluti animarum vacarent liberalius & crebrius eleemoſynas præſtabat. Solebatque dicere nonnumquam familiaribus ſuis, de magnis illis eleemoſynis, quas quotannis Pariſiis in Fratres Dominicanos & Franciſcanos conferebat: O Deus, quam bene collatæ ſunt hæ eleemoſynæ in tot tantoſque Fratres ex toto terrarum orbe Lutetiam adventantes, ut quod hic ex divinis ſcripturis hauriunt, in totum mundum effundant in honorem Dei, & ſalutem animarum! Verum ſuſcepta ab eodem Rege bella adverſus Toloſates, Alarchianos, Armoricos, & Anglos, expeditio denique

que tranſmarina pro Terra ſancta adverſus Saracenos, largitionibus modum imponentes, opus Templi feliciter incœptum intermittere coëgerunt.

XX. Rediens vero Ludovicus ex Ægypto & Syria, Minoribus & Prædicatoribus, id affirmat Paulus Æmilius, nondum ad culmen perductas ſacras ædes plane abſolvit. Hoc autem circa annum a Chriſto nato MCCLXII. contigiſſe idcirco exiſtimaverim, quod Urbanus IV. anno ſui Pontificatus II. diplomate dato in veteri urbe, ipſum Regem Francorum laudat vehementer, quod in domo Fratrum Minorum Pariſienſium de novo, nec ſine magnis ſumptibus, Eccleſiam conſtruxerit, in cujus dedicatione indulgentias dari poſtularet. Concedit autem ad ejuſdem Regis inſtantiam eis qui ab ipſo die conſecrationis uſque ad quatuor menſes eamdem Eccleſiam viſitarent tres annos & totidem quadragenas. Illis quoque, qui in dedicationis anniverſario die & uſque ad octavas ad eamdem accederent annuatim, unum annum & quadraginta dies indulgentiarum. Pares rurſum indulgentias conceſſerunt poſtea Clemens IV. & Nicolaus, veluti in eorum litteris in hujus loci archivo aſſervatis continetur. Sedente itaque in cathedra beati Petri Urbano IV. & Francis imperante D. Ludovico, Franciſcanorum Pariſienſium Templum ſolemni ritu ac incredibili populorum frequentia Deo Optimo Maximo in memoriam beatæ Mariæ Magdalenæ VIII. Idus Junii conſecratum & dedicatum eſt. Habet porro longitudinis ſupra 320. pedes, latitudinis ſupra nonaginta. Chorum a navi pulpitum, ligneum quidem illud, ſed maximum & perpulchrum, aliquot ligneis affabre factis columnis innixum ſecernebat. In illud Reges, Reginas, Principes, Cardinales, Senatores non raro conſcendere, ac diutius reſidere conſpexerunt plurimi, quatenus aliquantum a turbis ſemoti, inde ſacris Fratrum pſalmodiis, ſuavique tot vocum concentu animos paſcerent, & rebus divinis intereſſent. Quin frequenter quoque, concepto devotionis ſpiritu, accitis ad ſe aliquot patribus, commiſſa peccata humiliter confitebantur, abſolutioneque donabantur, & Corpori ac Sanguini Chriſti ex ara illic erecta communicabant. In choro medio multa Regum, Reginarum, ac heroum extabant ſepulcra, quæ ſuo loco commemorabimus. Templi parietes exornabant dependentia vexilla plurima, clypei, galeæ, manicæ militares, atque gentilitiæ imagines fortiſſimorum militum, Ducum, Imperatorum, qui pro patriis legibus & finibus regni ſtrenue ſe geſſerant, morienteſque in eodem loco ſepeliri cupiverant. Chorum quoque undique circumdabant viginti quinque ſacella partim muris, partim lignis affabre factis inter ſe, & ab eodem choro diſtincta. In quolibet Sacello erecta erat ara, ſimulque abacus tam elegantibus ac pretioſis Chriſti, Deiparæ, Apoſtolorum, Martyrum, aliorumque Sanctorum, in quorum memoriam dicata erant, figuris decoratus, ut & religionem ſimul & admirationem piis ſectatoribus incuterent. Muros veſtiebant ligneæ tabulæ magno artificio compactæ, nec deerant ſcamna & ſedilia his aptiſſima, qui vel genibus precari, vel peccata ſua confiteri, ut ab his abſolverentur, cupiebant. Navis Templi innumeris pene ſepulcris ad terram depreſſis ſtrata erat, multis hinc inde epitaphiis Gallicis & Latinis in ære, aut lapidibus inſculptis, muros atque columnas exornantibus. Incredibili frequentia populi quotidie replebatur ſacræ rei cauſa. Singulis Dominicis & feſtivis diebus ſelectus ex ordine ſtudentium Sacerdos, nonnunquam Baccalaureus, aut Doctor, de ſuggeſtu ad populum de Evangelio concionabatur.

Æmil. in Ludovico IX.

Item filii Ludovici ſancti.

Templi magnitudo & ſplendor.

XXI. At

Incenditur magnificum Templum.

XXI. At ſanctiſſimum & ornatiſſimum hoc Templum, proh ſancte Deus! Numinis iram & ultionem in propria capita accerſentibus peccatis ſuis hominibus poſt ccc. & quod excurrit, annos, id eſt MDLXXX. XIX. Novembris omnino exarſit: idque tanto ardore, ut nec campanarum metallum inter rudera inveniri, nec ſacri libri, mappæ, aulæa, vela, imagines, ſacræ reliquiæ, quæ in thecis religioſe ſervabantur, incendio eripi potuerint. Sed & columnæ lapideæ juſtæ ſatis craſſitiei, quibus Templum innitebatur, una cum baſibus ac ſupernis fornicibus; inſuper & plurima Principum marmorea ſepulcra & alabaſtrina flammarum vi partim in cineres redacta, partim aſſoluſe, ac minutatim confracta fuerunt. Quin etiam duo magnæ molis & impenſarum pulpita ænea, ex quorum uno Epiſtola, & altero Evangelium in ſacris myſteriis recitabatur, una cum quinque columnis æneis, & elegantibus ſuis epiſtyliis, quibus præcipuum altare circumdabatur, magna ex parte calore liquefactæ, & fuſæ ſunt. Atque hæc omnia intra duas horas, nimirum ab hora nona veſpertina uſque ad undecimam, flammarum voracitate abſumptæ. An flagitioſa ſocordia eorum, qui tum domui præerant, & facibus, candeliſque cereis extinguendis, non ſatis invigilarent, id infortunium acciderit: an vero ab hæreticis Hugonoſtis, qui a xx. annis viginti millia ſacrarum ædium in Galliis ſuccenderunt, huic quoque, ſubjectum fuerit incendium, hactenus ignoratum. Deus tamen aliquando videbit, judicabitque.

Exultant ad incendium hæretici.
Pſal. 136. 7.

XXII. Mirabile autem, immo vero miſerabile dictu eſt, quanto gaudio debacchati ſunt, quantoſque ingeminarint tremulos, naſo criſpante, cachinnos Calviniani, & pſeudo-Chriſtiani, cum hujus divini Templi conflagrationis fama Gallias pervaſit. Dixiſſes redivivos filios Edom in die vaſtationis Hieruſalem iterum exultantes, & percupere non hanc ſolum Franciſcanorum domum, ſed & alias omnes funditus everſas & exinanitas. Pro Babylonicis ſacrilegis eos jure accepiſſes, cum incenderent ſanctuarium Domini, & prius a ſe pollutum alliderent in terram. Gloriabantur qui Dominum in ſervis ſuis oderant, in medio deſolati ſanctuarii, ac ſi erectis trophæis de Chriſto, qui ibi colebatur, ſuperbe triumpharent. Atque hæc quidem impii. Pii vero omnes tam lugubri ſpectaculo attoniti ſtupebant, gemebant, atque adhuc gravioris calamitatis præſagitionem eſſe metuebant. Singuli conſcientiarum ſuarum latebras diſcutientes peccata ſua omni humilitate & contritione fatebantur, atque divinam miſerationem implorantes, judicia Domini juſtiſſima humiliter agnoſcebant. Orabant inſuper toto pectore, ut propter ſemetipſum ſerenam faciem ſuam iterum oſtenderet ſuper ſanctuarium ſuum vaſtatum & deſolatum: recordaretur teſtamenti ſui, memor eſſet congregationis, quam poſſederat ab initio: non relinqueret diutius virgam peccatorum ſuper ſortem juſtorum; Templumque, in quo toties nomen ſuum invocatum, & prædicatum fuerat, reparari juberet.

Pſal. 73. 7.
Sed dolent Catholici.
Pſal. 73. 2.
Pſal. 124. 3.

Reſtauratur Templum.

XXIII. Deus itaque tot precibus exoratus, memorque clementiæ ac bonitatis ſuæ, Regis, Principum, Pontificum, Senatorum ac Civium Pariſienſium continuo flexit animos, ut mox de nova Templi Franciſcanorum inſtauratione cogitarent. Igitur Præfecti, & Decurionum urbis publica conſtitutione ac expenſa, totius Templi ſolum adeo eruderatum eſt, ut everri facile poſſet. Deinde ſequentis anni media Quadrageſima Domino Chriſtophoro Thuano, ſummo Senatus Pariſienſis Præſide, omnium maxime negotium procurante, primoque fundamentorum jaciente

ciente lapidem, inſtaurata fuit & conſtabilita prima lapidea columna: anno vertente tamdem, omnes uſque ad triginta, pro qualibet in cæmento, lapidibus ſectis, & artificum opera, ſolutis centum gallicis aureis. Conquerentibus frequenter apud Præſidem Fratribus, quod nullæ pecuniæ ſupereſſent, magna conſtantia reſpondebat: bono animo eſtote, Dominus providebit, ſubeſt illi, cum voluerit, poſſe. Sequenti anno quinque aureorum millia in architectos eximia liberalitate conferente Chriſtianiſſimo Rege Henrico, totius chori & ſacellorum utrimque claudentium lignaria fabrica dedolata, compacta, & ſuper muros erecta fuit. Anno proximo videlicet MDLXXXIII. communibus piorum Civium largitionibus, & mulctis, quæ a Senatu quibuſdam reis irrogabantur, & ad tam pium opus applicabantur, præeleganti tecto ardoſio ejuſdem chori ambitus & ſacella, quæ ad meridiem ſpectant, univerſa cooperta & tecta. Inſuper interna, ſeu concava pars chori lectiſſimis aſſerculis incruſtata & laqueata eſt. Tam proſpere procedente opere, ſummopere delectatus Rex, diſtractis rurſum pictoribus mille & centum aureis, totam ejuſdem chori intimam crepidinem voluit cæruleo colore depingi, ſparſis hinc inde innumeris flammis igneis, interjectiſque multis liliis aureis; H denique prima nominis ſui littera fulgenti diademate redimita. Sequentem uſque ad tertiam trabem partem Catharina Medices Regum mater ſuis quoque coloribus, characteribus, & familiaribus teſſeris illuſtrari curavit, ſolutis in hunc finem trecentis aureis. Supererant viginti & tres ingentes feneſtræ, quibus chorus illuminatur, vitro obducendæ. Huic quoque operi liberalitatem ſuam impendit Chriſtianiſſimus Rex, quando ſecunda Equitum Torquatorum Ordinis Spiritus ſancti creatione, ex his quos erogat militibus ſtipendiis, mille & octingentos aureos ſumma eorumdem nobilium conſenſione & propenſione acceptos, in hoc opus inſumi curavit. Atque ut tantæ liberalitatis aliquod inſigne honoris, aliquodque monimentum laudis extaret, depicto in principe feneſtra Spiritus ſancti in Apoſtolos adventu; in ſequentibus ſui ipſius, matris, uxoris, fratris, Reginæ Scotiæ, Reginæ Eliſabethæ, Principum a ſtemmate Regio, Cardinalium, Epiſcoporum, heroumque icones, & inſignia gentilitia, inſuper Actuum Apoſtolorum tabulas bene pictas collocari in bono lumine præcepit. Erectam demum majorem aram lectiſſimus & piiſſimus Dominus Julianus a ſancto Germano, Cæſarienſis Epiſcopus, & Pariſienſis Coadjutor, Deo in primis, deinde in beatæ Mariæ Magdalenæ, & beati martyris Sebaſtiani memoriam dedicavit, anno Domini MDLXXXIII. die Decembris XXI incredibili piorum omnium exultatione & lætitia. Eadem die ſanctiſſima Euchariſtia ad cultum fidelium, infirmantiumque promptum ſubſidium, reſervari ſolita, peracta circa Conventum publica luſtratione, honeſtiſſimo altaris loco repoſita eſt, ac deinceps canonicæ matutinæ & veſpertinæ preces, aliaque divina Officia a Fratribus ibibem perſolvi incæperunt. Cathedræ ligneæ, quæ chorum utrimque exornent, tali in dies artificio compinguntur, ut tamdem aliquando (Superis laus, & beneficiis gratiarum actio) nos vere dicturos ſperemus & confidamus: Major eſt gloria noviſſimæ hujus domus, pluſquam primæ. Sic Dominus poſt tempeſtatem tranquillum facit, & poſt lacrymationem & fletum exultationem infundit.

XXIV. Hactenus de Templo priori & poſteriori; ut ceteras hujus inſignis, & per orbem celeberrimi Conventus partes proſequamur, non di-

diſpliciturum puto lectori; quippe tantæ molis, ſi non exactam, ſaltim ampliorem expectabit narrationem, atque in rebus magnis deſcribendis paulo diffuſiori oratione utendum eſt. In illuſtres heroes Reges & Reginas Galliarum me peccaturum arbitrarer, ſi eorumdem memoriam, quorum in præfato Templo mauſolæa, præterirem. Chori itaque Eccleſiæ mediam partem clauſuramque occupabant plurima Regum, Reginarum, Principum, Epiſcoporum operoſa ſepulcra: qui ut veteres Patriarchæ in Hebron terræ propter Chriſtum ſancta portiuncula, ſic iſti in pauperum Fratrum Minorum ſacro Domicilio habuerant ſepeliri in votis. Audierant enim Chryſoſtomi, & aliorum Patrum concionibus, magnis encomiis celebratum fuiſſe magnorum Imperatorum Conſtantini, Conſtantis, Valentiniani, ac Theodoſii pietatem, qui corpora ſua, vel in oſtiis Baſilicarum Apoſtolorum & Martyrum ſepeliri, pro re ſancta & utili duxerant. Didicerant, ſanctiſſimos Theologos Auguſtinum & Paulinum conſtanter docuiſſe, proviſum ſepeliendis corporibus apud memoriam Sanctorum locum, bonæ affectionis eſſe erga funera ſuorum: ad hoc ut dum recolunt ubi ſunt poſita eorum, quos diligunt, corpora, eiſdem Sanctis, illos tamquam patronis ſuſceptis, apud Dominum adjuvandos orando commendent. Erant itaque primo loco duo ſepulcra ſibi a latere cohærentia altitudinis 4. pedum, longitudinis fere 7. ex marmore nigro cum duarum heroidum alabaſtrinis effigiebus, quarum unius epitaphium fuit: *Hic jacet Domina Maria Franciæ Regina uxor Regis Philippi, filii divi Ludovici, Ducis Brabantiæ filia: quæ obiit* MCCCXXI. *menſis Januarii* XII. Alterius autem: *Hic ſepulta eſt Domina Joanna Regina Franciæ & Navarræ, Comitiſſa Briæ & Campaniæ, uxor Regis Philippi cognomento Pulchri, quæ obiit anno Domini* MCCCIV. *Aprilis die* II. In cujus porro ſarcophago cum ruderibus Templum purgaretur, reperta eſt corona tenuiſſimo ferro paululum inaurato compacta, annulus vere aureus, fuſi quoque argentei. Demum eſt tabella plumbea in qua hæc inſculpta fuerant: *Joanna Dei gratia Franciæ & Navarræ Regina, Campaniæ, Briæque Comitiſſa Palatina, anno* XXXIII *ætatis ſuæ inchoato a feſto beati Hilarii* MCCCIV. *die* II. *Aprilis feria ſexta, apud nemus Vicenarum, diem clauſit extremum, ſepulta vero fuit dominica ſequenti in Paſſione Domini Pariſiis apud Fratres Minores, regnante illuſtriſſimo Principe Philippo Dei gratia Francorum Rege ejus Domino ac marito, cujus anima ſit in pace. Quæ regnavit cum dicto Domino ſuo per ſpatium viginti annorum, trium menſium & novem dierum.* Sequebantur pari ordine duo alia ſepulcra marmorea cum duabus alabaſtrinis effigiebus jacentibus deſuper; prior erat viri, poſterior mulieris corda habentium præ manibus, ſine ulla inſcriptione. Horum vero inſignia erant gallicorum liliorum flores cum vitta deſuper tranſverſim collocata. Tertio erat tumulus ex marmore, & heroidis ſupra jacentis imagine ex alabaſtro, cum hac inſcriptione: *Condita eſt hoc loco Domina Joanna Franciæ & Navarræ Regina Burgundiæ & Artheſii Comitiſſa, quæ vitam cum morte commutavit anno Domini* MCCCXXIX. *Januarii die* XXXI. Alterum ad latus ejus ſepulcrum hanc ſcripturam habebat: *Cor Regis Philippi, cognomento Longi, ejuſdem ſponſi Regis Franciæ & Navarræ, filii Regis Philippi Pulchri, hoc loco conditum eſt. Vivere autem deſiit anno Domini* MCCCXXI. *Januarii die* III. Quarto loco erant duo tumuli marmorei cum duarum Reginarum formis ex alabaſtro. In priore ſcriptum erat: *Cor Dominæ Joannæ Franciæ & Navarræ Reginæ uxoris Regis Caroli filii Philippi Pulchri:*

obiit

Sepulcra magnatum.

Reg. 2. 32. Chryſoſt. hom. 26. in c. 12. epiſt. 2. ad Corin.

Auguſtin. lib. de cura pro mortuis agenda cap. 1. Paulin. ibidem apud Auguſtin.

Digitized by Google

obiit autem MCCCLXX. *die* IV. *Martii*. In poſteriore vero: *Cor Dominæ Blanchæ, filiæ Regis Philippi apud Longum campum Monialis anno Domini* MCCCXVIII. *hoc terræ ſanctæ loco conditum fuit, anno Domini* MCCCLVIII. *Aprilis die* XXVI. Quintum locum occupant ſepulcra Mathildis filiæ Comitis a ſancto Paulo, uxoris Caroli Francorum Regis, ac Valeſiorum, Alenconiorum, Carnutum, & Andegavenſium Comitis: quæ obiit anno MCCCLVIII. die Octobris III. Deinde alterius heroidis, cujus imago veſte ſanctimoniali tegebatur, epitaphium nullum adjacebat. Sexto ſepulcrum marmoreum, & figuram alabaſtrinam habebat Blancha, filia ſancti Ludovici Regis Francorum, quæ Ferrando Regi Caſtulonenſium nupſerat. Juxta quam ſepulcrum habebat Ludovicus *de Valois*, filius Caroli Comitis Alenconiorum, Carnutum, & Andegavenſium, qui ex hac vita migraverat anno Domini MCCCXXIX. die XI. Novembris. Deinde in eodem quoque chori meditullio ad duos pedes erectus erat tumulus Alberti Carporum Principis cum ſtatua ex ære Cyprio, quæ ſola incendio ſuperfuit. Inſculptum erat huic iſtud epitaphium: *Alberto Pio de Sabaudia Carpenſium Principi Franciſci Regis fortunam ſequuto, quem prudentia clariſſimum reddidit, doctrina fecit immortalem, & vera pietas cœlo inſeruit. Hæredes mæſtiſſ. poſ. anno Domini* MDXXXVII. *vixit annos quinquaginta quinque*. Extabant rurſus ibidem plura alia Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, nobilium & Senatorum ſepulcra, partim erecta, partim humi depreſſa, quæ ſigillatim enumerare prolixius fuiſſet. Multa quoque extabant in Templo, atque nunc extant in Capitulo & Clauſtro ſepulcra Patrum & Doctorum, qui jam ab initio Ordinis & hujus Conventus, utrumque pietate & doctrina non parum exornarunt. Illa quæ nunc ſuperſunt nos ſuis dabimus locis, ubi de his Patribus, vel de eorum natalitio ſeu mortis die inciderit ſermocinatio.

XXV. Tanta fuit Chriſtianiſſimi atque ſanctiſſimi Regis Ludovici in Deum pietas, & de ſervulis ejus Fratribus Minoribus bene merendi voluntas, ut præter eximium Templum, quod deſcripſimus, aliud quoque eidem cohærens, ejuſdemque ſtructuræ maximum & firmiſſimum ædificium conſtrui curaverit, in quo primum ſacrarium, quo res ſacræ aſſervari ſolent, continetur. Illud lapidibus politis ſectiſque conſtructum ac firmiſſima teſtudine concameratum, & repagulis undique ſeptum, cuſtodiendis ſacris veſtibus, linteaminibus, libris, candelabris, thuribulis, calicibus, pixidibus, & pretioſis ſanctarum reliquiarum thecis, tutiſſimum locum præbet. Uno pariete a ſacrario diſterminatur Capitulum longitudinis pedum ſeptuaginta ſex, latitudinis quinquaginta quinque, quo feria ſecunda & ſexta omnes Fratres conveniunt commendationes benefactorum audituri, & ſuffragia publica pro vivis & defunctis perſoluturi. Deinde culpas coram Præfecto humiliter agnoſcunt, & pro cujuſque conditione, aut defectibus pœnitentiam ſuſcipiunt. In hoc veluti loco ſacro, erectis tribus aris, Officium divinum noctu dieque celebratum fuit annis quatuor ſuperioribus, id eſt, a Templi conflagratione, ad chori noviſſimi inſtaurationem. In eodem quoque jam ab initio ſub lapidibus politis, & quadratis terræ condita fuerunt multa, multorumque doctiſſimorum, & piiſſimorum Patrum corpora, qui dum vixerunt, doctrina & virtute toti Eccleſiæ Catholicæ, & Ordini Minorum decori fuerunt & ornamento. Horum quidam ob eximiam pietatem & ſingularem ſcientiam a Regibus, Reginis & ſummis Franciæ Principibus aſciti fuerunt, ut illis eſſent a ſacris confeſſionibus & concionibus, alii

Ceteræ Monaſterii officinæ.

Sacrarium.

Capitulum.

ad Epiſcoporum gradum & ſollicitudinem; alii ſolitudine ſua contenti, poſtquam multos annos publice legendo, & docendo in eodem Conventu laboraverunt, animabus Creatori ſuo redditis, ibidem corporibus ſepulturæ locum ſuſceperunt. Capitulum rurſum muro ad meridiem concingitur aula ſpatioſa, quæ ante annos ſexaginta totius Collegii ſchola Theologica fuit, aliis autem poſtea longe amplioribus, elegantioribus & commodioribus conſtructis, humilioribus uſibus adaptatur. Atque hæ tres ædes in inferiore maximi illius ædificii parte continentur.

Dormitoria. XXVI. In ſuperiori vero parte optima diſpoſitione per quatuor ordines habentur ſexaginta cubicula ſtudioſorum, quibus adjunge alia ducenta & quatuordecim, quæ quinque ordinibus primam aream ad januam Conventus omni ex parte circumcingunt. Etſi magnus hic numerus cellularum, tamen maxima totius anni parte patribus ſtudentibus refertæ ſunt, ut frequenter recens ad ſtudium accedentes oporteat recedere, ac tantiſper expectare, quoadusque aliquis ſuæ Provinciæ præfinitum ſtudii tempus abſolverit. Cellæ vero ut plurimum quatuordecim aut quindecim pedum ſunt longitudinis, totidemque latitudinis. Præter hæc alia plurima ſunt ſenum, Rectorum, & Miniſtrorum per ceterum Conventus ambitum cubicula. At quia vix, imo ne vix quidem fieri poteſt, ut in tam conferta frequentique Fratrum multitudine, nonnulli adverſa valetudine laborent, divina Providentia, & heroidum Gallicarum beneficiis, illis de ampliſſimo, & commodiſſimo Valetudinario jamdudum proviſum eſt. *Valetudinarium.* Nam Illuſtriſſima Domina Joanna, Franciæ & Navarræ quomdam Regina (quemadmodum veſtibulo affixæ una cum precatricis heroidis effigie, duæ tabellæ marmoreæ docent) filia Domini Ludovici Regis Franciæ & Comitis Ebroicenſis, uxor autem Caroli IV. Francorum & Navarrorum Regis, anno Domini MCCCXLI. ſuis expenſis conſtrui curavit ampliſſimam & firmiſſimam domum, in qua amplæ & ſpecioſæ ſunt aulæ, & commoda cubilia eo ordine diſtincta, ut quædam infirmis, alia convaleſcentibus inſerviant. Duo ſunt ſacella egregia, quibus qui poſſunt ex infirmis quotidie ſacris operantur, vel interſunt, atque in ſuperiori ſanctum Oleum, quo, juxta Apoſtolum, a Presbytero unguntur in nomine Domini, religioſe ſervatur. *Jacob. 5. 14.* Adjacet etiam ad Occidentem pulchra apotheca, ſeu officina medica & unguentaria in uſus infirmorum. Ad aeris vero ſalubritatem Dei beneficio, ac piorum hominum eleemoſynis, ita infirmis proſpectum eſt, ut quatuor hortulos ſatis amœnos omni ex parte valetudinarii habeant, ubi ſe oblectare ſine interpellatoribus poſſunt.

XXVII. Ab hac domo ad Conventus aream redeuntibus occurrunt ſub duplici dormitorio conſtructæ quatuor honeſtiſſimæ cellæ: in tribus clari viri, qui ad Fratres divertunt, hoſpitio recipiuntur: in quarta Syndicus (juxta Martini IV. conceſſionem) qui eleemoſynas procuret, recipiat, diſtribuat, & ſingulis menſibus dati & accepti reddat rationem, una cum ſervo ſuo habitat. Sequitur deinde ampliſſima tonſtrina, in qua Fratres religioſo de more tondentur. Duæ quoque ſubjiciuntur cellæ quas incolunt qui Conventus inſtrumentis, & accepti expenſique tabulis & rei domeſticæ invigilant. *Aula literaria.* Hinc ad dexteram proſpicientibus duo patent itinera, quibus vel ſub dio vel ſub tegumento, ut placuerit, ad majores ſcholas pergitur, relicto ad eamdem partem horto vitibus e pergulis ſuſpenſis, variiſque herbariis, ſatis amœno, amplo autem lon-

longitudine pedum centum nonaginta novem, latitudine centum quadraginta duos. Sunt autem ſcholæ ejus formæ, ut in tota Pariſienſi univerſitate, omnium judicio, nullæ ſint ampliores, elegantiores, clarioreſque, quippe quæ ſine ullis interiora domus ſuffulcientibus, aliquaſque offundentibus tenebras columnis 76. pedes habeant longitudinis, latitudinis vero 46. undecim autem maximis feneſtris colluſtrentur undique. In his ampliſſimus erectus eſt ſuggeſtus, ex quo doctores pro lectionibus dicunt: & alius inferior, ex quo ſuo ordine Baccalaurei, plurimis ordinatim diſtributis ſedilibus pro diſcipulis & auditoribus. Conveniunt autem horis matutinis ad lectiones duas de Theologia, quæ præſertim in ſpeculationibus & quæſtionibus verſatur: & pomeridianis, ad totidem, in quibus de ſacris ſcripturis diſſeritur. Prioribus ut plurimum Baccalaurei, poſterioribus ſemper Doctores ejuſdem Ordinis præficiuntur ſtudentes. Patres quotidie a quarta veſpertina in quintam in eiſdem ſcholis de præfatis ſuis lectionibus diſputant, quolibet illorum ſuo ordine reſpondente, aliis adverſus eum diſputantibus. Fiunt quoque ſemel qualibet hebdomada publicæ de theſibus affixis diſputationes, uno propugnante, ceteris pro ordine diſſerentibus, quodam ſemper Baccalaureo præſide, ceteris Doctoribus & Magiſtris, cum opus eſt, dicentibus ac dijudicantibus.

XXVIII. Redeuntibus a ſcholis ad Templum occurrit ad dexteram aula (Refectorium communiter appellamus) quæ amplitudine, elegantiaque vix in tota Civitate parem habet, eſt enim longitudinis pedum 208. latitudinis vero 60. inſuper firmiſſima ſelectorum lapidum ſtructura & altiſſimis columnis forinſecus undique munita, & circumſepta. Aſcenſus in eam patet per ſeptem gradus, altiſſimamque portam: colluſtratur autem omni ex parte 30. duplicibus, lateque patentibus feneſtris, in quibus omnium ferme Principum Chriſtianorum gentilitia inſignia viſuntur. Murorum interior pars lignis undique veſtitur, & ſcamnis ornatur: his adjacent quatuordecim prælongæ menſæ, in quibus cibi tempore recumbunt ſacerdotes: medium autem occupant duodecim Fratribus juvenibus dicatæ. Sunt etiam illic opportunis locis diſtributa promptuaria, vinaria, panaria, piſcaria & carnaria; ex quibus Fratres laici tanta promptitudine cibos recumbentibus adminiſtrant, ut intra brevis horæ ſpatium quadringenti, & eo amplius Fratres, abſolutis benedictionibus, prandio vel cœna, jam ſurgant ad gratiarum actiones. Refectorium.

XXIX. Pars ſuperior, ac media totius ædificii CLXXX. ligneis grabatis Fratrum juvenum dicata eſt: quibus alia XLII. propter adventantium copioſiorem numerum, anno MDLXXXIV. adjuncta fuere, adeo ut eorum numerus ad CCXXII. excreverit. Illa in duodecim ordines, treſque hierarchias concinne diſtributa ſunt: & ut ordine omnia fiant, eiſdem juvenibus præfectus Pater Vicarius ex una parte, Confeſſarius ex altera, diſtinctas ibidem cellas habent, ex quibus quidquid fit, aut dicitur in tanta multitudine facile percipiunt; diurnis ac nocturnis horis omni occaſioni adſunt, & omnia, juxta præſcriptas a patribus conſtitutiones, prudenter moderantur. Ex hac ſuperiori parte paucis gradibus deſcendentibus, præſto ſunt hinc ampliſſimum calefactorium, inde elegans aula, in qua ſingulis feriarum noctibus, duæ Fratrum juvenum partes divinum Officium perſolvunt; tertia ſuo ordine Templi chorum petente. Feſtis autem diebus omnes ſimul tenentur Templo adeſſe. Poſt deſcenſum plurium aliorum graduum, ordine ſuo per claſſes diſtinctæ ſunt Adoleſcentium ſeminarium.

Digitized by Google

Eorumdem Scholæ. ſunt eorumdem juvenum Fratrum quatuor oppido elegantes ſcholæ: in quarum prima ars Grammatices, in ſecunda Rethorices, in tertia Logices, in quarta una cum libris Magiſtri ſententiarum, Phyſica Ariſtotelis a ſelectis ex Ordine Baccalaureis ter quoquo die prælegitur. A prandio ad tertiam horam, aut lectionum repetitiones fiunt, aut ſuo tempore publicæ de arte, quam quiſque profitetur, diſputationes inſtituuntur. Advenientium ad hæc ſtudia frequens numerus Fratrum effecit, ut quinta claſſis in aula ſuperiori aptaretur, in qua imbecilliores Grammaticæ præceptis diligentius imbuerentur. Peracto ad hæc ſtudia proſequenda conſtituto tempore; ſuas Provincias, Conventuſque nativos repetunt, quoadusque ſacro Sacerdotio initientur, & poſt aliquot annos, per licentiam patrum ſuorum ad Theologica ſtudia redeant.

Quæ Provinciæ illuc ſtudioſos mittant. XXX. Ut autem omnia ordine fierent, nec multitudo confuſionem pareret a Reverendiſſimis P. Joanne Piſſotto Parmenſi, &. Calvo totius Sodalitii Generalibus Miniſtris, ſancitum eſt, ſimulque a Franciſco I. Rege Francorum authenticis litteris datis in caſtello Fontis bellæ aquæ vigeſima ſeptima Decembris MDXL ſupremoque Senatu Pariſienſi ratum habitum, ut tres præcipuæ Regni Franciæ Provinciæ ad Obſervantiam Regularem reformatæ, quibuſque ſolis Conventus adminiſtratio credita eſt, majorem numerum patrum ſtudentium illuc mitterent. Provincia Franciæ 40. Provincia Turoniæ 20. Provincia Burgundiæ, quæ nunc D. Bonaventuræ dicitur, viginti: quælibet autem aliarum Galliæ Provinciarum, ut Franciæ Pariſienſis, Turoniæ Pictavienſis, Aquitaniæ antiquioris, & ſancti Ludovici 8. Provincia Aquitaniæ reformatæ 5. Provincia Britanniæ totidem. Extranei a Regno 25. Provincia ſancti Andreæ, quæ a Franciæ Provincia disjuncta eſt, ex Revendiſſimi Patris Gonzagæ conſtitutione mittere poteſt ad præfatum ſtudium 4. dumtaxat. Numerus itaque patrum Theologiæ incumbentium ex jure poteſt eſſe centum quinquaginta, abſque Doctoribus, Baccalaureis, cantoribus, aliiſque Conventus officiariis, qui ut plurimum numerum ſuperant quinquaginta. Gratia vero & facilitate eorum qui præſunt, quælibet Provincia præfixum ſibi numerum longe frequentius excedit, quam imminuet.

Quomodo laureantur. XXXI. Porro ex patribus ſtudentibus trium præcipuarum Provinciarum, videlicet Franciæ, Turoniæ, & D. Bonaventuræ duo quotannis ſeliguntur; qui a R. P. Generali acceptis litteris, ad lecturas publicas Magiſtri ſententiarum, & poſt aliquot annos, tota ſpectante univerſitate, publicas diſputationes, ac reſponſiones Tentativæ, Sorbonæ majoris, & minoris ordinariæ, quodlibetorum, & veſperiarum habitas, Doctoris laurea in aula R. D. Epiſcopi Pariſienſis in ſignum honoris & reverentiæ donantur. Unus, ad quem ſpectat Philoſophiæ curſum integrum Fratribus juvenibus prælegere, jure ordinario & antiquo: alter ordinario quidem, ſed novo, id eſt diplomatis a Paulo III. conceſſi anno Domini MDXLIX. ad hoc munus provehitur: indeque efficitur, ut in quolibet candidatorum Theologorum ordine (licentiam communiter appellamus) id eſt quolibet biennio 4. ſaltem Franciſcani his gradibus & honoribus augeantur. Nam aliquot alii, ſed ex eiſdem ſolum tribus Provinciis, aut Domini Decani, aliorumque Doctorum benevolentia, aut Principum & Pontificum favore, ad eamdem dignitatem promoventur interdum. Quoniam autem præfatus Conventus Pariſienſis non ita quidem ad Provinciam Franciæ omnino pertinebat, effectum eſt, ut eadem ſola tot

tot ex ſtudentibus ſuis jure antiquo ordinario provehat, quot aliæ duæ: jus autem novum ſeu diplomatis cum eiſdem æqualiter dividat.

XXXII. Porro quæ, qualiſve fuerit ante reformationem a R.P. Generale Ægidio Delphino de Ameria factam, tanti Collegii ac Conventus politica adminiſtratio, non eſt ſatis perſpectum, atque exploratum. Hæc ſolummodo comperta, & certa habentur, nimirum, quod ille erat ex numero Conventuum Provinciæ Franciæ, ac Cuſtodiæ Pariſienſis, proinde ſubjectus viſitationi Provincialis illius, & adminiſtratus a Guardiano, qui ex eadem ſola Provincia ſeligebatur. Nam pater Petrus a Cornibus Doctor primus omnium ex Provincia D. Bonaventuræ, huic Conventui præfectus fuit circa annum Domini MDXXIX. quantum ex antiquioribus ejuſdem Provinciæ Patribus, & chartis Conventus colligi potuit. Primus vero Provinciæ Turoniæ fuit frater Jacobus Dautry Conventus Bleſenſis, qui tunc univerſæ Galliæ reformatiſſimus habebatur. In hujus quoque rei fidem, atque juris antiqui ordinarii Baccalaurei ex unica, & ſupradictæ Franciæ Provincia aſſumuntur, & promoventur, quod ex aliis duabus. Inſuper oportet, Baccalaureum Biblicum, ex quacumque Provincia fuerit, nonniſi Provincialis Franciæ litteris, & auctoritate ad hunc gradum & ordinem promoveri. Denique quoties Capitulum Provinciale illius cogitur, ad illud ex Conventu Pariſienſi diſcretus Pater ablegatur, qui & hanc primam Conventus Pariſienſis conditionem agnoſcat, & quæ huic neceſſaria ſunt, procuret. Deinde ſatis liquet ex libro fundamenti trium Ordinum, quatuor ſaltem Capitula totius Ordinis generalia ibidem coacta fuiſſe. Primum anno Domini MCCLXIV. ejuſdem Ordinis Rectore univerſali ſancto Bonaventura, Urbano IV. ſummo Pontifice Romano adhuc ſuperſtite. Secundum anno Domini MCCLXVI. aut LXVII. ſub eodem R. P. Generali jam in Cathedra beati Petri ſedente Clemente IV. Tertium anno Domini MCCXCII. totius Sodalitii noſtri ſummo moderante Patre Raymundo Gaufredo Provinciæ, quæ nunc Maſſiliæ, & ſancti Ludovici nuncupatur. Quartum anno Domini MCCCXXIX. Pontificatus D. Joannis XXII. anno XIII. in quo P. Gerardus Odo Provinciæ Aquitaniæ electus fuit in totius Ordinis Patrem & Miniſtrum Generalem. Alia ibidem Comitia celebrata, quæ alias commodius ſuis locis referemus. Illud celebre & ultimum fuit Capitulum anno MDLXXIX. quo electus eſt in Miniſtrum Generalem præcipuus hiſtoriæ ejuſdem Monaſterii auctor Reverendiſſimus P. Fr. Franciſcus Gonzaga, Marchionum Gonzagæ, Imperii Principum filius, ſed Complutenſis in Hiſpania Monaſterii alumnus, ad quod ille tamquam ad ſacrum animæ aſylum aufugit ex curia Regis Philippi II. in quo inter pueros Regios regie & pie educabatur.

Quomodo olim regebatur Monaſterium.

Comitia generalia ibidem celebrata.

XXXIII. Cum vero ad annum MDII. Conventualium more illic, ut in aliis Galliæ Congregationibus viveretur, adveniens cum Apoſtolica, ſimulque Ludovici hujus nominis XII. atque ſupremi Senatus Pariſienſis Regia auctoritate R. P. Ægidius Delphinus ſacræ Theologiæ Magiſter, ac totius noſtri Ordinis Generalis Miniſter majorem partem Conventuum trium Galliæ Provinciarum, videlicet Franciæ, Turoniæ, ac ſancti Bonaventuræ: atque inter hos omnium maxime Conventum Pariſienſem ad obſervantiam regularem feliciter reduxit. Ut autem huic Conventui pro viribus proſpiceret, ſibique in poſterum conſervarent, Patres Provinciæ Franciæ illius adminiſtrationis, ac juris partem conceſſerunt aliarum duarum Provinciarum Turoniæ, atque ſancti Bonaventuræ Pa-

Quando reformatus hic Conventus.

Digitized by Google

Patribus. Peracta vero reformatione, conſtituit idem Reverendiſſimus, quod nec Miniſter Franciæ, nec aliquis Commiſſarius, qui mitteretur ad iſtam Provinciam, habeat aliquam auctoritatem ſuper Fratres hujus Conventus, niſi in quantum Commiſſarius cum Guardiano voluerit. Similiter hunc Conventum nullo modo ſubjacere Capitulo provinciali, nec decretis ejus. Inſtituit autem primum a dicta reformatione Guardianum Magiſtrum Jacobum Dautry Provinciæ Turoniæ Conventus Bleſenſis, reliquitque, a ſe reformatis tribus Provinciis Conventum regendum. Ordinavit rurſum, quod per terminum trium annorum præſidente Reverendiſſimo patre Generali Miniſtro, ſi adſit, vel ejus Commiſſario, fiat novi Guardiani electio: ad cujus electionem ſolum ii Patres ſtudentes, qui integrum annum ſui curſus præfato in Conventu expleverint, vocem activam (de ſacerdotibus loquor, nam juvenes voce omnino carent) habent. Non poſſunt autem eligi niſi Patres Conventuum reformatorum Provinciæ Franciæ, Turoniæ, & ſancti Bonaventuræ: confirmatio autem ejus ſpectat ad Generalem Miniſtrum. Quæ omnia, aliaque plurima, quæ prolixitatis vitandæ gratia prætermitto, propria ſyngrapha, Ordiniſque ſigillo pro more confirmavit: & præcipuorum Ordinis Patrum paulo poſt ad Comitia generalia Romæ coactorum ſententiis, ut fertur, corroborata eſſe voluit. Ceterum conſtituto, & confirmato ex una Provinciarum Guardiano, ne unus tanti Collegii negotiis obruatur, in partem curæ ac ſollicitudinis advocantur ex duabus aliis Provinciis duo graviſſimi Patres, quorum unus ſacerdotum Vicarius conſtituitur, alter Fratribus juvenibus præſertim invigilat. Res arduæ, ac difficiles a toto Diſcretorio, cui aut Commiſſarius aut Guardianus præſidet, dijudicantur. Illud autem conſtat eodem Commiſſario, aut Guardiano, Doctoribus, & Baccalaureis actu legentibus, duobus Vicariis, patre ſeniore, & antiquiore ſtudente quarumlibet aliarum Regni Franciæ Provinciarum, videlicet Franciæ Pariſienſis, Turoniæ Pictavienſis, Britanniæ, utriuſque Aquitaniæ, & Maſſiliæ ſive ſancti Ludovici, coram quibus rationes totius rei œconomicæ ſingulis quibuſque menſibus a Syndico, & ceteris miniſtris redduntur.

Qui, qualiterve ibi conſtituantur Prælati.

XXXIV. Floruerunt in hoc Conventu Viri per orbem celeberrimi, iiſque in tanto numero, ut longiſſimum & lectori tædioſum texant catalogum. Præcipui fuere Alexander Halenſis, Joannes de Rupella, Divus Bonaventura, Richardus de Media-villa, Guillelmus, Varro, Scotus, Nicolaus Lyranus, Franciſcus Mayronis actus Sorbonici primus inventor: Petrus Aureoli, Guillelmus Ocham, Antonius Andreas, Alvarus Pelagius, Petrus de Candia poſtea renunciatus in ſummo Pontificatu Alexander V. Plures hujus generis, qui videre voluerit, legat Illuſtriſſimum Gonzagam in eodem Conventu, ex quo nos illuſtriora ejuſdem loci exſcripſimus. Quanta vero utilitas, quantum decus ac ornamentum toti Reipublicæ Chriſtianæ ex hoc Fratrum Minorum Conventu proveniat manifeſtant in primis lectiones aſſiduæ, quibus ſemper duo, nonnumquam tres, aut quatuor (prout per tempus & rationem Præfectis Ordinis expedire videtur) in maximo & præcellentiſſimo hoc Collegio præficiuntur. Ceteri ad unum omnes, mox ut hunc gradum conſequuti ſunt, vel Theologicum curſum abſoluerunt, ſuas Provincias ædeſque repetunt, ut quod ex ejus univerſitatis uberrimis fontibus hauſerunt, ſuis popularibus propinent. Hinc in univerſa Gallia vix Civitatem unam, aut aliquod inſigne oppidum invenies, in quo Franciſcanus Theo-

Quinam ibi majoris notæ floruerunt.

Theologus Pariſienſis Adventus & quadrageſimæ ſacris diebus, imo & præcipuis anni feſtivitatibus, incredibili animarum lucro non concionetur. Vix etiam unum Conventum, ex quo non prodeant 6. 10. aut 12. Evangelicæ doctrinæ præcones.

XXXV. Quales ſumptus tanta moles, & Fratrum requirat numerus, non eſt qui certo computare poſſit, tum ex fluxu & refluxu, ex acceſſu & receſſu frequenti, ſed incerto Fratrum. Id ſolum conſtans & certum, Deum numquam eis defuiſſe, atque in eo ſummam lucere Gallorum & Civium Pariſienſium pietatem, ſed & Chriſtianiſſimorum Regum in Cœnobium illud affectum, ut largiſſimas eis porrigant eleemoſynas, & juxta Franciſcanam paupertatem neceſſaria ſufficienter adminiſtrent. Vere ſtupendum eſt divinæ Providentiæ miraculum, ejuſque ſingulare opus eſſe fatentur omnes, quod tam frequens Collegium Fratrum, quibus ex Regula nihil omnino poſſidere fas eſt, nullis redditibus ſubnixum, ſartum tectum ſervari, conſervari, & ſemper florere poſſit. ADDITIO Patris Lucæ Waddingi.

„ Hoc anno ex magno incendio, Conventus Fratrum Minorum Northau- Conv. Northauſen.
„ ſenſis (Civitas Imperialis eſt in Thuringia) conflagravit.

XXXVI. Hoc eodem anno, fama miraculorum ſanctiſſimi Patris noſtri Dominici, religioſiſſimi Prædicatorum Inſtituti conditoris excitatus Pontifex, præmiſſa debita miraculorum inquiſitione, eum catalogo Sanctorum adſcripſit in Civitate Spoletana, de quo graviſſimas litteras dedit ad univerſos Eccleſiarum Prælatos III. Idus Julii. Deinde datis litteris XI. Kal. Decembris ad Archiepiſcopos per Italiam conſtitutos, hortatur, ut viſitationem, & correctionem aſſumant Fratrum de Pœnitentia in ſuis diœceſibus, quos ut ne moleſtent, nec moleſtari permittant, affectuoſius commendat. Sanctæ Claræ & Monialibus ſancti Damiani de Aſſiſio eodem die dato diplomate conceſſit, ut a quoquam conveniri per litteras Apoſtolicas non poſſint, ſi de indulgentia hujuſmodi & Ordine expreſſam non facerent mentionem. Hoc anno terminatum, vel certe dono exemptionis honeſtatum, per Jacobum Epiſcopum Veronenſem Monaſterium Damianitarum ſanctæ Mariæ de Campo-Martio Veronenſe, ut conſtat ex ejuſdem privilegio, quod litteris Pontificiis dabitur inſertum in regeſto anni ſequentis. (Canonizatur S. P. Dominicus. — Varia privilegia.)

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ INſtituti noſtri cum ſit in Evangelica paupertate, ſed rigida, idest
„ ab omni rerum terrenarum politico dominio, tam publico, ſeu
„ communi, quam privato, ſive in particulari, vivendo; communium,
„ & privatorum peccata deflere, & chriſtianas virtutes omni ſtudio aſſe-
„ quendas, culpas vero & flagitia totis viribus fugienda deprædicare, *D. Bern. ſerm. 2. de reſurr. Dom.*
„ ſed magis quam verbis, probitate vitæ, & religioſitate morum: ete-
„ nim ſermo vivus & efficax exemplum operis eſt, facile perſuadens,
„ quod intendimus, dum factibile probat eſſe, quod ſuademus: unde
„ Eccleſia ſpiritualibus incrementis plurimum fœcundatur: hinc eſt Ut Prædic. Minor. benigne recipiantur a Pontific. cómendant.
„ quod ſummus Pontifex noſtros Minoritas ad prædicandum miſſos,
„ benigne recipi voluerit, dato brevi: *Cum qui recipit &c.* II. Idus
„ Julii. Zelum vero chriſtianæ fidei, quo Ludovici IX. Regis Franco- *Indiculus ex ſirmiam fol. 12. & ex aliis.*
„ rum cor exardeſcebat, dignoſcens, eum paſtorali, imo patris amore
„ ad ſuccurrendum Terræ Sanctæ labenti, expeditis litteris Apoſtolicis Aliæ litteræ Apoſtolicæ.
„ *Zelus Domini &c.* VIII. Idus Novembris, inflammavit: graves etiam

Ex Oder. fol. 459. „ ſuper noſtræ ſacroſanctæ Fidei rebus, ad animarum præſules Hieroſolymitanos, ut eos ad obſequium Chriſti inflammaret, epiſtolas *Pacem quam &c.* VI. Idus Auguſti ſcripſit & omnibus Chriſtifidelibus ad *Ex Oder. fol. 466.* ſacrum bellum per ſuas Pontificias *Licet per gratiam &c.* XV. Kalendas Decembris exhortatis; tamdem Principibus Imperii pro Terræ Sanctæ pace, diploma *Rem multiplici &c.* III. Idus Martii direxit.

ARGUMENTUM.

Canonizatur ſancta Eliſabetha, cujus etiam potiora narrantur miracula, virtutes item ipſe Pontifex recenſet, miſſa eleganti epiſtola encomiaſtica ad Beatricem Caſtellæ Reginam. Idem conſecrat Eccleſias ſancti Franciſci Aſſiſiatis, quarum deſcriptio ſubnectitur. Laborat Joannes Parens Miniſter Generalis in reducendis Romanis ad Pontificis obedientiam, quod dum ſpernunt, a Deo puniuntur. Prædicatur ſedulo a Prædicatoribus & Minoribus Crux contra Saracenos, neque id ſine fructu & miraculo, ſed corripiuntur, qui hinc dempta occaſione, Prælatorum ſuorum obedientiam excutiebant. Mittuntur & commendantur Minores Regi Tuneti. Extruuntur Monaſteria, & conceduntur privilegia.

Canonizatur S. Eliſabeth. *An. 1234.* *Marian. c. 8.* *Bonfin. dec. 2. l. 7. in fin. Marian. l. 2. c. 8. Chron. Belgic. ad hunc annum. Theod. l. 8. c. 15. Hartm. 6. mundi ætate.*

I. TRANSMISSA ſunt hoc anno ab Epiſcopo Hildesheymenſi, & Abbatibus Ciſtercienſibus miracula, quæ vel antea examinaverat Archiepiſcopus Moguntinus, vel ipſi denuo inquiſierant, facta per merita & interceſſionem ſanctæ Eliſabethæ Lantgraviæ, ut ſupra prælibavimus. Centum viginti novem teſtibus, & juramento probata adnotaſſe graves hos Inquiſitores ſcribit Marianus, ex quibus cœcis viſum, ſurdis auditum, claudis greſſum, infirmis ſalutem, naufragis portum, captivis redemptionem, dæmoniacis libertatem, & quod magis eſt, mortuis (quos quinque enumerat Bonfinius, octo Marianus, duodecim chronicon Magnum Belgicum, ſexdecim Montanus, & Theodoricus Hartmannus Scheydel) vitam impetraſſe compertum eſt. Quæ probatiſſimis documentis confirmata, Pontifici Gregorio tradita, eum excitarunt, ut communicato cum Patribus Purpuratis conſilio, poſt diligentiſſimam tantæ rei diſcuſſionem, præſentibus Hieroſolymæ & Antiochiæ Patriarchis, multiſque Epiſcopis, Peruſiæ in Cœnobio Fratrum Prædicatorum, VI. Kalendas Junias in ipſo Pentecoſtes die (verius quam in feſto Nativitatis ſancti Joannis Baptiſtæ, ut habet Marianus, nam & litteras canonizationis, quas ſtatim offeremus, dedit Pontifex Kalendis Junii) poſt luſtrationem ſolemni more, apparatuque magnifico, inter cæremonias ſacrorum myſteriorum, beatiſſimam Eliſabetham in Divarum retulit numerum anno poſtquam deceſſerat quinto. In eodem Templo Pontifex ædificatam aram Divæ honori dedicavit, dedicatam ornavit, ornatam Pontificio more dotavit. Patres quoque illius Conventus (ut auctor eſt Theodoricus Turingus ejuſdem Inſtituti vir Eliſabethæ coævus) feſtum diem B. Eliſabethæ valde ſolemniter recolunt, & devote, Officium tam *Theod. cit. c. 9.* nocturnum quam diurnum ſub melodia Officii patris ſui ſancti Dominici, celebriter peragentes.

II. Ibidem primo die ſequentis menſis Pontifex graves dedit litteras ad univerſos Eccleſiarum Prælatos, quibus factam hanc Canonizatio-

tionem denunciat, & diem feſtum ſanctæ Eliſabethæ coli præcipit XIII. Kalendas Decembris. Litterarum hic ſubjicimus exemplar.

GREGORIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, Archidiaconis, Presbyteris, Decanis, & aliis Eccleſiarum Prælatis, ad quos litteræ iſtæ pervenerint.

GLorioſus in majeſtate ſua Patris æterni Filius Redemptor noſter Dominus Jeſus Chriſtus, de cœlorum ſummitate proſpiciens conditionis humanæ gloriam, multo concurſu miſeriæ, cui primi parentis culpa dedit initium, deformatam, ineffabili diſpoſitione providit, ut & virtutem ſuam ſedentibus in umbra mortis exponeret, & in exilio poſitos ad libertatis patriam revocaret. Luc. 1. *Igitur quia nulli potius, quam ſibi ſuæ facturæ redemptio competebat (eo quod artificis ſit, & decens, & debitum, ut quocumque caſu depereat, quod pulchrius finxiſſe dignoſcitur, in ſtatum priſtinum ſuæ virtutis ſtudio reſtauretur) in exile vaſculum, ſi tamen ſit exiguum, quod recepit hoſpitem ſuper omnia ſpatioſum, ſcilicet in aulam Virginis refertam omni plenitudine ſanctitatis, de regali throno ſe conferens, opus inde cunctis viſibile protulit, per quod propulſo tenebrarum principe, de ſui redemptione plaſmatis triumphavit, certa relinquens inſtituta fidelibus, per quæ ipſius ad patriam redderetur tranſitus expeditus. Hujuſmodi quidem pietatis ſeriem beata Eliſabetha ex regali orta progenie, & Thuringiæ Lantgravia gratioſa, ſolerti meditatione conſiderans, & jam dicta eligens inſtituta continuis obſervare ſtudiis, ut dignam perceptione ſe redderet perpetuæ claritatis, quaſi ab ortu vitæ uſque ad occaſum, virtutum vacando cultui numquam deſiit in caritatis amplexibus delectari.* Narrantur Eliſabethæ præconia. *Nam in confeſſione veræ fidei, vitæque dedita ſanctitati cœleſtis Reginæ diligendo filium, per quem dulcedinem conſequi poſſet cœleſtium nuptiarum, ita dilexit & proximum, quod amœnum ſibi conſtituens illorum familiarem habere præſentiam, quam eorum inimica corruptio cunctis ſuggeris effici peregrinam, ſe in multis ſibi reddidit inopem, ſollicitam fore pauperibus multipliciter affluentem. Quorum ab ætate tenera tutrix eſſe deſiderans, & amatrix, eo quod ſciret perennis vitæ præmium dilectorum Deo acquiri meritis egenorum, adeo conditionem ipſorum gratam ſibi conſtituit, quam naturaliter ſecularis elatio vilipendit, quod etiam licitis ſibi deliciis, quas offerebat ſtatus excellentiæ conjugalis, deductis pluries in contemptum, corpus delicatum & tenerum reddebat aſſiduæ parſimoniæ ſtudio maceratum, tanto ſibi meriti quantitate proficiens, quanto quod ſponte geritur, majoris gratiæ præmio muneratur. Quid ultra? Quæque jura ſanguinis in ſupernæ deſiderium transferens voluptatis, & imperfectum quid æſtimans, ſi jam viri deſtituta præſidio, ſic reſiduum vitæ decurreret, quod ſe ad jugum obedientiæ (cujus ſub lege poſita maritali, abſque ipſius præjudicio amplexatrix extiterat) non arctaret, religionis habitum induit, ſub quo Dominicæ paſſionis in ſe celebrare myſterium, uſque in diem ultimum non omiſit.* Fuit religioſa. *O fœlix mulier! O matrona mirabilis! O dulcis Eliſabetha dicta Dei ſaturitas, quæ pro refectione pauperum, panem meruit Angelorum! O inclyta vidua virtutum fœcunda ſobole, quæ ſtudens ex gratia conſequi quod a natura non poterat indulgeri, diris animæ hoſtibus per ſcutum fidei, loricam juſtitiæ, gladium* Epheſ. 6. 14. *ſpi-*

Digitized by Google

ſpiritus, ſalutis galeam, & haſtam perſeverantiæ debellatis: ſic amabilem immortali ſponſo ſe præbuit, ſic Reginæ virginum ſe dilectione continua colligavit, ſuum deprimendo dominium, in ancillæ humilis famulatum: ſic ſanctis Eliſabethæ antiquis proceſſibus conformem ſe reddidit, dum in mandatis & juſtificationibus Domini ſine querela ſimpliciter ambulavit, Dei gratiam ſecreto mentis per affectum concipiens, & eamdem per effectum pariens, & nutriens aſſidue per profectum, quod ſolum omnium in ſe ſperantium, & exaltatio quorumlibet in humilitatis & innocentiæ vallibus poſitorum, in promiſſæ ſuis præmia retributionis exurgens, ipſam mortis nexibus expeditam provexit ad ſolium luce inacceſſibili luminoſum. De cujus & inexplicabili claritate procedit, quod illius ſpiritus, & in ſuperni fulgoris abyſſo rutilat; & in hujus profundo caliginis, multis coruſcat miraculis glorioſis: quorum virtute catholicis fidei, ſpei, & caritatis augmenta proveniunt, perfidis via veritatis exponitur, & hæreticis confuſionis multæ materia cumulatur: dum ſtuporis turbine obvoluti, quod dictæ Sanctæ meritis, quæ dum carnis clauſa carcere teneretur, pauper ſpiritu, [illegible] mente, propria vel potius aliena peccata deplorans, juſtitiam ſitiens, miſericordiæ dedita, munda corde, vere pacifica, attrita perſecutionibus, & opprobriis extitit laceſſita; vita mortuis, lumen cæcis, auditus ſurdis, verbum mutis, & greſſus claudis, cœleſti dextera conferuntur: partes Teutoniæ ſpatioſas, quas mortis dogmate geſtiebant inficere, in doctrinæ cœleſtis amplexibus cernunt multipliciter exultare. De hujuſmodi quidem & aliis ejuſdem Sanctæ miraculis, quæ mentis inſpecta oculis uberiorem lætitiam proferunt, quaſi diffuſis diſtincta viderentur, facta nobis per teſtes idoneos tanta plenitudine fidei, ſicut debetur, & competit colendæ per omnia veritati. Nos quorum depoſcit officium his continue deſudare ſtudiis, per quæ augeatur gloria Redemptoris, dictam Sanctam, quam ſibi ad intuitum placuit ſuæ majeſtatis aſſumere, de Fratrum noſtrorum conſilio & aſſenſu, ac venerabilium Fratrum noſtrorum Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Prælatorum omnium, qui tunc apud Sedem Apoſtolicam exiſtebant, Sanctorum catalogo duximus adſcribendam. Univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta diſtricte præcipiendo mandantes, quatenus XIII. *Kalendas Decembris, die videlicet, quo eadem mortis abſoluta vinculis, victura perenniter, ad fontem ſupernæ prodiit voluptatis, feſtum ejuſdem prout miranda ipſius meritorum magnitudo exigit, celebretis, & faciatis ſolemniter celebrari, ut id nobis de theſauris cœleſtibus ejus pia interceſſione proveniat, quod ipſa præſtante Chriſto percepiſſe dignoſcitur, & poſſidere perpetuo gloriatur. Ceterum, ut univerſitati fidelium inviſibilis aulæ conſequendi delitias ex conceſſa nobis poteſtate deſuper, propitiante Domino, ſit facultas; quinimo & ut nomen exaltetur Altiſſimi, ſi ſponſæ ſuæ venerabilem ſepulturam fidelium procuremus acceſſibus honorari, omnibus vere pœnitentibus, & confeſſis, qui ſe illuc annis ſingulis devotionis aromata, & ſinceritatis inſignia deferentes in memorato feſto, & uſque ad Octavas ipſius contulerint, de Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, unum annum & quadraginta dies de injuncta ſibi pœnitentia miſericorditer relaxamus. Datum Peruſii Kalen. Junii anno* IX.

Innuuntur ejus miracula.

Indicitur ejus feſtum.

III. His honorifice præmiſſis, ac fama rei per Alemaniam celeberrime divulgata, Siffridus Moguntinus Antiſtes anno ſequenti, cum ingenti populorum gaudio, levandis e ſepulcro ſanctiſſimis oſſibus diem conſtituit, citatis inſimul aliarum Eccleſiarum Præfectis. Quo die incredibile dictu eſt,

eſt, quanta Marpurgum multitudo convenit utriuſque ſexus Ordinum, & ſtatuum diverſorum. Ex diverſis, inquit Theodoricus, nationibus, populis, & linguis talis, ac tanta ibi fuit multitudo collecta, qualis in Alemaniæ partibus uno in loco vix unquam potuit, vel in futurum poterit congregari. Eam ad duodecies centena millia perveniſſe, ait Trithemius. Oblationum vero tam abundans & affluens copia erat, quæ non facile valuit æſtimari. Præſentibus igitur Imperatore Friderico, auream coronam ſanctis reliquiis dicante, Henrico quoque Lantgravio, illuſtri Thuringorum Principe, una cum fratre ſuo Conrado, & matre domina Sophia, Hermanno item filio beatæ Eliſabethæ, & Sophia ejus filia, cum honorificentiſſimo inferiorum Principum cœtu, Moguntino, Colonienſi, Treverenſi, ac Bremenſi Archiepiſcopis, necnon aliis plurimis Templorum, Cœnobiorumque præſidibus, effoſſo tumulo, ſanctiſſima levantur oſſa. Neque vero continuo, ceterorum cadaverum more, horrendi fœtoris exhalatio; ſed tamquam recluſa pretioſiſſimorum aromatum theca, gratiſſimus odor egreſſus, omnium, qui aderant, & nares imbuit, & animos ingenti gaudio perfudit. Impoſita mox capſæ plumbeæ, ſigillis Epiſcoporum obſignatæ, per medium populi, inenarrabili deſiderio præſtolantis, magnificentiſſima pompa oſſa circumferuntur. Poſtridie patefacta juſſu Antiſtitum capſa, comperiuntur, viſu mirabile! benigniſſimæ miſeratricis oſſa præter naturam, non parum olei exſudaſſe, guttatimque ſub oculis omni ex parte ejectare: quo perlitis quorumvis infirmorum artubus, optata pro voto ſanitas tam velociter, quam feliciter conferebatur. Quare ad ſacrum ejus tumulum tantam fieri peregrinationem Provinciarum omnium per circuitum, ait ex Alberico Chronicon magnum Belgicum, quanta fit ad ſanctum Jacobum Compoſtellæ.

Transferuntur ſolemniſſime ejus oſſa.

Theod. cit. c. 12. Kronrzius l. 7. Metropol. c. 48. Tritbe. in Chron. Hirſaug. Addit. ad Lambert. Schafnab. an. 1236. Hiſt. Lantgrav. c. 47.

IV. Hæc autem quæ ſequuntur miracula Auctor vitæ ſanctæ Heroidis apud Surium conſtanti veritate ad ſe perveniſſe teſtatur, quæ ipſis ejus verbis exſcripſimus; Bonfinius ad compendiolum reduxit. In primis memoriæ proditum eſt, Henrico Ciſtercienſi Monacho, dies, noctesque graviſſimis doloribus vexato, ita ut ejulatu clamoribuſque Fratres omnes ad compaſſionem moveret, noctu fœminam candida veſte apparentem ſuaſiſſe, votum Divæ nuncuparet Eliſabethæ, ſi conſequi ſanitatem deſideraret; omittenti inſecuta nocte itidem apparuiſſe, idemque dixiſſe. Illum, quando Abbas Priorque Cœnobio abeſſent, conſulto ſeniore, votum nuncupaſſe, atque ſequenti nocte comparente iterum prædicta fœmina, ſignumque crucis edente, convaluiſſe protinus. Reverſis deinde Patribus rem, quæ acciderat, miraculo quidem fuiſſe: voti vero nuncupationem non admodum probatam, quod dicerent, ſolere ſæpe Monachos cacodæmonum illuſione ad malum ſub ſpecie boni permoveri; maxime cum nulli Monachorum ſua ſponte vovere ſit integrum: proinde melius ac ſecurius videri, ſi peccatorum confeſſione facta, animam Deo, corpus Cœnobio concrederet. Quarto dehinc fœminam eamdem ceſſatori viſam dixiſſe, quando implere, quod ſuſcepiſſet, votum intermitteret, in priſtinam eſſe recaſurum infirmitatem; atque, ut antea tantiſper exagitandum, quoad in animum ſolvere debitum induceret. Quas minas effectu miſero e veſtigio ſequente; Monachum, facta ſibi poteſtate, ad iter accinctum, extemplo ita convaluiſſe, ut perſoluto graviter voto, nihil tale unquam poſtea ſit expertus.

Surius in vita Eliſab. Bonfin. cit.

Recenſentur ejus miracula.

Monachus mirabiliter a doloribus liberatur.

V. Conſtat etiam puellæ cuidam, e Moguntino territorio, poculum pe-

Poſſeſſa à Dæmone ſanatur.

petenti, cum a porrigente diceretur: *Accipe ut diabolum imbibas*: protinus immiſſum eſſe cacodæmonem. Illam, intumeſcente vehementer utero, exclamaſſe, flammigerantem ſibi per fauces tranſmiſſum titionem, miſeriſque ac inconditis geſtibus viſentes partim perterrefacere, partim ad lacrymas permovere: atque ita per biennium vexatione durante, demum ſarcophago Divæ Eliſabethæ præſentatam, cum paululum ibidem panis ac undæ ſacræ inſumpſiſſet, confeſtimque recepta mente, exactoque nequam ſpiritu, cunctis qui aderant, ſtupentibus, ad ſanitatem rediviſſe.

Item manum habens contractã.

Notum etiam apprime eſt, Theodorico Trajectenſis diœceſis incolæ, contractam, ac prorſus inutilem ad humanos uſus manum habenti, qui bis Divam Eliſabetham inviſerat, minime tamen voti compos effectus, cum tertio plena fide iter eſſet ingreſſus, occurriſſe virum ætate ſenili, reverendo vultu, facundia prompta, ac quo tenderet, interrogaſſe. Cumque ille Marpurgum ad celeberrimam Divæ Eliſabethæ tumbam, reſpondiſſet, data mox benedictione, ſubjeciſſe, ut conſequendæ ſalutis certus pergeret, manumque foveæ ſepulcrali penitus inferret, atque deinceps divum quoque Nicolaum honore proſequeretur. Præterea imprudentes nominaſſe eos, qui perquiſitis Sanctorum reliquiis, votiſque pro more Chriſtiano ſolutis, ſtatim diſcederent: cum perſeverans in precibus ardor, fideſque Deo & Sanctis maxime placeret, atque his dictis evanuiſſe: illum ejuſcemodi verbis auditis, immiſſa tumbæ manu, perquam celeriter curatum fuiſſe.

A morte alius liberatur.

VI. Celebre quoque admodum eſt, Hermannum ex Colonienſi territorio, clauſum carcere, nervoque conſtrictum, poſt invocatam integra fide Eliſabetham, noctu eamdem conſpexiſſe, conſolantemque, non ſine ingenti lætitia audiviſſe: in patibulo deinde appenſum permiſſuque judicis, cum ſatis ad mortem penſilis fuiſſet, depoſitum, præſentibus patre ac patruo, mirabiliter revixiſſe.

Submerſus vitæ reſtituitur.

Inſigniter etiamnum liquet, Bucardum Moguntinæ diœceſis ſcholarem, profluentibus aquæ vorticibus, dum incautius piſcatur, abſorptum mortuumque; poſt invocatam per eos qui aderant, ſupplici voto Divæ Eliſabethæ opem, vitæ redditum eſſe.

Duo pueri mortui reſuſcitantur.

Itidem Berelinum, ejuſdem territorii puerum quadrimum, poſt indubiæ mortis ſigna diutius adnotata, imploratis per matrem meritis famatiſſimæ Eliſabethæ vivum ſanumque ſurrexiſſe. Quin & alterum pari ferme ætate puerum, miſerabili in puteum eventu prolapſum, facta ad Divam Eliſabetham devotione per eum, qui tum fortuito ſupervenerat, mortuumque difficulter admodum extraxerat, protinuſque redivivum in pedes conſtitiſſe.

Suffocatus mirabiliter aquis, mirabiliter etiam revocatur ad vitam.

Famatum præterea non mediocriter eſt, Fridericum e Moguntino territorio natandi peritiſſimum, cum in amnem ſe lavandi gratia merſiſſet, & pauperi cuidam olim cœco, tunc meritis Divæ Eliſabethæ videnti, undas per contemptum inſpergeret; qui exaſperatus cœpit viciſſim precari, ne unquam vivus, cui innatabat, e flumine egrederetur, vindice Eliſabetha, a qua lumen ipſe adeptus eſſet: confeſtim obſtupeſcentibus nervis & viribus ſubtractis, ad ima lapidis inſtar ruiſſe, extractumque haud dubie pro mortuo, poſt votum Divæ Eliſabethæ per propinquos nuncupatum, extemplo priſtinum vivendi munus recepiſſe.

E patibulo liberat innocentem.

VII. Clarum item eſt, Joannem e Moguntina diœceſi innocentem, una cum fure quodam deprehenſum, mortique pariter adjudicatum, rogaſſe præſentes, pro ſe Deum ac divam Eliſabetham precarentur, ne aliter quam meruiſſet, ſupplicium lueret. Nec mora, e duobus in patibu-

tibulo ſuſpenſis, ſtrangulato noxio, inſontem miſſam cœlitus accepiſſe vocem, conſideret Sanctiſſimæ Eliſabethæ, cujus eſſet quam primum patrocinio liberandus, ſtatimque rupto funiculo, illæſum decidiſſe, exclamaſſeque: tu me pientiſſima Eliſabetha liberaſti. Quibuſdam autem delapſum appendi de integro debere dicentibus, reſpondiſſe judicem, nolle ſe denuo ſuſpendi permittere, quem Deus liberaſſet. Ferunt etiam Volcmaro, cœnobitæ ſanctitatis eximiæ in territorio Moguntino, qui contrita molari lapide manu altera, intenſiſſimis diu noctuque doloribus angebatur; poſt invocatum divæ Eliſabethæ ſubſidium, ſub nocturnis tenebris Sanctam apparuiſſe, tactuque placido adeo celerem tuliſſe opem, ut cum mane confratribus reſtitutam in priſtinum decus manum oſtendiſſet, cunctos verterit in ſtuporem. Palam quoque eſt, puerum ex eodem territorio, clauſis genis ita natum, ut a glabro ſuperciliorum vertice deducta pellicula totos oculorum operiret orbes; jam quinquennem ſacro divæ Eliſabethæ buſto præſentatum: poſtea quam mater imploratis ſupplici devotione Sanctæ illius meritis, ſumptam e ſepulcro terram, deſtinatæ luminum arcæ alleviſſet; cum ingenti omnium qui aderant admiratione, dirupta membrana, viſum recepiſſe.

Manu dolentem ſanat.

Cœcus natus viſum recipit.

VIII. Nec minoris eſt miraculi res geſta, quæ ſequitur. Beatrix, Moguntini territorii puella, poſt varias infirmitates, quibus diu miſereque vexata fuit, ad poſtremum, ante quadam ſtruma, poſt vero gibbo enormiter excreſcentibus, duplici preſſa pondere, prono in terram capite, junctiſque ad genua manibus, reptare cœpit, omniumque oculos miſerabili ſpectaculo ſauciare. Hanc cum mater ad tumbam divæ Eliſabethæ corbi impoſitam deportaſſet, nec ullam per decem dies opem fuiſſet experta; impatienter admodum tuliſſe fertur, dixiſſeque: quid tu, o Domina Eliſabetha, omnibus pietatis tuæ beneficia confers, & me ſolam miſerrimo infortunii genere dejectam ſine ſolatio derelinquis? Cumque ſic queſta, qua venerat, rediret, minitans ſe ab ejus invocatione, quoſcumque poſſet, averſuram; & jam milliare ampliuſque confeciſſet: pulcherrima quædam matrona noctu quieſcenti puellæ apparens, poſt contactum blandiſſima lenitate jugulum dorſumque, mandat ut ſurgat, ambuletque. Quæ mox pleniſſimæ ſanitati reddita, cum poſtridie, quid per quietem vidiſſet matri enarraſſet, effecit ut ambæ denuo ad ſepulcrum Liberatricis ſuæ redirent, gratias immortales eidem agentes, ac ſic Deo collaudato, ac dimiſſo ibidem corbe, pro teſtimonio tantæ rei, domum quam lætiſſime reverterentur. Tradunt præterea, Gertrudem ex eodem territorio, ob crus utrumque contractum, incurvato corpore miſeram, in ſomnis admonitam, ad divum Nicolaum ut proficiſceretur, eo deportatam, unius quidem cruris incommodo liberatam fuiſſe: alterius vero incolumitatem, non niſi contacto ſepulcro divæ Eliſabethæ recepiſſe, cum prius ad amentiam uſque fuiſſet excruciata doloribus. Aliam quoque Gertrudem ejus diœceſis, cum per annum & amplius, moleſtiſſimam fuiſset experta cæcitatem, ac alienis ſemper manibus deducta: ad invocationem divæ Eliſabethæ clariſſime illuminatam fuiſse conſtat.

Curva & ſtrumoſa reſtituta.

Contractum crus erectum.

IX. Perquam celebre etiamnum eſt, Henrico ex Moguntina ſimiliter diœceſi cœco penitus, poſteaquam divæ ſepulcrum Eliſabethæ inviſiſset, ita mirificum optatæ lucis impenſum fuiſse beneficium, ut poſt eidem hæmorrhoide ac vitæ deſperatione laboranti, cum pulverem memorati buſti aquæ permiſtum inſumpſiſset, deſideratum provenit auxilium.

Cœcus morbidus curatus.

Item cœca, clauda, & muta.

lium. Mechtildi quoque Trevirenſis territorii puellæ, quæ cœca, ſurda, muta, & clauda erat; ſuſcepto a parentibus ipſius ad divam Eliſabetham voto, opem ſaluberrimam, omnimoda ſanitate conſecuta, impenſam eſse, tam veraciter, quam conſtanter litteris mandatum eſt. Sed & Heluvigi, ex eodem territorio fœminæ, oculis jam per annum captæ: cum invocatis divæ meritis Eliſabethæ ad ejus ſe tumulum duci procuraſset, lucem quidem unius oculi impræſentiarum eſse reſtitutam comperit; alterius vero, nonniſi domum reverſæ, cum ei Sancta per noctem adſtitiſset, monens, ut aræ adhibita, ventulum ſibi panniculo byſſino, ſuper quem Corpus Chriſti poni ſolitum eſt, fieri poſtularet: hocque facto, pleniſſimam geminatæ lucis gratiam protinus collatam eſse.

Alia etiam cœca.

Claudus erigitur.

X. Quid denique Theodorico, Moguntinæ diœceſis incolæ contigerit, ſilentio præterire non oportet. Is utroque crure debiliſſimus, nuncupato ad divam Eliſabetham voto, cum ejus ſe tumbæ, partim reptando, partim aliorum auxiliis viam conficiendo repræſentaſset; nec per decurſum integri menſis quidquam opis aſsecutus fuiſset: qua venerat, ſolita domum tarditate revertitur. Cum in itinere adhuc conſtituto, juxtaque alium ægrotum noctu quieſcenti, viſum eſt perfundi ſe plurima aqua, totumque madeſcere. Quapropter ſomno experrectus, in adjacentem ſtomachari cœpit, quærens ab eo, ſe undis eſse perfuſum. Qui rem, ut erat, conjiciens, negat ſe quidquam liquoris lecto intuliſse: ſubjungitque, credere ſe perfuſionem ejuſmodi ſalutarem ipſi & eſse & fore: tantummodo ſurgeret, greſsumque moliretur. Mira & glorioſa res! Qui cubitum debiliſſimus ierat, ſaniſſimus e lecto ſurrexit: ita ut impoſitos humero ſcipiones, quibus inter reptandum uti ſolebat, ad ſepulcrum divæ Matronæ, tam vivaciter, quam feliciter tulerit: actiſque pro adepto munere gratiis, lætus domum remeavit. Hucuſque Jacobus Montanus apud Surium.

Bonfin. cit. in fine lib. 7.

XI. Andreas autem ſanctæ Fœminæ Pater, paulo poſt canonizatam filiam vitæ finem poſuit: nam ſtatim ab Eliſabethæ obitu ingenti triſtitia correptus eſt, quod Filiæ præſtantiam, ut par erat, non coluerit, quod item illius humilitatem & miſeriam tolerarit. Vix ab ea defuncta annos quatuor ſupereſse potuit, nam corporis languor eum tantus invaſit, ut paulatim deficiente virtute, hoc anno naturæ ceſserit, ſepultus honoratiſsimo funere in Cœnobio quod Egres appellant. Hujus vero Andreæ progenies videns in cunctis terrarum partibus ſe ipſam, Margaritæ ſuæ tam fulgidæ ſplendoribus illuſtrari; mox concepit & incœpit erga Fratrum Minorum Ordinem, per ſingula Regni ſui loca totius pietatis & familiaritatis viſcera frequentius & cumulatius aperire. Venerabilis namque Frater ejus Dominus Bela Hungarorum Rex, ut primum ſucceſsit in regno, ordinavit & præcepit, magna & ardua negotia Fratrum Minorum fidelitati committi, ac etiam per eorum conſilia finaliter terminari. Ipſe autem per totum vitæ ſuæ quaſi continuum curſum, Fratribus Minoribus verus obediens Confrater fuit; inter quorum brachia, proximante mortis hora, requieſcens, non obſtante multorum contradictione, & allegatione varia, apud Strigonium, in Eccleſia Fratrum Minorum nomini ſanctæ Sororis ſuæ Eliſabethæ conſecrata, ſe præcepit finaliter ſepeliri.

MS. Cod. Lovanien.

Belæ Regis Hungariæ erga Minores affectus.

XII. Colomannus item beatæ Eliſabethæ Frater a ſorore, velut ab unguentaria taberna ſuaviſsimum virtutum odorem trahens, nupta ſibi Salomea Cracoviæ Ducis filia, Princeps Ruſsiæ, & Rex Gallitiæ potentiſ-

Colomanni alterius Fratris ſanctæ Eliſabethæ pietas.

tiſsimus a Principibus ejuſdem Regni electus aliam vitæ rationem inivit, quam plerique ſolent, de quo hæc etiam Codex MS. Lovanienſis habet. Hos Rex gloriæ Dominus virtutum, caſti ſeminator conſilii, in totaliter illibatæ caſtitatis benedictionibus prævenire taliter dignatus eſt, quod prima nocte ſui caſtiſsimi conjugii convenientes, pari voto, parique conſenſu, glorioſo Virginis Filio Regi Virginum obtulerunt ſuæ puriſsimæ caſtitatis lilia; promittentes firmiter ea perpetuo immarceſcibiliter inviolata conſervare: quod veraciter complendo, per duodecim annorum ſpatium & amplius, ſimul manentes agnum ſine macula Sponſum virginum, progreſsu mundiſsimo ſunt ſecuti. Colomanno in prælio cum Tartaris cæſo, Salomea, Monaſteriis Fratribus Minoribus, item Sororibus ſanctæ Claræ extructis, mundi vanitatis pertæſa, ſanctæ Claræ Inſtituto ſe addixit. Facta Monialis, multis exemplis ſanctæ vitæ atque miraculis illuſtrata, de qua nos alias dabimus plura.

XIII. Eliſabetha vero undique celeberrima, & in aris, Templiſque ad Chriſtianorum cultum expoſita, tribus coronis decorata depingitur, cujus cauſam refert Molanus his verbis: pingitur cum tribus coronis, ut ſignificetur, vitam ſanctiſsime tranſegiſse in ſtatu virginali, maritali, & viduali; quomodo hanc picturam explicat Judocus Clichtovæus integro ſermone, quem unicum edidit de Natali hujus ſanctæ viduæ. Aliquando in diſco piſces præfert, ad memoriam miraculoſe extractorum e fonte piſcium ad infirmorum appetitum, quod miraculum jam narravimus. Juxta eam pauper nudus adpingitur, expanſo ſinu roſas monſtrans, inde eſt, quod e coquina, acclamantibus miniſtris, cibaria extrahenti pauperibus ante fores palatii langueſcentibus diſtribuenda, Rex pater obviaret filiolæ infantulæ quadrimæ, inquireretque diligenter quid portaret in gremio ſic repleto, atque illa reſponderet roſas, atque ita veræ pulcherrimæque apparerent patri periculum facienti. Huic ſimile accidit etiam Eliſabethæ Luſitanæ. Scripſerunt ejus geſta Vincentius Belluacenſis, Piſanus, Antoninus, Rodulphus, qui ſcribit, Gerardum quemdam Monachum ſancti Quintini vitam ejus edidiſſe. Extat in bibliotheca Minorum Lovanienſi membraneus liber MS. auctore Fratre Minore Anonymo, qui ſe vidiſſe teſtatur, quæ de ea ſcripſit, & ab aliis certa fide accepiſſe. Sæpe hunc citamus auctorem in iis quæ alii omiſerunt. Jacobus Montanus Spirenſis ceteris exactius Divæ vitam retulit, cujus vitam exſcripſit Surius & Sedulius, ex quibus præcipua nos tranſcripſimus. Divus Bonaventura de ea ſermonem habet, Pelbartus a Temeſuvar tres, Clichtovæus unum, & alii nonnulli. Tamdem inſigni eam decoravit elogio Vincentius & Hertmannus citati. Hæc, inquiunt, vitiorum fuit extirpatrix, virtutum plantatrix, ſcala morum, exemplum patientiæ, ſpeculum innocentiæ.

> Quomodo depingitur S. Eliſabetha.
>
> *Molan. de imagin. lib. 3. c. 48.*
> *Anno 1229. n. 12.*
>
> Quinam de ea ſcripſerunt.
>
> *Vincent. lib. 31. cap. 136.*
> *Piſan. confort. 8. fol. 85.*
> *Anton. tit. 19. cap. 11.*
> *Rodul. fol. 138.*

XIV. Nullus præclarius eam laudavit ipſo Pontifice, qui data ad Beatricem, Philippi quondam Germaniæ Imperatoris filiam, & Ferdinandi tertii Caſtellæ, & Legionis Regis uxorem, quam Pontifex ob pietatem & in ſanctam ſedem affectum ſincere diligebat, encomiaſtica & erudita epiſtola, paucis a canonizatione diebus, ponderoſo, & pio ſtylo conſcripta, impenſe Divam commendat. Eam damus ex regeſto Vaticano num. 120.

> Scribit Pontifex ad Reginam Caſtellæ de laudibus Eliſab.
>
> *Marian. lib. 12. rerum Hiſpan. c. 9.*

GREGORIUS &c.

Beatrici Illuſtri Reginæ Caſtellæ, Toleti, & Legionis.

Eccleſ. 50. 29. JEſus filius Sirach diebus iſtis obtulit nobis vas admirabile, opus excelſi, quod
fornacem caritatis in ardoris operibus cuſtodivit. Vas, inquam, electum, Do-
mino conſecratum, ſanctam ſcilicet Eliſabetham, quæ interpretatur ſaturitas
Dei mei, quæ in pauperibus & infirmis conſuevit Dominum ſæpius ſaturare.
Tribus ſane panibus, quos mutuo in nocte tribulationis ſuæ ab amico antiquo
recepit, veritatis ſcilicet, caritatis & fortitudinis Dominum legitur refe-
ciſſe, ut veritatis illuſtrata fulgoribus, purificatis affectibus, & membris
corporeis roboratis, Dominum intellectu cognoſceret, diligeret, per affectum
& profectum boni operis ſatiaret. Ne igitur langueret per ignorantiam ve-
ritatis, voluntas per inopiam affectionis deficeret, caro ſuæ conditionis in-
firma effectum boni operis impediret, illuminatus extitit intellectus, purifi-
catus affectus, & effectus boni operis ſpiritu fortitudinis roboratus. Ne au-
tem iſtorum parcum uſum quis prophana facilitate negligeret, Dominum di-
xiſſe didicimus: Qui appenditis argentum veſtrum non in panibus, &
Iſaie 55. 2. ſubitis infructuoſum ſine ſatietate laborem, quia quidam argentum elo-
quentiæ ſuæ in ſpiritu mendacii, non in ſpiritu veritatis appendunt, ſicut
adulationum artifices, fabri laudis, figuli falſitatis, & alii non in ſpiritu
caritatis, ſed vanitatis, & inanis gloriæ cupidi, quæ numquam ſuos ſatiat
amatores, linguam inſtruunt in urbanitate verborum, laborum, morum,
& operum diſſonantiam fabricantes. Tria quoque fercula in menſa Domini-
ca coram cæli, & terræ Dominatore Eliſabetha amatrix æternæ felicitatis
appoſuit, dum probibita renuit, præcepta ſervavit, & exaudivit conſilia
Redemptoris, quæ neceſſaria ſibi humanæ naturæ ſubtrahens, vigiliis, jeju-
niis, & orationibus debita ſingulis jure diſtribuens, creaturam Creatori,
ſenſualitatem rationi, & carnem ſpiritui ſervire cogit. De hac quidem
ſcriptum eſt: Vas admirabile, opus excelſi, vas admirabile, vas miſeri-
Eccl. 43. 2. cordiæ auro ſapientiæ & lapidibus pretioſis, hoc eſt operibus incorruptis or-
natum, in quo tot effudit Dominus chariſmata munerum ſupernorum, ut
mundaret, & tergeret vaſa iræ in interitum apta, & oſtenderet divitias,
& copias gratiarum in vaſe miſericordiæ, quod Dominus in gloriam præpa-
ravit. O vas admirabile in virtute humilitatis, abjectione corporis, affectu
compaſſionis, cunctis ſeculis admirandum! In humilitatis quippe virtute,
quæ cum eſſet de ſtirpe Regia, excellenti principatuum dignitate præcelſa,
facta pauperum & egenorum ancilla, exinanivit ſe formam ſervilem acci-
piens, & uſque ad mortem infirmis, peregrinis & pauperibus obedivit. In
abjectione corporis, quia quæ decorari conſueverat regalibus ornamentis,
murenulis aureis, argento, monilibus, margaritis & lapidibus pretioſis,
ſpoliata repente mundanæ ambitionis exuviis, habitum pauperis & aſperæ
veſtis aſſumpſit, ut vilibus involuta pannis Jeſu Chriſti Domini noſtri incuna-
Pſal. 21. 7. bulis vagientis, cum eo fieret opprobrium hominum & abjectio plebis, &
exprimens in præſepio vagitus Infantis, jam civis cæleſtis effecta, cum Ange-
lis decantabat; Gloria in excelſis. In affectu quoque compaſſionis, quia non
Luc. 2. 14. ſolum manus Regia tornatilis aurea plena hyacinthis pietatis propitia, ſor-
Cantic. 5. 14. des tergebat infirmorum, & pauperum: verum etiam lavabat, & alligabat
oſculans cunctis horrida vulnera leproſorum. Manus ei tornatilis, quia faci-
lis ad opera Redemptoris; Aurea, quia ſcholam caritatis ingrediens, profi-
cie-

ciebat in ſtudio pietatis; plena hyacinthis *qui colorem habent æreum, quia pro amore cæleſtis patriæ copioſæ pauperum compatiebatur inopiæ.* O *vas admirabile! Vas electum! Vas miſericordiæ! in quo tyrannis principibus & magnatibus mundi vinum veræ compunctionis propinaſti. Inter quos ſororium tuum fratrem Conradum, quondam Lantgravium, ætate tenerum, mundo carum, mortalibus gratioſum inebriaſti præcipue poculo vaſis hujus, ita ut calcatis dignitatum faſcibus, rejecta ſyndone, nudus profugeret de manibus impiorum crucifigentium Jeſum Chriſtum ad aſylum crucis, cujus ſignaculum impreſſit pectori, myſterium cordi, ut per myrrhæ faſciculum poſſet Crucifixi conſortium promereri. Inebriaſti quoque poculo vaſis hujus Agnetem ancillam Chriſti, virginem, natam Regis Bohemiæ, ſororem tuam, in cujus ætate tenera, & rebus aſperis experimur cæleſtis converſationis inſignia, ita ut Imperialis culminis oblata faſtigia fugiens, ſicut reptilia venenata, & nuda vexillum triumphale crucis arripiens, jam procedat obviam ſponſo ſuo, accenſis lampadibus, choro ſacrarum Virginum comitata. Opus excelſi; Patris & Filii & Spiritus ſancti fuit opus, operatum & operans; operatum ab Auctore naturæ, operans dono gratiæ exquiſita in omnes voluntates ipſius. Opus novum, quod fecit Dominus ſuper terram, quia ſancta Eliſabetha circumdedit virum Dominum Jeſum Chriſtum gremio cordis ſui, quem affectu concepit, affectu peperit, profectu nutrivit: ad damna quippe præſentia & futura vitanda proceſſit nunciatio operis novi hujus, quæ cautelam præſentibus & futuris indicit. Nunciatione hujus operis jus noſtrum conſervatur illæſum, damnum depellitur, utilitas publica procuratur. Nuntiatio proponitur novi operis, ne officiatur luminibus domus noſtræ, quæ cognitionis & dilectionis radiis illuſtratur, ut uno cognoſcere, altero Dominum noſtrum diligere valeamus. Sed adverſarius noſter Diabolus duos videtur erexiſſe parietes, ut lucem nobis æterni luminis obſcuraret, ignorantiam cæcitatis in mente, cum dixit* eritis ſicut dii ſcientes bonum & malum, *quia cum homo elatus contra Deum tumuit ignorantiæ cæcitate percuſſus, lumen veritatis amiſit: alium parietem, concupiſcentiam in carne conſtruxit, cum dixit:* cur præcepit Deus ne comederetis de ligno ſcientiæ boni, & mali; & mulier videns quod pomum viſu eſſet pulchrum, & ad veſcendum ſuave, tulit & comedit illud, deditque viro ſuo. *Unde juxta verbum Domini neceſſitatem moriendi & pœnalitates mortalitatis incurrit. In primo obſcuravit intellectum, in ſecundo vero deformavit affectum, ne cognoſci poſſit potentia Creatoris, nec beneficia Redemptoris amari. Verum nunciatio hujus operis mentem illuminat, & concupiſcentiam refrænat, ſi ſequi volumus lumen Chriſti, cujus ſancta Eliſabetha illuminata radiis domicilium humilitatis incoluit, & abſtinentiæ gulæ æmulæ deſervivit, ut diruto pariete ignorantiæ, tumore elationis erecto, tenebrarum obducto nubilo, claritas ipſi lucis inacceſſibilis appareret, & deſtructa macerie concupiſcentiæ ſenſualis, reformato affectu, amorem divini nominis inveniret. Fornacem etiam in ardoris operibus cuſtodivit, quando Dominum & proximum ardenter amavit, & habitans cum igne devorante, ac ardoribus ſempiternis, avaritia matre litigiorum extincta, manus ſuas a muneribus iniquis excuſſit; ideo in excelſis habitat, & munimenta ſaxorum ſublimitas ejus eſt cæleſtium ſpirituum felicitatibus aggregata, ardoris opera, quibus fornacem caritatis jugiter accendebat conditionis, reparationis, & retributionis eſſe conſiderans ſtudio piæ intentionis invenit. Quod Deus creaverat ipſam ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, ut eam faceret bonorum ſuorum participatione participem, & quæ* oculus non vidit, nec auris audivit, neque in cor hominis aſcenderunt, *æter-*

Marc. 14. 52. Cantic. 1. 12. Matth. 25. 1. Jerem. 31. Geneſ. 3. 5. Ibidem 6. 1. Corint. 2. 9.

Digitized by Google

Cantic. 8. 7. *æterna gaudia præpararet. Ignem igitur dilectionis internæ non ſolum hac conſideratione triplici cuſtodivit, ſed etiam caritatis lampades ſemper operibus pietatis accendit, quas nec aquarum impetus, nec ventorum flatus, nec torrens ſpinarum tribulationum & anguſtiarum extinxit. Ideoque jam cœleſti thalamo collocata a Virgine Matre Dei, in mulieribus benedicta ineffabilis gloriæ diademate coronatur, quæ Eccleſiam triumphantem lætificans, militantem fulgore miraculorum illuſtrat. Cæci enim vident, ſurdi audiunt, muti loquuntur, claudi ambulant, mortui reſurgunt, & alii variis detenti languoribus recipiunt per ipſius Beatæ merita ſanitatem. Cariſſima igitur in Chriſto filia, ſanctæ Eliſabethæ converſationis exemplum propter duo poſuimus*
Sap. 7. *coram te quaſi pretioſiſſimam Margaritam; primum ut in hoc ſpeculo ſine macula frequenter aſpicias, ne quid in angulis conſcientiæ tuæ lateat, quod oculos*
Eſther. 2. *divinæ majeſtatis offendat. Secundo ut nihil deeſſe valeat ad ornatum, quod ad decorem ſponſæ cœleſtis exigitur, ut cum invitata fueris ad cubiculum Aſſueri, ſcilicet Regis æterni, appareas ornata virtutibus, & pietatis operibus decorata. Datum Peruſii* VII. *Idus Junii anno nono.*

XV. Quod de Conrado ſororio Eliſabethæ Pontifex ait in Epiſtola, intelligendum ita venit ex hiſtoria Lantgraviorum. Præmiſſo irreverenti facinore ejuſdem Conradi in Suffridum Archiepiſcopum Moguntinum,
Hiſt. Lantg. c. 44. incendio Civitatis Frizlari, & captivitate Epiſcopi Wormatienſis, pluriumque Eccleſiaſticorum; ſubjungit Anonymus Erphesfordenſis. Poſtea dictus Princeps (Conradus ſcilicet Ludovici Lantgravii Eliſabethæ conjugis frater) revolvens illud crudele factum in corde ſuo, cooperante Spiritu ſancto, pœnitentia ductus, Civitatem Frizlarum intravit, & convocatis Civibus, in foro publice ſe proſtravit, & humiliter veniam petivit: & Cives in multis bonis liberavit, & decimam, quam de terra Haſſiæ habuit, Canonicis ibidem proprietatis titulo in emendam tribuit. Demum religioſo habitu indutus, Ordinis Teutonici Frater effectus eſt: & donavit juſto donationis titulo curiam Griſtede hoſpitalis ſanctæ Eliſabethæ Eccleſiæ, dedicatæ ab eadem, & fundatæ in honorem Dei genitricis Mariæ. Anno Domini MCCXXXIII. Conradus Lantgravius iter arripiens verſus Romam, cum tranſiret Sueviam, intravit curiam Imperatoris Friderici, & honorifice eſt ab eo receptus cum ſuis militibus & armigeris. Et poſtquam ibi manſit pluribus diebus, ultra progrediens, & Romam veniens, a Papa Gregorio reverenter eſt receptus, & a peccatis ſuis ſibi confeſſis ab ipſo eſt perſonaliter abſolutus: Et cum ibi eſſet, eleemoſynas largas dedit, & omni die 24. pauperibus cibum propriis manibus miniſtravit. De vita ſanctæ Eliſabethæ uxoris fratris ſui, & miraculis poſt vitam factis, frequenter cum Papa collationes habuit, & pro canonizatione ejuſdem laboravit; & reverſus ad Alemaniam, in Ordine ſuo divinis cultibus die noctuque inherendo profecit: & factus eſt Teutonicæ Rector & magiſter.

An Agnes Bohema conſanguinea fuerit Eliſabethæ.

XVI. Quod vero in eadem epiſtola vocet Pontifex Agnetem Bohemam, Eliſabethæ ſororem, difficiliorem habet commentarium. Neque enim ſorores germanæ eſſe poſſunt aut uterinæ, cum Eliſabetha Andreæ Hungari, & Gertrudis Svevæ, Hungariæ Regum, Agnes vero Primiſlai Bohemi, & Conſtantiæ Aragoniæ, ut quibuſdam placet, filiæ in Re-
Gen. 12. 12. giis referantur genealogiis. Id ſolum reſtat, ut conſanguinitatis gradu alio a primo, conjunctæ, eo ſenſu vocentur ſorores, quo Abraham Saram uxorem ſuam, vocavit ſororem, & Lot fratrem, cum & illa neptis, & hic

Digitized by Google

& hic fuerit nepos. Quare omnino judicaverim, Conſtantiam Primislai uxorem, & Agnetis matrem germanam ſororem fuiſſe Eliſabethæ, Hungaram enim fuiſſe ſcribit Dubravius, licet Thomas Jordanus in adnotationibus ad eumdem, notet nullam fieri uſpiam apud Hungaros hujus Conſtantiæ mentionem, niſi dicatur, eam fuiſſe Aragoniam Emerici Regis Hungari viduam. Sed hæc Alphonſo II. & Sancia Aragonis Regibus progenita, poſtea nupſit Friderico II. ut fuſius ſcribit Zurita in annalibus Aragoniæ, & ipſe adnotator monet, quam tamen cum Conſtantia Sicula annoſa confundit Bonfinius, & Henrico Imperatori nuptam tradit; ſed neque eſt qui generationem hujus Conſtantiæ Bohemi Regis uxoris attingat, vel percipiat. Id communius, Hungaram fuiſſe; Belæ Regis filiam facit Dubravius, ſed Bela III. Geycæ ſecundi filius, in cujus dumtaxat tempus hæc cadere poſſunt, ſolos ſuperſtites reliquit Emericum & Andream. Hujus autem Andreæ filiam fuiſſe Conſtantiam ego judicaverim, licet enim nomine hoc nuncupatam non invenerim in ſerie Principum Hungariæ, tamen auctor mihi eſt Paulus Æmilius præter Eliſabetham, alias habuiſſe filias Andream. Hujus ergo Conſtantiæ filia Agnes recte, neque improprie vocatur a Pontifice ſacræ Scripturæ phraſi, illi familiari, ſoror Eliſabethæ.

Zurita p. 1. lib. 2. c. 56.
Bonfin. dec. 2. lib. 7. ad annum 1199.
Emil. in Philip. 4.

XVII. Hoc anno, teſte Mariano, Pontifex Aſſiſium venit e Viterbio, Peruſium abiens, ubi cum expletam tectamque videret utramque Eccleſiam, mediam ſcilicet & ſupremam, quæ ſuper infimam, in qua ſancti Franciſci corpus reconditum eſt, magnifice conſurgunt, ſacris cæremoniis, & ſumma ſolemnitate ipſe conſecravit vigeſimo die Aprilis, Dominica in Albis. Sane conſummatam fabricam utriuſque Eccleſiæ mihi probat egregia imago Chriſti crucifixi; quam ſuperponi curavit frater Elias tranſtris ſeu tranſverſæ trabi everganeæ Templi ſuperioris, & quam Giunta Piſanus affabre pinxit anno MCCXXXVI. ſubjecta etiam ad vivum ipſius Eliæ vera imagine additis ſequentibus litteris.

Marian. c. 8. Marc. 3.
Conſecrantur a Pontifice Eccleſiæ Aſſiſiates.

Frater Elias fecit fieri.
Jeſu Chriſte pie
Miſerere precantis Eliæ
Giunta Piſanus me pinxit anno Domini M. CC. XXXVI.
Indictione nona.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

„ XVIII. Detecta eſt hæc imago anno proxime elapſo MDCXXIII. dum „ pro conſecratione Franciſci Cardinalis Boncompagni in Epiſcopum Fa„ nenſem „ oporteret tranſverſam illam trabem, cui ſuperpoſita crux, intercidi. Illa plane confirmavit deſcriptionem habitus & capitii, quam ex ſancti Franciſci ſociis & diſcipulis ſupra poſuimus. Porro univerſum Templorum opus nihil habet commune cum regulis architecturæ Vitruvii architecti, quem ex hac arte plurimum commendant, ſed ſtructura tota Teutonica eſt, licet architecti nomen non ſubſit. A principio ejus curam egit Elias, & ab anno MCCXXXVI. quo iterum Generalatum obtinuit, unde & turres Campanariæ, ab eo poſt reliquum opus conſtructæ, & campanis inſtructæ, quarum unam ad convocandum populum factam ipſe *Prædicationis* appellavit campanam, quod ſemper retinuit nomen; alteram dixit campanam primæ, præter quas alias duas campanas fecit fieri, quæ aliquot ab hinc annis diſruptæ ſunt. In priori & majori inciſa hæc verba.

An. 1108. n. 6. tom. 1.
Deſcriptio horum templorum.

A. D.

Digitized by Google

A. D. M. CC. XXXIX. Fr. Elias fecit fieri. Bartholomæus Piſanus me fecit, cum Loteringio filio ejus. Ora pro nobis Beate Franciſce. Ave Maria gratia plena. Alleluja.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

„ XIX. Neſcio an pro hac Eccleſia, an pro Aracœlitana, aut alia noſtri Inſtituti quidam frater Petrus Minorita fuſoriæ artis peritus, æramentum fuderit, quod nunc habetur in Diaconia, ſeu Templo ſanctæ Mariæ in Coſmedin, dicto in Schola Græca, Canonicorum Collegio. Ita campanæ ſummitati inſcriptum.

„ *Virginis ad laudem, natique ipſius honorem.*

„ Inferius *Anno Domini M. CC. XXX. frater Petrus de Ordine Fratrum Minorum, de elemoſyna me fecit.* Fortaſſis quod abundaverit pro hoc ſive alio noſtro Templo, vel dono devenerit in Canonicorum poteſtatem.

Anno 1230. n. 4. *Rodul. in Prov. S. Franc. f. 248.* De ſecunda Eccleſia.

XX. Ceteras inſignes ædificii partes non importune hic deſcribemus, quas perlegere vel a longe & in umbra proſpicere, gratum fore lectori non dubitamus. De prima & ſubterranea Eccleſia, in qua ter ſanctum pignus, Franciſci corpus depoſitum, jam diximus quæ licuit. Secunda & media Eccleſia, in qua communiter Fratres peragunt divina, miræ & inſolitæ eſt architecturæ. Omnibus eamdem ingredientibus occultam quamdam afflat pietatem, cujus pavimentum variis coloratis, & vermiculatis lapidibus intertextum eſt. At teſtudo ſeu fornix, inſtar cupæ vel dolii, cum certis quibuſdam figuris exquiſita arte abſoluta eſt: dicunt, eas factas a Giotto Florentino majori ex parte, quem conſtat ſui temporis omnium pictorum fuiſſe nobiliſſimum. In illis exprimitur vita Chriſti Jeſu, quæ variis depictæ coloribus, omnino admirandæ ſunt, & excolendæ. In teſtudine ſunt quatuor trianguli eleganti ordine compoſiti. In ſuperiori parte ad chorum eſt beatus Franciſcus velut princeps in ſella reclinatoria, indutus veſte egregia, cujus capiti affixa ſunt hæc verba, GLORIOSUS FRANCISCUS. Ibi quoque extat vexillum cum ſeptem ſtellis, & Angelis circumſtantibus, atque buccinis clangentibus, eo ſpectaculo quo triumphus famæ pingi ſolet, egregie perpolito, & politiſſima arte perfecto. In altero triangulo dextrorſum eſt porticus ambulatoria, in proſpectu cum columnis, & in medio eſt figura veſte ſubnigra induta, cum alis & diademate quadrato, quæ figura manu dextera tenet jugum, & læva ſupponit digitum labello inſtar ſilentii; ad pedes, in ſignum eximiæ humilitatis, eſt Frater quidam, qui accipit jugum, & propriis imponit humeris; ſuper caput figuræ eſt hæc nota, SANCTA OBEDIENTIA. Hinc pendet ad caput Crucifixus, ſed ſolum apparet corpus & plaga lateralis, a qua erumpit magnus fluvius ſanguinis. Dextrorſum eſt Prudentia biceps cum his notis, SANCTA PRUDENTIA; habet diadema cum ſex inſcriptis faciebus: eſt media figura, ſub qua eſt Angelus ductor ejus, & duæ aliæ figuræ, & reſpicientes junctis manibus præ ſe ferunt magnam religionem. Ex altero latere eſt conſimilis figura cum ſubjectis verbis, SANCTA HUMILITAS: tenet accenſam faculam. Ad pedes eſt Angelus, & ſemihomo & ſemicanis. In altero triangulo eſt arx cum turribus hinc inde, & in medio turris veluti Gerrum & terminus, & in apice eſt feneſtra, & caput mulieris, cum ſuperſcriptione SANCTA CASTITAS. Aſtant duo Angeli, quorum alter

Digitized by Google

alter exhibet regnum, alter vero palmam. Ad pedes Gerrii ſunt duæ figuræ, quælibet tenet manum extenſam extra muros, & aſpergit aquam ſuper caput denudatæ figuræ. Alter Angelus lavat dictam figuram inſtar balneatoris: ſuper has duas figuras, quæ tenent veſtem Angelo, leguntur hæc verba, SANCTA MUNDITIA. Ex altera parte, SANCTA FORTITUDO. A latere eſt Angelus lavans, & homo armis cinctus cum parmula in brachio, & multis aliis figuris: AMOR ET POENITENTIA. Sub amore eſt homo transfiguratus cum his notulis MUNDITIA; quæ propellitur ab altera figura cum his litteris MORS. In altero triangulo eſt figura velata, præter manus & dimidiam partem brachii: manus autem ſunt extenſæ, & accipiunt munera, quæ duo Angeli offerunt. Angelus a latere dextro, & offert veſtem, & marſupium: altera offert prætorium: ſubter vero quædam ſubjacet mulier ſubcincta, & nudatis intra vepres pedibus, quæ quantum ex facie, ex vultu, ex oculis, & ex fronte ſuſpicari poſſumus, repræſentat dominam paupertatem, quam in ſponſam ſuam beatus Franciſcus accipit. Chriſtus vero a latere manum interjungit, atque ejus dextram contingit, cum hac inſcriptione, SANCTA PAUPERTAS.

XXI. In choro Capellæ majoris eſt quædam egregia pictura, quam, dicunt quidam, fuiſſe manus & ingenii monumentum Priccii Capannæ, a nemine, quod ego ſciam, adhuc ſatis intellecta. Communis tamen omnium eſt ſententia, ab eodem Giotto fuiſſe expreſſam, quamvis præ ſe ferat neſcio quid majoris elegantiæ & dignitatis. Sub hac fornice modo eſt altare majus, ubi eſt tabernaculum pro cuſtodia ſanctiſſimæ Euchariſtiæ eleganter elaboratum, atque opera venerabilis fr. Matthæi Aſſiſiatis conſtructum. Altare vero circumquaque ferreis quibuſdam inſertis cratibus, & anſulis intortis vallatum eſt: ſub ara in abdito & ſeceſſu conditum eſt venerabile illud corpus beati Patris; ubi alias furinum, ſive locus erat, in quo fures & improbi homines publice ſuſpendebantur, vulgo dictus *Collis inferni*. Nec abs re dignum puto, quia ſicut Chriſtus in Calvariæ monte conditus eſt, ut nobis ſuo exemplo ſignificaret nulla eſſe oſſa, nullos homines, nullos denique dæmoniacos adeo damnatos & deſperatos, in quos ſi intret Chriſtus, non vivificet: ſic beatus Franciſcus, Domino concedente, voluit & vivens & moriens in cunctis eſſe Chriſtiformis. Ante fores ſacrarii ſunt multæ, & hæ quidem inſignes & egregiæ picturæ, & ut ferunt, manu Antonii Cavallini expreſſæ, qui adeptus eſt nomen Cavallini, quia optima arte fingebat caballos. Ante cancellos illius Capellæ in angulo eſt ſepulcrum cum crate ferrea, ubi dicunt, condita eſſe quatuor corpora Sociorum beati Franciſci.

XXII. Sunt in hac Eccleſia multa ſacella, & quidem pulchra & egregia; primum eſt ſacellum ſanctæ Catharinæ Cardinalis Ægidii Carrillii Albornotii Hiſpani ArchiepiſcopiToletani,Tituli primum ſanctæ Sabinæ, deinde ſancti Clementis, viri celeberrimi, qui laceratum Eccleſiæ dominium, & a tyrannis ferme totum uſurpatum ſingulari virtute recuperavit ac reſarcivit. Multa hujus magnanimi Cardinalis in hanc ædem beneficia ad annum MCCCLXVII. quo mortuus eſt, recenſebimus. Neque id mirum, ſi quantumvis magna in eam Baſilicam conceſſerit, in qua meruit reconditum videre pretioſum theſaurum corporis ſancti Franciſci; quod cum venerabundus contemplaretur, & impreſſa Chriſti vulnera notaret, exclamaſſe dicitur; vel ſolum Franciſcum ad confirmandam Chriſti religionem ſatis fuiſſe. Quæ Monaſterio legaverit, præfixo illo

Sepulcra heroum.

illo tempore numerabimus ex ipſo ejus teſtamento, quod ad vitam ſubjecit Franciſcus Antonius Docampus, atque alia dabimus ex Joanne Gineſio Sepulveda, qui gravi ſtylo Cardinalis res geſtas deſcripſit. In dicto ſacello jacuere per aliquod tempus Illuſtriſſimi viri oſſa, inde in hominum humeris translata Toletum, ut ſuo tempore dicemus. Sequitur deinde aliud ſacellum D. Antonii, in quo eſt ſepulcrum D. Blaſci Ferdinandi Marchionis Anconitanæ Marchiæ, Bononiæ Rectoris, necnon Ducis Spoletani, in quo etiam contumulatus pater Garzias, qui propinqui erant prædicti Cardinalis conſanguinei. Sepulcro inciſa hæc carmina impoſita.

Magnanimus miles, prudens, pius, egregiuſque,
Cultor juſtitiæ, rigidi ſervator honeſti
Blaſcus Fernandi, pacis compertor amatæ,
Hiſpanus natus, morum venuſtate præclarus;
Anconitanæ Marchio Marchiæ tempore multo,
Rector Bononiæ: Dux Spoletanus habetur.
Inclytus iſte ſenator, bellique maximus actor.
Proditus hic Burgo Luci, mutatur ibidem,
Et genitor Garzias, acerba morte peremptus.
Hicque jacent ambo genitor genituſque dicti:
Quos Deus Elyſiis proponat ſedibus almis.

XXIII. In capite Eccleſiæ e regione ſepulcri divi Franciſci tumulata eſt Regina Cypri, quæ reliquit ſacro Conventui ducenta millia aureorum, & pulcherrimum vas porphyreticum abſque baſe ſive pediculo, quo modo loco pilæ utuntur ad aquam luſtralem, qua homines pie aſperguntur. Portam hujus Eccleſiæ Miniſter Generalis Franciſcus Samſon porticu quadam egregia exornavit tecto incluſa, ob repentinos imbres, ut hæ litteræ declarant: *Fr. Franciſcus Samſon Generalis Minorum fieri fecit* MCCCCLXXXVII. circumcirca ſunt XII. turres teretes: & in unaquaque illarum eſt inferior teſtudo petræ granitæ rubeæ, in memoriam XII. Apoſtolorum ignis Spiritus ſancti ardorem prætendentis. Tribuna vero eſt albi lapidis in honorem beatæ Virginis.

De tertia Eccleſia.

XXIV. Sed quantum ſpectat ad ſuperiorem Eccleſiam eſt uſque adeo eleganter conſtructa, ut nihil pulchrius videri poſſit illo ſeculo, nec ſtructura hujus ordinis invenitur in toto orbe: ſuas habet portas congrua dimenſione venuſtas, mediam ceteris ampliorem, in tecto ſtellæ affixæ aureæ, & color impreſſus æreus veram cœli faciem æmulatur. Sunt in choro ſedilia ex materia nobili, arte quam vocant Tarſicam, ſculpturis & imaginibus inſignia, quem ferunt Magiſtri Samſonis opere conſtructum, cujus expreſſa imago conſpicitur; artificio vero Dominici Sânſeverinatis Umbri. In hujus ingreſſu ſupra januam eſt ibi oculus vitreus, unde tranſmittitur lumen in morem Cyclopis late patens in modum trianguli, in quo eſt imago vera, ut dicunt, beati Franciſci opere Moſaico intertexto, opus, ni fallor, Cimabovis. Inter utramque Eccleſiam eſt ſpatium octipedale, ne populus ambulans ſuper pavimentum ſuperioris Eccleſiæ impedimento ſit ceteris in Eccleſia inferiori. Innititur autem pavimentum ſuperioris Eccleſiæ lignis abiegnis. Sunt quoque in eadem Eccleſia quædam picturæ egregia manu Cimabovis & Giotti elaboratæ. Organa fieri curavit Magiſter Petrus Antonius Nucerinus Generalis poſt annum MDLXXIV. quo electus eſt. Sed quod plurimam acceſſionem dignitatis habet eſt turris Campanaria, ita quidem eminens, ut arx potius videatur quam turris.

XXV. Præ-

Digitized by Goo

XXV. Præter trinam hanc Eccleſiam, Conventus, ſeu Fratrum domicilium profundas habet radices, & altiſſima fundamenta propter torrentem inundantem. Sixtus IV. Pontifex domum collabentem & ruinam minantem fortiſſimo muro, quaſi roſtro quodam vallavit anno MCCCCLXXX. & hodie quoque nomen ipſius retinet. Alteram partem Conventus conſtrui fecit frater Elias, ut aperte declarant figuræ quædam & inſcriptiones ciſternæ prioris impluvii. Innocentius IV. Papa fecit conſtrui alteram partem, reliquam Cardinalis Ægidius, quem ſupra memoravimus. Admiranda plane & magnifica eſt undequaque ſtructura, tantæque molis & majeſtatis, ut inſpectores confeſtim in eam trahat conſiderationem, quanta arte, quibus ſumptibus, quoto tempore opus fuerit ad tantam extruendam machinam in ruinoſo collis præcipitio. Floruerunt ſemper in hac æde Viri ſanctiſſimi & doctiſſimi, neque hoc noſtro ſeculo deſunt, qui tam religione, quam litteris tantam ædem exornent. Plures ipſe vidi & colui anno MDCXVIII. quo ſacram hanc domum inviſi, in qua pretioſum illud granum emortuum fructum affert decoris & virtutis.

XXVI. Præter ſacrum illud corpus Franciſci, in eo Templo ſervantur & viſuntur aliæ pretioſæ reliquiæ. Primo quidem multa in ſubterranea æde requieſcunt corpora Sociorum ſancti Rectoris, & in altari præcipuo Templi ſecundi eſt coſta ſancti Joannis Baptiſtæ, quam ibidem collocavit Innocentius Papa; jacet ibidem beata Jacoba de Septemſoliis cum duobus filiis, ex altera parte prope ſuggeſtum. In Sacrario eſt de ligno Crucis, quod fuit approbatum a Sixto IV. Ibidem eſt capſula plena reliquiis; ſunt etiam duo digiti, unus beati Petri, & alter beati Pauli; reliquiæ ſanctorum Innocentium, de Virga Aaron, de baculo S. Joſeph: Crux una lapidibus pretioſis ornata, quam dedit Nicolaus IV. Papa: tabernaculum cum cuſpide clavi Chriſti, quem tulit Manupellus Urſinus, generalis Capitaneus Sedis Apoſtolicæ, a Terra ſancta, una cum velo beatæ Virginis, in quo fuit involutum Corpus Chriſti in præſepio: eſt pars tunicæ beatæ Virginis: ſanctus Bonaventura tulit partem veſtis Chriſti, cilicium ſancti Franciſci, partem quoque detulit Sixtus IV. & partem veſtis, in qua mortuus eſt beatus Franciſcus Romam aſportavit: ibi eſt tabernaculum cum ſanguine lateris ſancti Franciſci, eſt cornu eburneum magni Soldani Ægyptiorum Imperatoris, & duæ virgæ, quibus auditoribus ſilentium indicebat: eſt pars tunicæ ſancti Ludovici Regis, & alterius Ludovici qui fuit Epiſcopus: eſt caput beati Rufini ſocii beati Franciſci: eſt pars tunicæ beatæ Claræ, & de capillis ejus: eſt tabernaculum cum chorda quam beatus Franciſcus vivens deferebat ad nudas carnes: dens ſancti Blaſii, & digitus: in altero tabernaculo ſunt capilli ſanctæ Catharinæ; ſeptem capita Virginum ſociarum ſanctæ Urſulæ: duæ imagines depictæ ſancti Lucæ: Crux criſtalli, quam dedit Sixtus IV. & aliæ multæ reliquiæ, quarum exacta non habetur notitia. *Templi reliquiæ.*

XXVII. Dum adeſſet Miniſter Generalis, vir pius & ſanctus, Joannes Parens conſecrationi utriuſque Eccleſiæ (a qua totius narrationis rerum Aſſiſiatis Cœnobii ductum exordium) & Pontificem comitaretur Peruſium, inde mittitur Legatus in Urbem ad emolliendos & flectendos animos Romanorum. Hoc namqne tempore Romæ ſeditio popularis exorta graviter Pontificios affligebat. Aliquot enim Cives, auctore Hannibaldo Senatore, e familia Hannibalda, ab Eccleſia rebellarunt, Clericis & Tuſciæ populis Romanæ Sedis vectigalibus graviſſima onera, & tributa indi-

Marian. c. 8. Ant. tit. 24. c. 9.

Ciacon. in Greg. IX.

Miniſter Generalis laborat in ſedandis Romanis, ſed fruſtra.

indicentes. Nihil omiſit Joannes Miniſter, per quod reducendos ad juſtum & æquum, atque ad Pontificis obedientiam putarat. Orabat, inſtabat, prædicabat, modo Pontificis merita, modo clementiam; & injuriarum facilem in eo veniam proponebat, modo criminis pondus & rebellionis ſcelus ponderabat, modo divini numinis iram, & futuram ultionem prædicebat. Per quæ dum nihil in duro & tumultuoſo populo proficeret, aſcendens in locum altum quodam mane, in ſpiritus fervore numeroſa coram multitudine prænunciavit, magnam ibi cladem cito ſuperventuram; quod ipſo facto apparuit. Tyberis enim ſupra modum exundans, multa Romanis damna attulit, & tanta fame & peſte laboratum eſt, ut vix decimus quiſque ſuperfuerit. Territus tot calamitatibus populus, iram hanc Dei eſſe credens, nobiliſſimos Cives Petrum Frangipanum Cancellarium, & Pandulfum de Suburra ad Pontificem Peruſium Legatos mittit, oratum, ut ad Urbem rediens, tot miſeriis opem ferret. Pontifex mira clementia uſus ad Urbem rediens, populo quidem pepercit, Hannibaldum vero Magiſtratu abire juſſit, frumenta undique comparata eſurienti plebi diſtribuit.

Marian. cit. Chron. antiq.

XXVIII. Abiens ſupradictus Miniſter cum ſocio ad Baſilicam ſancti Pauli viſitandam, ingreſſus Eccleſiam ſanctæ Mariæ, quæ dicebatur in turri, extructam prope Apoſtoli Baſilicam, requievit parumper in domo æditui. Præ foribus bubalinus quidam cuſtos multa inſana, alia blaſphema evomebat. Correptus a viro pio, dixit, ſatis recte ſe loquutum, neque blaſphemiam ullam protuliſſe, addiditque: Deum bonum apud ſe eſſe, & meliorem illo quem Fratres colebant. Majori cura detegendo, homini inſtitit Joannes, & tamdem ſagaci examine comperit, a diabolo obſeſſum, cujus poteſtati ſe tradidit aliquando, tædio affectus colligendi ſui gregis hinc inde diſperſi. Ductum per manum ſtatuit ad oſtium Templi ſancti Pauli, ipſe vero cum ſocio, qua potuerunt teneritudine, oraverunt ut Dominus per merita ſui Apoſtoli miſerum a tanta liberaret ſervitute. Paulo poſt redeuntes invenerunt clamantem, & veluti imminentem mortem horrentem, dicentemque Fratribus; ut quid immiſericordes pro me oraſtis? Deo enim meo me privaſtis, qui e regione poſitus totus iracundus mihi mortem minitatur propter revelatam vobis ejus in me poteſtatem. Videntes Fratres, ſe partim exauditos in ejectione dæmonis, ad orationem redierunt, donec complete miſerum redemerunt a mali domini poteſtate. Vocati ſecum per aliquot dies egerunt curam, ſacris munierunt contritum ſacramentis, & per aliquot menſes commiſſi ſceleris pœnitentem tamdem admiſerunt in converſorum numerum, inter quos pie & devote vixit; attamen ne ei pœna reſervaretur in poſterum, conceſſa fuit malo illi antiquo hoſpiti poteſtas divexandi hominem per biennium, quo expleto, placide deinceps vivens, ſancto fine vitam terminavit.

Liberat energumenum.

XXIX. Superiori anno Pontifex ubique prædicari juſſit ſanctam crucem adverſus Saracenos pro defendendis Locis ſanctis Paleſtinæ, & Civitate ſacra Hieroſolymorum: imminebat enim tunc terminus induciarum a Friderico Imperatore, & Soldano pactarum, timebatque Gregorius ne violentiori impetu Chriſtianorum adoriretur orbem, refectiſque viribus toto pacis tempore, ſanctam denuo oppeteret Civitatem. Tenorem bullæ ad Anglos miſſæ hic ex Pariſio inſero, ut ex inſtructione hac, vel deſiderio Pontificio clarius innoteſcat quid in hujuſmodi functionibus incumbebat Minoribus, quibus magna pars hujus oneris cedebat

Prædicatur crux precipue per Prædicatores & Minores.

Paris. ann. 1234. & 1235. fo. 274. fol. 281.

bat, per quam frequenter, ut ex plurimorum Pontificum geſtis licebit
conſpicere, quos etiam per Franciam eamdem crucem ſimul cum Fratri-
bus Prædicatoribus publicaſſe aſſerit Ptolomæus Lucenſis, illorum etiam *Ptol. Lucen. l. 21. c. 35.*
temporum auctor, cujus Chronica MSS. accepi ex Bibliotheca Aniciana
in Urbe conſtructa cura & ſollicitudine Domini Conſtantini Caetani
Benedictini Abbatis ſancti Baronti. Et negotium crucis proſperatum,
ait Matthæus Weſtmonaſterienſis, in manibus Minorum & Prædicato- *Weſtmona. an. 1235.*
rum.

GREGORIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Univerſis Domini noſtri Jeſu Chriſti fidelibus per Regnum Angliæ conſtitutis, ad quos litteræ iſtæ pervenerint, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Rachel ſuum videns in veræ fidei cognitione principium accreſcentium *Jer. 31. 15. Matth. 2. 18.*
in ſalutem, & filiorum dexteræ pia mater ſancta Romana Eccleſia, *Thren. 2. 13.*
cujus magna eſt quaſi mare de ſuæ prolis internecione contritio, vocem la-
mentationis, fletus, & luctus emiſit hactenus, & emittit, quam audiri
cupimus in excelſo, ut per diem & noctem fidelium oculi doloris lacrymam
deducentes, non taceant, & donec miſereatur Dominus, non quieſcant.
Lamentatur autem, quia domus cœleſtis panis, mons Sion, unde lex exiit, *Iſai. 2. 3.*
civitas Regis magni, de qua dicta & ſcripta multa glorioſa, terra quam *Pſal. 47. 3.*
Dei Filius fuſo pro nobis ſuo ſanguine conſecravit, Regni robur perdidit &
fortitudinem. Flet, quia quomdam libera, ſub impio tyrannidis jugo cogi-
tur ancillari. Luget, quia ubi pacem multitudo cœleſtis militiæ cecinit, ibi *Luc. 2.*
preſſuræ gentis immundiſſimæ ſcandalorum ſpurcitiæ, abominabiles ſimulta-
tes, & ſchiſmata ſuſcitavit, ac innovans exordia præliorum miſit ad deſide- *Thren. 1.*
rabilia manum ſuam, & ſacrorum ordinum pias leges, & ipſius naturæ jura
relegans a Templo Domini, diverſis ibidem ſpurcitiis & deteſtabilibus ac
ignominioſis vitiis introductis, turpiter in ſuo ſtercore computreſcit. Et
ideo Hieruſalem in ſuis deriſa ſabbatis, obſorduit quaſi polluta menſtruis
ſuos inter inimicos. Nam licet dudum cariſſimo in Chriſto Filio Friderico
Romanorum Imperatori ſemper Auguſto, Hieruſalem & Siciliæ Regi illu-
ſtri, Civitas eadem, præter Templum Domini, fuerit reſtituta: tamen quia
Deus omnipotens tunc magnificentius agere cum populo ſuo Chriſtiano non
adjecit, Imperator prædictus treugas iniit cum Soldano, quarum terminus
adeo eſt vicinus, quod tempus medium præparationi vix ſufficere creditur,
niſi ad quæque neceſſaria per promptitudinem, ſpem, & fervorem fidei fe-
ſtinetur. Ad ejus ergo ſuccurſum nullum tædeat peregrinari, & pro patria
certare cum ſpe victoriæ, pro corona pugnare, mori pro vita, pro illo ſuſti-
nere dura & triſtia, qui confuſione contempta, ſputo conſperſus, cæſus ala-
pis, flagellis afflictus, coronatus ſpinis coram Pilato ſiſti, tamquam mul- *Matth. 26.*
torum criminum reus, crucifixus ad ultimum, & potatus felle, *Mar. 15. 16. Luc. 22.*
lancea perforatus, emittens cum clamore valido ſpiritum, pro conditionis *Joan. 19. 30.*
humanæ viribus reparandis, curſum præſentis vitæ ſaturatus injuriis, con-
ſummavit. Hic eſt, ut repetamus altius, qui de paterno ſolio gloriæ, cœlis
mirabiliter inclinatis, ad noſtræ mortalitatis ima deſcendens, non dedigna-
tus eſt Deus homo, Creator fieri creatura, ſuſcipere Dominus formam
ſervi: ut qui non poteramus per noſtram juſtitiam ſperare veniam, conſecuti

Digitized by Google

*per hæc gratiam inauditam, hæredes Dei, cohæredes vero Chriſti, Divini-
tatis conſortium, fœlicitatis æternæ participium ſortiremur. Et licet per
gratiam adoptati, quotidie cauſas ingratitudinis cumulemus, ipſe tamen
abundat in divitiis bonitatis, dum propter diverſitatem voluntatum, virium
facultatem delinquentibus, diverſa pro tempore ſatisfaciendi genera con-
tulit, varia medendi languentibus remedia ſuſcitavit, dum terram in
qua naſci, mori & reſurgere voluit, tam diu ad exercitationem fidelium ab
infidelibus detineri permittit, cum non ſit abbreviata manus Domini, nec
Iſaia 59. 1. virtus ejus in aliquo diminuta, quin etiam, ſicut fecit cuncta de nihilo, li-
berare valeat in momento. Sed illas compaſſionis & dilatationis gratias ex-
quirit ab homine, quibus ad omnis conſummationis finem, legiſque plenitu-
Pſal. 118. dinem oſtendendam ipſe prior homini perdito & damnato voluit miſeratus
adeſſe, qui nullatenus permiſiſſet manus impias contra pios uſque adeo ro-
borari, niſi & ſuam vindicari de noſtra confuſione providiſſet injuriam, &
ſervari noſtram de ſua victoria diſciplinam. Sub hac occaſione delicti plu-
rimi ſatisfacere pro modo criminum non valentes, nec volentes, velut in
profundo malorum penitus deſperaſſent, niſi occurriſſet eis hæc tabula, ut
per hoc compendium ſuis peccatis pro Chriſto animabus conſummati, brevi-
tate multorum temporum ſpatia compleviſſent. Multi etiam invenire locum,
ubi ſteterunt pedes Domini, cupientes prius ad bravium ſine curſu, vel
potius ad coronam ſine gladio pervenerunt, illo ſuum remunerante militem,
qui ſolam conſiderat in oblatione voluntatem. Ut autem propter præmiſſa
fideles efficaciter & potenter expurgentur, nos de omnipotentis Dei miſeri-
cordia & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum auctoritate confiſi, ex illa
Matth. 16. quam nobis Deus, licet indignis, ligendi atque ſolvendi contulit poteſtatem,
omnibus qui laborem iſtum in propriis perſonis ſubierint, & in expenſis,
plenam ſuorum peccaminum, de quibus veraciter fuerint corde contriti, &
ore confeſſi, veniam indulgemus, & in retributione juſtorum ſalutis æternæ
pollicemur augmentum. Eis autem, qui non in perſonis propriis illuc ac-
ceſſerint, ſed in ſuis dumtaxat expenſis, juxta facultatem & quantitatem
ſuam viros idoneos deſtinaverint, & illis ſimiliter, licet in alienis expenſis,
in propriis tamen perſonis acceſſerint, plenam ſuorum concedimus veniam
peccatorum. Hujus quoque remiſſionis volumus & concedimus eſſe partici-
pes, juxta quantitatem ſubſidii & devotionis affectum, omnes qui ad ſub-
ventionem ipſius Terræ de bonis ſuis congrue miniſtrabunt. Perſonas quoque
ipſorum & bona, ex quo crucem ſuſceperunt, ſub beati Petri & noſtra pro-
tectione ſuſcipimus: necnon & eadem ſub Archiepiſcoporum, Epiſcoporum
& omnium Prælatorum Eccleſiæ Dei defenſione conſiſtant. Statuentes, ut
donec de ipſorum obitu, vel reditu certiſſime cognoſcatur, integra maneant,
& ſecura conſiſtant. Porro Eccleſiarum Prælati, qui in exhibenda juſtitia
crueeſignatis, & eorum familiis negligentes extiterint, ſciant ſe graviter
puniendos. Quod ſi quiſquam contraire præſumpſerit, per Eccleſiarum
Prælatos, appellatione poſtpoſita, cenſura Eccleſiaſtica compeſcatur. Si qui
vero proficiſcentium illuc ad præſtandas uſuras juramento tenentur aſtricti,
creditores eorum per Eccleſiarum Prælatos, ut remittant eis præſtitum ju-
ramentum, & ab uſurarum exactione deſiſtant, eadem præcipimus diſtri-
ctione compelli. Quod ſi quiſquam creditorum eos ad ſolutionem coegerit uſu-
rarum, eum ad reſtitutionem earum ſimili cogi animadverſione mandamus.
Judæos vero ad remittendas ipſis uſuras, per ſecularem compelli præcipimus
poteſtatem. Et donec illis remiſerint, ab univerſis Chriſti fidelibus, tam in
mercimoniis, quam in allis per excommunicationis ſententiam eis omnino
com-*

communio denegetur. Iis vero, qui Judæis debita ſolvere nequeunt in præſenti, ſic Principes ſeculares utili dilatione provideant, quod poſt iter arreptum, uſquequo de ipſorum obitu vel reditu certiſſime cognoſcatur, uſurarum non incurrant incommoda, compulſis Judæis proventus pignorum, quos interim perceperunt, in ſortem, expenſis neceſſariis deductis, computare; cum hujuſmodi beneficium non multum videatur habere diſpendii, quia ſolutionem ſic prorogat, quod debita non abſorbet. Ut autem Terræ ſanctæ ſubſidium diviſum in plurimos facilius impendatur, obſecramus omnes & ſingulos per Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, unum ſolum verum æternum Deum, poſtulantes vice Chriſti, pro Chriſto, ab Archiepiſcopis & Epiſcopis, Abbatibus & Prioribus, & tam Cathedralium, quam aliarum Conventualium Eccleſiarum Capitulis, & Clericis univerſis, necnon Civitatibus, villis, & oppidis competentem numerum bellatorum cum expenſis neceſſariis, ſecundum proprias facultates, in ſuccurſum Terræ ſanctæ alacriter deſtinare. Et ſi ad hoc unum quodlibet non ſufficiat, plura conjungantur in unum: quia pro certo ſperamus, quod perſonæ non deerunt ſi expenſæ non defuerint. Poſtulantes hoc ipſum a Regibus & Principibus, Comitibus & Baronibus, aliiſque magnatibus, qui forſitan per ſeipſos perſonaliter non acceſſerint ad obſequium Crucifixi: a Civitatibus vero marinis, navale ſubſidium poſtulamus. Clericis vero ad hoc negotium neceſſariis providimus indulgendum, ut omni contradictione ceſſante, beneficiorum ſuorum proventus propter hoc valeant ad triennium pignori obligare. Ita tamen, quod illi quibus committendos duxerint, vel etiam obligandos, infra præſcriptum tempus, cum ea integritate proventus percipiant antedictos, cum qua ipſi eos perceperunt, ſi in Eccleſiis in quibus ipſos obtinent, perſonaliter reſiderent. Quia vero ſubſidium Terræ ſanctæ multum impediri, vel retardari contingeret, ſi ante ſuſceptionem crucis quemlibet examinare oporteret, an eſſet idoneus & ſufficiens ad hujus votum perſonaliter proſequendum: concedimus, ut (regularibus perſonis exceptis) ſuſcipiant quicumque voluerint ſignum crucis. Ita quod ſi urgens neceſſitas, aut evidens utilitas poſtulaverit, votum ipſum de mandato Apoſtolico poſſit commutari, aut redimi, aut differri. Univerſis autem Eccleſiarum Prælatis diſtricte præcipimus, ut ſinguli per loca ſua, illos qui ſignum crucis depoſuerunt, reſumere, ac tam ipſos quam alios cruce ſignatos, & quos adhuc ſignari contigerit, ad reddendum Domino vota ſua diligenter moneant, & inducant. Ceterum, quia curſarii & piratæ nimis impediunt ſubſidium Terræ ſanctæ, capiendo & ſpoliando tranſeuntes ad illam, & ab illa revertentes, nos eos & principales adjutores & fautores excommunicationis vinculo innodamus, ſub interminatione anathematis inhibentes, ne quis cum eis ſcienter communicet in aliquo venditionis vel emptionis contractu, injungentes Rectoribus Civitatum & locorum ſuorum, ut eos ab hac iniquitate revocent & compeſcant. Alioquin, quia nolle perturbare perverſos, nihil aliud eſt quam fovere, nec caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obviare, nos in perſonas & terras eorum ſeveritatem Eccleſiaſticam curabimus exercere, cum tales non minus, quam Saraceni adverſentur nomini Chriſtiano. Innovamus præterea excommunicationis ſententiam in Lateranenſi Concilio promulgatam adverſus eos, qui Saracenis arma, ferrum, & lignamina deferunt galeiarum, quique in pyratis Saracenorum navibus curam gubernationis exercent, vel in machinis, vel quibuslibet aliis, aliquot eis impendunt conſilium, vel auxilium in Terræ ſanctæ diſpendium, eoſque rerum ſuarum privatione mulctari, & capientium ſervos, ſi capti fuerint, fore cenſemus:

præ-

præcipientes, ut per omnes urbes marinas, diebus Dominicis, & feſtivis hujuſmodi ſententia publice innovetur. Et talibus gremium non aperiatur Eccleſiæ, niſi totum quod de commercio tam damnabili perceperint, in ſubſidium Terræ ſanctæ tranſmittant, ut æquo judicio, in quo deliquerint, puniantur. Quod ſi forte ſolvendo ſatisfacientes non fuerint, ſicut alias reatus talium caſtigaretur, quod in pœna ipſorum aliis interdicatur audacia ſimilium præſumendi. Quia vero ad hoc negotium exequendum eſt permaxime neceſſarium, ut Principes & populi Chriſtiani ad invicem pacem obſervent, juxta quod ſtatutum eſt in Concilio generali, volumus & mandamus, ut ſaltem per quadriennium, in toto orbe Chriſtiano pax generaliter obſervetur, ita quod per Eccleſiarum Prælatos diſcordantes reducantur ad plenam pacem, aut firmam treugam inviolabiliter obſervandam. Et qui acquieſcere forte contempſerint, per excommunicationem in perſonas, & interdictum in terras arctiſſime compellantur, niſi tanta fuerit injuriatorum malitia, quod non debeant pace gaudere. Quod ſi forte cenſuram Eccleſiaſticam vilipenderint, poterunt non immerito formidare, ne per auctoritatem Eccleſiæ contra eos tamquam perturbatores negotii Crucifixi, ſecularis potentia inducatur. Accingantur igitur omnes Filii adoptionis divinæ ad obſequium Jeſu Chriſti, diſſenſiones & lites in pacis & dilectionis fœdera commutantes, credendo firmiter quod ſi vere confeſſi fuerint & compuncti, fœlici commercio laboribus ſuis, qui cito tranſeunt, æternam requiem mercabuntur. Datum Spoleti II. Nonas Septembris Pontificatus noſtri anno VIII.

Præd. & Minores ſtrenue prædicant crucem.

XXX. Monet vero Paris quod hoc anno aſſignati ſunt Prædicatores a Domino Papa in hoc opus crucis & animarum aberrantium lucrifactionem per orbem univerſum, Fratres de Ordine Prædicatorum, ac Minorum cum magiſtris in Theologia perfectis, utpote magiſtro Joanne de ſancto Albano oriundo, aliquando Decano ſancti Quintini, poſtea theſaurario Eccleſiæ Sariſberienſis, & aliis viris diſcretis, ac ſanctis, qui in opus Evangelii profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis. Habuerunt autem ex mandato Apoſtolico Provinciarum Archidiaconos & Decanos, qui in locis ſingulis parochianos viros & mulieres convenire fecerunt; ita ut nullus remaneret, ſub pœna anathematis quin eorum prædicationibus intereſſet. Quo factum eſt, ut Barones multos, teſte Marino Sanuto, plurimos milites & populares, nec non Clericos cruce ſignarint.

Sanut. cit. l. 3. p. 11. c. 14.

Miraculo probatur prædicatio Crucis.

XXXI. Refert autem idem Pariſius patulum cujuſdam ex Minoritis miraculum, quo teſtatum voluit Deus, quam probatum habuit hoc opus ſanctæ crucis prædicandæ. Contigit, inquit, hoc anno III. Idus Junii in villa de Clare, ubi magiſter Rogerus de le Wes, frater quidam de Ordine Minorum, pro negotio crucis Evangelium in Dominica prædicavit, ut mulier quædam omni membrorum officio jam per triennium deſtituta, pœnam metuens excommunicationis, pauculum quod habuit argenti, cuidam viro ſibi vicino contulit, qui eam in humeris ſuis ad locum veheret prædicationis. Ubi cum gemens jaceret & lugens, quouſque vir Dei prædicationem abſolviſſet, motus compaſſione ſuper gemitibus mulieris, quam lugentem jacere conſpexit, acceſſit ad eam, atque cauſam ad quid illuc veniſſet, inquiſivit. Quæ cum diceret, quod metu excommunicationis ad locum ſermonis fuiſſet delata, præcepit ut iret in domum ſuam, neſciens quod membris omnibus eſſet diſſoluta. Sed cum aſtantes vicini ejus teſtarentur, quod omnium erat uſu membrorum, jam elapſo triennio,

pri-

privata, interrogabat, ſi crederet quod Deus potens erat ut ſibi, ſi vellet, redderet ſanitatem? Cui illa: Credo, domine. Tunc Vir Dei mulierem inter brachia complectens, levavit eam fiducialiter, & ait: ſanet te Deus omnipotens, in quem credis. Et cum mulier ad vocem jubentis ſe erigeret confidens in Domino, cœperunt oſſa ejus & nervi cum compagibus dum ſurgeret crepare, ut viſum ſit aſtantibus, quod omnia oſſa ejus in fruſta fuiſſent comminuta: & ſic mulier ſanitati priſtinæ reſtituta abiit in domum ſuam exultans, & magnificans Dominum, qui talem ſervis ſuis contulit poteſtatem.

XXXII. Licet vero hunc ex virtute & ſanctitate laudet Pariſius, alios tamen non leviter taxat ex Prædicatoribus & Minoribus, quod ampla per Pontificem auctoritate conceſſa abuſi ſint in tumorem & faſtum, Delegati facti Pontificis; ſui etiam juris effecti Sedi Apoſtolicæ immediati, ita quod ſolum Cardinales Legatos agnoſcebant ſuperiores. In tanta libertate & dignitate, in multis diſciplinæ regularis vigor attenuabatur, & vel invitis adhærebat pulvis gloriæ mundanæ, contagio item converſationis ſecularis, a quo eos retrahere non poterant Prælati eorum ordinarii regulares, qui quid in ſuis ſubditis requirendum & corrigendum ſit melius agnoſcunt. Tenere hoc ipſum deplorat illius temporis vir candidus & doctus, Thomas Cantipratanus Ordinis Prædicatorum, qui exemptiones hujuſmodi Regularium ab obedientia ſuorum Prælatorum, ut adhæreant viris Principibus pro cruce prædicanda, pro convertendis infidelibus, pro miſſionibus, vel aliis hujuſmodi quibuſcumque ab ipſis religioſis procuratos, novum vocat genus apoſtaſiæ. Et ne noſtro, inquit, tempore exortum malum intactum penitus prætermittam, novum genus apoſtaſiæ antiquus ille deceptor Diabolus adinvenit. Non ſolum de antiquis, imo, heu, de perfectiſſimis Ordinibus Fratrum Prædicatorum atque Minorum increverunt quidam, qui nec ſtatum ſuum, nec Ordinem reputantes, impudentiſſime ſe jungunt majorum conſortiis Prælatorum: ut per prædicationem crucis, aut alio aliquo officio mediante, a Prælatorum ſuorum obedientia penitus eximantur. Heu quam fera, heu quam peſſima, & ab omni profeſſione religionis aliena exemptio talis eſt! Et ideo juſta Dei vindicta viſum eſt, quod qualiſcumque neceſſitas incumbit Eccleſiæ, acta & diſpenſata per tales, vix finem bonum & debitum ſortiantur. Quin potius Prælati boni, ſuperiores Eccleſiæ in moderamine conſtituti, majoribus committent Ordinum Prædicatorum, atque Minorum; tamquam eis qui diligenter vultum ſui pecoris inſpexerint; ut tales de ſuis ovilibus aſſignarent, qui conſcientia timorata & viribus expediti non ſua quærerent, aut ſuorum; ſed pura, & pure quæ Chriſti; itaut unuſquiſque diceret, volo, teſte Chriſto, ſponſor eſſe pro talibus, ut ſi per eos debita negotia non proſperentur Eccleſiæ, mendax & perjurus inveniar in die tremenda ante faciem judicantis.

Ingens malum religioſorum vagantium extra obedienciam Prælatorum.

Cantiprat. l. 2. de adib. c. 3. n. 7.

XXXIII. Quo tamen in pretio tunc habiti ſunt humiles & obedientes eorumdem Ordinum Fratres, qui ſecundum regulares conſtitutiones vitam agebant pauperum a faſtu alienam, ex eodem Cantipratano, lepido obiter exponimus argumento. Vallis-Ducis, inquit, in Brabantia Monaſterium eſt, quod nobilis Dux Brabantiæ Henricus, hujus nominis ſecundus Margaretæ filiæ ſuæ ſub rigore Ciſtercienſis Ordinis, præparavit, Hujus primam Abbatiſſam vidimus nobiliſſimam Adeleidem, quæ naturali ingenio, virtute & gratia clara fuit: ad viſitandum autem Monaſterium Villarienſis Abbas Guillelmus, poſtea Clarevallenſis, ſecundum ordi-

Pauperes Minores præ aliis hoſpitio excepti.

Indidem c. 10. n. 8.

nem acceſſit. Tento capitulo, a quibuſdam accuſata eſt Abbatiſſa, quod Fratribus Prædicatoribus & Minoribus vinum daret & piſces, tunicas ad pauſandum lotas, & mundas concederet, & loturam pedibus eorum præpararet, & hæc omnia non faceret Monachis ſui Ordinis, cum venirent. Illa ergo quæſita & obtenta licentia reſpondendi, dixit: ut accuſant, ita eſt. Sed quid hæc rationis habeant audietis. Fratribus quidem Prædicatoribus & Minoribus vinum, & piſces, quandoque cum poſſum confero, quia unde emant, habere non poſſunt: veſtris autem Monachis id ipſum non facio, quia egredientibus, ut confido & ſcio, datur pecunia unde poſſunt emere & habere. Fratribus pedites egredientibus & in cœno lubricatis concedo veſtes mundas & tunicas, ut nocte poſſint quieſcere: Monachi autem noſtri equites vadunt, & in manticis ſuis tunicas & veſtes portant, quas cum voluerint, poterunt immutare. Loturam pedibus Fratrum facio procurari, quia ſudoribus ſordent & luto: Monachis autem idem non facio, quia equis altioribus inſidentes ab immunditiis talibus poſſunt conſervari. Hæc ut audivit venerabilis Abbas cum Monachis ſuis in riſum ſereniſſimum reſolvuntur, in muliere mentem nobilem & ſapientiam commendantes. „ Obiit hoc anno Senogalliæ „ beatus Arditius Vercellenſis ex familia Corradorum de Lignana mul„ tis miraculis illuſtris.

Additio Patris Lucæ Waddingi. B. Arditius Vercellen. Cimarel. 4. p. l. 9. l. 64.

XXXIV. Habuiſſe ſub hoc tempore Minores Fratres domicilia in Africa admonere viſum ex epiſtola honoraria Pontificia ad Regem Tunici, alias Tuneti, ad Stagnum, ſive ſinum Carthaginenſem in intimo illius receſſu conditi; qua fratrem Joannem Miniſtrum Ordinis Minorum in Barbaria cum ſocio ei commendat, eumque jubet audiri, eique credi in negotio quodam gravi, quod inter ipſum Pontificem & Regem agebatur. Forma litterarum ex Vaticano num 53. hæc eſt.

Miſſi ſecreti Nũcii ex Minoribus ad Regem Tunici.

GREGORIUS &c.

Regi Tunici.

Nobilitatis tuæ litteris debita benignitate receptis & eorum diligenter inſpecto tenore, ea quæ dilectus filius nobilis vir Oddo Adelardi, vir providus, & diſcretus tibique fidelis, ac in commiſſis a te prudentiæ tuæ negotiis ſtudioſus, & Simon Mele Cives Januenſes in noſtra præſentia retulerunt, diligenter audivimus tuæ devotionis affectum, & placitum reputantes. Verum cum ſuper his, quæ fuere propoſita tractatus ſolemnior exigatur, dilectum filium fratrem Joannem Miniſtrum Ordinis Minorum de Barbaria & .... fratrem ejuſdem Ordinis, quos benigne recipias & pertractes, ad tuam præſentiam duximus deſtinandos. Dilecto quidem fratri Joanni ſuper his, quæ tibi ex parte noſtra detulerit fidei plenitudinem largiaris. Datum Peruſii Idibus Maii anno nono.

XXXV. Circa hæc tempora extructum Minorum Cœnobium ad Fanum Fortunæ, quæ agri Piceni urbs eſt in littore Adriatico inter Piſaurum & Senogalliam, non longe a Metauro amne ſita, atque a pulcherrimo Fortunæ Templo in ea olim erecto, ſic dicta. Aliquantulum igitur ab hac Civitate, juxta præfatum fluvium Metaurum, atque Adriaticum littus, Fratres noſtri Conventulum ſub titulo ſanctæ Mariæ in Ponte primævis Seraphicæ Religionis noſtræ temporibus, favente ſibi Fa-

Gonz. in Prov. Marcb. Con. 45. Hiſt. MS. hujus Prov.

Conven. Fani.

Fanenſi Senatu ædificarant. Sed cum is locus eorum ſaluti, ob aëris intemperiem, mirum in modum obeſſet, ad alium Civitati viciniorem, multoque elegantiorem, piorum etiam Civium communibus eleemoſynis fabricatum, poſt aliquot annos ſe tranſtulerunt. Graſſantibus vero inteſtinis bellis atque diſſidiis in ipſa Civitate, dum Civium pars huic factioni, altera vero alteri deſervit, & hæc illam pellit, atque verſa vice ab illa iſta pellitur, cum Fratres diverſis calamitatibus agitarentur, plurimiſque militum injuriis expoſiti eſſent, curavit pia Communitas, ut ſancti Salvatoris parochia intra muros erecta, atque ad Patres Anconitani montis Camaldulenſes attinens, ſervato interim ſibi paſtorali jure, in Conventum, ſub titulo ſanctæ Mariæ Novæ, promoveretur, illiſque traderetur.

Conven. Milit.
Rodul. fol. 282.
Conv. Galeradi.
Idem fol. 273.
Idem fol. 261.
Conv. Collis.

XXXVI. Conventum ſancti Franciſci Militelli in Sicilia, Cuſtodiæ Drepani, Patrum Conventualium, hoc anno extructum, refert Rodulphus: nec non locum Galeradi, Cuſtodiæ Mediolanenſis eorumdem Patrum, eodem anno licet ſuſpicari, originem habuiſſe ex litteris Gregorii IX. Datis Peruſii II. Nonas Octobris, Pontificatus anno VIII. quibus Archiepiſcopum Mediolanenſem hortabatur, ut ſi quis ibi vellet concedere locum Fratribus Minoribus, ubi commode poſſent offerre vitulos labiorum ſuorum, non impediret. In Cuſtodia etiam Senenſi alium habent locum de Colle conſtructum hujus Pontificis tempore, & pia liberalitate ab oppidanorum univerſitate Fratribus donatum. Commiſit ſummus Pontifex Priori Senarum Ordinis Prædicatorum, ut nomine ſuo primarium jaceret lapidem, per Datum Peruſii V. Nonas Martii; quo vero anno ſui Pontificatus non plane conſtat. Floruit ibidem, præter alios, magiſter Joannes Tancredus de Colle, electus Romæ anno MDLXVIII. in Generalem Patrum Conventualium.

Variæ gratiæ factæ Monialibus.

XXXVII. Scripſit etiam Pontifex hoc anno VI. Kal. Februarii Conſulibus mercatoribus Senenſibus, circa adminiſtrationem bonorum relictorum Monaſterio Damianitarum a Vitali Donato fundatore, quæ ipſæ noluerunt admittere, & circa quæ alias Pontifex ſcripſit Conſulibus Pizzicarolis ejuſdem Civitatis, ut fideliter erogarentur in uſum pauperum Monialium. Damianitis Monaſterii ſanctæ Mariæ de Virginibus Faventinæ diœceſis confirmavit exemptionem ab ejuſdem urbis Epiſcopo conceſſam II. Kalendas Aprilis. Monialibus Monaſterii ſancti Apollinaris urbis Mediolanenſis extra portam Romanam, juxta foſſatum extructi, confirmat donationem factam Eccleſiæ prænominati Sancti per Henricum Settarium Archiepiſcopum Mediolanenſem (Franciſcanorum fautorem, qui eis Baſilicam SS. Naboris & Felicis conceſſit, atque in ea apud eoſdem ſepeliri voluit) & beneficiorum ibidem erectorum poſſeſſiones, dum per Clericorum mortem vacaverint V. Kalendas Aprilis, ſuper quo eodem die ſcribit ad Archiepiſcopum ejuſdem Civitatis Guillelmum de Rizolio; eiſdemque amplum concedit privilegium, inſerens ſuis litteris aliud conceſſum ab eodem Archiepiſcopo Guillelmo, & Capitulo Canonicorum III. Nonas Maii. Confirmavit etiam XI. Kalendas Junii privilegium exemptionis datum a Bonifacio Tudertino Epiſcopo Monialibus ſancti Laurentii de Collazzone; nec non Eccleſiæ ſancti Joannis de monte, vicinæ Monaſterio ſito extra ipſum caſtrum, conceſſionem eiſdem factam per dictum Epiſcopum, & Capitulum ſuum, reſervato ſibi jure cappellarum. Quæ conceſſio facta eſt fratri Forti Rainaldo Ormanolli, nomine Eccleſiæ Romanæ conceſſionem recipienti, præſentibus fratre Simone

(quem Simonem illum Comitiſſæ de Collazzone filium, de quo ſæpius loquuti ſumus, & nos inferius ſermonem inſtituemus, judicarim) & fratre Raynerio Ordinis Minorum, magiſtro Palmerio, & aliis. Eidem etiam Monaſterio amplum dedit privilegium x. Kalendas Auguſti. Donationes quarumdam villarum, multarumque poſſeſſionum factas hoſpitali ſancti Franciſci Pragenſis, intuitu, & ad preces ſororis Agnetis, per Primislaum Marchionem Moraviæ ejus fratrem, & Conſtantiam Reginam ejus matrem, validas eſſe voluit xv. Kalendas Junii. Privilegium dedit Monialibus omnium Sanctorum in ripa Arni, atque aliud exemptionis, nec non Templum omnium Sanctorum conceſſum eiſdem per Vitalem Archiepiſcopum Piſanum, Sardiniæ Primatem, ratum habuit x. Kalendas Auguſti. Eadem privilegii gratia eodem die affecit Moniales ſancti Laurentii inter vineas Urbevetanas, jam ante exemptionem donatas a Raynerio Epiſcopo Urbis veteris. Monaſterium Pragenſe, atque hoſpitale ſancti Franciſci, quod xv. Kalendas Auguſti prædicto Monaſterio annexuit, cum omnibus pertinentiis, in jus & proprietatem beati Petri, & ſub Apoſtolicæ Sedis gratia ſuſcepit, multiſque honeſtavit privilegiis viii. Kalendas Auguſti. Privilegiis affecit ſub menſe Auguſti Monaſterium ſanctæ Mariæ in campo Martio Veronenſe, confirmans etiam privilegium datum a Jacobo Epiſcopo Veronæ, nec non Monaſterium ſanctæ Mariæ & ſancti Georgii Eſculanum, inſerens gratias factas a Marcellino Epiſcopo Eſculano eiſdem Monialibus.

XXXVIII. Dedit ad Epiſcopum Boſnenſem, & Ordinis Prædicatorum, ac Minorum Præfectos Strigonienſes, litteras datas vii. Junii, quibus inhibet, ne in commiſſa eiſdem ab Epiſcopo Cardinali Præneſtino, tunc Apoſtolicæ Sedis Legato, denunciatione ſententiarum ſuarum, quam in Andream Regem Hungariæ duxerat promulgandas, abſque ſpeciali ſuo mandato procederent; ex quo deduxerim, & Andream canonizationi ſuæ filiæ Eliſabethæ ſupervixiſſe, & Minores ſub eodem Rege jam Strigonii ædes accepiſſe. Conceſſit univerſis Minoritis, ne poſſent conveniri per ullas litteras non facientes de his mentionem. Datæ vii. Kalendas Martii incipiunt, *Cum per ejus*. Conceſſit eiſdem v. Kalendas Martii litteris incipientibus; *Quieti veſtræ*, ne commiſſiones ullas cauſarum tenerentur accipere, quæ de hoc indulto non facerent mentionem. Confirmavit etiam v. Idus Martii litteras a ſe conceſſas anno ii. Pontificatus incipientes: *Nos attendentes*, quibus indulſit Minoribus habere Oratoria, cum altari viatico celebrare, atque alia id generis, reſervato tamen Parochis jure parochiali. Aliud dedit diploma xiii. Kalendas Junii incipiens: *Quo vos in Chriſto* ad univerſos Abbates & Conventus Ordinis Ciſtercienſis, ne amplius recipere auderent quempiam ex Fratribus Minoribus, niſi prius petita & obtenta licentia ejuſdem Ordinis Miniſtrorum. Alias tamdem litteras incipientes, *Cum qui recipit Prophetam* dedit viii. Kalendas Julii ad univerſos Eccleſiarum Prælatos, ut caritative recipiant Minores, quos eiſdem commendat.

SUP-

Digitized by Google

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. Recuperationi Terræ ſanctæ plurimum ſtudens Romanus, & ſupremus Pontifex Gregorius, huic negotio graviſſimo omnem diligentiam adhibebat: quamobrem non tantum ob id Archiepiſcopo Rhemenſi in Gallia ſcripſit: *Eamus ad JESUM &c.* IV. Kalendas Julii, ſed Belæ Hungariæ Regi, & ſanctæ Eliſabethæ Fratri pariter apoſtolicas litteras. *Sicut pro certo &c.* XVII. Kalendas Januarii direxit. Fridericum etiam Imperatorem pro Cruce ſignatis, dato diplomate *Excellentiam tuam &c.* Kalendis Aprilis admonuit, & aliq: *Ecce in regno &c.* Kalendis Martii ad expeditionem Hieroſolymitanam maxime adhortatus eſt; nec deſiit ad Cruceſignatos, & fratres militiæ Chriſti, ſuper eadem re ſolemnes epiſtolas; *Ne terra &c.* XII. Kalendas Martii deſtinare. Tandem pro Monaſterio Sanctimonialium Clariſſarum Montis Lucis Peruſini indulgentias; dato Brevi. *Si quibus &c.* Kalendis Septembris benigne conceſſit.

Diplomata pro Terræ ſanctę recuperatione.

Indicul. ex Oder. fol. 474. 475. 476. 479.

Indulgent. pro Mon. Mon. Lucis Peruſ.

Indiculus.

„ II. Inter hæc Ardutius Vercellenſis, quem Haroldus commemorat, Senogalliæ moritur, & ejus vitam Guillelmus Baldaſſanus Theologus eximius deſcripſit, ac etiam Illuſtriſſimus pater Britius, a quo ſequentia mutuati ſumus.

Ard. Verc. mor. Seno.

In epiſ. ad hunc an. 5.

„ III. Arditius, ſeu ut alii malunt, Arditionus, Patritius Legnani Vercellenſis diœceſis oppidi, ex nobiliſſima Conradi ſtirpe oriundus, cum Romam progrederetur, quo profecturum ad Apoſtolorum limina viſitanda ſolemni ſe voto obſtrinxerat, per Umbriam iter faciens, geminos divi Franciſci diſcipulos, Matthæum ſcilicet, & Martinum obvios habuit, ex quorum vultibus proſilientem lucem, & ſuos oculos perſtringentem cum ſuſtinere non poſſet, ſemivivus ad terram concidit. Interim in extaſim raptus, D. Franciſcum videre viſus eſt pro ſe exorantem, Chriſtumque illi reſpondentem, ejus orationibus novum ſibi ſervum acceſſiſſe. Hoc extatico raptu admirati Patres illi, propius acceſſerunt: cumque Arditium, caligantibus oculis, nil aſpicientem conſpexiſſent, eum, veluti alterum Paulum, ad Seraphicum hunc Ananiam ad manus traxerunt: qui cum Arditium benigne ſuſcepiſſet, poſtque ſalutationes, cœleſtes illi benedictiones precatus eſſet, cum iis verbis alloquutus dicitur. Ne mireris frater, quod exteriorem tibi lucem Chriſtus ademerit, interiorem maximo fęnore reſtituturus. Tempus eſt, ut viſum recipias, & Spiritu ſancto replearis, in cujus nomine tibi præcipio ut videas, ſub hæc verba, mirum! Arditius non exteriori tantum lumine, ſed ſpirituali etiam luce ſuperfuſus, cum linceis oculis mundi vanitates rimatus eſſet, nihilque in eis ſtabile, nihilque firmum inveniſſet, earum, ſuique contemptor evangelicam paupertatem, quam factis profitebatur, verbis etiam palam prædicare cœpit tanto quidem ſpiritu, & fervore, ut ejus doctrina non in ſecularibus academiis acquiſita, ſed cœlitus infuſa facillime dignoſceretur. Hic inter Franciſci familiares adoptatus, ab eodem Picænæ Provinciæ regimini præfectus fuit, in qua quatuor, & viginti Conventibus ædificatis, Ordinem mirum in modum auxit, ſalutaribus monitis, & inculpatæ vitæ exemplo, ceteris religioſe vivendi normam præbuit. Tamdem meritis clarus migravit ad Dominum an. MCCXXXV. die XIII. Novembris, VI. ab ejus ad Chriſtum converſione. Hæc Britius ſupracitatus.

Guil. Bal. in hiſt. SS. Pedemon.

Romam pergit.

Brit. Ser. ſubalp. lib. 4. de viris Illuſtr.

Convertit. ut alter Saulus.

Fit Miniſ. Prov. Pic. a B. P.

Obiit hoc anno 13. Novemb.

ARGUMENTUM.

Denuo creatur Elias Miniſter Generalis, ſed non ſine tumultu. Prædicatores & Minores profligant hæreticos Paterinos & Bugaros. Florent Rogerius de Marchia, & Ambroſius de Maſſa viri ſancti multis miraculis; multi item mirabiliter ad religionem vocantur. Pleriſque in locis novas ſedes acquirunt Minores; ſed laudatur Willelmus *Minorita Papæ Pœnitentiarius conſtitutus Crucis Commiſſarius in Gallia.*

Celebrantur Comitia generalia.

Marian. c. 9. Bern. a Beſſa Chron. ant. MSS.

Tumultuoſe creatur Elias Miniſter.

Marc. p. 1 lib. 1. cap. 4.

Anno 1230. n. 12.

I. HOc anno convocavit ad ſynodum generalem Primicerius Joannes Parens præcipuos Ordinis Patres. Frater Elias ſui genii & factionis viros quoſcumque admonuit celebrandorum Comitiorum; quibus ut intereſſent pro ſua in eum benevolentia, rogavit. Illi, quibus licuit, ex omni parte confluxerunt, ſui amici cauſam acturi. Conclave ingreſſis ſenioribus in profeſto Pentecoſtes, quod incidit in XVII. Maii, ſupervenere fautores fratris Eliæ irrumpentes in conſeſſum, & tumultuaria voce Eliam Generalem acclamantes, quem ſui Ordinis caput ſanctus Franciſcus conſtituit, cui moriens Religionem gubernandam commiſit, cujus propterea abrogationem injuſtam, & reſtitutionem neceſſariam contendebant, neque pluribus ambagibus uſi hominem arripiunt, & Generalis loco conſtituunt. Videns illorum temeritatem Joannes Parens tenere flevit, dolens vehementer, adeo potenter & cito in Ordine invaluiſſe dominandi appetitum, & diſciſſam in partes Religionem, ut in tantam prorumpendum fuerit inſaniam. Atque ut facilius tempeſtas ceſſaret, prodiit in aulæ medium, ubi habitum exuens, ſeminudus coram omnibus veniam male adminiſtrati regiminis petiit; deinde cum lacrymis & ſumma humilitate Generalatui renunciavit, cui ſe omnino dicebat imparem & indignum. His dictis nihil volens circa reaſſumendum, aut protrahendum officium audire, continuo exivit. Ita rem totam narrant Marianus, Bernardus a Beſſa, & Chronica antiqua; licet Marcus ante irruptionem in conclave dicat, Joannem Parentem officio ſponte ceſſiſſe, ſed prioribus, tamquam vetuſtioribus & fidelioribus, potius credendum judicarim. Facilius Eliæ ſectatores ceteros Ordinis Patres in ſuas traxerunt partes, ad quas oportuit vel vi, vel prece tamdem accedere; Elia tamen apparenter cunctis, quæ fiebant reſiſtente. Hinc magna orta eſt inter ceteros Fratres diſſenſio, quibuſdam pugnantibus pro Joanne Parente, pluribus Eliam acclamantibus. Non procul aberat Pontifex, quem utraque ſecta, deſtinatis nunciis, de peractis monendum curavit; ſed prius pervenerunt Eliani, qui Joannem Parentem ſponte officium abdicaſſe, atque in ejus locum Eliam ultro renitentem electum communibus ſuffragiis dixerunt. Addiderunt pro cautela, verum eſſe, quoſdam deſiderare, ut reſtituatur in priſtinum gradum prædictus Parens, eos vero paucos, & novitatum amatores; at Eliam omnes gravioris, ſolidioriſque regiminis zelatores ſummis votis percupere, atque tunc vel maxime, quando compererunt per Pontificis correptionem, & privationem Officii, ante aliquot annos humiliorem & perfectiorem evaſiſſe. Credens his Gregorius, nec non recordatus contritionis & pœnitentiæ, quam oſtendit Elias deturbatus a ſede per eumdem Pontificem, propter quam poſtea doluit, eum ab Officio removiſſe, gaviſus eſt, oblatam ſibi fuiſſe occaſionem hominem reſtituendi ad dignitatem, quam pœnitebat, ut diximus, præripuiſ-

ſe.

Digitized by Google

ſe. Quare, remiſſis placide nunciis, confirmavit Eliam in Officio, conſolatuſque eſt eos, qui Joannis Parentis partes agebant.

Joannes Parens tranſit in Corſicam.

II. Nihil minus Parens cogitabat, quam depoſitum onus reaſſumere; quare manens in ſua humilitate, & in bono perſeverans propoſito, tranſivit in Corſicam, Liguſtici maris inſulam, a Sardinia ſexaginta ſtadiis diſtantem. Antea non penetraſſe illuc noſtram Religionem notant Chronica antiqua & Marianus; ſed Gonzaga a ſancto Franciſco illuc miſſum hunc ipſum Parentem ſcribit. Fortaſſis, dum in prima transfretatione nihil profecit, nunc denuo regreditur, fructum incultarum ſitiens animarum, multos ibidem hæreticos convertiſſe, uxoratos, & concubinarios Sacerdotes ad caſtitatem & pudicitiam reduxiſſe, gentem efferam ad rationis tramitem revocaſſe, eadem aſſerunt Chronica, & Marianus. Sed & anno ſequenti Pontifex Gregorius, audita diſſolutione Cleri, miſſo diplomate, quod habetur in ejus regeſto, ordinavit ut revocaretur ad Eccleſiaſticam diſciplinam. In vicinam inſulam Sardiniæ, ita dictam a Sardo Herculis filio, ſub hoc tempore e Corſica transfretaſſe aliquos puto ex hujus Parentis præcepto, licet Gonzaga dicat, credi ab accolis illuc navigaſſe, ſuperſtite ſancto Franciſco. Sed prius habuit Minoritas, eorumque Domicilia Corſica quam Sardinia: ego fateor, nihil certi me adhuc comperiſſe; neque enim ulla ſunt Sardorum monumenta, quæ conſulamus. Solutis autem Comitiis, Elias zelum præferens reformandi Sodalitii, miſit per univerſas Provincias viſitatores, quibus præcepit ut mores reſtituerent, rigoroſe viſitarent, corrigerentque abuſus, tam in capite, quam in membris. Licebat tunc Miniſtro Generali quoſcumque ex inferioribus, ſeu Provincialibus Miniſtris ſua abſoluta auctoritate ab Officio dimovere, alium quemcumque ſubrogare, & ſimiliter eiſdem Miniſtris, ac Cuſtodibus fas erat eadem uti dominandi poteſtate circa Guardianos.

Chron. anti. Marian. cap. 9. Gonza. in proœm. Prov. Corſicæ. Bern. a Beſſa regeſt. epiſt. 131.

Gonza. in proœm. Prov. Sardin.

Elias mittit per Ordinem viſitatores.

III. Sub hoc anno ſcribit Matthæus Paris, invaluiſſe hæreticam pravitatem illorum, qui vulgariter dicebantur Paterini & Bugares, in partibus Tranſalpinis, adeo quod fidei puritatem in finibus Franciæ & Flandriæ auſi ſint perturbando violare. Sed diligenti miniſterio, & indefeſſa prædicatione Minorum & Prædicatorum, Theologorumque, præcipue Fratris Roberti de Ordine Prædicatorum (qui cognomento Bugre dicebatur, quia ab illa converſus, habitum ſuſcepit Prædicatoris) qui malleus hæreticorum dicebatur, confuſa eſt eorum ſuperſtitio, & error deprehenſus. Quamplures autem ex utroque ſexu ad fidem converti refutantes, fecit incendio conflagrari, ita quod infra duos, vel tres menſes circiter quinquaginta fecit incendi, vel vivos ſepeliri. Idem etiam eodem anno ſcribit, factam prædicationem ſolemnem tam in Anglia, quam Francia a Fratribus Prædicatoribus & Minoribus, & aliis famoſis Clericis, Theologis, & Religioſis, per authenticum Domini Papæ, cruce ſe ſignaturis plenam concedentibus peccatorum indulgentiam, de quibus confeſſi vere fuerint pœnitentes. Qui Civitates, caſtella, & pagos peragrantes, & in temporalibus multa remedia promittentes, ſcilicet de uſuris contra Judæos ne amplius exigerentur, & protectionem Domini Papæ in redditibus, & rebus impignoratis pro viaticis ſuis omnibus cruce ſignatis, infinitum populum ad votum peregrinationis accinxerunt.

Paris ann. 1236. fol. 236.

Prædicatores & Minores profligant hæreticos Paterinos.

Prædicant crucem.

IV. Obiit ſub hoc ipſo tempore Fr. Rogerius ſive Rugerius de Marchia, quem ſupra monuimus confudiſſe Marianum cum Rigerio Mutiano. Diverſos autem eſſe vel ex cognomento locorum planum eſt, nam

Anno 1220. n. 8. tom. 1.

Beatus Rogerius de Marchia.

Mu-

Digitized by Google

Mutia inter Inſubres in Lombardia Tranſpadana ingens rivus eſt, & Mutianum oppidum rivo vicinum, non obſcurum; Marchia Piceni regio eſt a Mutia longe diſtans; Rigerius ſub Innocentio IV. diem clauſit extremum, Rogerius vitæ terminum poſuit ſub Gregorio, atque ita ſeparatim de utroque ſcribit Petrus Rodulphus. De Rogerio agunt Philippus Ferrarius in catalogo Sanctorum Italiæ, & in Topographia Martyrologii, Joannes Baptiſta Poſsevinus inter ſanctos Eccleſiæ Tudertinæ, Joannes Molanus in additionibus ad Martyrologium Uſuardi, ſed omnibus abundantius Bernardus de Beſſa ſancti Bonaventuræ ſocius ex quo hæc præcipua delibamus. Sub ipſo inſtitutore Franciſco Ordinem ingreſſus eſt, quo magiſtro, tam perfecte ſpiritum induit paupertatis, ut nihil prorſus admitteret præter habitum & femoralia. Spiritu prophetico multa clare prædixit, præclaras quaſque aſſecutus virtutes, propter quas ſtatim ab obitu non dubitavit Pontifex, eum vere ſanctum proclamare, & concedere, ut in Civitate Tudertina, ubi requieſcit, ejus feſtum celebraretur. Non indixit ejus cultum ritu ſolemni, neque publico dato, uti ego judicaverim, diplomate, cujus nullum reperi in Pontificio regeſto veſtigium, quod in cauſa fuit, ut paulatim negligeretur, donec noſtris prope temporibus Angelus Cæſius Tudertinus Epiſcopus illum renovavit, non cœpit, ut habet Ferrarius; jam enim celebrabatur ejus memoria ſub dicti Bernardi tempore, & ſane non niſi ex antiquis tabulis, Joannes Molanus ita addidit ad Martyrologium Uſuardi: *Tuderti Tuſciæ ſancti Rogerii Confeſſoris Ordinis Minorum; cujus memoria ibidem celebratur conſenſu Gregorii IX.* Diſcrepant circa diem mortis Ferrarius & Molanus, ille ſub v. Martii, hic ſub v. reponit Januarii.

Rodul. fol. 128.

Plura operatur mirabilia.

V. Miracula hæc feciſſe refert Beſſa. Mulier quædam paralyſi diſſoluta ſub ejus morte ad tumulum perlata, brevi oratione miſericordiam a Deo per merita ſui ſervi Rogerii deprecata, in conſpectu Fratris Conſervi, ſancti Viri ſocii, aliorumque plurimorum virorum, repente evaſit incolumis. Eodem die mulier altera, Sancia nomine, retortis pedibus clauda, aliiſque membris deformata, vigilias ad tumulum ſancti Viri protrahens, perfectam conſecuta eſt ſalutem. Teſtatus eſt Fr. Simeon Narnienſis præſtito juramento, ſe, aliiſque præſentibus, puerum a nativitate claudum ſanum repente ad eumdem tumulum exiliiſſe. Valentinus puer ſiniſtri oculi viſum, Maria de caſtro Megii phrenetica paſſione in varias mutata figuras, veſtes diſcerpens, aliquando latrans ut canis, alias ut bos mugiens, integri evaſit judicii. Sabina de Forgniola uxor Petri Bonfilii annos duos graviſſima infirmitate laborans, atque in inſaniam collapſa, priſtinæ reſtituta eſt integritati. Terracellus Tudertinus offenſam habens oculorum albuginem, nihilque videns, ad tumulum ſancti Viri conſtituta, per ejus merita deſideratum cœli lumen aſpexit. Cum hoc Rogerio in eodem Tuderti Templo requieſcit beatus Petrus de Galliculo, de quo non plene conſtat, quando diem ſuum obierit.

Beatus Ambroſius de Maſſa.

Marian. cap. 9. Rodul. fol. 73. Piſa. conf. 8.

VI. Non longe autem ab obitu Rogerii deceſſit beatus Ambroſius de Maſſa, dum utrumque ſub eodem tempore reponit Marianus: vir fuit vitæ probitate, & lectiſſimis moribus conſpicuus, ab infantia viam ſimplicitatis ingrediens, a vitiis quibus generatim ſcatet mundus, animum ſuum conſervare ſatagebat, qui in primo pubertatis flore, litterarum ſtudiis diligenter incumbens, adoleſcentiæ initia Domino conſecravit. In Civitate itaque Meſſana habitum beati Franciſci humiliter ſuſcepit,

atque

atque omnes facultates ſuas pauperibus erogavit, ſic in fame, & ſiti, in frigore, & nuditate, aſperam vitam duxit: nudatiſque pedibus incedens huc illuc prædicando verbum Dei, obtulit ſe Domino ſacrificium medullatum. In oratione frequens, ſtatum conſcientiæ ſuæ plerumque fletibus irrigabat; pane & aqua contentus, concupiſcentiæ carnalis incendia ſuperabat: Fratribus & ſecularibus humanitatis cujuſque obſequium ſtudioſius miniſtrabat: in illatis ſibi moleſtiis patiens, ſi forte verbo vel facto alicui intuliſſet injuriam, mox chorda cervici appenſa veniam ſuppliciter petebat. In his beatus Ambroſius perſeveravit ad annos quindecim, donec præſentiens mortis ſuæ tempus, ad Urbem veterem ſe contulit, ubi Fratri Tobiæ fido ſocio diem & horam ſui tranſitus inter Nonam & Veſperas prædixit. Nocte autem, quæ tranſitus diem præceſſit, ſub hora matutina exhilarato vultu, angelico delectatus aſpectu, prænunciavit cujuſdam amici ſui mortem, ſeque mox ſequuturum.

VII. Ante ac poſt mortem miraculis claruit; nam in eadem Civitate puellam a carbunculo moleſto nimis liberavit, facto crucis ſigno, cujus perpetua impreſſa carni remanſit effigies. Ibidem altera coram eo conſtituta quatuor annis a dæmone vexata, & in furiam acta, ita ut a quatuor hominibus non poſſet detineri, ad ejus imperium perfecte eſt liberata. Poſt mortem vero tot mirabilia per eum operatus eſt Dominus, ut Senatus, Populuſque Urbevetanus apud Pontificem egerint de Viro ſancto canonizando. Dedit ille litteras ſequentes ad Epiſcopos Urbevetanum, Suanenſem, & Priorem ſancti Joannis de Platea Urbevetanum Ordinis ſancti Auguſtini; quas ex Vaticano regeſto ſub anno XIV. n.41. tranſcripſimus, quæ per omnia ferme eædem ſunt cum iis, quas beati Benevenuti miraculis examinandis dediſſe, diximus ſuperius.

Vivus claruit miraculis.

Ea jubet Pontifex examinari.

Ann.1232. n.19

GREGORIUS &c.

Urbevetano & Suanenſi Epiſcopis, & Priori ſancti Joannis de Platea Urbevetani Ordinis ſancti Auguſtini.

DEi ſapientia, qui Eccleſiam ſuam ineffabilibus renovat ſacramentis, ut virtutis ſuæ potentiam mirabiliter manifeſtet, & ſalutis noſtræ cauſam miſericorditer operetur, fideles ſuos, quos coronat in cælis, frequenter etiam honorat in terris, ad eorum memoriam ſigna faciens & prodigia, per quæ pravitas confunditur hæretica, & fides catholica confirmatur. Nos ergo quas poſſumus, Patris æterni Filio gratiarum referimus actiones, quod in diebus noſtris ad honorem & gloriam ſui nominis, & ut devotionis affectum multiplicet ejus ſanguine pretioſo redemptis, innovat ſigna, & mirabilia potenter immutat, faciens illos coruſcare miraculis, qui fidem catholicam, corde, ore, & opere tenuerunt. Sicut enim dilecti filii Conſilium & populus Urbevetanus nobis ſuis litteris inſinuarunt, quod virtutum Dominus tantam piæ memoriæ Fratri Ambroſio de Ordine Fratrum Minorum contulit gratiam, & quod tot & tantis coruſcat miraculis, ut dignum ſit ejus inter alios Sanctos invocari ſuffragia precibus humilibus & devotis. Quare a nobis ſuppliciter petierunt, ut ſuper his, quæ per ipſum divina pietas operatur, teſtimonia recipi faceremus: verum quia in tam ſancto negotio, non eſt niſi maturitate & gravitate prævia procedendum, diſcretioni veſtræ de qua in Domino fiduciam plenam gerimus, per Apoſtolica ſcripta mandamus,

Digitized by Google

mus, quatenus, aſcitis vobis viris religioſis Deum timentibus, de operibus, & miraculis dicti Fratris juxta formam quam vobis ſub bulla noſtra mittimus, diligentiſſime inquirentes, depoſitiones teſtium receptorum in duobus, vel tribus religioſis locis, ſub ſigillis veſtris ſervari faciatis incluſas, uſque ad noſtræ beneplacitum voluntatis. Datum Laterani VI. *Idus Junii anno* XIV.

Ad finem litterarum præſcribitur modus examinandi teſtes ſub hac formula verborum tunc uſitata: *Teſtes legitimos, quos ſuper vita, converſatione, ac miraculis recolendæ memoriæ Fratris Ambroſii debetis recipere, prius ab eis præſtito juramento, diligenter examinare curetis, & de omnibus, quæ dixerint, interrogatis eoſdem quomodo ſciunt, quo tempore, quo menſe, quo die, quibus præſentibus, quo loco, ad cujus invocationem, & quidquid verbis interpoſitis, & de nominibus illorum, circa quos miracula facta dicuntur &c.*

Examinata multa ejus miracula.

VIII. Omnem illi Prælati operam poſuerunt in perquirenda miraculorum veritate, compereruntque, ad ejus invocationem & tumulum contractos quatuordecim ſolidatos, a morbo caduco quatuor, a dæmone duos, ab hernia quatuor, a vario ulcere ſex, a fiſtula unum, item a carbunculo alterum, a diverſis infirmitatibus quatuor, a morbo perniciali unum, item a cardialgia unum, a cœcitate & ſurditate plures, a ſanguinis fluxu unum, a deſenteria ſex, annexum alterum, a malo partu fœtus, per quatuor menſes in utero mortui, devotam mulierem; puerum ab ulcere pituitoſo, & corroſione oſſis mirabiliter ſanavit; ſed & ultra hæc, ſeptem mortuos ad vitam revocavit. Hæc miracula cum mulier quædam Urbevetana derideret, ſtatim percuſſa eſt a Domino cœcitate oculorum. Sed cum ex corde pœniteret, erratique veniam depoſceret, poſt aliquos dies viſum ad tumulum ejuſdem ſancti Viri recepit. Agebat de homine connumerando inter Sanctos Pontifex Gregorius, quod & feciſſet, niſi morte præveniretur. Hujus Ambroſii magiſter Fr. Moricus unus ex duodecim ſancti Franciſci diſcipulis, de quo nos alias egimus, in eodem Conventu Urbevetano requieſcit miraculis clarus, nec non vir alter beatus Severinus nomine, qui mirabilium etiam gloria coruſcavit.

Beatus Moricus. *Ann.*1209. *n.*18. *tom.*1. B. Severinus.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Beatæ Philippæ Mareriæ virtus prænunciata.

„ IX. Mortua eſt hoc anno beata Philippa Mareria ex tractu Cicu-
„ lano, diœceſis Reatinæ, patre Philippo, matre Imperatrice, proſa-
„ pia, boniſque fortunæ illuſtribus. Dum mater eam geſtaret utero,
„ nullam gravedinem, neque in partu ullum ſenſit dolorem. Paulo
„ antequam pareret, vidit in ſomnis peregrinum, aſpectu mirabilem,
„ ſibi florentem palmam porrigentem, & paulo poſt auferentem: qua
„ viſione, rerum eventu, intellexit, tunc ſibi indicatum, Dei dono
„ datam ſibi illam filiam, virtute florentem, palmaque devicti hoſtis
„ dignam, ſed cito præripiendam, ut in divinis caſtris glorioſius trium-
„ pharet. Ætate creſcens, gratia creſcebat & decore, omnibus grata,
„ omniumque judicio ſortem tranſgreſſura communem. Linguam edo-
„ cta latinam, ſacræ ſcripturæ lectione, & magiſtro, qui myſticos do-
„ ceret ſenſus, mentem recreabat, curabatque opere complere, quod
„ verbo percipiebat. In tenella ætate nihil puellare, neque ridiculum
„ apparebat, ſed omnia mira modeſtia compoſita ſpecimen dabant fu-
„ turæ ſanctitatis.

Anni puellares.

„ X. Magno ſuo bono bonum conſecuta eſt præceptorem ſanctum Fran-

„ Franciſcum, a parentibus hoſpitio exceptum, dum aliquando vallem, „ parteſque luſtrabat Reatinas, in quibus multa diximus, ſacra adhuc „ apparere, ab eo felicta veſtigia. Ab illo, piiſque conſodalibus illac „ declinantibus mundi hauriens contemptum, dum plenis nubilis annis „ a multis proceribus expeteretur, & pater unum proponeret, con- „ ſtanter reſtiſtit, dicens, ſe illo potiorem prælegiſſe ſponſum, cui im- „ pretiabilis doni theſaurum, integerrimam ſtatuit conſervare virgini- „ tatem. Importune tamen urgentibus parentibus, prociſque paſſim „ impellentibus, ſe ſubtrahere decrevit, & in domus paternæ angulo „ ſecreto, clauſoque latitans cubiculo, nulli præterquam parentibus, „ neceſſarioque famulitio aditum permiſit. Sed hic etiam valde mole- „ ſtum, ubi ſenſit, Thomam fratrem conſanguineum nuptias ſuadentem, „ tonſis crinibus, honeſtaque ſed humili induta veſte, cum paucis fœ- „ minis, iiſque ſui conſciis propoſiti, ad montana Marerli clam perrexit, „ ubi ſe, ſociaſque divinæ protectioni commiſit, vitam ductura eremiti- „ cam, donec Deus quid eam facere vellet, edoceret. Cœli injurias, „ hominumque acceſſus prohibitura, advocavit operarios, qui muris „ locum cingerent, & intus ſuis cellulis diſtribuerent.

Non vult nubere.

Fugit in Montana.

„ XI. Admiratus Thomas virginis conſtantiam, vitæque a mundo „ ſemotæ cupidinem, eamque a Deo inditam dijudicans, ad montem „ aſcendit, moleſtiæ ſorori illatæ veniam petiit, utque cum ſociis re- „ cluſa decentius, commodiuſque vitam cœlibem duceret in Dei famu- „ latu, ei obtulit Eccleſiam ſancti Petri, quæ patroni jure ad ipſum „ ſpectabat, ſpondens inſuper ædes additurum contiguas. Virgini nihil „ hac oblatione magis gratum potuit accidere; acceptata proinde do- „ natione, præparatoque Domicilio, cum conſortibus deſcendit de monte, „ vitam ductura ſecundum normam a ſancto Franciſco virgini Claræ „ Aſſiſiati, ejuſque Fratribus præſcriptam. Inſtauratis ædibus in Mo- „ naſterii formam, & liberatis ab omni onere patronatus ac ſervitutis, „ multæ ex conſanguineis, neptes aliquæ, & ſoror jam ſponſo oppigno- „ rata, partim ſuaſu, partim exemplo Philippæ idem ſubierunt Inſtitu- „ tum. Harum dotibus, ſuaque a patre accepta portione, illam fabricam „ auxit, officinas adjunxit, neceſſaria quæque, præſertim cultui divino, „ præparavit. Spirituali vero ædificio promovendo ſollicitior, nihil „ omiſit, quod a pia matre, vel a bona magiſtra poſſet expectari.

Monaſterio donatur.

Regulam amplectitur S. Franciſci.

„ XII. Nihil illa humilius, ad vilia quæque miniſteria obeunda pa- „ rata; nihil amabilius, caritatis officiis Sorores ad quæcumque volebat „ inducens; nihil ad obſequendum promptius, ubi maxime de præce- „ ptis eccleſiaſticis, vel ſui inſtructoris Fr. Rogerii Minoritæ, viri „ pietate, & miraculis præclari, qui omnium confeſſiones excipiebat, „ agebatur. Corpus ita affligebat jejuniis, ut vix pedibus inſiſtere poſ- „ ſet; otium, animæ blandum inimicum, attente fugiebat conſilio utens „ manuum ſuarum pro conſodalium beneficiis. In infirmitatibus, qui- „ bus ſæpe affligebatur, doloris aculeos Dei dicebat favores, quibus „ virtus perficitur, & proinde cum vehementius pungerent, illa repe- „ tebat verba: *Deus noſter refugium, & virtus, adjutor in tribulatio-* „ *nibus, quæ invenerunt nos nimis*. A divitiis, boniſque cumulandis plu- „ rimum abhorrebat, neque volebat, ut Sorores cogitarent de craſtino, „ ſed ſpem omnem in Deo ponentes, quæ neceſſitatem ſuperabant, pau- „ peribus exhiberent. Jucundiſſimas reputabat voces pro Dei amore „ mendicantium, quibus dicebat, mentes fidelium ad opus meritorium

Ejus virtutes.

„ invitari, & ad fraternam caritatem accendi. Tribulatis & afflictis te„ nerrime compatiebatur, multo magis iis, qui mente & ſpiritu lan„ guebant; in peccatis vero ſordeſcentes, quibus poterat modis ora„ tione, conſiliis, miſſis deprecatoribus, ut e cœno vitiorum reſurgerent, „ adjuvabat. Superbas, & arrogantes ſua humilitate confundebat, „ paucique erant, qui ab ejus colloquio non redirent meliores.

Orationis efficacia.

„ XIII. In oratione ferventiſſima magna quæque a Deo impetrabat. „ Rogerii de Montana viri nobilis filiam, Imperatricem nuncupatam, „ Philippæ neptem, Monaſterium ingreſſam pater & fratres venerunt „ repetitum, magniſque clamoribus, & minis effecerunt, ut redderetur. „ Dum egrederetur, pœnituit Abbatiſſam reddidiſſe, protinuſque in „ genua procumbens, oravit Dominum, ut ſiſteret, ne abiret; ſtatim„ que tanto pondere eam fixit Spiritus ſanctus, ut loco quotquot erant „ conſanguinei, dimovere non poſſent, inſtar Luciæ Siracuſanæ, & „ Agnetis Aſſiſiatis. Oravit pro Margarita filia viri illuſtris Bernardi „ de Valviano, ore ex morbo monſtruoſe diſtorto fœdiſſima, ſtatimque „ ſuo decori reſtituta eſt. Celleraria conquerente, parum ſupereſſe fru„ menti, ut in Domino confideret, exhortans, oravit, in horreum de„ ſcendit, triticum manibus revolvit, quod in multos menſes excrevit, „ & ad meſſem uſque abundavit. In feſto Paſchatis, quod illa ſolemniſ„ ſime propter Chriſti victoriam de hoſte reportatam, celebrabat, pau„ cos in menſa appoſitos panes, ſanctæ Claræ imitatrix benedixit, qui „ per omnes octavæ dies ſuffecerunt. Subditarum corda penetrabat, & „ ſecundum uniuſcujuſque neceſſitatem remedia exhibebat. Per cogi„ tationes vanas, & ineptas divagantes, vel iram, aut odium in corde „ foventes, ſuavi corrigebat admonitione, perſiſtentes acriori curabat „ medicamine.

Pie moritur.

„ XIV. Tamdem gravi affecta languore cum ſuæ reſolutionis tempus „ inſtare divinitus cognoſceret, tribus ante obitum diebus Sororibus „ prædixit verbis adhibitis conſolatoriis, & ad virtutes quaſque exhor„ tatoriis. Perſeverantiam in bono, pacemque religioſam ſuper omnia „ commendavit, ſermonem iis verbis claudens: *Pax Domini, quæ om„ nem exuperat ſenſum, cuſtodiat corda veſtra, & intelligentias veſtras „ in ſuo famulatu*. Acceptis demum ſacramentis, cum ante triduum „ Chriſtum videret ſibi cœlum aperientem, ad eum, concinentibus „ prædicto Fratre Rogerio, aliiſque Fratribus, & Monialibus, fœliciter „ migravit, XIV. Kalendas Martii, die Dominica, ſub noctis medium. „ Antequam illuceſceret, vox inſonuit per vicina caſtra, & villas, ſan„ ctam Virginem obiiſſe, ac ſummo mane undique accurrerunt viri, & „ mulieres, atque ex clero multi cum cereis, per ejus merita Dei bene„ ficia imploraturi. Die ſequenti cœpit coruſcare miraculis, celebra„ tiſque ſolemniter exequiis, & ex roſtris ejus prædicante virtutes, & „ gratias, quas a Deo recepit, Fr. Rogerio, honorifice peculiari con„ dita eſt ſepulcro. Compendium iſtud ipſius vitæ, collegimus ex le„ ctionibus novem, quas illius Monaſterii Sorores in ipſius feſto reci„ tant. Officium eſt vetuſtum valde, omniaque habet propria, tam „ Antiphonas, quam Hymnos, & Reſponſoria. Impreſſum eſt Romæ „ anno MDXLV. apud Valerium Doricum, & Ludovicum Fratres Brixia„ nos, adjunctis ſub finem viſionibus, per quas ipſa tranſitus nocte „ innotuit quibuſdam perſonis, eam deceſſiſſe, & miraculis viginti no„ vem per teſtes idoneos coram publico Notario comprobatis. Tem-

Miraculis coruſcat.

plum

„ plum illud in die prædicto, quo deceſſit, ejuſque colitur memoria, „ inviſentibus indulgentias conceſſerunt, Thomas Epiſcopus Reatinus, „ anno MCCLIII. Goffredus Biſſinianenſis Antiſtes anno MCCLXXVI. & „ Innocentius IV. quorum diplomata illic conſervantur illæſa. Summi „ Pontificis conceſſionem iſthic exſcribo.

INNOCENTIUS EPISCOPUS &c.

Dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſæ & Conventui Monialium incluſarum Monaſterii ſancti Petri de Mileto Reatinæ diœceſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

„ XV. *Licet is, de cujus munere venit, ut a fidelibus ſuis digne & laudabiliter ſerviatur, de abundantia pietatis ſuæ, quæ merita „ ſupplicum excedit & vota, benefacientibus multo majora retribuat, „ quam valeant promereri: nihilominus tamen deſiderantes reddere Do„ mino populum acceptabilem, fideles Chriſti ad complacendum ei, quaſi „ quibuſdam illectatos muneribus, indulgentiis ſcilicet, & remiſſionibus „ invitamus, ut exinde reddantur divinæ gratiæ aptiores. Cupientes igitur „ ut Eccleſia veſtra congruis honoribus frequentetur, omnibus vere pœni„ tentibus, & confeſſis, qui Eccleſiam ipſam beati Petri & Pauli, ſan„ ctorum Philippi, & Jacobi, & ſanctæ Philippæ feſtivitatibus annis ſin„ gulis venerabiliter viſitaverint, omnipotentis Dei miſericordia, & eo„ rumdem beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, „ quadraginta dies de injuncta ſibi pœnitentia miſericorditer relaxamus. „ Datum Lugduni v. Kalendas Julii Pontificatus noſtri anno v.*

XVI. Satis per hoc tempus diffundebatur ubique fratris Alexandri Alenſis doctrina & religio, quem plurimi viri præſtantes imitati ſunt, e quibus hi celebriores, Odo Rigaldi clarus genere, moribus præclarior, poſtea invitus aſſumptus ad Archiepiſcopatum Rothomagenſem, ita boni paſtoris munus exercuit, ut forma Præſulum diceretur, neque prædicationis officium, in quo egregie præexcellebat, aliquando dimitteret; frater Guillelmus Almoych, frater Gualterus Ceton Anglicus, frater Robertus Chelephath, frater Adam Pariſienſis, quorum tres ultimi quatuor libros ſententiarum commentati ſunt. Fuit ex his unus qui in tirocinio valde hæſitabat in Trinitatis myſterio, neque percipere aut credere valebat quomodo cum unitate eſſentiæ cohærere poſſet Trinitas perſonarum, quantumcumque hæc ſibi explicaverit Alenſis. Obnixius tribulationem ſuam Domino commendabat, a quo tamdem ſe exauditum per angeli miniſterium accepit. Deinde placido correptus ſomno, vidit ipſum illud dubium exagitari inter Doctores Academiæ Pariſienſis, & tamdem illud docte aperuiſſe Alenſem, factam vero ſibi vocem ut eidem adhæreret determinationi. Sopita hac difficultate, ſtatim exorta eſt alia circa Verbi incarnationem, quam etiam Chriſtus ſuſtulit apparens crucifixus, & e lateris vulnere ſanguinem abunde diffundens.

Claret Alenſis. *Marian. cit. Chron. antiq.* Item Odo Rigaldi. Alii etiam viri præclari. Dubia tironis mirabiliter aperiuntur.

XVII. Mirabilibus item viſionibus alii ad Religionem tunc temporis vocati, quorum aliquas hic referemus ex antiquis noſtris Auctoribus. In eodem Conventu Pariſienſi Minorum habitum induit Clericus quidam lubricus & immundus, ſed in moderanda philoſophiæ cathedra præclarus. Hæc illa vocationis ſeries: Poſt laxatas libidini habenas, ad mortem ægrotavit,

Chron. antiq. Bern. a Beſſa. Doctor præclarus mirabiliter ad Ordinem vocatur.

vit, nihil minus cogitans, quam de peccatis confitendis, nullum putans tam effræni peccandi conſuetudini miſericordiæ locum relictum. Hortati ſunt nihilominus familiares & domeſtici, ut Chriſtianos ritus, ſalutariaque Sacramenta non negligeret, & ſuperinduxerunt, poſt alios repulſos confeſſarios, Minoritam. Hunc etiam ſprevit cum aliis. Retraxit ſe Vir religioſus in vicinum cubiculum, & pro deſperato peccatore Chriſtum crucifixum cum lacrymis oravit. Statim viſum eſt infirmo, ex profundo & ſulphureo puteo aſcendiſſe draconem teterrimum, ut hianti ore ſe devoraret. Exclamavit voce magna, ut ſibi ſuccurreretur, ſublatiſque in cœlum oculis, vidit Chriſtum crucifixum, & ad pedes ejus Minoritam pro ſua ſalute deprecantem, ſed illud accipientem reſponſum: non exaudieris, neque hujus miſerebor, niſi obduratum animum inverecundus flectat peccator, atque ea, in quibus ſæpius & graviter me offendit, confiteatur. Audiens ille hoc ſolum peti, ſtatim advocari fecit Fratrem religioſum, & per dies aliquot de perfecte mundanda conſcientia ſerio cum eo egit. Cum peccatis viſus eſt infirmitatem depoſuiſſe, nam illico, terminata confeſſione, cœpit convaleſcere, & poſtea factus eſt ejuſdem cum confeſſario ſodalitii.

Similiter alius. XVIII. Alibi alius Sacerdos carnis opera ſequutus, variis infirmitatibus, interioribuſque impulſibus ad pœnitentiam vocatus, ſemper procraſtinabat vitæ melioris propoſitum, donec nocte quadam apparuit Chriſtus crucifixus, oſtendens ei quinas acceptas in cruce cicatrices, ſanguine manantes, & dicens: hæc ego pro te pertuli, & in meo ſervo corpore recentia, ut recenti meæ paſſionis memoria inveterati mali, & duri pectoris peccatores ad pœnitentiam adducam. Hoc audito, contremuit miſer emollito corde, & die ſequenti humiliter Franciſcanum amplexus eſt Inſtitutum. *Nec non alius Sacerdos.* Alter Sacerdos beatæ Virgini Mariæ addictus, meruit per ſancta, quæ ei quotidie offerebat obſequia, ab eadem viſitari, & præmoneri, caſtrum in quo habitabat, igne e cœlo devorandum, ob blaſphemias in Chriſtum & in eamdem ejus Genitricem prolatas, nec non ob immundum & neglectum a Sacerdotibus cultum Sacrorum. Ille vero ſibi conſulens interrogavit, quo ſe ſalvaret loco? Cui reſponſum; in Ordine pauperum & humilium Fratrum Minorum; quod abſque mora fecit, ſua diſtribuens pauperibus, & ſancte deinceps vivens in Religione.

XIX. In Caturcorum ſive Caturrigæ urbe in Gallia Belgica, Magiſter quidam in Theologia emiſſum votum de ſubeunda vita Minorum *Voti neglector punitur.* reddere per diuturnum tempus neglexit, donec repente ſenſit ſuper ſe manum Dei amiſſo viſu oculorum. Manuductus ad altare Virginis Templi vicini, ibi immiſſa ei cogitatio, proinde hoc malum immiſſum ob neglectum Deo promiſſum de vitæ genere potiori aſſumendo; quare votum revalidavit, & ſtatim reddendum promiſit, modo amiſſum lumen reſtitueretur. Obtinuit per ſacræ Virginis benignitatem quod concupivit, non tamen illico complevit promiſſum. Quare ſecundo & tertio ſimiliter excæcatus, tamdem divinæ ceſſit ultioni, & Minoritis ſe adnumeravit. Cum autem nimis corpori indulgeret, calceatus, in culcitris dormiens, frequens in valetudinario, meliori inhians cibo, aſſiduus in culina, comeſtibilia curans, & ad ignem ſedens, apparuit ei ſanctus Franciſcus, dicens, male & incompte ab eo habitum portari; quod dum alii ei explicarent, ſuavia & molliora quæque abjecit, vivens deinceps in magna auſteritate.

XX. Mona-

XX. Monachus Ciſtercienſis cujuſdam Monaſterii diœceſis Toloſanæ factus eſt etiam Minorita, apparente ſibi amico Monacho, pridie defuncto, & referente quo in loco erant apud Deum Minores, quam etiam ei carum horum Inſtitutum: facta enim ſibi copia videndi tria illa animarum receptacula, in Inferno dixit ſe vidiſſe perpaucos, in Purgatorio aliquot, in Cœlo plurimos Minoritas. Quibus addens plura, tantum excitavit hujus vitæ deſiderium in Monacho, ut obtenta ſuperiorum licentia, evaſerit Franciſcanus. In Burgundiæ regione nobilis quidam eques exardeſcens in amorem cujuſdam devotæ puellæ, abſente patre, in Sacello domi orantem coram imagine beatæ Virginis voluit opprimere. Illa ſuam pudicitiam Deo commendante, & viriliter defendente, vir datus in reprobum ſenſum, coram altari caput libenter offerentem pro tuenda caſtitate, decollavit. In proximam dum fugeret Eccleſiam, ſacratiſſima Virgo ſuæ famulæ miſerta, caput in ſuum locum reſtituit, ſanamque reddidit, relicto tamen circulo aureo in collo ad vulneris memoriam. Accepit etiam mandatum ut latentem inviſeret homicidam, & ad pœnitentiam, condonato ſcelere, pertraheret. Ita fecit. Ille autem non diu hæſit in deliberando pœnitendi modo, ſed ſtatim ad Minores convolavit.

Ciſtercienſis fit Minorita.

Nobilis item Burgundus.

XXI. Pariſienſis alter multis locupletatus beneficiis Eccleſiaſticis ab avunculo Epiſcopo cujuſdam Gallicanæ Eccleſiæ, voluit poſtridie ab avunculi obitu ſcire, quam in regionem abierit. Conſuluit de hac re quoſdam magos, qui horribilibus ſtridentem in pœnis ob male diſtributos Epiſcopales redditus, & locupletatos e Chriſti patrimonio conſanguineos conſpexit; dicentemque audivit: propter te nepos partim his crucior in flammis, oro te ut tibi caveas, ne etiam huc deſcendas: recipe te dum licet in ſacrum pœnitentiæ aſylum, & ſalva animam tuam. Non cecinit ſurdo miſer, nam paucis elapſis diebus, renunciatis beneficiis Eccleſiaſticis, diſtributiſque in pauperes facultatibus, habitum ſuſcepit Franciſcanum.

Et Pariſienſis beneficiarius.

XXII. His exemplis potiſſimum a Bernardo ſupradicto, Bonaventuræ ſocio, relatis aliud adjungimus ex Thoma Cantipratano ferme hujus temporis auctore de Monacho Benedictino facto Minorita. Erant, inquit, in quodam Monaſterio nigri Ordinis tres Monachi in omni laſcivia diſſoluti: cumque una dierum ſeorſum in thalamo ad epulas conſediſſent, unus, buccella panis inverſa, ſubito ſtrangulatur. Cujus morte, nec verecundiam ſaltim paſſi duo reſidui, derelicto loco, eminus juxta prandium perfecerunt, & ſic in clauſtro ſociis eventum mortui nunciaverunt. Nec diu poſtea, dum dicti duo ſocii, non recogitando, quid actum ſit, ad balneandum, in fluvium juxta Cœnobium, nudati veſtibus, deſcendiſsent, unus ad profundiora digreſsus, ſubmerſus, extractus eſt & ſepultus. Relictus poſt hæc tertius, cum veſpere dormitum pergens diſcalceaſſet ſe, Monachus, qui fuerat ſubmerſus, nudus ei apparuit, dicens; Ecce quanta pœna damnatus ſum, tu autem quid facias nunc ſaltem recogita. Ego quidem immundus & lubricus, digne punitus excrucior: ſed illud multum ad verecundiam damnationis meæ accumulat, quia ſine habitu nudus a dæmonibus irrideor. Tu autem da mihi aliquid, in quo ſignum meæ damnationis oſtendam. Hoc autem audiens turbatur Monachus, & cito detrahens togam tibiæ fœmoralem, roganti dedit, & ſic defunctus repente diſparuit. Mira res! vix dies illuxerat, cum tantus fœtor clauſtri ambitum occupavit: ut ſe omnes extingui horrore fœtoris præ anguſtia conclamarent. Narrante autem Monacho quid ſibi veſpere con-

Cantiprat. l. 1. de adib. c. 7. n. 3.

Benedictinus mira viſione fit Franciſcanus.

Periculoſū exuere habitum religioſum.

Digitized by Google

contigiſset, quæſita eſt undique dicta toga, quæ tamdem inventa eſt fœtidior omni cadavere, & ſuper fuliginem denigrata. Qua humo celerius operta, in admirationem converſi Monachi, ploraverunt. Dictus vero ſocius defuncti ad Ordinem Fratrum Minorum repente tranſivit. Ita citatus Auctor, & addit, ipſum Fratrem Minoritam tantæ rei certum teſtem feliciter illo tempore, quo hæc grandævus ſcribebat, videlicet ante annum MCCLXX. vixiſse.

Conventus Uratislavienſis. *Rodul. fol. 291. Gonza. in Prov. S. Ludov. Conv. 21.* Conventus Rellaniæ.

XXIII. Uratislaviæ, vulgo *Breslau*, quæ ad Oderam ſeu Viadrum fluvium urbs eſt Epiſcopalis & Sileſiæ caput, circa hunc annum extruxit Henricus ſecundus Dux Minoribus Cœnobium ſub titulo ſancti Jacobi. Occubuit in bello ſuſcepto contra Tartaros dictus Henricus anno MCCXL. cujus corpus Anna conjux honorifice in eadem æde condi curavit. In Civitate etiam Rellania diœceſis Aquenſis in Provincia juxta Alpes inter Ciſtericum, & Aptam Juliam prope Ciſſariſtam, extructum eſt aliud domicilium a quibuſdam ſociis ſancti Franciſci, ut fama fert; idque circa vel ante hunc annum, ut teſtantur quædam tabularia ſcripta anno MCCXXXVII. die IV. Novembris, & ſub anno MCCXLVIII. in quibus quædam eleemoſynæ legantur Fratribus Minoribus hujus Conventus. Sunt in multis angulis ædis inſignia cujuſdam Ducis Britanniæ, fortaſſis ob reſtauratam aut ampliatam ædem. Sunt item ibidem inclytorum Comitum Rellaniæ, Baronum de Ciſſariſta, Baronis de Falcone, & aliorum nobilium heroum ſepulcra, quæ penitus fuere combuſta, ita jubente quodam Domino de ſancta cruce immaniſſimo hæretico inſignique prædone. Capti ſunt hoc ultimo ſeculo ab hæreticis Fratres, flagella & varia ludibria experti, deinde in vincula conjecti, ſed tamdem liberati ſunt favore illuſtriſſimarum filiarum Dominæ Ancipolenſium, Comitiſſæ videlicet de Grigniano, & ſororis ſuæ Dominæ de Ciſſariſta.

Rodul. fol. 259. Conventus Viterbien.

XXIV. Minoribus Viterbii ab anno MCCXXX. (corrupte habet Rodulphus MCCCCXXX.) ſine ſtabili æde commorantibus hoc anno Pontifex proprio ære emit Eccleſiam Presbyterorum ſancti Angeli cum ambitu dicto caſtrum ſancti Angeli ſito intra muros Civitatis, ut in eis Eccleſiam & officinas neceſſarias ad ſuam habitationem libere, & abſque alicujus contradictione conſtruerent. Id aperte conſtat ex ipſis ejus litteris quas hic ſubjicimus.

GREGORIUS &c.

Miniſtro & Fratribus Minoribus Viterbii commorantibus.

Religio veſtra, quæ per opera ſanctitatis ſe Deo mundam & immaculatam exhibet & Catholicos ad cæli patriam verbo & exemplo perducens, in domo Domini candelabri more lucet, eo fortius humanis eſt extollenda favoribus quo magis ipſius Ordo terrena deſpiciens in oculis Redemptoris omnium eſt acceptus. Hinc eſt quod nos eidem Ordini, quem tanto majori favore proſequimur, quanto inter ceteros Ordines excelſior virtutum meritis reputatur; locum Caſtri ſancti Angeli infra muros Civitatis, quem Viterbii emimus, ut ibi Eccleſiam & officinas ad habitationem veſtram neceſſarias conſtruere, & libere, abſque cujuslibet contradictione, habitare poſſitis, auctoritate Apoſtolica duximus concedendum. Nulli ergo noſtræ conceſſionis &c. Si quis autem, &c. Datum Interamnæ V. *Idus Decembris anno* X.

XXV. Hunc

Digitized by Google

XXV. Hunc locum illuſtravit ſua amplitudine Magiſter Marcus Viterbienſis, qui fuit Ordinis Generalis & Cardinalis: ibi quoque conditus eſt B. Soldanerius, quaſi alter ſol in orbe micans, & tempore Joannis XXII. Pontificis Maximi floruit Magiſter Franciſcus Pœnitentiarius ſummus. Ante fores Eccleſiæ cernitur ſuggeſtus ex lapidibus quadratis, in quo dicunt, beatum Bernardinum habuiſſe concionem ad populum. Ibidem etiam Ordinem condecoravit ſancta Roſa Viterbienſis, cujus memoria repoſita eſt in Martyrologio Romano ob inſignem ejus ſanctitatem.

XXVI. Juxta oppidum montis Fernandi, vulgo Mointefernain diœceſis Medenſis in comitatu Mediæ Occidentalis in Hibernia per hoc tempus, vel paulo poſt mortem ſancti Franciſci, ut habet ſecunda & exacta hiſtoria MS. Provinciæ Hiberniæ, conſtructum eſt Monaſterium Minorum, quod tamen in annum MCCLXX. protraxit prima & brevior ejuſdem Provinciæ deſcriptio. *Conventus Montisfernandi.* *Hiſtor. MS. Prov. Hibern.*

XXVII. Quidquid ſit circa determinatum fundationis annum, de quo nullum certum habetur monumentum, locus ſolitarius eſt, & recolligendæ menti peropportunus. Lacubus & paludibus, non tamen inſalubribus, undique circumſeptus, ab omni hominum incolatu ſemotus, una tantum via eſt acceſſibilis. Fundatus dicitur a Domino Dealmare Guillelmo Fitz Herberd; modo autem ejus Patroni reputantur Domini Nugentii, familiæ olim Baronis de Delvin, nunc autem Comitis Weſtmedienſis, ſive Occidentalis Mediæ, & alii ex eorum contribulibus; redactæ enim illius regionis poſſeſſiones in horum poteſtatem, & magna, frequentiaque ſunt illorum in Fratres beneficia, quæ licet in grati animi monumentum recenſere placeret, tamen ne in ipſorum benefactorum cedat damnum ea ſciri ab hæreticis, tacentur nunc, alias opportunius referenda.

XXVIII. Sæpius in hoc Monaſterio comprehenſi Fratres, ſæpius ex eo ejecti; ea tamen eſt loci pietas, & opportunitas ad virtutis exercitia, ut numquam illum deſtituere voluerint Religioſi. Unicum eſt inter tot dejecta Monaſteria in tota Provincia, refugium Fratrum infirmorum, debilium & ſeniorum, qui undique eo confluentes vivunt ibi quaſi abſque timore in ſuo habitu regulari, in ſimplicitate & ſinceritate Deo ſervientes; neque ſi capiantur ab irruentibus hæreticis, & trudantur in carceres, adeo curant, quantum ſentiunt ab illa virtutis ſchola & ſancta ſolitudine in apertum deduci. Tanta patientia & perſeverantia pios Catholicos mirifice ædificant, & paulatim mitiores fiunt hæretici, nec tantumdem curant humile & pacificum hominum genus paupere & ſolitario loco deturbare. Anno MDXC. comprehenſi per hæreticos omnes incolæ & Dublinium ducti, ubi per annum & aliquot menſes, inter vincula & carceris moleſtias, quidam exhalarunt animam.

XXIX. Anno MDCI. die 1. Octobris iterum capiuntur ibidem a Franciſco Shean hæretico Anglo, & ejus cohorte Miniſter Provincialis, ædis præfectus, & cæteri Fratres ſimul cum Reverendiſſimo Domino Fratre Richardo Bradæo Epiſcopo Kilmorenſi, & Bernardo Moriarto Decano, qui in Conventu pacifice ducebant dies ſuos; devaſtato & incenſo Conventu. Quem iterum breviter & humiliter reparatum incenderunt poſt annum MDCIV. milites Franciſci Ruſſi hæretici.

XXX. Has & alias calamitates incolarum hujus Monaſterii opportunius referemus ſuis quiſque annis, ſub quibus eas amplius enarrabimus, dabimuſque conjectorum in vincula & martyrum nomina. Translatus

tus eſt hic locus a Patribus Conventualibus ad Obſervantiæ regularis profeſſores anno MCCCCLX.

Monaſt. Monialium Offidanum. XXXI. Ante hunc annum extructus eſt pro Sororibus Damianitis Conventus ſancti Franciſci in Offidano oppido pernobili, & natura loci munito; non longe nimis a Ripatranſonia, ſive Cupramontana, ſito in regione Piceni. Ita conſtat ex privilegio conceſſo a Tancredo Priore Monaſterii ſanctæ Mariæ caſtri Offidani, totoque Conventu Ordinis ſancti Benedicti hoc anno pridie Nonas Novembris, quod cuidam ſuo diplomati inſeruit Innocentius IV. anno III. Pontificatus x. Kalendas Decembris, uti ſub illo anno licebit videre in regeſto. Tamdem ad annum MDXV. tranſlatis Monialibus ad potiores ædes, hæ ceſſerunt in Fratrum Minorum Obſervantium habitationem, ita curante Thoma Auximenſi Miniſtro Provinciæ Marchiæ. *Evaſit poſtea Minoriticum. Gonza. in Prov. March. Conv. 6.*

Laudatur Willelmus Minorita. XXXII. Plurimum uſus eſt hoc tempore in Gallia Pontifex ope cujuſdam fratris Willelmi ſui pœnitentiarii Minoritæ, ut ex dicendis per ſequentes annos conſtabit. Eum, cujus prudentiam laudat, hoc ipſo anno conſtituit pacis auctorem inter Regem Galliæ & Eccleſiam Belluacenſem, valde inter ſe diffidentes propter læſa jura, & libertates Eccleſiaſticas. Pro pace vero ſuavius ſuperinducenda & concordia ineunda per octo menſes ſuſpendit interdictum promulgatum per Archiepiſcopum Remenſem & Suffraganeos in Provincia Remenſi, eo tamen pacto ut niſi ſub termino præfixo Regii Miniſtri illata damna reſarcirent, iterum renovaretur. Privilegia item ampla conceſſit Sanctimonialibus Damianitis Cremonenſibus, Hiſpellatibus (quarum Abbatiſſa erat ſancta Balbina neptis ſanctæ Claræ, de qua nos alias) ſanctæ Mariæ inter Angulos Spoletanos, & ſanctæ Mariæ Fulginatis. Univerſis etiam fidelibus ingreſſum interdixit in Monaſteria hujus Ordinis. Litteræ incipiunt, *Etſi omnium* datæ Interamnæ x. Kalendas Decembris. Inhibuit Fratribus Prædicatoribus ne recipiant Minores, niſi ex Miniſtrorum licentia; decreti initium, *Quo vos in Chriſto*. Datum Viterbii IV. Nonas Junii. Anno ſuperiori juſſerat ut Ordines Ciſtercienſis, Minorum, & Prædicatorum ſuos cuique Inſtituto redderet; hoc anno præceptum & pœnas ita pro evitandis ſcandalis, & rumoribus temperavit, ut jam profeſſi in Ordinibus memoratis, non obſtante ſupradicto mandato, libere remanerent, de cetero vero nullos reciperent: incipiunt litteræ, *Licet quibuſdam*, datæ Reate Nonis Auguſti. Statuit item, ut Minores nullum ante profeſſionem ad ſuſceptionem ſui Ordinis obligarent, nec infra probationis ſpatium quemquam facto vel verbo ad profitendum, ſeu ad renunciandum de neceſſitate ſeculo, de facto inducere præſumerent, nec conſtitutum in probatione novitium aliquatenus impedire, quo minus infra illum annum ad aliam Religionem, quam mallet, tranſiret. Incipiunt: *Non ſolum in favorem converſi*. Datæ Reate III. Idus Julii. Hanc Conſtitutionem iterum promulgavit Alexander IV. anno I. ſui Pontificatus pro Prædicatoribus & Minoribus, & habetur in corpore juris in 6. tit. de Regul. & tranſ. ad Relig.

Privilegia Pontificia.

Anno 1235. n. 36. tom. 1.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Indic. ex Oder. fol. 478. Diplom. pro recuperat. Terræ S.

„ I. HOc pariter anno ſummus Pontifex indefeſſus omnino pro re-
„ cuperatione Terræ Sanctæ e manibus Saracenorum laborat,
„ Fridericum Imperatorem datis diplomatibus *Cum ad exemplum &c.*

x. Ka-

,, x. Kalendas Novembris, altero, *Si memoriam &c.* Item x. Kalendas
,, Novembris *Summi Paſtoris zelo* in eam rem movere ſtudet & urget: 479.
,, & ut crucesignatis animum augeat, dato brevi *Sicut olim &c.* Nonis 480.
,, Septembris, indulgentias Terræ Sanctæ conceſſit: & pro ſubſidio mi-
,, litiæ Christi, ac etiam pro Imperio Conſtantinopolitano diploma
,, *Ad ſubveniendum &c.* Idibus Decembris expedivit. In favorem vero 484.
,, Ordinis, Toloſano Comiti pro Fratribus Minoritis apud Toloſam *Indiculus.*
,, commorantibus Apoſtolicas epiſtolas ſcripſit *Olim ad Apoſtolicæ &c.* Pro eleemoſyn.
,, IV. Kalendas Maii: proque certis quibuſdam eleemoſynis Monaſterio Montis Lucis.
,, Monialium Montis Lucis Peruſini datis, auctoritate Apoſtolica pro- *Marieta lib. 17.*
,, vidit *Cum mortuæ &c.* II. Idus Auguſti. *hiſtor. Eccl. SS.*
,, II. Huic anno Marieta B. Marci Seraphici P. N. S. Franciſci ſocii *Hiſp. c. 9. & ex eo Bajard. in Theatro.*
,, glorioſum obitum aſſignat. Vir fuit eximia ſanctitate nitens: & ejus F. Marcus ex ſo-
,, corpus honorifice reconditum in Sacello D. Franciſci Conventus Bur- ciis S. P. obiit.
,, genſis, Provinciæ ejuſdem nominis in Hiſpania, quieſcit.
,, III. Hoc etiam anno fœliciſſimam S. P. N. Franciſci Genitricem
,, nomine Picam, occubuiſſe narratur; avis eſt nomine *Pica* alis vario
,, colore, & præſertim cæruleo pergrate depictis, quæ haud abſurde
,, in illius ſimbolum aſſumi poſſet: ea ſiquidem quæ tantum Patriarcham
,, pepererat, educaverat, & in patris rigores protegerat, atque defen-
,, derat, ad tot mirabilium filii ſui ſplendorem, viduata viro, & mundi
,, inſanas vanitates deſpiciens, volucris cœli potius quam terræ vermis,
,, eſſe didicit: Tertii ſiquidem Ordinis, quem filius ſuus inſtituerat, *Ex Andr. Bonf.*
,, alumna, pietatis & caritatis operibus, veluti geminis alis miro vir- *Bajard. in Theatro.*
,, tutum ſplendore variegatis, innixa, ut avis Paradiſi ad ſuperna vo-
,, labat, ut filium quem genuerat cœlo, in æterna beatitudinis patria
,, amplexari mereretur; obiit ut prædictum eſt, hoc anno Aſſiſii; & in In ejus baſilica
,, Baſilica filii ſui honorifice ſepulta fuit. Deſcribitur autem in Catalogo ſepelitur.
,, Sanctorum Tertiariorum, auctore Andrea *Bonfanti*, Sereniſſimæ Ma-
,, riæ Magdalenæ Auſtriacæ, ac Hetruriæ Duciſſæ dedicato.
,, IV. Præfatis in cœlum ad Beatorum conſortia properantibus, hic
,, in terris, qui ad tempus remanebant, viam illuc etiam ſanctis operi-
,, bus ſibi diligenter ſternebant. Lemburga, quæ nunc dicitur Leopo- Leopolis Civitas
,, lis, & Indigenis *Liuow*, & *Ruslewemburg*, in Ruſſia meridionali Archiep. deſcri-
,, *Nigra* nuncupata, Civitas regionis totius primaria, Archiepiſcopali bitur.
,, ſede, & emporio celebris, reſpectu cœli in longitudine gr. 47. 30.
,, & latitudine borea. 49. 30. hoc anno MCCXXXVI. Minores advenien- Fr. Minores ex-
,, tes excepit, rata per eos, ſuos Cives bonorum ſpiritualium affluen- cipit.
,, tiam habituros. Primi nominati ſunt frater Martinus, qui primus Mart. Vic. Gen.
,, itidem Vicarius generalis Ruſſiæ dictus eſt. Secundus vero frater Ruſſiæ.
,, Jacobus, qui primus Guardianus Leopolienſis fuit; horum patria Fr. Jacobus pri-
,, ſicut & cognomina ſilentur, cum non ab iis, ſed ab operibus digno- mus Guardian.
,, ſcendi forent; hos Minoritas ut Religioſos ſuo Inſtituto maxime com- *M. Corona in*
,, mendabiles & venerandos, Illuſtriſsimus & Reverendiſsimus Bernar- *ſpec. pr. Ruſſiæ.*
,, dus Archiepiſcopus Halicienſis, intimo cordis affectu, admiſit, in iis *Caſimirus Biern.*
,, venerans ſanctum Franciſcum, & Antonium, quorum famam ter glo- *de progreſſu Relig. &c. art. 17. num. 3.*
,, rioſam terra, ſimulque cœlum reſonabant: ii vero, ut potuerunt ſua
,, humilitate licentiam obtinere, non deficientibus piorum eleemoſy- Conven. S. Cruc.
,, nis, Monaſterium ſibi & Eccleſiam ſub titulo ſanctæ Crucis ſedulo conſtruunt.
,, conſtruxerunt, ut latius oſtendit Marcus Corona. Hujus Cœnobii
,, memoriam egit Haroldus in ſua epitome. *Harol. in epit. ad an. 1377. n. 15.*

Digitized by Google

ARGUMENTUM.

Commendantur affectuoſius a Pontifice ſancti Franciſci ſtigmata, ſed acrius reprehenduntur Epiſcopus Olomucenſis, & vir quidam regularis, qui eiſdem contradicunt, in quorum confirmationem graviora referuntur miracula. Commendatur beatus Ægidius a frequenti & diuturno raptu, gravibuſque reſponſis. Apparentes in Lombardia hoc tempore Eremitæ Auguſtiniani, aſſumentes habitum Minorum vel ei conſimilem, eum jubentur deponere, præſcripto ſibi alio diſtincto. Fratres Minores advocantur Poloniam, ubi ædes accipiunt, aliiſque pluribus in locis, nec non Moniales Damianitæ,

I. DUM per hoc tempus Minores Inſtitutoris ſui ſancti Franciſci excellentiam, & ſingularem ſacrorum ſtigmatum prærogativam dignis celebrarent encomiis, & fidelibus e roſtris perſuaderent, non defuerunt qui vel zelo ducerentur contrario, vel tantæ Viri ſancti gloriæ inviderent, ejuſque laudibus & diſcipulorum fidei detraherent, contraria publice prædicarent, & ſanctum Patriarcham cum ſtigmatibus depingi ultro prohiberent. Moverunt hæc Pontificem, ut teſtimonium perhiberet veritati, & ſcriberet ad univerſos fideles, ut perſuaſum ſibi vellent, rarum hoc & inauditum in Franciſci corpore vulnerum prodigium, ſcirentque ex his ſtigmatibus cauſam ſe habuiſſe peculiarem eumdem ſanctum Confeſſorem cœlitibus adnumerandi. Litteras ipſas damus ex Archivo noſtro, ubi originales habemus ſub plumbo, quas tranſcriptas etiam legimus in vetuſto quodam Ordinis regeſto MS. quod penes nos eſt, in Firmamento trium Ordinum, in Speculo & Monumentis Minorum, inſertas tamen litteris Nicolai III. quibus majorem eis addit fidem, variato tamen die, quo ſcriptæ ſunt, ſecundum varia, quæ data ſunt exemplaria. In regeſto Vaticano ſub num. 14. data dicitur 11. Aprilis ad univerſos per Teutoniam conſtitutos.

Quidam contradicunt ſtigmatibus S. Franciſci.

Firmam. tract. 2. par. 1. fol. 28. & 29.
Specul. tract. 2. fol. 10.
Monum. tract. 1. fol. 32.

GREGORIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI,

Univerſis Chriſtifidelibus præſentes litteras inſpecturis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

CONfeſſor Domini glorioſus beatus Franciſcus qualis vitæ mentis proceſſerit ad patriam, perpetuæ claritatis explicare litteris arbitramur fore ſuperfluum, cum id fere pervenerit ad fidelium notitiam ſingulorum. Veruntamen grande, ac ſingulare miraculum, quo ipſum Sanctorum ſplendor & gloria Dominus Jeſus Chriſtus mirabiliter decoravit, univerſitati veſtræ tenore præſentium non indigne duximus exprimendum, videlicet quod idem Sanctus, cum adhuc ſpatium præſentis vitæ percurreret, & poſtquam illud feliciter conſummavit, manibus, latere, ac pedibus ſpecie ſtigmatum divinitus extitit inſignitus. Quo ad noſtram & Fratrum noſtrorum deducto notitiam, & cum ceteris eiſdem miraculis per teſtes fide digniſſimos probato ſolemniter, ex ipſo ſpecialem cauſam habuimus, quod Confeſſorem eumdem de dictorum Fratrum & omnium Prælatorum conſilio, qui tunc apud Sedem Apoſtolicam exiſtebant, Sanctorum catalogo duximus adſcri-

Teſtatur Pontifex ea habuiſſe.

adſcribendum. Igitur cum id ab univerſis fidelibus credi firmiter cupimus, devotionem veſtram rogamus & hortamur in Domino Jeſu Chriſto, in remiſſionem vobis peccaminum injungendo, quatenus ab aſſertione contrarii aures de cetero penitus avertentes, Confeſſorem eumdem apud Deum pia vobis reddatis veneratione propitium, ut ejus meritis & precibus, & in præſenti a Domino proſperitatis gaudium, & in futuro felicitatis æternæ percepiſſe ſolatium exultetis. Datum Viterbii Nonis Aprilis Pontificatus noſtri anno XI.

II. Cauſam præ ceteris ſcribendarum harum litterarum miniſtrarunt in Moravia Epiſcopus Olomucenſis, qui datis patentibus litteris ad univerſos fideles ſuadebat, ſuperſtitioſum & falſum eſſe dicere, ſanctum Franciſcum Chriſti ſtigmata in ſuo corpore habuiſſe; & quidam Euchardus Ordinis Prædicatorii, qui in Opania, ejuſdem Moraviæ Civitate, publice dixit ad populum, pro reprobis, quæſtuariis, & excommunicandis habendos Minoritas, qui prædicabant ſuum Inſtitutorem ſtigmatizatum. Contra utrumque graviſsimas dedit litteras Pontifex, aſperrime eos increpans, & docte contrarias eorum objectiunculas refellens. Utramque epiſtolam habent libri citati, & vetus noſtrum regeſtum MS. primam vero Vaticanum ſub num. 19. datam II. Idus Aprilis, alii ſcribunt II. Kalendas Aprilis, licet numerus ſecundi diei apud Criticos non ſit in uſu in computo Kalendarum, aut Iduum. Epiſcopus autem Olomucii tunc erat Fridericus XVI. illius Eccleſiæ pontifex, ut habet hiſtoria Olomucenſium Epiſcoporum, ad calcem hiſtoriæ Bohemiæ Dubravii, creatus poſt Robertum Anglicum anno MCCXXXII. & mortuus anno MCCXLI. de quo nihil memorabile legi, monet hiſtoriæ auctor Auguſtinus Olomucenſis Præpoſitus; ſed hac ſaltim ratione Sanctis contradicendo, eorumque gloriæ detrahendo, ſe reddidit memorabilem.

Adverſatur ſtigmatibus Epiſcopus Olomucii.

Hiſt. Olomucen.

GREGORIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Venerabili fratri Epiſcopo Olomucenſi, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

U*Sque ad terminos orbis terræ præſumptionis tuæ ſigna protendens, patentes litteras exhibendas univerſis Chriſtifidelibus cuidam ad ſobrietatem ſpernenti ſapere, ac damnabiliter dedito blaſphemiis manu lubrica conceſsiſti: quas inter aliqua pietati conformia, & quædam obnoxia pravitati continere percepimus, quod (cum ſolus Patris æterni Filius fuerit pro humana ſalute crucifixus, & ipſius dumtaxat vulnera devotione ſupplici adorare debeat religio Chriſtiana) nec beatus Franciſcus, nec Sanctorum aliquis cum ſtigmatibus ſit in Eccleſia Dei depingendus: & quod peccat contrarium aſſerens, nec illi tamquam inimico fidei credulitas adhiberi ulla debet; ſuper quo non modicum admirantes quæ ſit cauſæ ſuaſionis hujus non indigne providimus perſcrutari, ut ſi forte bona ſit, quod impoſsibile creditur, commendabilis habeatur, quod ſi non, in oblivionem: & tu inductus ſpiritu pœnitudinis, ad ſuggerendum ſalutare contrarium, promptus & facilis habearis. Etenim ſuper his ex eo ſumpſiſti forſitan argumentum, quod ſit indecens in ſubditis, ut planta ſibi prætendat inſignia capitis. Ad hæc quidem providentes propoſitum, ſeu compendioſe prolatum eſſe, dummodo ſup-*

pleret, niſi de ſpeciali gratia cuique bene merito inſignia hujuſmodi ſunt conceſſa, & ſi non multa quæ poſſumus, tamen breviter quædam præſidium perſpicuæ rationis habentia, reſpondemus videlicet, quod Dei ſapientia, quæ de limo terræ ſimilem ſibi formans hominem, ſimilis ſibi fieri per Incarnationis myſterium, ut ipſum a morte redimeret, non contempſit, dilectum ſibi beatum Franciſcum ſuorum ſpecie ſtigmatum decoravit. Quæ temeritas, quod peccatum, ſi tam ſingulare privilegium ad indulgentis gloriam picturæ teſtificatione pateat oculis devotorum? Nonne, ut ſileamus de aliis, Princeps Apoſtolorum eximius, licet poſitione diſsimili, quandoque pingitur crucifixus? Sed dicis intrepidus alia, dum pactum reformat ratio, quia cum præteriri nequiverit quod de cruce futurum veritas indicavit, neque improprie ſuſpenſus in cruce dicitur, neque incongrue tali damnatus ſupplicio figuratur. Sed de Franciſci cruce vel ſtigmatibus quod veritatis judicium? quod probabile argumentum? de cruce ſiquidem nota ſeculis vita ipſius reſpondeat, quod poſtquam religionis aſſumpſit habitum vacando virtutibus carnis, continuum ſubiit cruciatum: de ſtigmatibus vero plures fide digniſsimi, quos miraculi tanti conſcios divinæ placuit reddere pietati, teſtimonium veritati perhibeant: & ad ipſum hoc fidelis mater Eccleſia ſuffragetur, quæ ex hujuſmodi miraculo cum multis aliis debita ſolemnitate probato, cauſam ſpecialem habuit, quod eumdem Sanctum beatorum catalogo reverenter adſcripſit. Quid ad iſta quaſi mundo publica, & tibi per conſequens non ignota, niſi quod voluntatis arbitrium prætendens vel præferens conſilio, rationi, nos vel Deum potius gratis offendis, ac utique dilectorum Fratrum Minorum Ordinem, & devotos eidem nimis improvide perturbas? Ad cor igitur, qui os in cælum ponere præſumpſiſti, ut de reliquo taceatur, ſine mora revertere, ad iram ſuperni Judicis mitigandam ſtudia ſuſcipe pœnitentis prompta diligentia, ſi forte ſit poſsibile, proviſurus ut ſcandalum, quod quantum in te fuit, univerſitati fidelium per prædictas intuliſti litteras, deleatur, & dictorum Fratrum collegia ſint in Teutoniæ partibus in reverentia conſueta: quod ut tanto facilius, auctore Deo, provenire valeat, quanto pium fore dignoſcitur, ut in futuro vulneris, quæ ſalutis ſunt, etiam operetur, fraternitati tuæ in virtute obedientiæ per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatenus cordi tuo pro ſolemni voto conſtituens, quod aliquis aliquid de cetero ex quo provocari ſuperna majeſtas, vel Sedes Apoſtolica juſte conturbari valeat, non attentans, prædictum privilegium quo celſitudinis divinæ dignatio ſui Confeſſorem nominis reddidit glorioſum, damnabiliter infligere, aut impingere calumniis non præſumas: ſed celebre in eiſdem partibus ad honorem Conditoris, dum ſicut & in aliis habeatur, quantum in te fuerit, humili devotione procures, firmiter crediturus, quod idem Sanctus cum adhuc noſtræ mortalitatis habitum bajularet, prædictis ſtigmatibus extitit inſignitus, & licet illa viſa pluribus, ipſe tamquam contemnens laudes hominum, vacanſque contemplandæ dulcedini cæleſtium organorum, celare ſemper ſtuduerit: ea tamen migrans ad Paradiſi patriam concurrentium obtuitu publicavit. Datum Viterbii II. *Kalendas Aprilis Pontificatus noſtri anno* XI.

III. Alia hæc epiſtola ſpectat ad Patrem Dominicanum, qua jubet primum, a ſuis Superioribus a prædicationibus ſuſpendi, deinde ad ſemetipſum in curiam remitti.

GRE-

GREGORIUS &c.

Prioribus & Provincialibus Ordinis Fratrum Prædicatorum.

NOn minus dolentes accepimus, quam mirantes, quod quidam Frater veſtri Ordinis, Eucbardus nomine, immemor quod ſermo prædicantium ſalis gratiæ ſemper habere debeat condimentum; cum perveniſſet Opaniam Moraviæ Civitatem de prædicante tranſiens in blaſphemum, in communi dicere non expavit, quod in laude beati Franciſci per quoſdam ex diſcipulis ſuis pie propoſita, deberent haberi pro reprobis, quod in ejus corpore Chriſti ſtigmata non fuiſſent. Quid ultra? nec Chriſto, qui ſanctum eumdem manibus, pedibus, ac latere hujuſmodi ſtigmatum privilegio decoravit; nec nobis, qui ex tanto miraculo cum ceteris probato ſolemniter, cauſam ſpecialem habuimus, quod ipſum aſcripſimus catalogo Beatorum deferendo: dicti Fratris elatio in tantam prorupit inſaniam, quod diſcipulos memoratos coram populo quæſtuarios, & falſos Prædicatores appellans impudenter aſſeruit, quod in ipſos, & conſimiles auctoritate noſtra excommunicationis poſſet ſententiam promulgare. Verum cum non ſolum jam dictæ nequitiæ protulerit verba, ſed & ipſis alia perverſa proximorum, pace ſuaque ſalute poſtpoſitis, cumularit: diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta, in virtute obedientiæ diſtricte præcipiendo, mandamus, quatenus ſi præmiſſis veritas ſuffragatur, Fratrem eumdem, apud quemcumque fuerit, ſuſpenſum a prædicationis officio, ad noſtram mittatis præſentiam pro meritis recepturus. Datum II. *Kalendas Aprilis Pontificatus noſtri anno* XI.

IV. Aliam ſe vidiſſe in ſacrario Aſſiſii bullam ejuſdem Pontificis incipientem, *Seraphim volabant juxta prophetiam*, datam hoc anno ſcribit Marcus Taruiſinus Provinciæ Romanæ Miniſter, ac ſacræ Theologiæ magiſter, in opere quodam MS. quod recollecta Ordinis inſcripſit, in quo per varias materias, & Capitula omnia privilegia & gratias noſtro Ordini conceſſas, quæ potuit detegere, apte diſtinxit. In hoc diplomate, ait, Pontificem jubere ſub anathemate, ut nullus his detrahat ſtigmatibus, & hortatur, ut omnes eorumdem veritati fidelem & firmum præbeant aſſenſum. Deinde viſitantibus XVII. Septembris montem Alvernæ, vel Eccleſias hujus Ordinis, magnas conceſſiſſe indulgentias.

V. Magna ſane & mirabilia præter ea, quæ ſuperius retulimus, Deus operatus eſt in confirmationem credulitatis horum ſacrorum vulnerum, e quibus hic unum, aut alterum referemus. Cujuſdam religioſi Inſtituti vir italus non adeo patienter ferebat, ſanctum Patriarcham ita vulneratum depingi. Dum ergo in Conventum ſancti Romani Cuſtodiæ Viennæ veniret, & videret in triclinio, ſeu refectorio ita depictum, noctu dum Fratres dormirent, corraſit ſcalpello notas cicatricum. Quod dum ſemel ac iterum feciſſet, die ſequenti pulchriora & lucidiora vulnera apparebant. Tamdem obſtinato animo, tertio eiſdem ſtigmatibus delendis ſummo inhians conatu, eradenſque lateris cicatricem, videt ex eadem affluenter emanare ſanguinem; quo perterritus cecidit in terram, magnos emittens clamores. Accurrerunt Fratres, & in terra invenerunt jacentem veluti exanimem, defluentemque copioſe per parietem ſanguinem. Attoniti elevatum, & in ſe redeuntem cauſam miri hujus eventus ſciſcitati ſunt; quem dum ille ad Dei, & ſancti Viri gloriam propalare non

Ann. 1228. n. 11. & ſeqq.

Marian. cap. 10.

Legen. Greg. IX.

Contradicens ſtigmatibus mirabiliter ſedatur.

non dubitavit, mirifice creverunt in ſancti Patriarchæ cultu & amore univerſi Patres illius loci, ſed & qui eouſque dubitandus fluctuabat in credendo, imo potius firmus in contrariam abibat opinionem, deinceps certo credidit, ſacra habuiſſe vulnera Franciſcum; & in pœnitudinem erroris pedes abiit viſitatum montem Alvernæ, ubi inflictæ hæ cicatrices; deinde venit Aſſiſium, ubique Fratribus narrans, quæ ei in hac re evenerant, oſtendens etiam linteolum ſanguine illo laterali rubricatum.

Ibidem.

Attactu vulnerum ſanatur moribundus.

VI. In Hiſpaniæ Caſtellano regno ex præſtructis inſidiis irruerunt in pium quemdam virum, qui hora completorii Eccleſiam petebat Minorum, duo nebulones, judicantes alium eſſe quem ad mortem ſpectabant ex odio inveterato. Plagis impoſitis, & inflictis vulneribus, in terra jacentem reliquerunt, infixo gutturi pugione. Ultimos ferme exhalantem ſpiritus medici, & chirurgi refocillarunt, non tamen auſi ſunt pugionem extrahere, ne omnem hianti vulnere ſanguinem evacuarent. Nocte media circumſtantibus uxore, conſanguineis, & quibuſdam ex Minoritis, quibus valde erat addictus, repente curantur vulnera, voces articulatas emittit, qui antea emittebat ſpiritum, & magna vi detruditur ex gutture ferrum. Obſtupentibus qui aderant ſurgens alacriter, nolite admirari, inquit, opus excelſi, ſervique ejus Franciſci, qui vulneribus meis ſua admovit, & ſacra manu pugionem extraxit. Ita merebatur meus erga eum affectus, cui me ſumma devotione commiſi, cujus etiam filios, præter omnes, valde dilexi.

Surius in vita. Legen. MS. Ejuſdem cap. 50. & 51.

Ægidius crebro rapitur corã Põtifice.

VII. Divulgabatur undique hoc tempore fama ſanctitatis & crebræ extaſis beati viri fratris Ægidii ſancti Franciſci diſcipuli. Voluit experiri Pontifex quæ de eo dicebantur; quare ad ſe vocatum Viterbium, ubi per aliquot hujus anni menſes commoratus eſt, amice recepit, commiſcens de rebus divinis ſermonem. Non dixit multa, quando ea contemplaturus abſque ſenſuum phantaſmatibus rapitur Vir ſanctus per quatuor integras horas, obſtupeſcente Pontifice, & ſecum dicente; quam vere ſanctus haberis frater Ægidi, & quam perfecte Franciſci aſſecutus es ſpiritum, ut cœleſtibus connumereris, a quibus ſolus carnis paries te ſejungit, tuæ vitæ cœleſtis ratio meretur! Redeuntem in ſe, & humi proſtratum ad pedes, dum Pontifex ſecundo & tertio de Deo alloquitur, licet obviam, neque præmeditato ſermone, factus eſt in extaſim, ita ut illo die nihil in homine, præter crebros & longos raptus, potuerit experiri. Similiter evenit, quando eum inviſit quibuſdam comitatus Cardinalibus in Conventu montis Peruſini, neque quidquam ei loqui potuerunt, quare ut liberius homine frueretur Papa, eum die ſequenti invitavit ad prandium, excepitque valde hilariter. Aderant tum quidam qui hortarentur Pontificem, ut eum juberet cantare. Juſſit id Pontifex. Ægidius vero ſciſcitatus eſt, quid ſua ſanctitas vellet cantari, ſæpiuſque id repetens, cucurrit ad alium palatii angulum, ſtetitque illic pede altero alteri impoſito, uſque ad preces veſpertinas. Tum vero ſenſit Pontifex, eum plane extra ſe raptum, ut qui nullo ſenſu uti videretur. Cum autem ad cœnam accubuiſſet Pontifex, ait ad eos, qui illic aderant: ecce nos hominem iſtum perdidimus. Stat enim plane immotus, attamen probemus iterum obedientiæ vim, quid in eo poſſit efficere, verſuſque ad Ægidium: præcipio, inquit, tibi frater Ægidi in virtute obedientiæ, ut ad te revertaris, idque factum eſt: cecidit autem ad pedes Pontificis, & humiliter fatebatur culpam ſuam, miſcebatque peramanter cum Ponti-

fice

fice ſermones valde pios & bonos. Sed dum inter cetera dixiſſet, Pater ſancte, magnum ſuſtines laborem in gubernanda univerſa Eccleſia ſancta Dei; reſpondit Pontifex; non ſine mea moleſtia & interiori dolore onus hoc ego experior, ſed quæſo te frater mi, ut mihi tuo adſis ſubſidio, & laborantem tuis alleves precibus. Libenter (inquit Ægidius, dum jam vellet recedere) ego ſubmittam collum meum jugo mandatorum Domini mei, & ſtatim raptus immobilis eo loco, ſtetit uſque ad tertiam noctis partem. In craſtino, dum iterum apud Pontificem manducaret, ex magna de eo concepta opinione & experimento ſpiritus prophetici, interrogavit eum Antiſtes de ſuo fine. Quid, inquit, frater Ægidi erit de me? quo ero loco vel ſtatu? Dum vero ille nihil reſponderet; dic, inquit ille, ſi non qualis futurus ſim, ſaltim qualis eſſe debeam? Excuſavit ſe in tanto magiſterio Ægidius, ſed imperio victus, dixit; duos, Pater ſancte, oculos debes habere, dextrum & ſiniſtrum; dextrum ut ſuperiora contempleris, ſiniſtrum ut inferiora diſponas: hiſque alios pios prudenteſque ſubjunxit ſermones, quibus Pontifex excitabatur ad tanti Viri reverentiam.

VIII. Rogatus alias a duobus Dominis Cardinalibus eum inviſentibus, ut pro eis oraret, reſpondit; quid opus, Domini, ut ego miſer pro vobis orem, qui longe majorem me habetis fidem & ſpem? Qua hæc ratione? inquiunt illi. Quibus Ægidius: illa, quod vos in tot divitiis, honoribus, deliciis & pompis hujus ſeculi ſperatis ſalvari; ego vero miſellus in tot calamitatibus, & miſeriis timeo, & vix audeo ſperare ſalutem. Quo reſponſo interius compuncti viri Principes magis inſtiterunt, ut pro eiſdem oraret. Graviter etiam reſpondit cuidam ex Fratribus hilariter accurrenti, & dicenti, bonum ſe portare nuncium, nimirum quemdam ex Fratribus raptum in ſpiritu & deductum ad clauſtra inferni attente circumſpexiſſe, neque ullum ibi vidiſſe ex Minoribus. Ægidius ſuſpirans ait; facile credo, fili, neminem ibi vidiſſe ex Minoribus; non enim fortaſſis deſcendit ad inferiora penetralia illius ergaſtuli, ubi cruciantur acerbiſſime illi miſelli, qui ſub habitu Minorum vitam Minorum non vixerunt, ſpretis ſalutaribus ſanctæ Regulæ documentis. In veritate enim tibi dico, quod ſicut boni & perfecti Minores, qui Apoſtolicam ſectati ſunt vitam, communem ſortem Sanctorum tranſcendunt in gloria; ita etiam mali Fratres miſere & acerbe in infimo cruciantur inferno.

Leg. MS. c. 19. Egregium reſponſū ad quoſdam Cardinales.

Mali Minores in infimo cruciantur inferno.

IX. Cum Fratres Monaſterii Peruſini in monte vellent fodere puteum, nec convenirent de loco, Ægidius accedens, & baculo terram percutiens, hic, inquit, fodiatis. Quod dum Fratres efficerent, ſtatim optimam aquam invenerunt, quæ in hunc uſque diem ſcaturire non deſinit; quare a Viro ſancto *puteus ſancti Ægidii* vocatur. Illud autem memorabile de puteo hoc, quod ducentos poſt annos volentes Fratres potius ad delicias, quam ad neceſſitatem altius puteum effodere, ut profundiorem & frigidiorem haurirent aquam, omnino exſiccatus eſt puteus, donec ex conſilio pii & prudentis cujuſdam ſenis remiſerunt, quam extraxerunt terram, repleveruntque puteum ad priſtinum modum, per quod factum eſt, ut denuo aqua abundanter, ſicut prius, ſcaturiret, habereturque in majori veneratione, & epotaretur magna fiducia potiundæ ſalutis ab infirmis, ut frequenter evenit. Reprehendit ſemel quemdam ex Fratribus, quia reprehenſibilis erat, quod dum indignanter ferret, apparuit ei Angelus noctu dicens: Ne indigneris Frater, te ab Ægidio re-

Leg. MS. c. 17. Mirabiliter aquæ venam aperit.

Leg. MS. c. 40. Ejus monita ſecure admittenda.

reprehendi; beatus erit qui illi crediderit, & monentem non contempſerit. Quod dum expergefactus ſecum cogitaret, ſtatim abiit ad Ægidium ſummo mane, & humiliter ad ejus pedes provolutus, commotionis & iræ veniam expoſcit.

Leg. MS. c. 19.

Prædicit diſſoluti Fratris ſalvationem.

X. Vivebat tunc in Conventu Pariſienſi quidam frater Guillelmus nomine, nobili ortus proſapia, ſed non adeo diſciplinæ monaſticæ addictus, quinimo verbis & geſtibus Fratribus videbatur diſſolutus. Hic cum ad caſtrum quoddam tranſiret ſororem inviſurus, videretque quoſdam pueros natantes, unum vero a flumine rapi, & rotantibus aquis involvi, ut ferme jam ſubmerſo occurreret, ſicut erat habitu procinctus, miſit ſe in fluvium ex proximi caritate, non præmeditatus latentis vorticis periculum. Quare ex pondere madefactæ veſtis & imperitia natandi, priuſquam perveniret ad juvenculum, ipſe etiam ſuffocatus eſt, Jeſu nomen inclamans. Hac ipſa hora accedebant Peruſii Fratres ad prandium, & Ægidius manus lavabat, qui elevatis parumper oculis, ſubriſit & dixit circumſtantibus; bene eſt fratri Guillelmo Pariſienſi, & adhuc melius ſe habebit. Non intellexerunt hæc Fratres, donec acceptis e Lutetia litteris perceperunt mortem Guillelmi, interrogaruntque Ægidium, quare in aquis ſubmerſo viro diſſolutæ diſciplinæ bene eſſe prænunciarit? Reſpondit ob fervoroſum caritatis actum,, quo ſe aperto tradidit diſcrimini, ut proximo periclitanti ſubveniret: conterenti & invocanti nomen divinum condonata eſſe peccata, & poſt brevem in purgatorio paſſionem ad cœlos evolaſſe. Ægidii hujus ſanctitatis perfectionem magnopere ſcire deſiderabat quidam ex Fratribus; in ſomnis oſtenſus eſt ei dormiens, & ad caput habens librum hæc ſola verba aureo charactere continentem: *Hic eſt qui multum orat pro populo, & univerſa ſancta Civitate*; ſimul etiam immiſſa ei magna Viri ſancti reverentia, & ſanctitatis opinio. Plura de mirabili hoc Viro nos ſuis aliis annis expectant.

Apparẽt in Lombardia Eremitæ Joannis Boni.

Jubentur diſcriminari in habitu a Minoribus.

XI. Ad temperandum Friderici furorem adverſus Mediolanenſes, & pacificandos tumultus Lombardiæ, miſit hoc anno Pontifex a latere Legatos Raynaldum Epiſcopum Oſtienſem, poſtea creatum Pontificem dictum Alexandrum IV. & Thomam Capuanum tituli ſanctæ Sabinæ presbyterum, Cardinales, cum plenaria poteſtate ad cauſas controverſiarum dirimendas. Exceperunt tunc querelas Minorum, quod in illis partibus Lombardiæ apparuerit Religio Eremitarum fratris Joannis Boni Ordinis ſancti Auguſtini, qui modo ſuccincti tunicas cum corrigiis, baculos geſtantes in manibus, modo vero dimiſſis baculis incedunt, pecuniam pro eleemoſynis, aliiſque ſubſidiis depoſcentes, & adeo variantes Ordinis ſui ſubſtantiam, ut eiſdem Minoribus uniformes in derogationem multiplicem Ordinis ipſorum crederentur, eiſdem propter hoc minorem apud fideles ſentientibus in ſuis opportunitatibus caritatem. Noluerunt Cardinales, præcipue Raynaldus, qui Minorum erat Protector, ut ex veſtium ſimilitudine damnum facerent, aut detrimentum ſubirent; quare monendum judicarunt ſummum Pontificem eiſdem etiam Minoribus addictiſſimum. Hic vero reſcripſit ad Legatos, ut præſumptioni hujuſmodi, aut novitati obvenirent, ſtatuendo ut identitas veſtium tolleretur, ne confuſionem pareret, aut ex ea ſcandala graviora conſurgerent, & Eremitæ illi Auguſtiniani, aut nigrum aut album ſibi habitum eligerent, largas & protentas manicas, quaſi ad inſtar cucullarum, & deſuper ferrent per amplas corrigias patenter omnibus apparentes, ita quod

Digitized by Google

quod omnes cincti deforis, eas veſtibus nequaquam contegerent, & portantes in manibus baculos quinque palmorum grandium, ac expreſſe in eleemoſynarum petitione cujus eſſent Ordinis declarantes, adeo ſuarum veſtium longitudinem temperarent, quod a quibuſque ipſorum calceamenta libere viderentur; ut ſic habitus confuſione, ſemota & ſublata materia ſcandali, ab utriuſque Ordinis Fratribus liberius & gratius Domino virtutum poſſit deſerviri. Propoſita Eremitis per Legatos hac Pontificis ordinatione, nigrum ſibi elegerunt habitum, quem modo geſtant, licet circa cetera diuturna fuerit inter eos diſcordia, & frequens renitentia, ut largius mox referemus ex bullis Apoſtolicis in tractatu Apologetico, de prætenſo Monachatu Auguſtiniano ſancti Franciſci. Atque hinc intelligenda venit illa clauſula narrationis Guillelmi Cardinalis ſancti Euſtachii horum Eremitarum Protectoris, inſertæ in Bullam Innocentii IV. *Admonet nos*, relatam a Joanne Marquez videlicet, *de mandato & auctoritate duorum Cardinalium, qui tunc in partibus Lombardiæ Legationis fungebantur officiò, nigrum quem geſtatis* (ſcilicet Ordinis Eremitarum profeſſores ad quos diploma dirigitur) *adhuc habitum elegerunt*. Quare firma & ſtabilis origo hujus habitus ab hoc anno, vel ſequenti ſumenda eſt, cum ex regeſto Pontificio hujus anni epiſtola 88. data Viterbii x. Kalendas Junii conſtet, hoc anno miſſos hos Legatos, & anno xiv. Pontificatus in bulla *Dudum apparuit* indignatum Pontificem, quod hæc forma habitus a ſe præſcripta & per Cardinales intimata non obſervaretur ab Eremitis, juſſiſſe ſub gravibus pœnis, ut ea ſola uterentur. Plura de his dicemus in præcitato tractatu, & alias occurrent dicenda.

Marq. de orig. Eremit. Aug. c. 15. §. 27.

XII. Auctores ſunt Matthias de Michovia & Martinus Cromerus de rebus Polonicis, de quo etiam Hartmannus Scheydel tractatu de Sarmatia, inter Auctores Polonos, hoc anno Boleslaum Pudicum Poloniæ Regem in annis pueritiæ conſtitutum, perſuaſione genitricis ſuæ Crzimiſlawe inductum, ex Pragenſi Civitate in Cracoviam Minores vocaſſe, pro Monaſterioque & Eccleſia locum amplum donando, tam Eccleſiam quam Monaſterium coctis lateribus ædificaſſe, & conſummaſſe. Scribit etiam Jodocus Ludovicus Decius libro de vetuſtatibus Polonorum, eumdem Boleslaum Pudicum multis virtutibus adornatum, obiiſſe anno ſalutis MCCLXXIX. die VII. Decembris, atque apud eamdem ædem ſancti Franciſci a ſe conditam tumulatum. Eodem etiam anno, ut refert Pariſius, Londini in Concilio convocato per Ottonem, ſancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconum Cardinalem, Legatum a latere in Anglia, in Eccleſia ſancti Pauli, in craſtino octavarum ſancti Martini de mandato Pontificis ſtatutum fuit ut celebrarentur in illo Regno feſtivitates Divorum Franciſci & Dominici ab ipſo canonizatorum. „ Floruit hoc tempore Aſſiſii auctoritate & doctrina frater Bonus Ferrarien. qui hoc anno, „ ex fratris Eliæ Miniſtri Generalis facultate compromiſſarius electus „ eſt inter Magiſtratum & Canonicos Aſſiſiates, acriter contendentes „ circa quaſdam terrarum portiones in Monte Subaſio ſitas. Controver„ ſiam ille prudenter diremit die XIV. Auguſti, ejuſque judicium „ utrinque concorditer admiſerunt, uti ex publico conſtat inſtrumento „ in archivo urbis aſſervato.

Michov. lib. 3. c. 37.
Cromer. lib. 8.
Scheydel. c. de Cracovia.

Minores introducuntur in Poloniam.

Decius de vetuſt. Polon.
Pariſ. ad hunc annum.

Jubentur in Anglia celebrari feſta SS. Franc. & Dominici.

ADDITIO Patris Lucæ Waddingi.

Fr. Bonus Ferrarienſis inter Aſſiſiates dirimit côtroverſias.

XIII. Abſolutum eſt hoc anno domicilium, & extructa Eccleſia Minorum ſub ſancti Franciſci invocatione, liberalitate Jacobi Regis Aragonum in villa Darocenſi, poſtea ſub Rege Petro anno MCCCLXX. Civitatis no-

Hiſtor. MS. Prov. Aragon.
Gonz. in eadem Prov. con. 7.

Conven. Darocen.

nomine & privilegiis condecorata diœceſis Cæſaraugustanæ, modo per Orbem nominatiſſima ab illis mirabilibus linteaminibus ſeu corporalibus, in quibus ſex formulæ hoſtiarum conſecratarum converſæ ſunt in ſpeciem carneam, ſeu ſanguineam, per quatuor integra ſecula recentem & miram. Ante annum MCCXXV. vixiſſe ibi Minoritas, probat authenticum chirographum prædicti Regis Jacobi eo anno datum Bilbilis x. Julii, quo certam ſalis menſuram præſentis loci incolis per ſingulos annos ſtatuit pendendam. Extructa eſt ædes prope fluvium Giloche in loco amœno, ampliſque hortis, & pleno gaudet irriguo. Reformatus eſt, & devolutus Conventus ad Patres Obſervantes anno MDIX. dum adhuc gubernaretur Provincia Aragonenſis per Vicarios Provinciales, ſed redditus pro eiſdem Patribus Conventualibus Conventus Turolii, ut conſtat ex inſtrumento in eodem Turolis loco ſervato, & ſtipulato per fratres Joannem Innigum, & Antonium Navarrum ex parte Obſervantum, & fratres Franciſcum Tabar, & Joannem Arguinianum ex altera Patrum Conventualium.

Conv. Pruvinen. *Gonz. in Prov. Franc. Con. 7.*

XIV. Per hoc tempus in medio urbis Pruvinenſis, Senonenſis diœceſis, comitatus Briæ in Gallia, erectus eſt Conventus Minorum ſatis amplus, cujus Eccleſia prægrandis ſanctæ Margaritæ ſacra, anno Domini MCCCXCV. a quodam Meldenſi Epiſcopo conſecrata, multis ſacellis, imaginibus, variiſque & devotis picturis pulchre exornatur. Clauſtro inſuper cum capitulari aula, dormitoriis, architriclinio, curia quadrata, fonte abundante jugiter manante, hortis, omnis generis arboribus conſitis abſolvitur. „ Primus fundator fuit Theobaldus Poſthumus Campaniæ Briæque Comes Palatinus Regis Navarræ, qui ad perfectum „ deduxit ſub annum MCCXL. Deinde Joanna unica Henrici Regis Navarræ, Campaniæque Comitis filia, priori domicilio deſtructo, quod nunc „ extat extruxit anno MCCLXXXIV. Ad chori dextram eſt tumulus, „ cui ita gothicis litteris inſcriptum: *Hic jacet Hugo de Laduraz ſpecialis amicus, & Pater Fratrum Minorum, qui obiit anno Domini* MCCLVIII. „ *Kalendis Aprilis: ejus anima requieſcat in pace*. In chori medio eſt „ aliud ejuſdem conjugis ſepulcrum, ſimili exaratum charactere. *Hic* „ *jacet Domina Euphemia uxor Hugonis de Laduraz ſpecialis amica, &* „ *mater Fratrum; requieſcat in pace. Anno Domini* MCCLVII IX. *Kalendas Januarii*. Floruerunt in hac domo multi viri litteris & pietate „ præſtantes. Duo ex vetuſtioribus ſunt adhuc in Eccleſia lapides ſepulcrales; unus prætereuntium pedibus tritus, obſoletum hoc habet carmen reliquis deletis: *Anno mille bis centumque & ſexageno,* „ *fuit hæc caro reddita cœno*: Secundus ita habet: *Hic jacet frater Joannes* „ *de Oſtria ſacræ Theologiæ Profeſſor, qui obiit die Sabbati poſt tranſlationem D. Franciſci, anno Domini* MCCXCVIII. Ultimis ſeculis præ aliis „ emicuerunt litteris, pietate, & dicendi facundia Joannes Charon „ anno MCCCCLXXXII. Guido Guichardus MCCCCXCII. Petrus Robichun MDV. Joannes Angeli MDXXXVIII. Agulphus Lambertus „ MCCCXXXV. Petrus Garnerius MDLVIII. Joannes Barrier MDLXX. „ Franciſcus Fergentius MDLXXXIX. Ludovicus Prineus MDC.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI. *Monum. MSS. hujus Conventus.*

Conven. Loxenſis. *Idem in Prov. Turon. Con. 9.*

XV. In Loxenſi urbe ad fluvium Ligerium in Gallia Conventus ante annos octo ædificati a ſancto Ludovico Galliæ Rege, Eccleſia hoc anno per R. Jabellon Turonenſem Archiepiſcopum conſecrata eſt in honorem Dei, ac ſancti Joannis Evangeliſtæ, nec non & beatæ Mariæ Magdalenæ. Auxit Monaſterium illuſtris vir Franciſcus de Rovii eques Torquatus. „ Hoc etiam

Digitized by Google

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

„ etiam anno uti referunt Annales Svevici, Minores Eslingæ domici-
„ lium obtinuerunt. Et aliud in Hala Svevica ſancto Jacobo ſacrum,
„ quod prius Cœnobium erat Templariorum. Iſtud liberaliter conceſ-
„ ſit Conradus Abbas Chomburgenſis Ordinis ſancti Benedicti Halæ do-
„ minus. Devenit in hæreticorum poteſtatem anno MDXXIV. ibique ſuo-
„ rum ſcelerum ſcholas erexerunt.

Cruſius ad hunc annum. Con. Eslingæ. Con. Halen.

Chron. Saxon. MS.

Mittuntur a ſancta Clara ſorores in Alemaniam. Monaſt. Monialium Ulmenſe.

XVI. Miſſæ hoc anno a ſancta Clara ad preces Regiæ virginis Agnetis Bohemiæ ſororis aliquot in Bohemiam, & aliæ in Alemaniam, quæ per Tridentum, ubi Monaſterium pro eis erectum eſt, venerunt Ulmam, ubi aliquæ ex ipſis remanentes, cœperunt ædificare pauperculum quoddam Monaſterium, ſive habitaculum, in quodam loco dicto *Uff dem grieſs*, ubi modo eſt hoſpitale ſanctæ Eliſabethæ ſatis opulentum. Prima Abbatiſſa vocabatur Hedwigis. Erat tunc temporis quidam maturus & devotus Frater Ordinis Minorum, Albertus nomine, cujus ducatu & directione Sorores illæ in omni ſanctitate viventes, valde profecerunt, ædificantes habitaculum in dicto loco, ubi tunc erat quædam Curia nomine *Munchhoff Uff dem grieſs*, quam quidam nobilis Uldaricus de Fryberg, libere dictis Sororibus obtulit. Cum autem Sorores illæ devotæ ibidem aliquot annos habitaſſent, ob nimiam inquietudinem & importunitatem locum mutare decreverunt extra oppidum Ulmam. Quod audiens quædam devota matrona, Comitiſſa de Dillingen, ex conſenſu & favore Comitum de Dillingen, aream in Sefflingen dictis Sororibus obtulit & dotavit, Monaſteriumque ibidem fundavit pro ſeptuaginta duabus Sororibus Ordinis ſanctæ Claræ, ipſa ſancta Clara adhuc vivente; unde & Monaſterium illud Sefflingen, ortus beatæ Mariæ Virginis nominatum, in ſuperiori Alemania primum fuit, in quo Sorores illæ devotæ & ſanctæ intraverunt primum anno MCCLVIII. in die Purificationis beatæ Virginis; cui Alexander Papa IV. eadem privilegia communicavit, quæ Sorores ſanctæ Claræ in ſancto Damiano habuerunt, ut litteræ ejuſdem teſtantur. Quædam etiam Sorores devotæ ex ordinatione ſanctæ Claræ, dum adhuc in humanis ageret, ex Colonia, ibidem ordine ſanctæ Claræ plantato Monaſterium ad Ulmam redierunt ferentes ſecum tria capita ſanctarum Virginum ex ſocietate ſanctæ Urſulæ, quæ hodie in Sefflingen manent. Sicque Monaſterium illud in ſuperiori Alemania quaſi mater aliorum Monaſteriorum Ordinis ſanctæ Claræ fuit; utpote Anger in Monaco, ſanctæ Ceciliæ in Pfullingen, & ſanctæ Mariæ Magdalenæ in Nyruberg, ſanctæ Agnetis in Herbipoli, & aliarum quamplurimarum quæ a dicto Monaſterio Seſflingen ortum, & progreſſum ſumpſerunt. Reformatus eſt hic Conventus anno MCCCCLXXXIV. „ Prima Reforma-

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

„ tarum Abbatiſſa eodem ipſo anno inſtituta Eliſabetha Reichnerina an-
„ no MCCCCXCII. deſtructo veteri Cœnobio, novum a fundamentis con-
„ didit; longeque illuſtrius, quam antea fuerat, effecit; obiitque an-
„ no MDXIV. cum annis XIX. prudenter rexiſſet. Ei ſucceſſit Cordula a
„ Riſchack genere & virtute nobilis anno MDVIII. Electa Eliſabethæ
„ coadjutrix, poſt cujus obitum in Abbatiſſam aſſumpta eſt. Annales
„ Svevici omnes hujus Parthenonis Abbatiſſas recenſent; atque inter
„ has Wilpurgem prædictam Comitiſſam Dillingenſem Monaſterii in
„ Seſflingen Fundatricem, quæ, inquiunt, ſe ſuaque tradidit omnia Cœ-
„ nobio, & ibi Abbatiſſa gubernatrixque facta, rexit annos VIII., men-
„ ſes tres; & deceſſit anno MCCLXXXI. ſepulta in eadem Abbatia prope
„ filiolum adoleſcentulum. Donis affecit domum iſtam quidam Palati-

Digitized by Google

„ nus Tubingenſis, Wilpurgis Fundatricis gener, & nobilis de Werſter-
„ ſtatten.

XVII. Pro eiſdem Sororibus hoc ipſo anno in medio monte ſanctæ Catharinæ cognominato, ad ſeptimum lapidem a ſupradicta urbe Pruvini Theobaldus vir Princeps hujus nominis IV., Cœnobium extruxit; cujus filius Theobaldus V. liberalitati paternæ nedum adſtipulatus eſt, ſed & multo plura adjecit: incrementum anhelans, maxime divini cultus, in prænominato Monaſterio, quod adeo toto vitæ ſuæ curſu dilexit, ut in eo poſt mortem corpus ſuum ſepeliri voluerit. Dictum Monaſterium anno Domini MDLX. incendio deplorabili, ita exinanitum etiam uſque ad fundamenta, & omni ſupellectili adeo nudatum fuit, ut coactæ fuerint Sorores aliquandiu caſtrum in loco totius urbis eminentiori ſitum, Magiſtratu civili permittente, inhabitare. Verumtamen, non poſt multos dies, viribus utcumque reſumptis, prudens ſoror Barbara Colomnæ, tunc Monaſterii Abbatiſſa manum admovit, Deo opem ferente, ut reſtauratrix fieret ſumptibus non modicis, ſed multo pluribus laboribus, tantarum præfati Monaſterii ruinarum. Quibus, ut licuerat, reparatis, protinus reverſæ ſunt Sorores, ubi vix ſeptem annos quieverunt, quin viderent vix reparatum Monaſterium, furentibus per Galliarum Regnum hæreticis, penitus in cineres redactum, quod compulit pauperculas priſtinum pro refugio petere caſtrum. Sed continuo ſagacitate, & œconomia admirabili ſororis Margaretæ de Billy, ex nobili familia de Prunay, tunc Abbatiſſæ, præfatum Monaſterium, non tam reſtauratum, quam renovatum cernitur. „ Eamdem imitata eſt ſoror Joanna
„ d'Allonville ex nobili familia de Dovnſonville orta, quæ veteres
„ quaſque officinas in novas mutavit, & multas nobiles Virgines ad
„ ſuum contubernium recepit. In vetuſta Eccleſia hujus Monaſterii,
„ quæ diverſis flagravit incendiis, conditum erat cor Theobaldi Po-
„ ſthumi, Cœnobii Fratrum Pruvinen. uti diximus, & hujus Monaſterii
„ Fundatoris, & corpus Petri ejus filii, qui in ipſa juventute deceſſit,
„ nec non Teobaldi V. etiam Theobaldi Poſtumi filii, ſecundi Funda-
„ toris, & reparatoris Monaſterii, quod Drepano Siciliæ, ubi deceſſit
„ pridie Nonis Decembris anno MCCLXX. cum Thunis ab expeditione
„ ſancti Ludovici Regis Galliæ regrederetur, aſportatum eſt. Ibi iti-
„ dem ſepulta creditur Iſabella prædicti ſancti Ludovici Galliarum Re-
„ gis filia, hujus Theobaldi conjux, quæ gravida deceſſit anno MCCLXXI.
„ die XXII. Aprilis.

Monaſt. Monial. Pruvinen.

Gonz. in Prov. Franciæ Monaſt. 1.

AITIO PAnLucæ WAINGI.

XVIII. Ante hunc annum extructum fuiſſe ejuſdem Ordinis Sanctimonialibus Monaſterium in Civitate Alexandriæ a Palea cognominatæ diœceſis Mediolanenſis ad Tanarum, Bormiamque fluvios ex Apennino labentes in tractu Montisferrati in Lombardia Ciſpadana, conſtat ex privilegio exemptionis a juriſdictione Epiſcopali dato hoc anno a Willelmo de Rizzolio Mediolanenſi Archiepiſcopo: quod alio ampliori a ſe conceſſo inſeruit Innocentius IV. anno III. ſui Pontificatus, quod perlegere licebit in ejus regeſto ad hujus tomi appendicem. Simile exemptionis privilegium conceſſit Bernardus Epiſcopus Cæſarauguſtanus Sanctimonialibus Monaſterii ſanctæ Catharinæ Cæſarauguſtani, cujus fundationem dedimus ſupra. Epiſcopalem conceſſionem inſertam habet privilegium Innocentii prænumerati ad annum IV. ſui Pontificatus.

Monaſt. Alexandrinum.

XIX. Hoc anno datis Interamnæ ad omnes Abbatiſſas, & Sorores

Digitized by Google

res Ordinis ſancti Damiani litteris incipientibus *Licet velut ignis* v. Idus Februarii, juſſit Pontifex, ne ullus Frater, aut Soror, præter infirmos, debiles & puellas, quæ regularem non poterant ætatis teneritudine, prohibente ſervare rigorem, infra ſepta Monaſteriorum earumdem de cetero carnes ederet, nec etiam extra carnes alicui Sorores miniſtrarent. Agneti Bohemicæ indulſit, ut cum Monialibus ſancti Franciſci Pragenſis diſpenſare poſſet in quibuſdam Ordinis rigoribus, ita exigente illius regionis temperie *Cum ſicut*. Datum Viterbii v. Idus Aprilis. Dedit etiam ampla privilegia eiſdem Monialibus, necnon hoſpitali ſancti Franciſci, quod prope conſtrui curavit Regia virgo Agnes. Item huic ex ſingulari gratia per has litteras conceſſit, ut quinquies coram in choro ſacrum poſſet audire.

GREGORIUS &c.

Abbatiſſæ Monaſterii ſancti Franciſci Pragenſis Ordinis ſancti Damiani.

Cum ſeculi vanitate relicta, fragilitatem humanam in ſtabilitatem perpetuam commutaris, & ex Regina, facta voluntarie Dei Omnipotentis ancilla, perfectionis viam in ſancta religione, cui te devoviſti, perpetuo ſis ingreſſa, omne gaudium tuum, & ſolamen reputans in divinis obſequiis, maxime cum in altari offertur ſanctiſſimum Corpus Chriſti, tuis ſupplicationibus inclinati, devotioni tuæ auctoritate præſentium indulgemus, ut quinquies in anno in choro Monaſterii audire poſſis Miſſarum ſolemnia, & inſpicere presbyterum celebrantem. Datum Viterbii II. *Nonas Aprilis anno* XI.

XX. Graviſſimas item has, quæ ſequuntur in Minorum commendationem dedit ad univerſos Eccleſiarum Prælatos litteras, in quibus præter cetera hortamenta præcipit, quatenus quæſtuarios & gyrovagos quoſdam, qui ſe Fratres Minores ſimulabant, tamquam falſarios caperent & punirent. Horum autem pleroſque ſuo tempore fuiſſe, ſcribit Cæſarius, barbatos, in habitu & tonſura Religionis, & ex eis multos neci traditos propter maleficia quæ perpetrabant, quantumvis pietatem ſimularent. Et licet, inquit, quidam ex hujuſmodi viatoribus viri ſint ſancti, & ſine felle; propter malos tamen deſpiciuntur. Hinc eſt quod anno præterito Dominus Engelbertus Colonienſis Archiepiſcopus in Synodo ſua præcepit, ne aliquis illorum in ſua diœceſi hoſpitio reciperetur.

Jubet Pontifex capi gyrovagos & fictos Minores. Cæſar. lib. 6. hiſt. memor. c. 20.

GREGORIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI,

Venerabilibus fratribus Archiepiſcopis & Epiſcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Plebanis, Archipresbyteris & aliis Eccleſiarum Prælatis, ad quos litteræ iſtæ pervenerint: ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Quoniam abundavit iniquitas, & refriguit caritas plurimorum, ſacrum Ordinem dilectorum filiorum Fratrum Minorum Dominus ſuſcitavit, qui non quæ ſua, ſed quæ ſunt Chriſti, quærentes tam contra profugandas hæreſes, quam contra peſtes alias mortiferas extirpandas, Philip. 2. 21.

das, ſe dedicaverunt evangelizationi verbi Dei, in abjectione voluntariæ paupertatis. Nos igitur ſanctum eorum propoſitum & neceſſarium miniſterium favore benevolo proſequentes; univerſitati veſtræ affectuoſe duximus commendandos, caritatem veſtram rogantes & exhortantes in Domino, ac per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus dilectos filios Fratres Ordinis memorati, pro reverentia divina & noſtra ad officium prædicandi, ad quod ſunt ex profeſſione ſui Ordinis deputati, benigne recipere procuretis, ac populos vobis commiſſos, ut ex ore ipſorum verbi Dei ſemen devote ſuſcipiant admonentes, etiam in ſuis neceſſitatibus liberaliter aſſiſtatis: nec impediatis quo minus illi, qui ad prædicationem eorum acceſſerint, tunc eorum Sacerdotibus valeant confiteri: quatenus ad prædicta ſuſcipienda veſtris exhortationibus præparati: tamquam bona & fructifera terra pro vitiorum tribulis incipiant ſegetes germinare virtutum: & dicti Fratres per cooperationem veſtram ſuſcepti miniſterii curſum feliciter conſummando, optatum reportent ſui laboris fructum & finem, ſalutem videlicet animarum. Quia vero ſæpe vitia ſub ſpecie virtutum occulte ſubintrant: & angelus Sathanæ in angelum lucis ſe plerumque ſimulate transformat: præſentium auctoritate vobis mandamus, quatenus ſi qui de prædictorum Fratrum Ordine ſe dicentes, in veſtris partibus prædicaverint, ad quæſtum pecuniarum ſe convertendo, per quod Religionem ipſorum qui paupertatem profeſſi ſunt, contingeret infamari: vos tamquam falſarios capiatis, & condemnetis eoſdem. Nulli ergo, &c. Datum Viterbii II. *Kalendas Junii Pontificatus noſtri anno* XI.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Fr. Minor. inter crucesignatos armati.

Alii præd. Cruciatam.

Indicul. ex orig. in Arch. SS. Ap.

Ex quatern. to. 1. fol. 386.

„ I. ANimarum lucrandarum, & fidei Catholicæ conſervandæ, vel ampliandæ zelus, priſcorum noſtrorum Patrum per ea tempora adeo inflammabat præcordia, ut ex edicto ſupremi Paſtoris, in omnibus univerſi Orbis Chriſtiani partibus, tubis horrigone clangentibus, & vocantibus Chriſti milites contra Saracenos ad arma, ipſi nequaquam otiari, vel conquieſcere poſſent: & quidem in truculentos hoſtes ab omnibus quibuſvis armis, Religionis & Martis, precum & ferri, totis viribus pugnandum erat ea in cauſa communi, cum nulli feriandum ſit, quando neceſſitas omnibus æque otia tollit. Fuere igitur Minoritæ non pauci, qui fortiter ac intrepide jam religioſo cingulo conſtricti, Catholica vexilla Crucifixi in partibus ultramarinis ſequebantur, ſicuti nec deerant in ciſmarinis eorumdem, qui promoverent opus exemplo irreprehenſibilis vitæ, prædicatione verbi Dei, & præfervidis orationibus; omnium vero curam gerens ſummus Pontifex, omnibus neceſſaria providere, omnibuſque conſulere, providentiſſimus in omnibus ſatagebat. Noſtris, de quibus præcipue ſermo eſt, ut impedimenta conſcientiæ tolleret, expeditiores ut in tanto negotio fierent, poſſe iis in partibus, cum quibuſvis, etiam excommunicatis tuta conſcientia converſari, & communicare conceſſit, expedito brevi *Cum meſſis &c.* IV. Kalendas Februarii, cum tribus aliis, primo & ſecundo *Pro zelo Chriſtianæ &c.* ſub eodem IV. Kalendas Februarii, ac tertio *Credentes quod &c.* Nonis Martii.

Diplomata pro Minor.

Ex Vatic.

Fr. Præd. etiam commilitant.

„ II. Licet vero priſcos eos noſtros zelo Religionis actos, dixerim ea in occaſione ſponte quæſiviſſe laborem; attamen haud ii abſque commilitonibus erant; ſacer enim Prædicatorum S. P. Dominici Ordo præ-

,, præclariſſime florens, ſuos etiam habebat, qui conſimili fervore ſpi-
,, ritus moti, eamdem cauſam pro Chriſto & Eccleſia libenter ſeque-
,, bantur, ita ut eorum conatus, quorumvis nulli poſthaberi poſſe di-
,, gnoſceretur aperte: lingua eruditi, ſpiritu ferventes, corde con- *Ex Oder. fol. 513.*
,, ſtantes, impavidi & labores aſſueti, quales milites Chriſti eſſe decet,
,, eximiam ſui ſpem præferebant. In his ergo & noſtris, qui armis ſpi-
,, ritualibus cataphracti proficiſcebantur in hoſtes, collocata fiducia, *Ex Oder. fol. 504.*
,, ſummus Pontifex pro utriuſque Friderico Imperatori Apoſtolica ſcri-
,, pta direxit *Conſiderantes olim &c.* xvi. Kalendas Aprilis dum con- Pro utriſque alia diplom.
,, ſimili diplomate, ac ejuſdem temporis, ad eam expeditionem illum
,, adhortaretur: ſicut ſubinde per aliud fecit *Inclinavit cælos &c.* Nonis Pro expeditione Terræ Sanctæ.
,, Novembris. Quanta vero ſollicitudine Pontificium cor in his religio-
,, nis anguſtiis premeretur, ſcriptæ litteræ Hungariæ Regi *Supremus Opi-*
,, *fex &c.* Kalendis Februarii: Colonienſi Archiepiſcopo *Sollicitæ me-* 506.
,, *ditantes &c.* Kalendis Junii: Patriarchæ Jacobitarum *Digne immo &c.*
,, v. Kalendas Auguſti; & exhortatoriæ pro Terræ Sanctæ ſubſidio, 508.
,, manifeſtiſſime oſtendunt.

,, III. Interea vero univerſalis Pontificii regiminis nihil præter-
,, mittens, omnibus præſto erat, pronis auribus audiens ſupplices,
,, prompta voluntate juſtis & piis petentium votis condeſcendebat: *Indiculus:*
,, ſacras Virgines Clariſſas Montis Lucis a decimarum ſolutione exemit Eximit Clariſſas Montis Lucis a ſolutione decimarum.
,, *Monaſterium veſtrum &c.* viii. Kalendas Aprilis: & eiſdem, necnon
,, aliis ſanctæ Mariæ ibidem Peruſii ſpeciale indultum expedivit *Atten-*
,, *dentes &c.* iii. Kalendas Aprilis. Cæſarauguſtani vero Monaſterii *Ex Epit. hiſt. Prov. Aragon. reg. Obſerv. m.*
,, ſanctæ Catharinæ in Hiſpania hoc anno xix. Maii exemptis noſtris
,, Clariſſis a ſolutione fructuum, eas x. Junii ſub protectione Apoſto-
,, licæ Sedis acceptavit; ſed xiii. Julii, ut ad communitatem ſuas con- Reg. Aragoniæ concedit ingreſſ. Monaſter.
,, verſas, ſeu laicas admitterent, illis indixit; & xv. Julii Civitatis,
,, Antiſtitis, & Capituli protectioni, datis diplomatibus Viterbii, com-
,, mendavit: præterea ex eadem Urbe Viterbii xv. Julii expedito Apo-
,, ſtolico brevi, Aragoniæ Reginæ, ut cum matronarum comitatu in
,, præfatum Monaſterium ter in anno ingredi poſſet, clementer in-
,, dulſit.

APO-

Digitized by Google

Digitized by Google

APOLOGETICUS
DE
PRÆTENSO MONACHATU
AUGUSTINIANO
SANCTI FRANCISCI

In quo deteguntur, & refelluntur varii errores
ex hac una controverſia exorti.

APOLOGETICUS
DE
PRÆTENSO MONACHATU
AUGUSTINIANO
SANCTI FRANCISCI.

LECTORI MEO SALUTEM.

NON eſt cujus te circa hujus opuſculi argumentum præmoneam: clarum eſt: neque cauſam ſcribendi præfigam, eam habes in ipſo operis introitu. Quare reſponſum hucuſque diſtulerim, dixi in epiſtola præliminari; hic adjunxerim, *Platonem pleraque ſcriptorum cum Adoniis hortis comparaſſe, qui ſubito & uno die nati, celerrime pereunt.* Lente & laborioſe fatum hoc noſtrum, vires magis cœpit a tempore, & Horatiano exemplo:

Epiſtola ab Auctore huic addita Opuſculo, quę in prima Editione deſideratur.

Stob. in Ethic. Eclog.

Crevit occulto, velut arbor, ævo.

Hor. 1. carm.

Scriptum protenſum & diffuſum eſt, ſi ad unicum & ſolum argumentum ſpectes: breve & contractum nimis, ſi adverſi libri molem opponas. Pluribus objectis oportuit ſatisfacere: ſi quid ad rem facit, non omiſimus; docto & religioſo viro, ſi non docte, & ad menſuram reſpondimus, offenſas & convicia procul fecimus, quia ſcimus

Iſthunc theſaurum ſtultis in lingua ſitum,
Ut quæſtui habeant male loqui melioribus.

Plaut. Pæn.

Veritatis indagatio ſola mihi propoſita eſt, non ultio; & ſerpentem ignem volui extinguere, non ſeditionis flabello amplius ſuccendere. Tu, quiſque es, lector, in pia cauſa fave; pro Patre decerto. Si quid deprehenderis erroris, ſcias non malitiam aut pertinaciam, ſed humanam imbecillitatem & caliginem in cauſa eſſe. Si amice ſcripſeris, corrigam; nemo enim tam promptus ad monendum, quam ego ad mutandum. Contentionum ſtudium alere nolim, immo a longe deteſtor; nam & natura mea, conſuetudo & ſtatus conditio, abhorrent a litigio. Vale.

§. I.

Diſputationis occaſio, & ſcopus.

I. EGIT ante quadringentos annos vitam eremiticam per biennium ante inſtitutum ſuum Ordinem ſanctus Franciſcus Aſſiſias, noſtri ſodalitii Auctor & Rector. Specioſa hinc deſumpta occaſio, poſt trina integra ſecula, eum Eremitis Auguſtinianis adjudicandi. Exorientem opinionem nullo ſtabili innixam fundamento, Minores non tam ſuppreſſerunt, quam incurioſe neglexerunt, donec latius diffuſa, vires acquiſivit eundo, & placere cœpit quibuſdam novitatum affectatoribus, apud quos *negligitur veritatis inveſtigatio, & qui ad ea, quæ forte & temere oblata ſunt, potius ferantur.* [*Thucyd. lib. 1.*] Tamdem unus, aut alter ex Minoritis rem jam Reverendis Patribus Auguſtinenſibus perſuaſam, & quæ ad honoris incrementum altis inſedit cordibus, evellere niſus eſt; ſed dum efficaciter non egit, convocavit ad claſſicum Auguſtiniani nominis viros, qui effoſſis undique aggeribus, ſibi caram & honorificam quaque arte vallarent. Scripſit in eos demum Reverendus admodum Pater Antonius Daza, nunc in hac Curia pro Minoribus Ultramontanis Commiſſarius, addiditque ex Volaterrano in ſuæ ſententiæ confirmationem, beatum Bonaventuram Præſidem egiſſe in unione generali Eremitarum ſancti Auguſtini, eiſque indumenti exterioris formam univerſaliter ſuperinduxiſſe. [*Volater. lib. 21. Antrop. c. de Eremitanis.*] Qua id fide dixerit, modo nec probo, nec approbo. Inſurrexit in eum Reverendus admodum Pater Joannes Marquez, Salmanticenſis Doctor, vir alias eruditus, nec obſcuri nominis inter Hiſpanos, qui licet abſque bile præfatur ſe acturum, non tamen omnem abjecit, quin demulcendo feriat, & feriendo demulceat. Hic itaque collectis, quæ Jacobus Philippus Bergomas Eremita, primus (ut inferius amplius probabimus) hujus opinionis auctor, & adinventor variis in locis ſuorum Supplementorum hiſtoricorum: [*Infra §. 5. n. 1. & ſeqq.*] Hieronymus Romanus, ejuſdem profeſſionis vir, libro VI. Rerumpublicarum mundi, & alibi; atque alii hujus religioſi nominis profeſſores excogitarunt, peculiari edito volumine de Eremitani Inſtituti origine, a capite XXI. ſummo conatu Monachatum hunc Auguſtinianum ſancti Franciſci perſuadere ſtudet. Et tamdem aggregatis ceterorum omnium argumentis, additiſque ſuis, & conſtipatis undique quibuſcumque, etiam obſcuris, imo aliquando contrariis teſtibus, ſatis ſe obtinuiſſe putat, ſi quam alii ex ſuis conſodalibus certam judicarunt opinionem, ille ſaltem probabilem eſſe convinceret.

II. Sed neque probabilem eſſe ego me faciliter convicturum puto; quod ut abunde probarem, ſufficeret, ut quæ ille pro ſua commendanda ſententia in medium protulit, ego brevius referrem; etenim horum imbecillitas, & exigua, aut nulla probabilitas contrariam reddent omnino indubitatam. [Opiniones infirmæ nullo roborantur fundamēto.] Sunt namque quædam opiniones adeo in ſe inanes, ut nec plurimo extra conquiſito fundamento, veræ, ne dicam credibiles, appareant, & ipſis, quibus fulciuntur infirmis rationibus, ſi ad veritatis ſtateram ponderentur, ſua imbecillitate evaneſcant. *Sicut nix & glacies, quo diutius ad Solem exponitur, & diligentius puerorum manibus tractatur, eo magis funditur, & colliquatur: at quæ ex natura ſolida ſunt, magis indurantur: ita opiniones falſæ quidem, dum ad rationem expenduntur, diffluunt; veræ autem magis ac magis firmæ evadunt.* [*Triver. in Apophtheg.*] Ego unius hujus venerandi Magiſtri Salmanticenſis fundamenta (ex quibus potiora tranſcri-

tranſcripſit, ſeu latinitate donavit Reverendiſſimus Nicolaus Cruſenius, ejuſdem profeſſionis vir in Monaſtico Auguſtiniano, nuperrime edito, par. 2. cap. 25. breviter & fideliter referam, & facili negotio expendam; quibus examinatis, & revictis, ceterorum pereunt opiniones; dum enim omnium arma unus aſſumpſit, ſi in uno omnium ictus retundentur, omnes in uno ſuperari dicentur. Candide vero & ſincere, qua poſſum, in hac re agam; a ſcommatibus & dicteriis, quæ in ſeriis diſputationibus valde diſplicent, & ipſi argumento nocent, omnino abſtinebo; ponderoſis rationibus & gravioribus teſtibus, quidquid protulero, ubicumque poſſum, ſemper ſtabiliens.

III. Neque vero huc me adigunt alieni honoris invidia, aut in hujuſmodi congreſſibus ardor vincendi; ſed majorum imperia, ad quæ profiteor me ſincere hoc certamen inire, *ſine ira & ſtudio, quorum cauſas procul habeo*, atque ad veritatem dumtaxat indagandam rationem hanc omnem collimare. Ut quid enim ego moleſte feram alienum honorem, qui ex meo conſurgit? aut ægre audiam ex mea gloria ſuam quemque capeſſere? An ob id minor, aut vilior meus Inſtitutor, quod alienam clariorem reddiderit Sodalitatem? Vel an non inde ſplendidius meum ornamentum, unde alii ſibi etiam avidius illud adſciſcunt? Non eſt ſane cur alienæ invideam felicitati, quæ meæ gloriæ non detrahitur, ſed accedit. Ut quid etiam ad concertationem excitabit ſtudium victoriæ, quam æque meam, & ex adverſo pugnantis facit veritatis aperiendæ deſiderium? Illum ipſum, ſi ſupervixiſſet, nec immature ſuorum, ſacrarumque litterarum jacturæ haud mediocri deceſſiſſet, oraturum non dubitaverim, ut inter nos contendentes veritas ſuperaret. Nec humilius aut indignius de iis judicaverim, qui ejus partes ſint ſuſcepturi, quam quod propriam gloriam non quærant, ſed veritatem. *Qui cum vicerint, & ego vincam, ſi meum errorem intellexero, & e contrario me vincente illi ſuperabunt. Namque & in libro Paralipomenon legimus, quod filii Iſrael proceſſerunt ad pugnandum mente pacifica inter ipſos quoque gladios, & effuſiones ſanguinis, & cadavera proſtratorum, non ſuam, ſed pacis victoriam cogitantes.* Ego profecto non aliud ſuſpicer, doctos hos viros præter veritatem venari, neque quidpiam eis carius offerri poſſe plena rei hujus notitia, per quam dubia omnia tollantur, & pax religioſa firmetur.

Aliena ab hac diſſertatione ira & ſtudium.

Tacit. 1. annal. 1.

Hieron. epiſt. 89. ad Princ.

1. Paral. 2.

§. II.

Refellitur prætenſus hic Monachatus ex temporum Chronologia.

I. OMnem quam potui, in hac diſputatione adhibui operam, ut ex imis ruderibus veritatem eruerem, & diutius ruminando negotium, Ariſtophanis, Cleantiſque uſus ſum lucerna, ut nihil indiſcuſſum præterirem. *Aliena*, ut ajunt, *incæpi*, & ad præcipua capita rei hiſtoricæ controverſiam reduxi; ad ſacra ſcilicet Pontificia Regeſta, Eccleſiaſticæ hiſtoriæ puros fontes; quæ præcipua in me benignitate ſanctiſſimorum Dominorum Gregorii XV. & Urbani VIII. qui hodie feliciter ſacroſanctam gubernat Eccleſiam; Illuſtriſſimi item Domini Scipionis Cobellutii S.R.E. Cardinalis, & Bibliothecarii, ſingularis mei patroni; & humanitate perilluſtris viri Domini Nicolai Alemanni, Vaticanæ Bibliothecæ, atque Archivi Cuſtodis, mihi licuit tam pro hac aperienda controverſia, quam pro noſtri Sodalitii Annalibus concinnandis, non abſque aſſiduo labore, anno MDCXXIII. & MDCXXIV. perlegere. Acta etiam

Adhibita cura pro indagãda veritate.

Digitized by Google

etiam beati Joannis Boni, non quæque, & indigeſta (quamvis neque hæc etiam omnino neglexerim) ſed veriori trutina librata, atque ex ipſis originalibus proceſſibus, pro pio Viro canonizando ſcripta, duxi conſulenda, ut vel ex hoc Solis ſpiculo, tot ex oppoſito conglomeratorum teſtium nubes ultro diſcutiantur.

II. Ex his plane conſtabit, neque verum, neque probabile eſſe, quod aſtruitur de Monachatu Auguſtiniano ſancti Franciſci, ita quippe ſibi obviant tempora aſſerti diſcipulatus hujus ſancti Patriarchæ, & magiſterii beati Joannis Boni, ut nec ſub illo audiviſſe, nec potuiſſe, evidenter convincant. Atque ut jam in arenam deſcendamus; Conſtantius Laudenſis e ſancto Gervaſio Brixianus Eremita Auguſtinianus, Theologus Congregationis obſervantiæ Lombardiæ, dum ſancti viri Joannis Boni, nomen & famam ampliare, atque ad canonizationem ejus intentandam, petendamque animum Vincentii Gonzagæ Ducis Mantuani excitare ſatageret, ſcripſit ejus vitam ex ipſo proceſſu originali, facto per Albertum Epiſcopum Mutinenſem, Priorem ſancti Marci, & Præpoſitum Eccleſiæ Mantuanæ, quibus Innocentius IV. anno VIII. ſui Pontificatus, biennio poſt ſancti Viri mortem, conficiendum commiſit per ſuas litteras incipientes: *Dignat Domino*, datas Januæ, quas tranſcripſerunt idem Conſtantius ad initium ejuſdem vitæ, & ex illo Abrahamus Bzovius ad annum MCCXLIX. num.11. ſub datis XV. Kalendas Julii; ſed in regeſto Pontificio ejuſdem Innocentii habentur ſub eodem anno in ordine epiſtolarum num.523. datæ XV. Kalendas Junii, quibus etiam ſubjicitur ibidem modus obſervandus in interrogatione ſuper vita, converſatione, & miraculis ejuſdem Sancti, & legitimis teſtibus examinandis. Vitam porro hanc a ſe tribus libris diſtinctam, atque editam Mantuæ anno MDXCI. apud Franciſcum Oſannam Typographum Ducalem, dedicatam prænominato Duci Vincentio, præfatur Auctor prædictus ſtatim in limine, ſe totam adamuſſim ex illo proceſſu extraxiſſe, & concinnaſſe. Idque iterum confirmat libro 3. cap.46. in operis fine, dicens: *Quidquid in hoc tractatu diximus, totum apparet per proceſſum formatum ad præceptum fel. mem. Innocentii IV.* Hic itaque teſtis domeſticus, omni exceptione major, lib.1. cap.1. ex proceſſu refert, ſanctum Virum natum anno ſalutis MCLXVIII. & cap. 15. ejuſdem libri mortuum aſſerit die XXIII. Octobris anno MCCXLIX. octogeſimo ſuæ ætatis, quibuſdam additis menſibus, ex quibus quadraginta, ait, in ſeculo conſumpſiſſe, ceteros vero in eremo traduxiſſe: quod & confirmat lib.2. cap.35. ubi ait, quadraginta annos conſumpſiſſe in eremo Cæſenatenſi in continua pœnitentia.

[Margin: Vita beati Joannis Boni a Conſtantio Laudenſi deſcripta. — Quando natus, converſus, & mortuus.]

III. Quatuor itaque liquent ex hoc annorum calculo. Primum, mortem obiiſſe ſanctum Virum anno ſuæ ætatis octogeſimo, aliquoto addito menſium ſpatio, per quod rejicitur illa, quam refert Marquez, traditio Auctorum, quorum nullum nominat, videlicet, quod vixerit Vir ſanctus annis XC. vel XCII. & præ ceteris refellitur Joſephus Pamphilus, qui ad XCVIII. eum perveniſſe ſcripſit in Chronico Auguſtiniano, folio mihi 29. Secundo, liquet illam ejus mortem contigiſſe anno Chriſti MCCXLIX. cui numerandi rationi ſubſcribunt Abrahamus Bzovius citatus num.10. Aubertus Myræus lib.3. de orig. Monaſt. cap.17. Philippus Ferrar. in catalogo Sanctorum Italiæ ad XXIII. Octobris, qui Chronica etiam citat Auguſtiniana; & hiſtoria Eccleſiaſtica Mantuana, concinnata per doctum virum Hippolytum Doneſmundum tom.1. lib.4. pag.285. necnon vetuſtæ picturæ ædis ſanctæ Agnetis, Patrum Eremitarum Auguſtinianorum Mantuæ, ubi ſancti Viri corpus requieſcit, de quibus mox agemus, atque ipſe citatus Conſtantius in pagina præli-

[Margin: Marq. c.26. §.3.]

mi-

minari, dum ante illum annum MDXCI. quo ſuam hiſtoriam ſcribebat, mortuum, ait, beatum Virum annis tercentum quadraginta tribus, qui recurrunt ad eum, quem ſupputavimus MCCXLIX. Corrigendi ergo veniunt ii, quos citat Marquez citatus §.2. dicentes obiiſſe anno MCCXXII. Pamphilus citatus, Paulus Morigia, & Carolus de Tapia, non adeo vetuſti Scriptores, quibus immerito connumerat Volaterranum; neque enim tunc obiiſſe, ſed potius vixiſſe in Æmilia, magna ſanctitatis fama, clarius affirmat. Tertio, liquet natum fuiſſe anno MCLXVIII. quod expreſſe affirmant hiſtoria Mantuana relata pag. 261. & picturæ Mantuanæ citatæ, per quod rejicitur parum fundata conjectura Patris Marquez citati §. 3. hinc inde colligentis, & abſque ullo auctore, aut teſte, ſuſpicantis, ejus ortum incidiſſe in annum MCXXX. aut MCXXXII.

Morigia lib. 1. de orig. religion. c. 22.
Tapia ſup. authen. ingreſſi verbo, mona. cap. 113. n. 3.
Volater. lib. 21. Antropolog. c. de Eremit.

IV. Quarto (quod e re noſtra præcipuum eſt) liquet, converſum fuiſſe Dei virum a ſeculi vanitate, & joculatoria, ſeu comica arte, quam per varias Italiæ urbes exercebat, anno MCCVIII. & in fine ejuſdem, vel anno proxime ſequenti, poſt diutinum languorem, expiata conſcientia Epiſcopo Mantuano, & jam extincta pia genitrice Bona (a qua & a Patre Joanne *Bonbomi* nomenclaturam *Joannis Boni* deſumpſit) patriæ vale dixiſſe; & in eremum Cæſenatenſem ſeceſſiſſe. Hic annorum calculus manifeſte deducitur ex tertio aſſerto: nam ſi ad annum MCLXVIII. quo natum eſſe conſtat ex irrefragabilibus teſtimoniis proceſſus, hiſtoriæ Mantuanæ, & iconibus ipſius ædis, in qua jacet, adjungas alios quadraginta inaniter elapſos in ſeculo, antequam mundo valediceret, ut teſtatur Conſtantius citatus, & hiſtoria Mantuana pag. 267. imo & ipſe Marquez proxime citatus, qui ultra quadraginta concedit, annum numerabis MCCVIII. vel MCCIX. ejus ſeceſſus in eremum Cæſenatenſem. Ita expreſſo calculo eum annum aſſignat hiſtoria Mantuana proxime citata; ſed & ultra ducentos annos ita legebatur in clauſtro Mantuano Auguſtinianorum ædis ſupra relatæ ſanctæ Agnetis, per quod circum circa Viri ſancti vita vetuſtis iconibus exprimebatur. Nam ſub ſimulacro ejus converſionis, quando vanam cœpit vitam deteſtari, quod ad ſacrarii partem, per quam ex tablino, ſeu clauſtro ingrediendum ſit in Eccleſiam, ſcribebatur ejus vitæ in melius commutatæ annus MCCVIII. eumdemque numerum ejuſdem ædis Cœnobitæ in reſtauratis & renovatis anno proxime elapſo & præſenti, ejuſdem clauſtri imaginibus, atque in primo emblemate, ſeu ſimulacro ejus nativitatis, quod ad lævam ingredientis ex platea occurrit, repoſuerunt annum MCLXVIII., & ſimiliter in aliis imaginibus accommode diſtribuerunt numeros converſionis & mortis, quos ſupra memoravimus.

Converſus anno 1208.

Conſtant. lib. 1. cap. 15.

V. Stabilito jam hoc converſionis anno, etiam ex ipſis Patribus Auguſtinianis, atque eodem, in quo requieſcit loco, cauſam nos eviciſſe putamus. Neque enim hominis hoc anno converſi potuit eſſe diſcipulus Franciſcus, qui jam ante aliorum factus erat præceptor. Id facili negotio conſtabit ex annorum computo, quo uſi ſumus ad finem Apparatus noſtrorum Annalium, & ad annum MCCXXVI. quo Franciſci mortem narramus; ſed & hic uno vel altero teſte irrefragabili id brevius, ſed efficaciter oſtendimus. Controverſia eſt de hoc Monachatu Auguſtiniano ſancti Franciſci ſub illo biennio, quod interceſſit inter primam & ſecundam ejus converſionem, ut vel ipſe Marquez citatus §. 2. notat: nullus enim ante primam, dum adhuc ſecularis erat, Auguſtinianum dicet; neque poſt inſtitutam in ſecunda Minorum Religionem ad aliam convolaſſe contendet. At prima illa converſio ſancti Franciſci a ſeculi vanitate incidit in annum MCCVI. ſaltem inchoatum, ut in prædicto Apparatu ex multis probavimus, & vel hac convincimus ratione, quod recepta ſit

Non potuit eſſe præceptor ſancti Franciſci.

Quando converſus ſanctus Franciſcus.

Apparat. Annal. §. 4. in fine.

ſen-

Celan. in Legen. MS. Bonav. cap. 15. & 16. Marian. lib. 1. §. 29. Anton. tit. 24. 7. §. 6. Thomas Celan. Bonavent. Marian. Antonin.

ſententia probatorum Auctorum, quos rejicere non licet, Thomæ Celani Franciſci diſcipuli, & ſocii, Bonaventuræ, Mariani, & Antonini Florentinorum, aliorumque plurium, Franciſcum deceſſiſse anno vigeſimo a prima converſione, a ſecunda vero decimo octavo. Ita expreſse habent citati Auctores. Thomas Celanus: *Sanctiſſimus Pater noſter abſorptus eſt in æternæ claritatis abyſſum anno Chriſti* MCCXXVI. *qui fuit vigeſimus a prima ejus converſione, & a ſecunda, quando incœpit Ordinem Minorum, decimus octavus.* Sanctus Bonaventura cap. 15. Legendæ majoris, obiiſse ait, *Anno Dominicæ Incarnationis* MCCXXVI. IV. *Nonas Octobris*, cum jam ante cap. 14. mortuum dixiſset, *biennio ab impreſſione ſtigmatum, anno videlicet a ſua converſione* XX. Marianus Florentinus: *Obdormivit ſanctus Pater in Domino* IV. *Nonas Octobris Sabbato in ſero, anno videlicet* MCCXXVI. *ætatis ſuæ anno* XLV. *a prima ſua converſione anno* XX. *ab inſtitutione vero Religionis anno* XVIII. ſanctus Antoninus: *Anno Domini* MCCXXVI. IV. *Nonas Octobris, Pontificatus Domini Honorii III. anno* XI. *ætatis vero ſuæ quadrageſimo quinto, a prima ſua ad Deum converſione anno* XX. *ab inſtitutione Religionis* XVIII. *ex quo ſcilicet cœpit habere Fratres, poſt diutinam infirmitatem, & graviſſimos dolores, ex hoc ſeculo migravit ad Dominum.* Secunda itaque converſio ſancti Franciſci, & inchoatio Religionis Minorum, incidit in annum MCCVIII. ſub quo adhuc non receſſit, vel tunc receſſit a Mantua, qui futurus erat ejus magiſter in eremo Cæſenatenſi, in qua contendunt communiter Patres Auguſtiniani, tirocinium abſolviſse, & profeſſionem emiſiſse.

Ex Chronologia probatur nõ potuiſſe S. Franciſcum eum ſub Joanne Bono audire.

VI. Quando itaque potuit eſse beatus Joannes Bonus inſtructor ſancti Franciſci? An anno MCCIX. quo pervenit Cæſenam, & jam Franciſcus ſui Inſtituti ſectatores habebat, quos erudiret? An etiam anno anteriori MCCVIII. in quem item potuit incidere calculus annorum quadraginta male exactorum in ſeculo, & a quo poteſt incipere numerus ceterorum quadraginta, quibus in illa vixit eremo? At qui hoc etiam anno plene inſtructus erat Franciſcus in via Domini, & per eam jam cœpit ſub nova & Evangelica norma inſtituere Ordinem Minorum, præſertim cum non ſtatim, ut pervenit ad ſolitudinem Cæſenatenſem beatus Joannes Bonus, cœperit coruſcare miraculis; neque (ut ex oppoſito ait Juvenalis de vitioſis: *Nemo repente fuit turpiſſimus*) ex tempore illico ſanctiſſimus, aut adeo celebris evaſit, ut ipſo ſui ſeceſsus anno undique pervolaret fama ejus, & ab Aſſiſio Cæſenam longe majori, ut ſtatim monebo, terrarum tractu, quam Marquez exiſtimarit, ſe quæſitum, & viſum attraheret Franciſcum. Sane Jordanus de Saxonia, quem tantopere ubique Marquez laudat a fide, & vetuſtate, primo apud Budriolum Cæſenatenſis diœceſis domunculam quamdam de conſenſu Diœceſani conſtruxiſſe, & ibidem vitam eremiticam in arctiſſima pœnitentia duxiſſe ſcribit, antequam fama converſionis ejus per loca vicina crebreſceret, quod & ipſe diſſertator probat. Eodemque modo habetur in Bulla *Admonet nos* Innocentii IV. ſeu in relatione in eadem contenta, quam Marquez tranſcripſit, & inter codices Illuſtriſſimi Alexii de Meneſes Archiepiſcopi Braccarenſis ejuſdem Inſtituti, atque in archivo Auguſtinianorum Romano monet poſſe inveniri. At obiter admiror, ſi non aliunde myſterium percipio, cur ex nullo horum locorum lacunam hac in Bulla ſuppleverit illa ex parte, ubi in margine notat, non potuiſſe legi, vel magis mirum eſſet, ſi utrobique apud Auguſtinianos locus iſte eſſet corroſus, non dico corraſus. Ego illud præſtabo obſequii, ut ex Regeſto Pontificio prænumerati Innocentii, ubi ſub anno x. num. 625. idem habetur Diploma, locum hiulcum & mancum reſtituam. Ita porro ſcriptum: *Sane ad audientiam Domini Papæ pervenit, quod bon. mem. Fra-*

Juvenal. Satyr. 2.

Marquez c. 24. §. 4. & c. 26. §. 4. Jordan. in vita frat. lib. 1. c. 8.

Marquez c. 26. §. 5.

Marquez c. 13. §. 17. & cap. 22. §. 5.

Frater Joannes Bonus, hic lacuna, *primus* (hoc illud unum verbum, quod legi non poterat, nolo dicere, non placebat) *In Ordine veſtro, primam apud Budriolum Cæſenatenſis diœceſis, de conceſſione Diœceſani loci ejuſdem domum incœpit, & dum fama converſionis ejus per loca vicina crebreſceret, & plurimi converterentur ad eum &c.* Si ergo tempus expectandum erat, ut domum illam extrueret, & fama per vicina (non dico remota, qualis erat tractus Aſſiſius) loca crebreſceret, ante annum ſaltem MCCIX. non poterit ei rationabiliter tradi Franciſcus in diſcipulum, multo minus dici, apud eum tirocinium expleſse, aut profeſſionem emiſiſse. Jam enim tunc aliorum erat præceptor Franciſcus, & vel ipſo Marquez adſtruente, jam Minorum Ordinem inſtituit. Videri ergo neque veram, ſed neque probabilem (quod ſolum contendebat Marquez) eſse opinionem hanc de Monachatu Auguſtiniano ſancti Franciſci, neque enim, ut præmonuimus, fuit, neque eſſe potuit, ſuppoſito certo hoc annorum computo, beati Joannis Boni diſcipulus, ut Patres hucuſque aſſerebant Auguſtiniani. Quod ſi occurratur dicendo, anteriori tempore eum illius fuiſſe congregationis Jambonitarum, a Joanne Bono ita poſtea nuncupatæ, facile evidenter refellitur; primus enim hic fuit hujus Ordinis & auctor & rector, ut verbis expreſſis, a Marquez, non dicam ſuppreſſis, ſed omiſſis, quia legi non poterant, ex ipſa Fratrum Eremitarum, ſeu Guillelmi Cardinalis Protectoris narratione, Innocentius IV. jam citatus affirmat.

Marquez. c. 16. §. 2.

Refellitur quorumdam Chronologia.

VII. Hinc apparet, neque ſi objiciantur, audiendos eſse alios Chronologos, quos ſupra refellimus, Pamphilum, Morigiam, Tapiam, quibus adde Petrum a Natalibus, & Bergomatem, qui aliam numerandi rationem miniſtrant, & mortuum beatum Joannem Bonum aſserunt anno MCCXXII. Explodendos item, qui vixiſse volunt ultra annum XC. ſi qui ſunt præter Pamphilum, quem produximus hujus ſententiæ, quos tacitis nominibus offert Marquez, quorum nullum ego potui detegere. Neque admittendum Petrum a Natalibus, qui quinquaginta annis in eremo degiſse ſingulariter aſseruit, & occaſionem errandi præbuit Philippo Ferrario. His etenim opponimus illius generis teſtes, quos Doctores vocant omni exceptione majores, qui exceptione nulla repelli poſsunt, proceſsum videlicet vitæ, auctoritate Apoſtolica a gravibus Prælatis confectum, cujus fidei Pontifex nititur ad rem omnium graviſſimam, ut in apotheoſin Sanctorum referat, cujus acta debita diligentia ibi recenſentur. Opponimus item ex hoc proceſsu ſcriptorem Eremitam Auguſtinianum; expoſitas etiam in aperto tabulas domus ipſius, in qua Vir ſanctus requieſcit; & hiſtoriam publicam patriæ, ex qua originem duxit, & in qua glorioſæ vitæ curſum conſummavit, ut alios illos recentiores teſtes omittam. Prima illa veri dignoſcendi Hiſtorici lex ab Auctoribus probata, atque a probitate & integritate Auctorum ſumenda eſt, ut præferantur illi, qui ea, quæ narrant, vel viderunt, vel ab his qui viderant, acceperunt. Hinc illud Theopompi: *Eum quidem optimum rerum bellicarum ſcriptorem eſſe, qui quamplurimorum certaminum civilium particeps fuerit, & quamplurima etiam pericula coram expertus ſit. Innuere voluit*, inquit Polybius, *eum tantum revera eſſe bonum Hiſtoricum, qui de his ſcribebat rebus, quibus ipſe interfuit.* Teſtes qui rebus geſtis ſancti Viri interfuerant, præcipuos habet proceſſus adhuc extans, ipſius ſancti Viri ſocios, requiſitos, ut teſtimonium legitime dicerent biennio, vel triennio ab obitu hominis Dei. Hos proferimus, & qui ab his acceperunt, noſtræ cauſæ aſſertores.

Petr. a Natalib. li. 12. in append. cap. 6.
Bergom. lib. 12. ann. 1199.

Covar. de matr. p. 2. cap. 8. §. 12. n. 17.
Bern. in cap. 1. de conſangu. & gloſ. in cap. At ſi cler. in princ. de ind. & in cap. 1. de teſt.

Cano lib. 11. de locis cap. 6.
Poſſevin. in Bibliot. lib. 16. c. 2.

Polyb. l. 12. hiſt.

Efficax hæc ratio a temporis obſervatione deſumpta.

VIII. Hoc unicum adeo efficax & indiſſolubile argumentum, ut cum Priori Mantuano præfatæ ædis ad ſanctam Agnetem, inter renovatas

hoc anno imagines unam addenti de diſcipulis accedentibus ad beatum Joannem Bonum, quibus additus ſanctus Franciſcus, ſubmittentique adeo florenti picturæ unicum, cum quo agimus auctorem, & teſtem, Joannem Marquez, me urgente proponeretur, ingenue reſponderit, ſi ſuis numeris conſtat utraque, quam præmiſimus ſancti Franciſci converſio omnino deceptos ſuos, qui de tali diſcipulatu contendunt. Deinde de hac re monitus a Vicario Epiſcopi, addidit, facili remedio, cauſam ſcilicet exoriendæ controverſiæ tollendo ex iconibus, ſatisfactum iri Minoritis. Quid? quod & ipſe Conſtantius Laudenſis, dum omnia refert ex proceſſu, multoſque narrat habuiſſe Joannem Bonum diſcipulos, neque vero hunc tanti nominis vellet excludere, ſincere tamen innuat, nullam eſſe in proceſſu hujus rei memoriam, ſed dicat, ſe non debere tacere, ſanctum Franciſcum his interfuiſſe diſcipulis, dum illud, inquit, non tacuerunt Petrarcha, Sabellicus, Alexander, neſcio qui, & Epiſcopus Signinus, de quorum fide nos amplius agemus inferius. Quid? credibile eſt, in proceſſu coacto poſt apotheoſin, ſeu canonizationem ſancti Franciſci, ubique tunc celeberrimi, & ampliſſimi Inſtituti auctoris, nullam agendam eſſe mentionem ad laudem & commendationem beati Joannis Boni, ſi quoquo modo fuerit Franciſcus ejus diſcipulus? Anne parum cederet in ornamentum tanti magiſtri tantum etiam habuiſſe ſectatorem? An adeo exiguus decor, tanti nominis Virum præter alios erudiiſſe ad juſtitiam? *Qui ad juſtitiam erudiunt multos*, inquit ſacer Textus, *quaſi ſtellæ fulgebunt in perpetuas æternitates*, digne quidem, dum, teſte magno Dionyſio, conſtet, *divinarum omnium perfectionum diviniſſimam hanc eſſe perfectionem*. Adeo ergo inſignis ſplendor negaretur beato Joanni Bono, reticendo tantum erudiiſſe diſcipulum, vel ipſi Joannis auditores & ſocii, qui præcipue res ſui præceptoris in ſacra acta, & proceſſum redegerunt; ſibi etiam tantam occluderent gloriam, ne dicerent ſocium & comitem ſui diſcipulatus ſanctum habuiſſe Franciſcum?

Infra §.5.

Dan. 12. v. 3. Dionyſ. Areop. relatus a Charr. in cap. 12. Dan.

Exactius examinatur quãdo natus Joannes Bonus.

IX. At adhuc ſcrupulum dices ſupereſſe circa tempus converſionis Joannis Boni, & computi rationem, quo manifeſte nos eviciſſe putamus. Etenim longe anteriorem facit Marquez ejus nativitatem, ortuſque tempus aſſignat annum MCXXX. vel MCXXXII. At quo expreſſo auctore? Nullo; qua manifeſta ratione? Nulla; qua certa deductione? Prorſus nulla; hac unica conjectura, quod ejus mentionem agant Genebrardus circa annum MCLXXI. Jacobus Gualterius circa MCLX. & Philippus Bergomenſis tempore paulo inferiorem ſancto Guillelmo Aquitanico conſtituat. At examinemus parum hos annorum calculatores, videamuſque an pro probatis ipſe Marquez admittat. Ego in annorum ſerie primum, quem producit, Genebrardum admittam, dummodo teſtimonium ejus ille ratum habuerit. Illud porro eſt: *Ordo Willelmitarum, ſeu Guillelmitarum, quos vocant Eremitas, ſumpſit initium a Joanne Bono Mantuano* (teſteſque producit Sabell. Ennead. 9. Faſcicul. temp.) *nomen autem a Guillelmo Aquitaniæ Duce, & Pictavienſium Comite, qui eam familiam condidit, ut ſectarentur collectam ex divi Auguſtini operibus regulam*. Quam pauca hic probabit Marquez? Quod ferme verbum non refutabit? Admittet Guillelmitas a beato Joanne Bono, nonnullo tempore poſteriore, ſumpſiſſe initium? vel ſimul cum Joanne, Guillelmum eam familiam condidiſſe, dum duos hic videtur Genebrardus aſſignare unius, ejuſdemque ſodalitatis conditores? An item ſine ſtomachi bile concedet Genebrardo, ſanctum Auguſtinum non præſcripſiſſe Eremitis Regulam, ſed eos ſectari quamdam ex ſancti Doctoris operibus collectam? Novi certe circa hoc, nimirum de non præſcripta Fratribus Regula per Au-

Genebrardus.

Quorumdam dubium circa Auguſtini Regulam.

Auguſtinum, non diſſimilem, neque alienum eſſe aliorum ſenſum, idque non paucis aſſerere; quorum rationes noviſſime ſtabiliit Criticus Auguſtinianus, auctor in operibus ſanctiſſimi Doctoris non inerudite verſatus. *At iſthic mihi non adeo ſeritur, neque metitur*, ut rem hanc modo velim examinare. Hoc unum ſcio, illud nequaquam noſtrum diſſertatorem admiſſurum, neque in ullo ſuo aſſerto placiturum ei teſtem, quem primum produxit annorum calculatorem. Neque ſane in computo annorum teſtibus a ſe productis concordat Genebrardus. Sabellicus enim lib. 5. ſub Innocentio III. qui electus eſt anno MCXCVIII. ita habet: *Per id tempus Eremitanus Ordo inſtauratus eſt, cum temporum injuria pene ad interitum perductus eſſet. Inſtaurationis auctor Joannes Bonus Mantuæ natus, ejuſdem vir profeſſionis*. Et lib. 6. poſtquam longiorem fecit ſermonem de Dominicana & Franciſcana ſodalitatibus, addidit: *Eremitanus Ordo, qui erat jam propemodum extinctus, inſtauratur*. Faſciculum temporum (cujus auctorem Vernerum Carthuſianum ajunt Trithemius, Poſſevinus, & Bergomas) ſecum pugnantem, vel eadem confuſe & varie repetentem, conciliandum offero meo diſſertatori. Sub Alexandro III. ita habet: *Ordo Guillelmitarum ſancto Guillelmo Eremita, olim Duce Aquilegien. nomen & originem traxit. Ejus diſcipulus fuit ſanctus Albertus Eremita, qui Ordinem iſtum educavit*. Sub Clemente III. agit de ſancto Dominico & Franciſco, & deinde addit: *Willelmus Pariſienſis incœpit Ordinem Auguſtinienſium, qui etiam dicuntur Mendicantes*. Quid hic certum, aut conſtans meus admittet diſſertator? Aut quod hic veſtigium Joannis Boni (de quo nec unum in toto opere habet verbum, ut ipſe Marquez alias notavit) ut Sabellici & temporum Faſciculi auctoritate, eum ad annum MCLXXI. reducat Genebrardus?

Pluribus de hoc agunt Simon Verlinus & Bernardus Vindingus.

Sabel. Ennead. 9. lib. 5. & 6. in princ.

Trith. de ſcriptor.

Poſſevinus in Appar.

Bergom. in ſupp. ſupplementi l. 16. ad ann. 1400.

Marq. c. 53. §. 5.

X. Secundus mei diſſertatoris teſtis, Jacobus Gualterius, aliquanto anteriorem, nempe anno MCLIX. Joannem Bonum conſtituit. Atqui eadem hujus & Genebrardi vitia hiſtoriæ; illius enim verba tranſcripſit, *Ordo*, inquit, *Guillelmitarum a Joanne Bono inchoatus, is quidem ſic appellatus a ſancto Guillelmo Aquitaniæ Duce, Pictavienſique Comite, qui illum ſub Regula ex ſancto Auguſtino collecta formarat*. Teſtes adhibet Genebrardum in Alexandro III. vere utique, ut jam vidimus ex ejus verbis, quæ hic Gualterius repetit; & Onuphrium anno MCLX. ſed hunc immerito quidem, cujus ibi hæc verba dumtaxat: *Ordo Fratrum Eremitarum ſancti Guillelmi ſub Regula ſancti Auguſtini a Guillelmo Aquitaniæ Duce factus*. Tertius ille oblatus a diſſertatore teſtis Philippus Bergomas, videamus quam parvo tempore Joannem Bonum Guillelmo Aquitanico juniorem conſtituat. Profecto tam in Supplemento Chronicorum, quam in hujus Supplementi ſupplemento (quorum utrumque an viderit Marquez, & an hujus eſſe putaverit auctoris, agemus inferius) Guillelmum reponit ſub anno MCLVII. & Joannem Bonum ſub anno MCXCIX. Vide quæſo, quam egregie, quam ſcite ſubductis, & additis calculis, ex his fidis teſtibus numerum deducat diſſertator anni MCXXX. aut MCXXXII. ut tunc natum dicat beatum Joannem Mantuanum.

§. 5. n. 10.

XI. Huc uſque examinavimus, & aperte refellimus determinatos quoſcumque annorum numeros, quibus diſſertator, vel clarius aſſerebat, vel veroſimilius colligebat, natum, aut mortuum beatum hunc Virum. Reſtat adhuc unus indeterminatus ex Antonino allatus annorum calculus, ex quo velit deducere diſſertator, non ſolum ante annum MCC. floruiſſe pietate & miraculorum gloria Joannem Bonum, verum etiam circa illud tempus, poſt multos tranſactos annos, ſub forma Anachoretica, introductam in Jambonitarum Congregationem Regulam & normam vitæ Auguſtinenſium, atque ipſum Congregationis Auctorem ante an-

Examinatur adhuc tempus ex Antonino.

annum prænumeratum MCC. videlicet MCXCVIII. idem vitæ genus ſuſcepiſſe. Verba Antonini, ex quibus hæc videntur deduci, illa ſunt: *Circa annos Domini* MCC. *tempore Innocentii II. fuit vir magnæ ſanctitatis, nomine Joannes Bonus de Mantua oriundus, ſolitariam agens vitam, qui nimia abſtinentia, & inſueta claruit, & miraculis multis*: At quam parum hinc colligi poſſit, quis non videt? Quid hic determinatum, aut certum unde haberi poſſit firmiter nativitas, converſio, initiatio ſub Auguſtino, aut vitæ conſummatio? In univerſa, quam refert, vita ſancti Hominis, nullum tempus aſſignat, rei cuipiam ab eo factæ, vel ortui, aut interitui, neque unum quidem verbum habet Auguſtinianenſis Regulæ, aut ſodalitatis, neque unde poſſit deduci, fuerit ne hujuſmodi profeſſionis: niſi illinc aliquid velis venari: *Matre defuncta, a Mantua recedens, ad partes Romandiolæ ſeceſſit prope Cæſariam*, lege Cæſenam, *ad milliare unum, ubi in quadam eremo mirabilem pœnitentiam fecit, concurrentibus ad manendum cum eo aliis Eremitis*. At non omnes Eremitæ, Auguſtiniani, neque hujus ſolius Joannis Eremitæ vitam exaravit, aut tranſcripſit Antoninus. Geſta refert alterius Joannis Eremitæ, & Eremitarum Magiſtri, etiam Auguſtino ipſo ſenioris, quippe de quo ſanctus agit Doctor libro de cura pro mortuis agenda c. 17. Ruffinus lib. 11. cap. 19. & Evagrius in vitis Patrum. Item alterius etiam Joannis Eremitæ miræ ſanctitatis, de quo Palladius vit. 60. Non vero idcirco hæc memoraverim, ut conſtanter negem, Joannem Bonum Auguſtino nomen dediſſe, ſed ut inſinuem nihil hujuſmodi colligi ex Antonino. Porro neque temporis certi quidpiam habetur ex ambigua menſura voculæ, *Circa*; cujus tanta menſurandi latitudo apud Chronologos in referendis iis, quæ certis annis non conſtant, ut ſub decennio, & ſæpius ultra, quoſcumque numeros a parte anteriori, vel poſteriori liceat effingere, cujus rei exempla ubique ſunt obvia apud Annaliſtas. Adde quod non poſſit ex Antonino probari, quam vitæ partem tunc egerit Joannes Bonus, dum ſtatim univerſam referat: neque magis liceat ex illis verbis: *Circa annos Domini* MCC. *tempore Innocentii fuit vir magnæ ſanctitatis, &c.* aſcendere ad annos anteriores, ut ſuo conſulens argumento facit diſſertator, quam deſcendere ad poſteriores, & ſubſequentes, ut æquius & verius faciendum eſſe ex diſcuſſa hac annorum ſerie largius, ſed utilius monſtravi.

Anton. titul. 15. cap. 8. — *Ibid. §.6.*

XII. Video ex relatis diſſertatorem diligentem & ſedulam poſuiſſe operam in veſtigandis, & calculandis vitæ hujus ſancti Viri annis, ut ex iis inferret quando Anachoreticam, quando Monaſticam ſubierit; nihilque, ait, ſe adeo deſideraſſe, quam quod eſſet, qui in hac re facem præferret. At incidit in unum, cujus veſtigium terere poſſet, & ex eo devenire in cognitionem & indagationem vitæ; quam diximus Joannis Boni, a ſupra nominato Conſtantio Auguſtiniano deſcriptam. Porro is eſt Abrahamus Bzovius, qui ex hoc Laudenſis opuſculo refert, ſanctum Virum obiiſſe anno, quem ſuperius certum ſtatuimus MCCXLIX. ſtatimque citat Conſtantium Laudenſem in illa vita. Solum hunc numerum annorum, utpote ſuo intento incommodum, & longe a ſuo argumento alienum, reticuit ex omnibus, qui quoquo modo, etiam inepto, oblati ſunt a quibuſvis Auctoribus, ut hucuſque oſtendimus. Neque quidem negare poterit, hunc ſe vidiſſe; etenim Bzovium hoc ipſo loco citat, vel ex eo Bullam Innocentii IV. ut digna probet elogia ſancto Viro affigenda, & clauſulam ex eodem Bzovio tranſcribit prædictæ Bullæ; quam perperam dicit hunc Auctorem verbatim habere anno MCCLI. §. 8. num. 19. cum illam referat anno MCCLXIX. num. XI. Idque obiter monuerim circa illas litteras Pontificias in Regeſto Vaticano in ipſa Bulla, non ut habet Conſtantius, & ex eo Bzovius, *patrem*, ſed *fratrem* *Joan-*

Bzov. in annal. — *Marq. c. 3. §.2.*

Digitized by Google

Joannem Bonum Eremitam, dumtaxat haberi, & ſimiliter in Regulis præſcriptis circa teſtes examinandos, atque in earum titulo inſcribi; quaſdamque voculas hujus Bullæ perperam poſitas, reſtituendas eſſe ad dictum authographum archivii Vaticani.

§. III.

Contra eumdem Monachatum variæ objiciuntur rationes.

I. JAm ex ipſa temporis ratione abundantiſſime conſtare puto, quam inane poſuerunt ſtudium Patres Eremitæ in aſſerendo hoc tirocinio Auguſtiniano ſancti Franciſci. Placet autem & alias addere rationes, earumque pondus, quod attenuare intentavit Marquez, fideliori trutina librare. Prima ſit, rei tanti momenti, quanti ſemper judicatum eſt, religioſæ vitæ genus ſolemni voto ſubire, atque demum alio illud commutare; nullum ex omnibus ſancti Franciſci domeſticis, aut vetuſtis vitæ Scriptoribus verbum ullum feciſſe; non tres ſocios, Ruffinum, Angelum, Leonem, quorum iſte erat a ſecretis, & a conſcientia; non Thomam Celanum, ſocium item & diſcipulum, in prima, quam contexuit ad præceptum Gregorii IX. Legenda, nec in ſecunda longiori compoſita ex mandato Capituli, ſeu Synodi generalis; non Bonaventuram in majori item, aut minori Legenda; non Bernardum a Beſſa, Bonaventuræ ſocium, in alia uberiori; non Joannem a Ceperano, ſedis Apoſtolicæ Notarium, in vita ſancti Viri a ſe copioſe exarata; non Vincentium Belluacenſem; non Antoninum Florentinum; non demum alios quoſcumque vetuſtos Scriptores. At credibile non eſt, omnes tacituros rem ſuo tempore, vel paulo anteriori tranſactam, cujus ſupererant teſtes, & hujus aſſerti Monachatus condiſcipuli Patres Eremitani. Argumentum hoc inde majorem vim obtinere debet apud noſtrum diſſertatorem, quod ipſe ſimili uſus ſit, ut omnino negaret, ſanctum Bonaventuram præfuiſſe unioni generali Eremitarum, quia ejus vitæ Scriptores hujuſmodi non meminerint præfecturæ.

Marq. c. 24.

Nullus antiquorum Hiſtoricorũ huius meminit Monachatus.

Marq. c. 4. §. 11

II. Reſpondet tamen ex Bergomate Marquez, quod non omnia poſſumus omnes, neque ſancti Evangeliſtæ unum & idem de Chriſto ſcripſerunt, & tamen vera omnes ſcripſerunt. Admitto, non omnes omnia poſſe, nec ſcire, neque omnibus omnia conſtare; at ut res notabilis, & ſcitu non tam digna, quam neceſſaria, nulli innoteſceret, hoc illud mirum. Non ego contendo, ut res quæque ſancti Franciſci omnibus patuerint, ſed alicui ſaltem graviores innotuerint. Non omnes Evangeliſtæ (ut exemplo utar mei diſſertatoris) omnia eademque ſcripſerunt; at quod unus omiſit, alter ſupplevit, & præcipuas, fideique noſtræ proficuas Chriſti actiones notavit. Demus, hanc Franciſci ignoraſſe Bonaventuram, vel alium quemque ex ſupra citatis vitæ ſancti Viri Auctoribus; an & eam omnes neſcierunt? Nullus ex omnibus rem ex natura ſua notiſſimam, in omnium oculis patulam, ſolemni profeſſione firmatam, exteriori teſſera conteſtatam, potuit adipiſci? Ruffinus Aſſiſias conterraneus, qui incedentem vidit per illud biennium in habitu illo Eremitico, Leo Confeſſarius, Angelus anno ſequenti ab exuta veſte Eremitica ad ſodalitatem admiſſus, vitæ ejus primi Scriptores, rem notiſſimam, tunc actam ignorarunt? Thomas a Celano, ab ipſo Franciſco educatus, illam prorſus neſcivit? aut ſcitam tacuit in hiſtoria, quam offerebat Gregorio IX., Franciſco familiari, & vitæ totius conſcio? Neque etiam Bonaventuram latere potuit, cui, ut res omnes ſancti Franciſci ad poſteros tranſmittendas, certius conſtarent & clarius, *adierit*, ipſo teſte, *locum*

Vetuſti Auctores hujus Monachatus non meminerunt.

Digitized by Google

cum originis, converſationis, & tranſitus Viri ſancti, & cum familiaribus ejus adhuc ſuperviventibus collationem de iis habuit diligentem, & maxime cum quibuſdam, qui ſanctitatis ejus & conſcii fuerunt, & ſectatores præcipui, quibus propter agnitam veritatem probatamque virtutem fides eſt indubitanter adhibenda. Quam ergo nullus ex probatiſſimis lectiſſimiſque Hiſtoricis ſcivit, aut retulit, quis dicet hiſtoriam quibuſdam poſtea ſeculis ab aliis, rem ſuam agentibus, & honori conſulentibus, excitatam, ad fidem admittendam? Quis a ſuſpicione & cenſura ſuppoſititiæ poterit vendicare? Qui actionem aliquam ſeriam, aut gravem Chriſti ab omnibus Evangeliſtis (ut in diſſertatoris hæreamus exemplo) prætermiſſam in medium afferret, nec eam certa traditione a Chriſti familiaribus, aut coævis deducta, vel revelatione certa comprobaret, nonne exſibilaretur? Nonne tamquam temerarius rejiceretur? Et quidquid ultra Evangelicam hiſtoriam produceret, reputaretur apocryphum? Hic Hiſtoriæ Auctores novi, ut ſtatim probabo? Hic traditio nulla, nec prætenſa revelatio, hic altum in Auctoribus coævis totius rei ſilentium; quam ergo merebitur fidem, aut nomen? Novi hic dicturos, etiam illos Franciſco familiares, non adeo altum ſiluiſſe rem hanc, ut ſaltem per periphraſim, aut ſignis probabilibus eam non expreſſerint: agunt enim de habitu Eremitico, corrigia, calceis, & baculo ſancti Franciſci, Eremitarum ſancti Auguſtini teſſeris notiſſimis. At quam a re Auguſtiniana hæc aliena ſint, & quam parum ſibi his ſignis concilient, largius & palam inferius oſtendam.

Bonav. in prolog. Legenda.

§. 5. n. 1. & ſeqq.

§. 4. num. 2.

Neque Pontifex inter canonizandum.

Anno 1228. & ſequen.

III. Secunda ſit; nullam fieri mentionem, aut ſuſcepti, aut derelicti, hujus Auguſtinenſis Monachatus in ulla ex Bullis, quas Gregorius IX. dedit, vel ad ejus canonizationem intimandam, vel ad ejus laudes celebrandas: quarum plures ſub eodem miniſtravi Pontifice in noſtris Annalibus. At in apotheoſi illorum, qui veteres relinquunt Religiones, ut novas inſtituant, laudis loco hoc celebratur in Pontificiis litteris, quibus canonizationem denunciant. Ita expreſſe refertur de ſanctiſſimis Patriarchis Dominico, & Franciſco de Paula; de illo hic ipſe Gregorius in Bulla, cui initium, *Fons ſapientiæ*, ita inquit, *Qui gerens a pueritia cor ſenile, ac in mortificatione carnis eligens vivere, vitæ requiſivit Auctorem, & Deo dedicatus, ac in Nazaræum ſub beati Auguſtini Regula conſecratus, &c.* quibuſdam interpoſitis. *Paſtor & dux inclytus in populo Dei factus, novum Prædicatorum Ordinem inſtituit.* De iſto vero Leo X. in Bulla, *Excelſus Dominus*, refert eum, *in ſortem Domini electum, annum integrum peregiſſe in Ordine Minorum in Conventu ſancti Franciſci Civitatis ſancti Marci*, & mox Ordinem Minimorum inſtituiſſe. Quid ergo? Credibile eſt, Gregorium IX. cum Franciſco per annos plures converſatum, & ſumme ei familiarem, cui præclara quæque ejus vitæ erant perſpecta, teſte ipſo Pontifice in litteris canonizationis. *Mira circa nos*, incipientibus, *Cum igitur glorioſæ*, inquit, *vitæ ipſius inſignia, & multa familiaritate, quam nobiſcum habuit in minori officio conſtitutis, plene cognita nobis eſſent*; credibile eſt, inquam, Pontificem hunc religioſum hoc vitæ genus, a Franciſco ſuſceptum, & ſolemni voto firmatum, ignoraturum, aut hoc ei laudis negaturum, ut non referret iſtud ejus encomium, & vitæ ſpiritualis initium ac formam, præſertim cum ampliſſimo & gravi ſtylo ſub multis ſacræ ſcripturæ formulis ejus exprimat a mundo receſſum, quo tempore contenditur, hunc ſubiiſſe Monachatum?

Plura fecit tunc, quæ Monachatū non compatiuntur.

IV. Tertia, quod biennio illo prætenſi Monachatus quædam notiſſima, & omnium conſenſu probata peregerit, quæ Eremicolatum regularem, ſaltem in remota regione, non compatiuntur. Tres reſtauravit Ecclе-

Digitized by Google

cleſias, ſancti Damiani Martyris, ſancti Petri Apoſtolorum Principis,
& ſanctæ Mariæ Angelorum; ſanctorum etiam Apoſtolorum limina Ro-
mæ viſitavit, teſte Bonaventura, & Alexandro Aquilano, præter cete- *Bonav. cap. 2.*
ra, quæ noſtram notitiam ſubterfugiunt. Quod quæſo itineri Romano, *Aquil. in Chron. Ord. Min.*
& peractis in eo pietatis officiis? quod etiam trium Eccleſiarum reſtaura-
tioni in uno biennio ſupereſſet tempus religioſæ vitæ in diſtanti procul
regione obeundæ, addiſcendæ, & voto ſolemni firmandæ? Facile occur-
rit Marquez, dicendo non comparandam trinam illam Eccleſiam ampliſ- *Marq. c.24. §.4.*
ſimo, & ad prodigium magnifico Templo ſancti Laurentii *del Eſcurial*,
Philippi II. Regis Hiſpaniarum operi & monumento vere regio, vere
orbis miraculis annumerando; ſed cenſendas adeo humiles, quales infra
biennium potuerint abſolvi. Adhuc illæ ipſæ, ea quam tunc acceperunt
magnitudine & menſura extant, & quam humiles ſint omnibus apparent;
neque dubitamus, an eas reſtauraverit infra biennium, ſed an in illo bien-
nio ultra earum fabricas potuerit negotium adeo ſerium & prolixum ſub-
ire, qualis eſt regularis vitæ tirocinium, & ſeceſſus in longinquam re-
gionem, ſub præceptoris ferula & cura, intra Monaſterii ſepta delite-
ſcendo? An ultra tempus in re tanti momenti inſumptum, potuerit præ-
ter alia Romam ire, & tres Eccleſias, quantumvis humiles, reſtaurare,
iens & rediens Aſſiſio; & ex Eremo Cæſenati? Hoc inquirimus, in hoc
candidi & ſinceri viri requirimus judicium. At non adeo diſtat ab Aſ-
ſiſio Cæſena, inquit Marquez, ut non potuerit & illic profiteri Au-
guſtinianum Inſtitutum, & ſtatutis temporibus venire Aſſiſium,
ad reparandas prædictas Eccleſias. Spatium enim ſexaginta mil-
le paſſuum, ſeu viginti leucarum Hiſpanicarum, quod inter utram-
que urbem ex Ortelio menſus eſt, non adeo magnum putat, ut *Marq. c.24. §.4.*
hinc inde ſpiritu Apoſtolico, & ad morem animalium myſticorum
Ezechielis: *Quæ ibant & revertebantur in ſimilitudinem fulguris coru-* *Ezech. 1. v. 14.*
ſcantis, non potuerit hinc inde Vir ſanctus diſcurrere, & ſæpius ire Cæ-
ſenam, atque Aſſiſium reverti. Vere in menſura erravit geometrica,
atque aſcenſum, deſcenſumque interjacentis montis Apennini in plani- *Quantum diſtet Cæſena ab Aſſiſio.*
tie dimenſus: *Poſuit prava in directa, & aſpera in vias planas.* At ego
(ſi verba illa mihi liceat uſurpare) *ponam juſtitiam in menſura*, & ar- *Iſa. 40. v. 4.*
guam, *in menſura contra menſuram.* Aſſiſium eſt in Umbria in valle Spo- *Iſa. 27. v. 8.*
letana, Cæſena vero in Romanula, ſeu Romandiola, in ipſa via Æmilia *Ibid. 28. v. 17.*
inter Gallos Bojos, ad Sapin fluvium, qui rapidiſſimo curſu ex Apennino
fertur in mare Adriaticum. Duplex eſt via, qua Aſſiſio Cæſenam tendi-
tur; prima & brevior per Eugubium, Cantianum, Callium, Quala-
gna, Urbinum, Montem florum, Ariminum, Sevignianum, quod X. M. P.
diſtat a Cæſena. Hoc itinere numerantur quotidiana itinerantium, &
curſorum obſervatione, nonaginta quinque milliaria. Brevior hæc via,
ſed non ſemper expeditior, propter inundantes fluvios, & ſuperabun-
dantes nives; alio itaque prolixiori quandoque itinere Cæſenam abitur,
per Fulgineum, Camerinum, Tolentinum, Maceratam, Recinetum,
Anconam, Senogalliam, Fanum, Piſaurum, Ariminum; ſed per hanc
viam numerantur milliaria CLXVII. Videat itaque meus diſſertator, an
ita juſte menſus ſit terrarum intercapedinem, ut facile fuerit Franciſco
ſæpius Cæſena Aſſiſium remeare. Adde his, Alexandrum Aquilanum
peculiariter obſervaſse, ex Legenda Gregorii IX. Franciſcum toto illo
biennio non tranſiliiſse Umbriæ terminos, niſi ſemel in peregrinatione *In appar. §. 5. num. 3.*
Romana, de qua egimus in noſtrorum Annalium apparatu.

V. Quarta non inefficaciter deducitur ex ipſis tabulis teſtamenti
ſancti Viri, adjecto eis commentario ex divo Bonaventura; verba ejus
ſunt: *Dominus ita dedit mihi Fratri Franciſco incipere facere pœniten-*
tiam

tiam: quia cum eſſem in peccatis, nimis mihi videbatur amarum videre leproſos; ſed ipſe Dominus adduxit me inter illos, & feci miſericordiam cum illis; & recedente me ab ipſis, id quod videbatur mihi amarum, converſum fuit mihi in dulcedinem animæ & corporis: & poſtea parum ſteti, & exivi de ſeculo. Tres hic vitæ ſuæ ſtatus Vir ſanctus brevi oratione deſcripſit; primum, laxioris, & inordinatæ, ſub peccatis juvenilis levitatis exactæ; ſecundum, quando a primo pauliſper cœpit reſipiſcere, & leproſis (quorum in primo ſtatu, non ſolum conſortium, ut ait Bonaventura, verum etiam longinquum contuitum vehementer horrebat) diligenter & humiliter inſervire, convertitque ei Deus in dulcedinem, quod antea erat horrori; tertium, plenum a ſeculo receſſum, & novæ vitæ ſacrum Inſtitutum. Hæc brevis narratio converſionis, hic Ordo ſactæ pœnitentiæ, ab ipſo ſancto Viro ſub mortis articulo ſcriptis ad poſteros tranſmiſſus, ita ut a peccatis reſipiſcens, tranſierit ad leproſorum obſequium, in eoque hæſerit, donec parumper ſe colligens, & agenda perpendens, exierit de ſeculo, ſuumque crearit Inſtitutum.

Impugnatur hic Monachatus ex S. Viri teſtamento.

Bonav. cap. 2.

VI. Ita intellecta hæc verba, admittit Marquez, non inefficacia eſse ad rem noſtram aſſerendam, proinde in alium ſenſum vult illa detorquere, atque in ſuum reducere. Amiſſi horroris circa leproſos, & obſequii eiſdem præſtiti tempus aſſignat illud, quod interceſſit inter primas illas motiones internas, quibus Deus mentem ejus ad meliora excitabat, & renuntiationem veſtium, hæreditatiſque paternæ factam in manibus Epiſcopi Aſſiſiatis (non Fulginatis, ut diſsertator hic & ubique, & ex eo Nicolaus Cruſenius perperam inſcribunt) poſt quam parvo elapſo tempore, inquit, exivit Franciſcus de ſeculo, veſtem ſcilicet Eremiticam aſsumendo, & vitam religioſam profitendo; atque eo referenda aſserit illa verba, *parum ſteti, & exivi de ſeculo.* Non enim commode, aut proprie, ait, hæc referri poſsunt ad totum biennium ante Inſtitutum Ordinem Minorum; nam a rejectis veſtibus coram Epiſcopo, uſque ad illud tempus non parum, ſed multum temporis, biennium videlicet, intervenit. Et obſequia leproſorum præmittit Bonaventura veſtibus excuſſis, ad narrationem illam de leproſis ſubjungens: *Agebat autem hæc omnia vir Dei Franciſcus nondum habitu, vel convictu ſequeſtratus a mundo.* Et poſt factam renuntiationem tunc exivit de ſeculo, Religionem Eremitarum ingreſſus, inquit diſſertator, aliter non ſtatim adderet Bonaventura: *Solutus mundi contemptor a vinculis mundanarum cupiditatum,* quæ proprie ad mundi contemptum per Regularem paupertatem ſunt referenda.

Marqu. cap. 24. §. 6. Ibid. & cap. 22. §. 4.

Diſſertatoris explicatio.

Cruſenius de Monach. S. Auguſt. p. 2. c. 25.

Bonav. cap. 1. in fin.

Marq. c. 24. §. 6. rejicitur.

VII. His labefactare contendit diſſertator vim argumenti; ſed corroboravit, dum admiſit, & ſerio conatu probavit, illa verba *Exivi de ſeculo*, intelligenda eſſe de exitu per aſſumptam vitam Regularem. Mihi nempe facillimum erit oſtendere in ſecundo vitæ ſtatu poſt leproſorum obſequia, non aliud ſubiiſſe vitæ Religioſæ genus, præter Minoriticum: licet enim Bonaventura referat, Virum ſanctum leproſis inſerviiſſe, excuſſo circa illos horrore, ante redditas patri veſtes, largius tamen recenſita nobili illa renunciatione, proſequitur ejus geſta, & ait, abiiſſe in ſolitudinem, incidiſſe in latrones in ſilva, acceſſiſſe ad vicinum Cœnobium, de quo in apparatu Annalium egimus; inde progreſſum Eugubium, ubi a priſtino amico vilem illam veſtem accepit, quam ceteri, ut nos contendimus, Eremiticam vocant, quibus omnibus ſubnectit: *Exinde totius humilitatis amator ſe tranſtulit ad leproſos, eratque cum eis diligentiſſime ſerviens omnibus propter Deum; lavabat ipſorum pedes, ligabat ulcera, educebat plagarum putredinem, & ſaniem abſtergebat, oſculabatur etiam ex miranda devotione ulceroſas plagas ipſorum &c.* Similiter

In appar. §. 5. n. 1.

Bonav. cap. 2.

Digitized by Google

liter Vincentius Belluacenſis & Antoninus poſt exuta veſtimenta, ad leproſos ſe tranſtuliſſe referunt, ejuſque erga eos humanitatem recenſent. Poſtmodum, ait Bonaventura, juxta obedientiam ſibi e cruce injunctam, ſancti Damiani Eccleſiam, mox alias duas reparaſſe; numquam tamen intermiſſis leproſorum, aut fœdis morbis infectorum, obſequiis, ut idem ſanctus Doctor oſtendit ex miraculo illo, quo poſt viſitata limina Apoſtolorum, fama ejus jam latius clareſcente, horribili morbo laborantem Comitatus Spoletani virum benigno oſculo ſanavit. Ait autem, quod ſerio notandum eſt, eum poſtquam reſarciendæ Eccleſiæ ſanctæ Mariæ Angelorum animum intendit, amplius ex illa non diſceſſiſſe. Verba ejus ſunt: *Quam*, ſupple Eccleſiam ſanctæ Mariæ, *cum Vir Dei ſic derelictam conſpiceret, ob devotionem ferventem, quam habebat ad Dominum mundi cœpit illic aſſidue pro ipſius reparatione morari. Sentiens autem, juxta nomen ipſius Eccleſiæ, quo ab antiquo* ſancta Maria de Angelis vocabatur, *Angelicarum ibi viſitationum frequentiam, pedem fixit ibidem, propter reverentiam Angelorum, amoremque præcipuum matris Chriſti*. Deinde cap. 3. addit: *In Eccleſia igitur Virginis Matris Dei moram faciente ſervo ipſius Franciſco, & apud eam, quæ concepit Verbum plenum gratiæ & veritatis, continuis inſiſtente gemitibus, ut fieri dignaretur advocata ipſius, meritis matris miſericordiæ concepit, & peperit ſpiritum evangelicæ veritatis*, modum ſcilicet & normam inſtituendæ ſuæ Sodalitatis. Ecce quam clarum offerimus ex Bonaventura verborum Franciſci commentarium. Ita incepit, ut ipſe ſub mortem teſtatus eſt, facere pœnitentiam, & receſſit per gratiam Dei ex peccatis; tunc ei gratum & dulce ſervire leproſis, quorum obſequiis continuo inſtitit, etiam dum reparabat Eccleſias; poſtea *parum ſtetit*, & hæſit in æde ſanctæ Mariæ Angelorum; & tunc *exivit de ſeculo*, dum exaudito Evangelio *cœpit*, ut ait Bonaventura, *divino inſtinctu Evangelicæ perfectionis æmulator exiſtere, & ad pœnitentiam ceteros invitare*. Ultra hæc verba, neſcio quid clarius poſſit expeti; ſi tunc cœpit ſanctus Franciſcus Evangelicæ perfectionis æmulator exiſtere, nulla facta hic mentione graduum perfectionis, quos Marquez ſub his verbis excogitat, non utique antea Religioſus fuit Auguſtinianus; neque enim ullus iſtius ſanctæ Religionis profeſſor permittet dici, ſe perfectionem Evangelicam non æmulari. Tunc vere exivit de ſeculo exitu illo, quo vult Marquez vitam iniiſſe Regularem. Porro verba illa, quæ ex Bonaventura objecit diſſertator, ad probandum ſtatim poſt relictas patri veſtes, Franciſcum regularem evaſiſſe Eremitam, nullius ſunt momenti; clariora enim ſunt apud ſanctum Doctorem, quam ut expoſitione egeant. Nam poſtquam retulit plenam renunciationem rerum omnium, etiam ipſorum, quibus tegebatur, veſtimentorum, a Franciſco factam, apte ſubjunxit: *Solutus exinde mundi contemptor a vinculis mundanarum cupiditatum*; deinde refert quomodo ex Civitate, & ad ſolitudinem ſe contulerit. *Exinde* itaque, nempe per plenam illam renunciationem *ſolutus eſt*, & liber evaſit *a vinculis mundanarum cupiditatum*, quia videlicet, divitias, & quæcumque mundana mentem humanam circumligant, procul ut eſſent, effecit.

Vincen. lib. 29. cap. 98.
Anton. tit. 24. cap. 2. ante §. 1.
Ibid.
Bonav. cap. 3.
Marq. c. 25. §. 6.
Bonav. cap. 2.

VIII. Quinta & poſtrema ratio illa eſt, quod Vir Dei Franciſcus, audita inſtructione Evangelica in æde ſanctæ Mariæ Angelorum, quantocyus veſtem mutarit, & novam vitæ rationem inierit, nullo alio præter ædiculæ Presbyterum conſulto: quod nequaquam feciſſet, neque abſque conſcientia læſa facere potuiſſet, ſi jam antea cuipiam Regulari Inſtituto nomen dediſſet. Quomodo enim, qui ſolemni voto Regulari vitæ ſe perpetuo addixit, ab ea proprio arbitrio reſiliret, & aliam ſibi vivendi normam præſcriberet, quæ nullam habebat tunc ſtabilitatem, ne-

Repentina novi habitus aſſumptio hunc diſſuadet Monachatū.

neque auctoritatem? An adeo cuique ad ſuum placitum licebit ſe excucullare, & quam voluerit ſibi vitæ normam effingere? Hujus ſane argumenti vim agnoſcit & fatetur diſſertator, neque aliam evadendi viam invenit, quam recurrere ad ſpiritus ferventis impulſum, differentiamque actionum ſanctorum Virorum, a communibus hominum operationibus. Deinde exemplum affert de ſanctiſſimo Patriarcha Dominico, quod hic etiam, antequam Innocentium III. Pontificem conſuluerit, Toloſæ ſuam inſtituerit Religionem, quantumvis antea profeſſus fuerit Inſtitutum Canonicorum Regularium ſancti Auguſtini. Sane effugia hæc difficultatem non enervant, præterquam enim quod Auctores hujuſmodi impulſus non meminerint, nec ad hoc opus ex ſe undequaque licitum, peculiarem requirant revelationem, quis illum probaret impulſum, quo commoveretur quiſpiam, ut jugum omne ſuæ Religionis excuteret, habitum, & univerſam exteriorem teſſeram projiceret; Regulam, quam ſe ſervaturum in perpetuum promiſit, omnino contemneret, & veſtem contemptibilem, nullo ſacro ritu, euſque commendatam, abſque regula, aut probata norma vitæ, abſque ductore, abſque Superioris, aut Pontificis conſenſu, propria ſibi obduceret auctoritate?

Marq. c.25. §.5.

Reſpōſio diſſertatoris.

Refellitur.

IX. Quod porro additur de præclariſſimo Viro Dominico, longe aliud eſt; quantumvis enim ſocios ſibi adſciverit, atque peculiaribus doctrinis inſtruxerit, tamen ante Inſtitutum, & probatum ab Honorio Pontifice Ordinem, veſtem non mutavit, ſed poſtea, ex viſione facta Reginaldo Aurelianenſi; neque Regulam ſemel ſuſceptam abjecit, imo ſemper ſub ea vixit, eamque ſuis tradidit ſectatoribus, ita ut Honorius in Bulla ſecunda confirmationis ejuſdem ſacri Inſtituti, ſub habitu & Regula Canonicorum, *Ordinem canonicum* vocaverit ſacram Religionem Prædicatorum: & anno quinto apud Lateranum in aliis litteris commendatitiis ſanctiſſimum Patriarcham appellaverit non ſemel *Canonicum* Ordinis Prædicatorum. Dominicus, ut novam inſtitueret Religionem, prioris Inſtituti, quod profeſſus eſt, veſtem retinet & Regulam; & Franciſcus ante jacta ulla fundamenta novi Ordinis, veſtem & Regulam procul abjiciet? neque veſtigium ullum ſibi retinebit Religionis, ſub qua ſolemni ſacramento vivere promiſit? Ipſo ſuo exemplo diſſertator argumenti difficultati difficultatem adjunxit.

Bzovius ad ann. 1216. n.9.

Caſtil. lib.1.c.54.

X. Quid? quod nec ipſi potiores aſſertatores hujus prætenſi Monachatus inter ſe cohærent de loco initi tirocinii, aut ſuſcepti Inſtituti? Jordanus de Saxonia, ſive is, ſive alius ſit, locum præſcribit Budrioli juxta Cæſenam. Henricus de Urimaria, de cujus fide mox agemus, locum ſancti Jacobi de Aquaviva juxta Piſas; Ambroſius Coriolanus Eremitorium apud Saxetum prope Lavernas; Ægidius Viterbienſis Bictrinum locum non procul a Piſauro; Joſephus Pamphilus apud Piſas vixiſſe ait cum Joanne de Cella, ſecundo poſt Joannem Bonum, Ordinis Generali. Circa tempus hujus Joannis de Cella habitaſſe cum Fratribus Auguſtinianis aſſerit, ex Henrico de Urimaria, Joannes Gonzalez de Critana, imo & prope Lavernam eiſdem, poſt accepta ſtigmata, convixiſſe; Paulus Morigia aliquamdiu eis commoratum aſſerit ad ſanctum Salvatorem, non procul a Civitate Senarum. Unde, quæſo, tanta locorum varietas? Unde mira hæc temporum confuſio? Unde ſpecioſi hujus Monachatus adeo incerta origo? Profecto origines rerum, quæ numquam fuerunt, nuſquam inveniuntur; & ſi aſſignantur, non tam pro rei veritate, quam pro hominum imaginatione, erunt quot capita tot ſententiæ. Cæſena Civitas eſt Romanulæ, Saxetum, Urbs Piſarum, & Senenſis, longis intervallis diſſident in Tuſcia. Piſaurum Civitas eſt in Piceno; ita ut non ſolum diverſæ Civitates, & loca, verum etiam & variæ regiones

Mire diſcrepant Auguſtiniani circa locum tirocinii.

Jord. lib. 1. vit. Frat. c.8.
Henri. tract. MS. cit. a Marq. cap. 31.
Coriol. in Apol. verit.2. arg.8.
Viterb. lib. 20. ſecul. ad annum 1198.
Pamph. in Chron. fol.25.
Gonzal. in epiſt. hiſt. Auguſt. c.81. ante §.1.
Morig. de relig. orig. cap.53.

nes

Digitized by Google

nes, atque Provinciæ tirocinio Franciſci præſcribantur. Temporum item hic admiranda confuſio; Joannes Bonus, ut ex longius diſcuſſo annorum calculo probavimus, pluribus annis Franciſco ſupervixit, quippe hic [§.2. per totum.] diem ſuum obiit anno MCCXXVI. ille autem MCCXLIX. & tamen Joanni Bono ſucceſſiſſe, ait Pamphilus, Joannem de Spelunca, huic vero Joannem de Cella, & cum eo ſanctum Franciſcum apud Piſas vixiſſe. Sane ego non dubito, ſubeſſe errorem in hac ſucceſſione Generalium, ut Marquez [Marq.c.13.§.19.] contendit; at nimium craſſus eſt, Franciſcum non ſolum Joanne Bono, verum etiam hujus ſucceſſoris ſucceſſore poſteriorem, vel ei coævum conſtituere. Neque levior ille error Critanæ Auguſtiniani ex Urimaria, Franciſci incolatum inter Eremitas Auguſtinianos, etiam poſt recepta ſtigmata, conſtituentis, cum ceteri ſat ſe obtinuiſſe putent, ſi annis ſeptemdecim ante inflicta vulnera ſuum convictorem fuiſſe demonſtrent. Vide quæſo, quæ monſtra pariat ſtudium & affectus. Unus ſtudii proprii error multos generavit in hiſtoria. *Ita comparatum eſt, ut qui figmentorum portentis aures præbent, & ipſi mox aliquid effingant, quo fit ut errorum quaſi illuvie veritas vitiata, prorſus ſuam auctoritatem perdat.* [Panſa. lib.18.]

[Admiſſo hoc etiã tirocinio, Franciſcus non poteſt dici Auguſtinianus.]

XI. Addam, quod etſi contendentibus annueremus, Joannis Boni Franciſcum fuiſſe eo biennio diſcipulum, neque tamen exinde ſuum dicere poſſent Auguſtiniani. Id facili negotio probatur: nam ſi, ut ſupra largius probavimus, circa annum MCCVIII. aut ſequenti, ſe retraxit in eremum pius ille Eremita, & ex litteris Apoſtolicis Innocentii IV. & [§.2. per totum.] narratione Jordanis de Saxonia conſtat, plures annos Anachoretam egiſſe, poſt quos Regulam ſancti Auguſtini a ſancta obtinuit Sede, nihil prorſus vendicare juris ſibi poſſunt Auguſtiniani in ſanctum Patriarcham, quod & ipſe diſſertator admittit, dummodo illud probetur. At probo [Marq. c.26. §.3.] quam breviter, & clare ex Bulla Innocentii IV. relata ad verbum per ipſum diſſertatorem, in qua ita res narratur per Guillelmum ſancti Euſtachii Cardinalem. *Sane ad audientiam Domini Papæ pervenit, quod* [Marqu. cap. 13. §.17.] *bonæ memoriæ Frater Joannes Bonus, primus in Ordine veſtro, primam apud Budriolum Ceſenatenſis diœceſis de conceſſione Diœceſani loci ejuſdem domum incepit, & dum fama converſationis ejus per loca vicina crebreſceret, & plurimi converterentur ad eum, Eccleſiam in honorem Beatæ Mariæ Virginis conſtruxit ibidem: creſcente autem numero, & merito ejuſmodi Converſorum, Religio veſtra per eos in diverſis partibus, in quibus manſiones conſtruxerant, extitit propagata. Cum autem iidem Religioſi aliquam de approbatis Regulam non haberent, quidam ex eis accedentes ad Sedem Apoſtolicam obtinuerunt ab ea beati Auguſtini Regulam ſibi dari, & ſic ex tunc cœperunt in Regularibus obſervantiis inſtrui, & regulariter ſe habere.* Hæc eadem ferme per omnia tranſcripſit Jordanus de Saxonia, ex qui- [Jord. lib.3. vit. Franc. cap.8.] bus manifeſte patet, plurimis annis creviſſe, & adoleviſſe horum Eremitarum Congregationem, ante acceptam a ſancta Sede Regulam ſancti Auguſtini, & ex illo tempore cœpiſſe in Regularibus obſervantiis inſtrui, & regulariter ſe habere; quod & probat meus diſſertator, additque, ad illud uſque tempus non vixiſse eos conventualiter, ſed Ana- [Marq. c.36. §.3.] choretarum more ſolitarios. Quo autem certo anno, vel tempore hoc factum, non eſt qui firmiter dicat. Marquez ex illo ſuo conjecturario [Marq. ibid. §.2.] annorum calculo deducit, contigiſse circa annum MCCXX. ſed ſupra nos [§.2. per totum.] largius probavimus, neque beatum Joannem Bonum eo anno adhuc converſum. Jordanus de Saxonia ait, poſt unionem Eremitas hos Regulam [Jord. citat.] accepiſſe, & ſupervixiſse beatum Joannem Bonum inſinuat ipſi unioni. Sed ſi loquatur de unione univerſali facta ſub Alexandro IV. jam Vir ſanctus erat defunctus; ſi vero de unione quarumdam peculiarium Congre-

gregationum facta ſub Innocentio IV. anno I. ſui Pontificatus (nam & de utraque unione agit cap.14. ad quod ſe hoc loco remittit) potuit adhuc ſupereſſe: illa enim unio incidit in menſem Decembrem anno MCCXLIII.; mortuum autem beatum Joannem Bonum ſerio oſtendemus anno MCCXLIX. Non tamen cohærent hæc cum Bulla Innocentii IV. qui ait, poſt acceptam Regulam ſancti Auguſtini, beatum Joannem Bonum per plures annos præfuiſſe Fratribus, & propter excreſcentem numeroſitatem, poſtea officio ceſſiſſe, atque annuente, & confirmante Epiſcopo Cæſenatenſi, Fratrem Matthæum ſibi ſubſtituiſſe; deinde elapſo aliquoto tempore, Angelo præmonente, Mantuam abiit moriturus, ubi vitam terminavit. Quæ ſane plures annos requirunt, quam qui intercedunt inter MCCXLIII. & MCCXLIX. Deinde convincitur ex Bulla Gregorii IX. *Dudum apparuit*, data Lateran. IX. Kalendas Aprilis, Pontificatus anno XIV. quam præter alios, refert diſſertator ante annum MCCXLI. qui tunc recurrebat, introductam in hanc Congregationem Regulam beati Auguſtini. Nam & in dictis litteris Pontifex eos vocat Eremitas Fratris Joannis Boni, Ordinis ſancti Auguſtini. Profecto Reverendiſſimus Nicolaus Cruſenius, Eremitarum Auguſtinenſium in Germania Viſitator Generalis, non ſemel conſtanter aſſerit poſt annos XXV. vitæ Anachoreticæ tranſactos, datam hanc Regulam ſancto Viro, ejuſque aſſeclis; quod ſi ita verum ſit, efficitur ut poſt annos MCCXXXIII. illam acceperit, non ab Innocentio III. ut Marquez & Cruſenius ejus per omnia ferme tranſcriptor, affirmant, ſed a Gregorio IX. nam ad annum MCCVIII vel MCCIX. quem ſtatuimus ejus converſionis, ſi viginti quinque adjunxeris, jam numeratum MCCXXXIII. vel ſequentem computabis. Imaginare ergo qua ratione potuerit Franciſcus, inſtituto ſuo Ordine anno MCCVIII. vel ſi mavis, ſequenti, Auguſtinianus ex hac Congregatione dici, cujus ſectatores, non niſi poſt viginti quinque annos, vitæ Anachoreticæ, juxta Cruſenium, Regulam acceperunt, & non niſi illa accepta, ut habet Pontifex Innocentius, cœperunt Regularibus obſervantiis inſtrui, & regulariter ſe habere.

Marq. cap.3. in princ.

Cruſen. cit. c.24.

Marq. c.26. §.3. Cruſen. cit.

§. IV.

Reſpondetur ad oppoſita argumenta.

Primum argumentum Auguſtinienſium ex habitu Eremitico S. Franciſci.

I. EXaminemus jam tandem, quæ meus diſſertator pro ſua ſtabilienda ſententia proponit. Rationes ejus prius adducam, deinde coaſſertores. Illa prima & potiſſima, quæ aliqualem primitus ſpeciem adverſæ aſſerendæ ſententiæ miniſtravit, nimirum quod ſanctus Franciſcus illo biennio, & communi tum noſtrorum, tum aliorum Auctorum conſenſu, tunicam, corrigiam, baculum, & calceos geſtarit, atque inde habitum Eremiticum tuliſſe communiter dicatur. Hæc vero certa eſſe indicia, propriamque teſſeram Eremitarum Auguſtinianorum, probat ex ſingulis. Primo, ex tunica, quæ etiam poſt fundatum Ordinem Minorum adeo aſſimilabatur exteriori veſti Eremitarum, ut per Pontificis ſententiam neceſſe fuerit litem inter utramque Religionem dirimere, & tunicarum tollere ſimilitudinem. Secundo, ex corrigia, quam peramplam cinxiſſe Auguſtinianos, oſtendunt Gregorii & Alexandri Bullæ, quarum clauſulas, vel ipſas integras nos dabimus inferius; quam etiam eos accepiſſe ab ipſo Auguſtino aſſerit Jordanus & Antoninus; Marquez vero dicit, ab ea occaſionem ſumpſiſſe Petilianum calumniandi Auguſtinum, atque contra eum inferendi, quod judicaverit, Chriſtum eſſe Joannem Baptiſtam, quia ad ſimilitudinem Baptiſtæ, zona pellicea præ-

Marq. cap.25. §. & ſeq.

Num.3. & ſeqq. Jord. lib.1. c.15. Anton. tit.24. c. 14. §.2. Auguſtin. lib. 3. con. lit. Petilian. c.40.

præcincti, eamdem ſuis ſectatoribus præſcripſit in Monaſteriis, quæ Vir ſanctus inſtituit. Franciſci item corrigiam peramplam, & Auguſtinianæ ſimilem fuiſse ex eo certum, inquit, eſt, quod vir pœnitens non anguſtulum, vel delicatulum aſsumeret cingulum, neque ſi tale eſset, appellaretur *zona* a Sabellico, Vergilio, & Ludovico Granatenſi; nam inter probatos auctores *Zona* amplum, & forte ſignificat cinctorium, ut communiter docent interpretes ad illa verba Chriſti: *Neque pecuniam in zonis veſtris*. Confirmat item hoc verbum Hiſpanicum *Cinto*, quo Marcus Ulyſſiponenſis Franciſci corrigiam explicuit. Tertio, ex baculo; nam & hoc inſigne Eremitarum eſse, docet Vincentius Belluacenſis loquens de ſancto Chriſtiano Eremita, quod etiam portaſse Eliſæum conſtat, ut ad hoc ipſum annotavit Caſſianus, & in Bulla Gregorii IX. juſſi ſunt Eremitæ Auguſtiniani baculos quinque palmorum ſemper geſtare, conformiter ad illud, quod refert Jordanus de Saxonia, Auguſtinum præcepiſse Fratribus, ut abſque baculis non incederent, quod infertur ex illo ejuſdem ſancti Doctoris ſermone ad Fratres in Eremo: *Portamus etiam baculos, per quos intelligitur diſciplina, ſub qua ſemper parati eſſe debemus*. Calceatos item inceſſiſse Eremitas Auguſtinenſes, manifeſte habetur ex Bulla Gregorii IX., ubi præcipitur eiſdem Eremitis: *Ut adeo ſuarum veſtium longitudinem temperent, quod a quibuſque ipſorum calceamenta libere videantur*; nempe ut apparenti & manifeſto ſigno diſcriminarentur a Minoritis excalceatis, quos *nudipedes* peculiari elogio vocavit Petrarcha. Itaque ſi juxta illud Eccleſiaſtici: *Amictus hominis annunciat de eo*, per veſtem facile quiſque dignoſcitur: neque Rex Ochozias aliud requiſivit ſignum ut Eliam Thesbiten agnoſceret, quam ut interroganti cujus figuræ & habitus erat diceretur; *Vir piloſus, & Zona pellicea accinctus renibus*; quis negabit, Franciſcum ex Eremitis Auguſtinianis fuiſse, qui non ſolum unum, verum etiam omnia illorum geſtabat inſignia, uti eum deſcripſerunt, præter ceteros, Vincentius, & Antoninus, dicentes: *Habitum Eremiticum tunc temporis habuit, baculumque manu geſtans, pedibus calceatis, & corrigia corporis cinctus incedebat*.

Sabel. Enn. 9. lib.6.
Polyd. de inventor. rerum lib. 7. cap.4.
Granat. ſerm. de S. Franciſc.
Matth.10.
Marc. lib.1. c.5.
Vincent. lib. 29. cap.11.
4. Reg.4.
Caſſian. l.1. ren. cap.9.
Jord. lib.1. c.15.
Auguſt. ſerm.27. ad Frat. in Eremo.
Petrarch. lib.11. rer. Senil. Epiſt. 11.
Eccli. cap.19.
4. Reg.18.
Vincen. lib. 29. 98.
Antonin. tit. 24. c.1. ante §.1.

II. Specioſum ſemper viſum eſt hoc argumentum Patribus Auguſtinianis; ſed mihi magis tumultuarium, quam robuſtum, Neque a me diſſentiet, qui Pontificia, quæ offero reſcripta, perlegerit. Illa originem, & inſtitutionem hujuſmodi Eremitani docebunt veſtimenti, quam ex certis & optimis tabulis eruere diſpliciturum non credo Patribus Eremitis: quod ſi diſpliceat, *In ipſis culpa eſt, qui provocarunt, non in me, qui reſpondere compulſus ſum*, & ea manifeſtare, per quæ veritas rerum involucris immerſa, caput altius attollat, & deſiderantibus ſeipſam manifeſtius exhibeat. Tantum itaque abeſt, ut ab Eremitis Auguſtinianis, aut a Joanne Bono inſignia illa corrigiæ, baculi, aut nigri habitus Franciſcus acceperit, ut illi potius ea acceperint a Sede Apoſtolica, quibuſdam annis a Franciſco defuncto. Sciendum itaque eſt, quod legatione fungentibus in partibus Lombardiæ Raynaldo ex Comitibus Signiæ, Gregorii IX. nepote, Epiſcopo Oſtienſi, qui demum Alexander IV. renunciatus eſt, & Thoma de Capua Campano Presbytero Cardinali ſanctæ Sabinæ, exorta eſt controverſia non parva inter Minores, & Fratres Joannis Boni; hi enim diverſimode in habitu externo incedentes, adeo Ordinis ſui ſubſtantiam variabant, ut omnino ſimiles viderentur Fratribus Minoribus, in multiplicem derogationem eorumdem, & ſcandalum plurimorum. Quibus Pontifici per ſuos Legatos relatis, ad differentiam manifeſtam ſtatuit per dictos Legatos, ut ex clauſula quadam inferius a nobis referenda, Bullæ Innocentii IV. conſtabit, ut Eremitæ habitum vel

Hieron. epiſt. 14. ad Auguſt.

Exordium habitus Auguſt.

vel album, vel nigrum omnes aſſumerent , eumdem peramplis & patentibus corrigiis præcingerent , baculos quinque palmorum grandium in manibus portarent . Sed cum illi nigrum habitum eligerent , præcepit ut largas & protenſas haberent manicas , quaſi ad inſtar cucullarum , & veſtium longitudinem adeo temperarent , ut a quibuſque ipſorum calceamenta libere viderentur , ut ſic habituum confuſio ſemovererur , & ſcandali auferretur materia . At dum in quibuſdam partibus Marchiæ , Eremitæ his ſtatutis non parerent , ſcripſit Pontifex anno XIV. ſui Pontificatus ad Epiſcopos illius Provinciæ , ut eos compellerent obedire . Operæ pretium erit ipſum Pontificem audire .

GREGORIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI,

Venerabilibus fratribus Epiſcopis per Anconitanam Marchiam conſtitutis , &c.

Bulla Greg. IX. Apparet in Lombardia Ordo Joannis Boni .

III. *DUdum apparuit in partibus Lombardiæ Religio , cujus profeſſores vocati Eremitæ Fratris Joannis Boni , Ordinis ſancti Auguſtini , nunc ſuccincti tunicas cum corrigiis , baculos geſtantes in manibus , nunc vero dimiſſis baculis incedebant , pecuniam pro eleemoſynis , aliiſque ſubſidiis depoſcentes , & adeo variantes Ordinis ſui ſubſtantiam , ut dilectis filiis*

Variat habitum.

Fratribus Minoribus uniformes in derogationem multiplicem ipſorum Ordinis crederentur , eiſdem propter hoc minorem apud fideles ſentientibus in ſuis opportunitatibus caritatem . Sane cum per venerabilem Fratrem noſtrum Oſtienſem Epiſcopum , & bo. me. Thomam tituli ſanctæ Sabinæ Presbyterum Cardinalem , tunc in partibus illis legatione fungentes , hujuſmodi præſumptio ad noſtram audientiam perveniſſet , nos, ne identitas veſtium in Ordinibus ipſis confuſionem pareret , & inde ſcandala graviora conſurgerent , ad utrorumque quietem providimus ſtatuendum , ut Prior , & univerſi ac ſinguli

Certus præſcribitur habitus .

Fratres prædicti Ordinis ſancti Auguſtini in exterioribus veſtimentis , (quæ nigri , vel albi debebant eſſe coloris , quorum altero , videlicet nigro , jam electo ab eis , ipſos volumus manere contentos) largas & protenſas manicas , quaſi ad inſtar cucullarum , & deſuper ipſa ferant peramplas corrigias , & patenter omnibus apparentes , ita quod omnes cincti deforis eas veſtibus nequaquam contegant , & portantes in manibus baculos quinque palmorum grandium , ac expreſſe in eleemoſynarum petitione , cujus ſint Ordinis declarantes , adeo ſuarum veſtium longitudinem temperent , quod a quibuſvis ipſorum calceamenta libere videantur : ut ſic habitus confuſione remota , & ſublata materia ſcandali , a prædictorum Ordinum Fratribus poſſit virtutum Domino liberius & gratius deſerviri. Verum, cum quidam Eremitæ

Eum quidam ex Auguſtinenſibus non admittunt .

præfati Ordinis ſancti Auguſtini , ac alii Religioſi ſupradictis Eremitis conformes habitu , in eadem Marchia conſtituti , formam prædictæ identitatis prohibitam geſtare dicantur in eorumdem Fratrum Minorum infamiam , & ſcandalum plurimorum , Fraternitatibus veſtris mandamus , ut univerſis & ſingulis Eremitarum, ac Religioſorum prædictorum diſtrictius injungatis, ut circa præmiſſa memoratæ proviſionis ſtatutum inviolabiliter obſervantes , eum qui monitus non reſipuerit , donec redeat ad mandatum , a ſuo conſortio excludere non poſtponant . Ceterum , quia pietas perſuadet , ut ipſi ex obedientiæ ſtudio præmium honoris & gratiæ conſequantur , eos prædictam proviſionem laudabiliter obſervare ſtudentes , curetis benigno favore proſequi , & tamquam Catholicæ Eccleſiæ filios faciatis ab aliis confoveri . Si vero ſuæ voluntatis arbitrium præferendo judicio veſtro, contravenire præſumpſerint , in eos excommunicationis ſententiam promulgetis , quam per veſtras

Ci-

Digitized by Google

Civitates & diœceſes publicari ſolemniter, & eoſdem, tamquam excommunicatos, uſque ad ſatisfactionem condignam, appellatione remota, arctius evitari ab omnibus faciatis. Dat. Laterani IX. *Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri anno* XIV.

IV. Ex his litteris, quæ habentur in Regeſto Gregorii IX. ſub nu. 1. illius anni, & apud meum diſſertatorem, illud primum liquet, non adeo vetuſtum tunc fuiſſe illud Inſtitutum Joannis Boni, quippe Pontifex ait: *Dudum apparuiſſe in partibus Lombardiæ*, conſequenter ad ea, quæ a nobis ſuperius ſtatuta ſunt circa annorum ſeriem de Eremicolatu Joannis Boni, & admiſſa in ejus ſocietatem circa annum MCCXXXIII. Regula ſancti Auguſtini, propter quam cauſam Pontifex ejus profeſſores appellat Fratres Joannis Boni, Ordinis ſancti Auguſtini. Sed Marquez vult vocabulum, *Dudum*, non ſolum breve, ſed & longum quandoque temporis ſpatium ſignificare. At teſte Valla, de exiguo tempore dicitur, & conſtat ex Geneſi, ubi de ficta venatione Jacob, quam ipſo eodem die edidit Iſaac, ait, *qui dudum captam venationem attulit mihi*, & Exodo, ubi farina *Dudum de Ægypto conſperſa* dicitur, quæ paulo ante illinc abducta eſt. Sed & Alexander IV. in Bulla *Licet Eccleſia*, ann. II. ſui Pontificatus, quam diſſertator tranſcripſit, ait, *Dudum a ſe Apoſtolicum mandatum emanaſſe*, circa unionem plenam Eremitarum, quam non niſi anno antecedenti tentaverat. Plerumque ergo ita hæc vox *dudum* ſignificat, præcipue apud Pontifices, ut in eorum videre erit reſcriptis. Secundum itaque excogitavit reſponſum diſſertator, aliud nempe eſſe apparere, & incipere, atque in fundationem potuiſſe eſſe vetuſtiorem, ſed apparitionem recentiorem. At quomodo tamdiu latere potuit, quæ primitus fundata eſt a Joanne, etiam tunc ſuperſtite, & quæ ut fundaretur ſub Regularibus obſervantiis, publice acceſſit ad ſanctam Sedem, ut Regulam impetraret, quæ item ſub ipſo Inſtitutore, extra Romanulam in alias Provincias brevi excrevit in magnam numeroſitatem.

Marq. cap. 2. in princ. — *§. 2. per tot.* — *Marq. cit.* — *Vall. lib. 2. eleg.* — *Gen. 27. v. 33.* — *Exod. 12. v. 39.* — *Marq. c. 4. §. 1.* — *Infra §. hoc n. 18.*

V. Secundum conſectarium eſt, non adeo eſſentialem fuiſſe illum habitum, nec a ſancto Auguſtino acceptum, ut non potius libere Fratres novum elegerint, aut a Pontifice, ejuſque Legatis acceperint, ut conſtat ex clauſula Bullæ Innocentii IV. inferius referenda, quam antiquum retinuerint, aut priſtinum renovaverint. Id tam ex ſuperiori infertur Bulla, quam ex ſequentibus maniſeſtius probatur; nam ſtatutis a Pontifice hujuſmodi veſtibus mirum in modum reluctati ſunt, proptereaque rigoroſius cum illis agendum fuerit, ut eas aſſumerent. Appellationem etiam interpoſuerunt ad ipſum Pontificem, ne ad hujuſmodi habitum deferendum compellerentur, cujus appellationis occaſione Epiſcopi aliquantulum ſegnes executores Apoſtolici mandati ſemet exhibuerunt, quos obinde Pontifex datis litteris eodem anno XV. *Kalendas Auguſti* carpit, jubetque, non obſtante illa appellatione, ut abſque mora ad executionem procedant. Habentur hæ litteræ in Regeſto Pontificio.

Interponunt appellationem Auguſt. circa præſcriptum ſibi habitum.

GREGORIUS EPISCOPUS &c.

VI. A*pparente dudum in partibus Lombardiæ*, &c. (hic præmittit Pontifex ſuperiores litteras verbatim, deinde addit) *ſed vos, ut accepimus, circa mandatum noſtrum tepidi, & remiſſi, occaſione cujuſdam appellationis, quam ad vos ſuper his interpoſuiſſe dicuntur, illud exequi, & contra proviſionis noſtræ contemptores procedere, de quo miramur plurimum, omiſiſtis. Licet igitur contra veſtram in hac parte deſidiam non immerito moveri poſſemus, adhuc tamen obedientiam veſtram experiri volentes, univerſi*tati

Bulla Greg. IX. qua jubet ut cogantur ad hunc habitum aſſumēdum.

Digitized by Google

tati veſtræ per iterata ſcripta diſtrictius præcipiendo mandamus, quatenus ad executionem prædicti mandati ſub præfatæ appellationis & contradictionis obtentu, ac ſine moræ diſpendio, ſinguli in veſtris Civitatibus & diæceſibus procedatis, ita quod ulterius de negligentia redargui non poſſitis. Datum Laterani XV. *Kalendas Auguſti anno* XIV.

Recurrunt perſonaliter ad Pontificem.

VII. Neque etiam hoc ſuffecit, ut habitum nigrum, nec corrigiam vellent hi Patres Eremitæ geſtare: nam perſonaliter cum quibuſdam ex ſuis Fratribus frater Andreas Prior Generalis majoris partis Eremitarum Marchiæ coram Pontifice ſe conſtituit, inſtanterque poſtulavit, ut admitteretur ad proſecutionem appellationis jam dictæ. Quem ut Pontifex circa hoc noluit audire, humiliter cum ſociis nomine ceterorum conſodalium ſupplicavit, ut concederet eis cucullas diſcinctas portare, quippe talis uſus cucullarum ſatisfacere videbatur ad diſtinctionem manifeſtam a Minoribus, qui ſuos habitus præcinctos ferebant, & conſequenter relaxaret Pontifex ſuum mandatum de cucullis nigri coloris induendis. Quibus ita annuit Pontifex, ut ad Epiſcopos Piceni ſcripſerit, quod ſecundum hanc facultatem eis fieret, cogerenturque ad prædictas cucullas diſcinctas geſtandas intra terminum, quem præſcriberent Epiſcopus Firmanus, & Abbas de Cliento Ordinis Ciſtercienſis, ad quos etiam binas dedit circa hanc rem litteras, quarum exemplaria hic offero ex Regeſto ejuſdem Gregorii ſub ſuperiori anno.

GREGORIUS &c. *Venerabilibus Fratribus Epiſcopis per Anconitanam Marchiam conſtitutis, &c.*

Bulla alia, quâ jubentur cucullas diſcinctas portare.

VIII. D*Udum apparuit in partibus Lombardiæ, &c.* (denuo repetit hic primas litteras uſque ad illa verba) *a ſuo conſortio excludere non poſtponant*, deinde addit, *Si vero voluntatis arbitrium præferendo judicio rationis, contravenire præſumerent, in eos excommunicationis ſententiam proferetis, ipſam per veſtras Civitates & diæceſes publicari ſolemniter, & eoſdem tamquam excommunicatos uſque ad ſatisfactionem condignam, appellatione remota, arctius evitari ab omnibus facientes. Sed vobis, ut accepimus, circa mandati noſtri executionem tepidis exiſtentibus, & remiſſis contra noſtræ proviſionis contemptores, occaſione cujuſdam appellationis, quam ad nos ſuper his interpoſuiſſe dicuntur, minime procedendo, Frater Andreas Generalis Prior majoris partis Eremitarum Marchiæ, cum quibuſdam Fratribus ſuis in noſtra præſentia conſtitutus, ſe admitti ad proſecutionem appellationis jam dictæ cum inſtantia poſtulavit. Nos autem frivolam reputantes eamdem, ipſum ſuper hoc, ſicut nec debuimus, non duximus audiendum. Ceterum dicti Prior & Fratres pro ſe, & Eremitis prædictis nobis humiliter ſupplicarunt, ut eis cucullas portare diſcinctas concedere curaremus, mandatum noſtrum de cucullis nigri coloris ferendis miſericorditer relaxantes, eo quod talis uſus cucullarum ad diſtinctionem prædictorum habituum ſatis ſufficere videretur. Nos autem eorum in hac parte ſupplicationibus duximus annuendum. Quare vobis per Apoſtolica ſcripta firmiter præcipimus & mandamus, quatenus prædictos Eremitas cucullas de cetero, ut dictum eſt, geſtare diſcinctas, ſinguli veſtrum per ſuas Civitates & diæceſes, ſub cujuſcumque appellationis, & contradictionis obtentu, poſt terminum, quem venerabilis frater noſter N. Firman. Epiſcopus, & dilectus filius Abbas Clarevall. de Cliento Ciſtercienſis Ordinis, Camerinen. diæceſis, quibus ſuper hoc ſcripta noſtra dirigimus, eis duxerint preſigendum, per cenſuras Eccleſiaſticas compellatis. Non obſtante ſtatuto de ferendis corrigiis ſuper cucullis ab eis edito, & per nos, ut dicitur, confirmato. In aliis vero Eremitis, & Religio-*

ligioſis ſuperius nominatis, qui ſe ad portandum cucullas ſimiliter diſcinctas aſtringere noluerint, faciatis ſtatutum noſtrum, juxta traditam vobis formam, inviolabiliter obſervari. Dat. apud Cryptam Ferratam xv. *Kalendas Septembris anno* xiv.

Exemplar litterarum ad Epiſcopum Firmanum, & Abbatem de Cliento.

GREGORIUS &c. *Venerabili fratri N. Epiſcopo Firmano, & dilecto filio Abbati Claravall. de Cliento, Ciſtercienſis Ordinis, Camerinenſis diœceſis, &c.*

IX. *Cum venerabilibus Fratribus noſtris univerſis Epiſcopis de Anconitana Marchia dederimus in præceptis, ut ſinguli per ſuas Civitates & diœceſes, fratrem Andream Priorem, & Eremitas, ejuſdem Provinciæ ſibi ſubjectos, poſt terminum, quem vos eis duxeritis præfigendum, ſub cujuſvis appellationis & contradictionis obtentu, per cenſuras Eccleſiaſticas cucullas diſcinctas geſtare compellant, mandamus, quatenus Eremitis prædictis ad hoc faciendum competentem auctoritate noſtra, terminum præfigatis. Dat. apud Cryptam Ferrat.* xii. *Kalendas Septembris anno* xiv. — Præfigitur terminus.

EISDEM

GREGORIUS &c.

X. *Licet vobis dederimus in mandatis, ut fratri Andreæ Priori, & Eremitis Anconitanæ Marchiæ ſibi ſubjectis, ad geſtandum cucullas diſcinctas præfigeretis terminum competentem: nolentes tamen ut negotium hujuſmodi diutius retardetur, diſtricte vobis per iterata ſcripta mandamus, quatenus Priori, & Eremitis prædictis ad id faciendum, proximum feſtum Nativitatis Dominicæ, auctoritate noſtra, terminum præfigatis. Dat. apud Cryptam Ferratam* x. *Kalendas Septembris anno* xiv.

XI. Neque adhuc univerſa hac induſtria Gregorii potuit fieri, ut Eremitæ Auguſtiniani in hunc habitum convenirent: quare poſt factam ab Innocentio IV. immediato Gregorii ſucceſſore, unionem quarumdam Congregationum, Richardo ſancti Angeli Diacono Cardinali, cui univerſus Auguſtinenſium Ordo fuit commiſſus, ſerio agendum fuit cum eis, de certo & determinato habitu aſſumendo, ad differentiam aliorum Ordinum, quibus ex conſilio diſcretorum ex eiſdem virorum, conceſſit eumdem, quem antea Gregorius Pontifex præſcripſit, efformatis baculis in crocias ad modum *Thau*, quæ ferularum genera communiter Hiſpani, & politiores Itali vocant *Muleta*, Lombardum vero vulgus *Crocie*, ſeu *gruccie*, quorum tranſverſum lignulum prohibebat eſſe curvum, ſed directum. Id autem notandum neque hic, neque alibi præſcribi, aut aſſignari pro ratione aſſumendi hujus habitus, eum originarium Ordinis ſancti Auguſtini fuiſſe neque a ſancto Doctore præſcriptum, ſed ad differentiam a Minoribus, aliiſve Ordinibus, ut ipſe Cardinalis expreſſius inſinuat. Ejus ſtatutum, & litteras Innocentius ſuis inſertas, in hunc modum confirmavit. Habentur autem in ejus Regeſto num 15. non ad hanc, vel ad illam Congregationem, ſed ad univerſos Eremitas Ordinis ſancti Auguſtini directæ. — Adhuc renituntur hunc habitum admittere. *Vide in defenſione §. 3. n. . . & 5.*

Digitized by Google

JNNOCENTIUS &c. *Dilectis filiis N. Viſitatori Generali, & Prioribus ac Fratribus Eremitis univerſis Ordinis ſancti Auguſtini.*

Innocentius confirmat litteras Cardinalis Protectoris.

XII. P*Ia deſideria devotorum eo debemus benigno favore proſequi, quo in ipſis Dei gloria, ac animarum ſalus noſcitur contineri. Sane dilectus filius noſter R. ſancti Angeli Diaconus, cui Ordo veſter a Sede Apoſtolica eſt commiſſus, ad differentiam aliorum Ordinum, certum habitum deferendum, tam a profeſſis Fratribus, quam a Converſis, ac etiam Novitiis dicti veſtri Ordinis de conſilio quorumdam diſcretorum Fratrum veſtrorum vobis provida deliberatione conceſſit, prout in patentibus litteris ejuſdem Cardinalis confectis exinde, ac ſuo ſigillo ſignatis, plenius continetur. Nos itaque veſtris ſupplicationibus inclinati, quod ab eodem Cardinale ſuper hoc factum eſt, ratum & firmum habentes, id auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Tenorem autem litterarum ipſarum de verbo ad verbum præſentibus fecimus annotari, qui talis eſt;* Richardus miſeratione divina ſancti Angeli Diaconus Cardinalis, viris religioſis, ſuis in Chriſto dilectis, Viſitatori Generali, Prioribus & univerſis Fratribus Eremitis Ordinis ſancti Auguſtini tam præſentibus quam futuris, ſalutem in auctore ſalutis. Si ad cœnam Domini convocati, nullius excuſationis patrocinium prætendentes vos abnegaſtis, & veſtra, eligendo, per Religionis auctoritatem, divinum pabulum promereri, decet vos taliter gubernari conſtitutionum habenis, quod certos vobis terminos conſtitutos, tentationibus aliquando inſtigati, tranſgredi non poſſetis impunes, certis ſignis in veſtro habitu inſigniti. Sane cum Ordo veſter nobis ſit a Domino Papa commiſſus, illa ſtatuere ac cogitare cogimur, per quæ vobis ſalus proveniat, & honeſtas. Unde habito conſilio quorumdam Fratrum veſtrorum diſcretorum, tenore præſentium duximus ſtatuendum, quod Fratres veſtri Ordinis profeſſi deferant cucullas nigras, prout haberi poterunt, in cujuslibet Provincia, tamen non tinctas, vel accidentaliter coloratas, deſuper corrigiis cinctas, & in manu crocias, in quarum ſuperiori parte non ſit curvum lignulum, ſed directum. Converſorum vero habitus ſit portare ſuperiorem tunicam nigram, & capucium nigrum, non tinctum, & crocias ſupradictas. Novitii autem ferant cappam nigram uſque ad talos, tunicam, ſcapulare, corrigiam, & crociam memoratam, quæ curetis ſtudio vigili, dante Domino, obſervare. In hujus vero rei teſtimonium præſentes litteras fecimus noſtri ſigilli munimine roborari, Dat. Aſſiſii IV. Kalendas Julii Pontificatus Domini Innocentij Papæ IV. anno X. *Nulli ergo &c. noſtræ confirmationis, &c. Dat. Aſſiſii Kalendas Julii anno* XI.

Litteræ Protectoris.

Factus a Papa Protector.

Habitus profeſſorum.

Habitus Converſorum.

Item Novitiorum.

XIII. His tamen non obſtantibus, adhuc perſtiterunt quidam ex Eremitis in ſua renitentia, præcipue illi, qui de Brictinis dicebantur, etſi a tempore Gregorii IX. ſancti Auguſtini Regulam habuerint, & Eremitæ Ordinis ſancti Auguſtini dicti ſint, ut conſtat ex ejuſdem Pontificis litteris, quas refert Marquez, & confirmavit Innocentius ſucceſſor, Lugduni XV. Kalendas Octobris anno VIII. ſui Pontificatus, & habentur in ſuo Regeſto ſub num 83. Quare tertio adhuc Pontifici Alexandro IV. incubuit hæc cura, tollere cauſas diſſidii, & cogere eos ad aſſumendum & retinendum habitum a ſuis prædeceſſoribus præſcriptum, vel ab ipſis Brictinenſibus petitum, & fugerent nigri coloris, veſtem & corrigiam. Id fecit datis litteris ad Archiepiſcopos, & Epiſcopos totius ferme Italiæ, quarum exemplar ex archivo noſtro Bononienſi extractum, hic ſubjicimus.

Marq. c. 14. §. 8.

Adhuc non concordant in habitu Auguſtinienſes.

ALE-

ALEXANDER EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI,

Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis per Lombardiam, Tuſciam, & Romandiolam, ac Taruiſinam, & Anconitanam Marchias, Ducatum Spoletanum, Patrimonium beati Petri in Tuſcia, Campaniam, & Maritimam, ac Regnum Siciliæ conſtitutis: ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

XIV. *Recordamur liquido, & memoriter retinemus, quod dudum apparuit Religio in partibus Lombardiæ, cujus profeſſores vocati Eremitæ Ordinis ſancti Auguſtini, nunc ſuccincti tunicas cum corrigiis, baculos geſtantes in manibus, nunc vero dimiſſis baculis incedebant, pecuniam pro eleemoſynis, aliiſque ſubſidiis depoſcentes, & adeo variantes habitus ſui formam, ut dilectis Filiis Fratribus Minoribus, uniformes in derogationem multiplicem ipſorum Ordinis crederentur, eiſdem propter hoc minorem apud fideles ſentientibus in ſuis opportunitatibus caritatem. Sane cum per nos tunc in minori Officio conſtitutos, & bon. mem. Thom. Tituli ſanctæ Sabinæ Presbyterum Cardinalem, tunc in partibus illis legatione fungentes hujuſmodi variationis præſumptio ad fel. rec. Gregorii Papæ prædeceſſoris noſtri audientiam perveniſſet, ne identitas veſtium in Ordinibus ipſis confuſionem pareret, ac inde ſcandala graviora conſurgerent, ad utrorumque quietem ſtatuendum providit, ut Priores & univerſi ac ſinguli Fratres prædicti Ordinis ſancti Auguſtini in exterioribus veſtimentis, quæ nigri, vel albi debebant eſſe coloris, quorum altero, videlicet nigro, jam electo ab eis, ipſos idem Prædeceſſor voluit manere contentos, largas, & protenſas manicas, ad inſtar cucullarum, & deſuper ipſas deferrent peramplas corrigias, & patenter omnibus patentes, ita quod omnes cincti deforis eas veſtibus nequaquam contegerent, & portantes in manibus baculos quinque palmorum grandium, ac expreſſe in eleemoſynarum petitione, cujus ſint Ordinis declarantes, adeo ſuarum veſtium longitudinem temperarent, quod a quibuſcumque ipſorum calceamenta libere viderentur: ut ſic habitus confuſione ſemota, & ſublata materia ſcandali, a prædictorum Ordinum Fratribus poſſet virtutum Domino liberius & gratius deſerviri. Intelligentes vero Frater Andreas, tunc Generalis Prior de Brictinis, Ordinis ſupradicti, & alii Fratres ſui, quod ad prædicta ſervanda, ſicut & ceteri, cogerentur, ad ejuſdem Prædeceſſoris præſentiam acceſſerunt, pro ſe & Eremitis præfatis humiliter ſupplicantes, ut eis cucullas portare diſcinctas, quod ſibi facilius exiſtimabant, concedere dignaretur, mandato de cucullis nigris ferendis circa eos miſericorditer relaxato, eo quod talis uſus cucullarum ad diſtinctionem prædictorum habituum ſatis ſufficere videbatur. Quorum ſupplicationibus idem Prædeceſſor in hac parte duxit liberaliter annuendum. Verum cum, ſicut accepimus, ipſi Eremitæ de Brictinis, obtentu quarumdam litterarum ſuper hoc a Sede Apoſtolica obtentarum, ac etiam alii Eremitæ jam dicti, contra ſtatutum jam dictum, & proviſionem ad communem pacem provide factam, & in eorumdem Fratrum Minorum infamiam, & ſcandalum plurimorum, jam in pluribus venire præſumpſerint; & nos prorſus velimus prædicta, quæ ſalubriter ſtatuta fuerunt, a ſupradicto Prædeceſſore noſtro, ubique & ab omnibus Eremitis, ſive Religioſis, cujuſcumque ſint Ordinis, in exteriori habitu Fratribus Minoribus antedictis conformibus; inviolabiliter obſervari, fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta firmiter præcipiendo mandamus, quatenus prædictos Eremitas de cetero ſtatutum prædictum firmiter obſervare, ac illos de Brictinis cucullas, prout*

ipſi, ut ſupra dictum eſt, tunc acceptarunt, geſtare diſcinctas, ac alios omnes, qui nigras non portant, ſeu albas, ſinguli veſtrum, per ſuas Civitates & diœceſes, ſublato cujuslibet appellationis, & contradictionis obſtaculo, & litteris Apoſtolicis de corrigiis cinctis ſuper cucullas non portandis per eos impetratis, nequaquam obſtantibus, monitione præmiſſa, per cenſuram Eccleſiaſticam diſtrictius compellentes, & in eos qui contravenerint ſententiam excommunicationis promulgetis, quam per veſtras Civitates & diœceſes publicari ſolemniter, & eoſdem, tamquam excommunicatos, uſque ad ſatisfactionem condignam, appellatione remota, evitari ab omnibus arctius faciatis. Datum Laterani VIII. *Kalendas Martii, Pontificatus noſtri anno* II.

Marian. lib. 2. cap. 23.

Secundo præcipit Alexander Auguſtin. ut habitum illum geſtarent.

XV. Id etiam obſervandum, quod hic, & ubique Pontifices cauſam horum ſtatutorum aſſignant differentiam conſtituendam inter Eremitas & Minores, dum his nullos volunt aſſimilari. Sed alias quoque (inſtantibus Minoritis, & illorum Generali Joanne Parmenſi apud eumdem Pontificem, qui etiam cauſam hanc promovit apud Innocentium IV. ut habet Marianus Florentinus) poſtea addidit Alexander litteras pro univerſis Eremitis Ordinis ſancti Auguſtini cogendis, ut ſtatutum a Gregorio ſuo Prædeceſſore habitum omnino deferrent; ubi etiam, ſicut in præcedenti refert, litem hanc & controverſiam exortam, dum ipſe legationem obiret in illis partibus Lombardiæ, & ſe ſimul cum Cardinali ſanctæ Sabinæ admonuiſſe Gregorium Pontificem; quare ſuæ legationis tempore ſtatuta, nec tamen ab Eremitis ſancti Auguſtini obſervata, iterum renovat, & cenſuris additis confirmat. Habentur hæ litteræ Bononiæ ad ſanctum Franciſcum originariæ, authenticæ vero apud Minores Ticinenſes, tranſcriptæ item apud Petrum Rodulphum, & meum diſſertatorem in hunc modum.

Rodul. fol. 182. Marq. c. 4. §. 9.

ALEXANDER EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI &c.

Ut ſupra n. 14. Jubet ut omnes ferant habitum a Gregorio præſcriptum.

XVI. R*Ecordamur liquido, & memoriter tenemus &c.* ut in proxime tranſcripta Bulla uſque ad *poſſet virtutum Domino liberius & gratius deſerviri. Cum autem dilectus Filius noſter Richardus ſancti Angeli Diaconus Cardinalis univerſas domos & Congregationes Eremitarum prædictorum (quarum quædam ſancti Auguſtini, quædam ſancti Guillelmi, nonnullæ autem Fratris Joannis Boni; aliquæ de Fabali, aliæ vero de Brictinis cenſebantur) in unam ſancti Auguſtini profeſſionem & regularem obſervantiam perpetuo de mandato noſtro duxerit uniendas: & nos dicti Cardinalis proceſſum convenientem cum voluntatis noſtræ propoſito approbantes, præmiſſa omnia duxerimus confirmanda, ſtatuentes, ut univerſi Priores & Fratres in profeſſione prædicti Ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini taliter counîti, nigris dumtaxat, & nullis aliis alterius coloris cucullis aliquatenus uterentur. Nos volentes ut præmiſſa, quæ de veſtimentis exterioribus a ſæpe dicto Prædeceſſore noſtro circa præfatos Eremitas ſtatuta fuerunt, ſalubriter, & ab ipſis, ut recolimus, acceptata, ubique & ab omnibus Eremitis unitis taliter, & aliis univerſis inviolabiliter obſervari, Fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus prædictos Priores, & Eremitas, ac alios, qui nigras penitus, ſeu albas cucullas non portant, quod uſque ad feſtum omnium Sanctorum proxime venturum nigri prorſus coloris cucullas aſſumant, abjectis aliis, deferendas, & firmiter prædictum ſtatutum de cetero ſtudeant obſervare, ſinguli veſtrum per ſuas Civitates & diœceſes, ſublato cu-*

Digitized by Google

cujuslibet appellationis, & contradictionis obſtaculo, & litteris Apoſtolicis impetratis, vel etiam impetrandis per eos, nequaquam obſtantibus, monitione præmiſſa, per cenſuram Eccleſiaſticam diſtrictius compellatis, & in eos, qui contravenerint, etiam excommunicationis ſententiam promulgetis, quam per veſtras Civitates & diœceſes diebus Dominicis feſtivis publicari ſolemniter, & eoſdem tamquam excommunicatos, uſque ad ſatisfactionem condignam, appellatione remota, evitari arctius ab omnibus faciatis. Datum Anagniæ XV. *Kalendas Julii Pontificatus noſtri anno* II.

XVII. Neſcio profecto quid in re adeo clara reſponderi poſſit: nihil enim aliud inculcant Diplomata, nihil inſinuant Pontifices, nihil aliud verba ſonant, niſi propterea aſſignari Eremitis hujuſmodi habitum, ut patulum, & populis manifeſtum fieret diſcrimen inter eoſdem & Minoritas, neque ullum habetur verbum de prima inſtitutione hujus habitus per ſanctum Auguſtinum, neque hortantur Pontifices, ut veluti originariam, & tamquam ſuo Inſtituto præſcriptam per ſanctum Doctorem, veſtem ſuſcipiant, quantumcumque conſtipatis & conquiſitis hinc inde teſtimoniis, illud probare Marquez contendat, quorum vim omnino diſſolvunt apertæ Pontificum narrationes præcitatæ. Atque hinc illa tam diuturna tot annorum reluctatio, quæ non potuit tolli per tot Pontificum Diplomata, adjectaſque cenſuras. Neque enim credendum eſt, opus habuiſſe viros religioſos tot præceptis & coactionibus, ut ſuo Inſtitutori obedirent in externis indumentis geſtandis, ſi hæc ipſa illis aſſignaret. *Marq. c. 4. §. 3.*

XVIII. Ad id præcipue has retulimus Bullas, ut oſtenderemus, neque habitum, neque corrigiam Eremitarum originem habuiſſe ab Auguſtino, ſed ab exorta illa controverſia, & illius temporis Pontificibus, maxime a Gregorio, ejuſque Legatis, ut habet Innocentius IV. in Bulla *Admonet nos*, ſuperius a nobis citata, ubi expreſſis verbis ita habetur, *§. 3. n. 11.* *Et quia eorum* (ſupple Eremitarum) *habitus, qui habitui Fratrum Minorum videbatur conformis, apud aliquos ſcandalum quodammodo ſuſcitabat, de mandato & auctoritate duorum Cardinalium, qui tunc in partibus Lombardiæ legationis fungebantur officio, nigrum, quem geſtatis adhuc habitum, elegerunt.* Quid adhuc egemus teſtibus? quid amplius in hac re deſideramus? Reſtat nunc id idem de baculo demonſtrare, quod nullo præſtabimus negotio. Gregorius in Bulla *Dudum apparuit* ſuperius relata, & denuo ab eodem repetita, primus ſtatuit, ut omnes Eremitæ baculos, præſcriptæ a ſe menſuræ quinque palmorum, ad differentiam a Minoribus in manibus portarent, quod adeo ægre quidam ex eis tulerunt, ut quidquid aliud ad diſcrimen vellent, & cucullas portare diſcinctas, quam baculos geſtare, ut patet ex ejuſdem Gregorii Bullis datis apud Cryptam Ferratam. Deinde Eremitæ de Brictinis, Fanenſis diœceſis Ordinis ſancti Auguſtini in conditis a ſe ſtatutis, & normis vivendi, confirmatis a Gregorio IX. dato Diplomate Peruſii III. Idus Martii, Pontificatus anno VIII. & ab Innocentio IV. Lugduni XV. Kalendas Octobris, anno item Pontificatus VIII. & a diſſertatore, ut dixi relatis, dum ſingula indumenta, tunicam, cucullam, ſcapularia, corrigiam, & alia præſcribunt, & circa cultellos, & caligas quædam præcipiunt, nec ullum verbum habent circa baculos geſtandos. Deinde non ſolum Brictinenſes, verum & univerſi Ordinis ſancti Auguſtini Eremitæ adeo baculos exoſi ſunt, & dure tulerunt mandatum Pontificis Gregorii, ſeu ejuſdem Legatorum de hujuſmodi baculis ferendis, ut ad Innocentium ejus ſucceſſorem recurrerint, humiliter poſtulantes, ut mandatum hoc vellet relaxare, quod ille per ſubſequentes litteras miſericorditer conceſſit. Habentur in ejus Regeſto num. 560.

Non accepiſſe Eremitas baculum ab Auguſtino.

§. 4. n. 3.

Supra num. 8. & ſeqq.

Supra n. 13.

IN-

Digitized by Google

INNOCENTIUS *&c. Priori Generali, & univerſis Fratribus Ordinis Eremitarum &c.*

Conceditur eis licentia ut baculos non deferāt.

XIX. *QUanto ſtudioſius divinæ contemplationi vacatis, tanto vos ab iis, quæ videntur vobis afferre diſpendia ſpiritus, libentius revocamus. Sane petitio veſtra nobis exhibita continebat, quod olim a quibuſdam Legatis Sedis Apoſtolicæ, de ſpeciali mandato ejuſdem Sedis, ut dicebant, ſtatutum extitit, ut quilibet Frater veſtri Ordinis quocumque ipſum ire contingat, geſtare in manu propria baculum teneatur. Cum autem, ſicut aſſeritis, delatio baculorum hujuſmodi certis ex cauſis moleſta vobis exiſtat, & nimium tædioſa, & per hoc, veſtris mentibus obductis turbationibus nubilo, contingat multoties apud vos ſanctæ contemplationis otium impediri. Nos veſtris devotis ſupplicationibus inclinati, quieti veſtræ in hac parte conſulere pro remedio cupientes, ut eoſdem baculos, non obſtante ſtatuto prædicto, inviti deferre minime teneamini, auctoritate vobis prædicta indulgemus. Nulli ergo. Datum Peruſiæ* II. *Idus Martii anno* X.

XX. Ecce quam clare ipſa illorum Patrum Eremitarum Auguſtinianorum confeſſione, & relatione, delatio baculorum inter eos originem habuerit ab illis Legatis Sedis Apoſtolicæ, & proinde ſe ab iis ferendis diſpenſari petierunt, quod petituros nequaquam crederem, ſi a ſancto Magiſtro Auguſtino eis præſcriberentur hæ ferulæ, nec rejecturos vetuſtum, & originarium ſui Ordinis inſigne. Deinde, conſequenter ad hanc diſpenſationem, Alexander IV. idipſum indulſit in Bulla unionis magnæ, per Richardum Cardinalem factæ, quam etiam meus refert diſſertator, necnon Laertius Cherubinus, & ego ad clariorem totius rei, & unionis factæ notitiam, huc lubens tranſcripſi.

Eamdem concedit Alex. IV.

Marq. c.4. §.1.

ALEXANDER EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI,

Cherub. Tom. 1. *Bullarii ſub Alexan. IV. bulla* 6.

Dilectis filiis Lanfranco Generali Ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini, & univerſis Provincialibus, Prioribus, & Fratribus ejuſdem Ordinis, tam præſentibus, quam futuris, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Pulchra & concinna varietas Eccleſiæ.

XXI. *LIcet Eccleſiæ Catholicæ integritatem corporis ſui ſincera membrorum diverſitas ſubminiſtret, & circumamictus ſpecies multiplicibus in ea varietatibus decoretur, nihil tamen in ipſa exprimit contrarietas inconcinnum, in qua conſenſum nutrit inæſtimabilis concordia caritatis, & individuam fovet univerſitatis conformitas, fideique ſimplicitas unitatem: verum circa ædificationis fabricam, quæ in templum ſanctum in Domino, operariorum ejus ſtudio moliente ſuccreſcit, credimus aſſidue providendum, ut in varietatibus partium, quæ ad decorem ſtructuræ Dominicæ adhibentur; ſic appareat diſtincta diverſitas, ut non confuſio indiſcreta, nec alterius forma importuna conſimilitudine ſpeciem prætendat alterius, ſed ſingula quæque certum proprii modi ordinem ſortiantur. Hac ſane conſideratione commoniti, cum conſona in vobis Eremitarum appellatio, & parum diverſa profeſſio, diſparibus titulis, & in aliquibus diſſimili habituum ſchemate diſcreparet, cogitavimus ſponſæ Chriſti (in cujus veſte pia ſacræ Religionis depinxit inſtitutio cœtus veſtros) convenire decori, ſi religioſa militiæ veſtræ caſtra, quæ ſub uno vocabulo non magna diſciplinæ diſtantia ſecernebat, ſub communi capite indifferenti incorporationis fœdere jungerentur,*

ut

Digitized by Google

ut ex pluribus cuneis acies una conſurgeret fortior, ad hoſtiles ſpiritus nequitiæ impetus conterendos. Propterea dudum mandatum Apoſtolicum a nobis emanavit, ut de ſingulis domibus veſtris, quarum quædam ſancti Guillelmi; quædam ſancti Auguſtini Ordinum; nonnullæ autem fratris Joannis Boni; aliquæ vero de Fabali; aliæ vero de Brictinis cenſebantur, & apud homines ambiguis interdum nuncupationibus vacillabant, duo Fratres cum pleno mandato ad noſtram mitterentur præſentiam, quod noſtra circa vos ſalubriter ordinaret diſpoſitio, recepturi. Cumque Fratres hujuſmodi ad Sedem Apoſtolicam acceſſiſſent, coram dilecto filio noſtro Richardo ſancti Angeli Diacono Cardinali, quem negotio unionis veſtræ præficiendum vice noſtra deputavimus, ſufficientia ad id exhibuere mandata, & in generali Capitulo veſtro in Urbe celebriter congregato, nomine omnium, a quibus fuerant deſtinati, & de communi Capituli ejuſdem aſſenſu, vos & domos veſtras in unam Ordinis obſervantiam, & vivendi formulam uniformem redigi, unumque ex eis ovile fieri Generalis Prioris præſidentia gubernandum, unanimiter conſenſerunt, petentes, ut per gratiam unionis & conformitatis hujuſmodi, eis, juxta conceptum votum paupertatis ſpontaneæ, perpetua poſſeſſionum terreſtrium abdicatio remaneret, & ipſis baculos, vel ferulas deferendi impoſita neceſſitas tolleretur, collata in Cardinalem eumdem providendi vobis ea vice de Generali Priore totius Ordinis nihilominus poteſtate. Porro idem Cardinalis noſtri auctoritate mandati vivo ad eum ſermone directi, necnon & concordi eorumdem Fratrum, ac prædicti Capituli conſenſione ſuffultus, univerſas domos & congregationes veſtras, in unam Ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini profeſſionem, & regularem obſervantiam perpetuo counivit, ſub generalis cura Prioris canonice inſtituendi pro tempore, præ aliis Provincialibus, necnon & conventualibus ſingularum domorum Prioribus regulariter gubernandas. Et ut novam ovilis Dominici unionem univerſalis capitis unitas conſummaret, te, dilecte fili, frater Lanfrance, in Generalem Ordinis ejuſdem Priorem, & patrem, Spiritus ſancti gratia invocata, præfecit, ac etiam, prout a nobis ſpecialiter in mandatis acceperat, confirmavit; vos univerſos & ſucceſſores veſtros a baculis & ferulis deportandis, & quod non cogamini ad recipiendas poſſeſſiones aliquas, vel habendas, decernens perpetuo liberos, & exemptos. Nos igitur præfati Cardinalis proceſſum, convenientem cum voluntatis noſtræ propoſito, approbantes, præmiſſa omnia grata habemus & rata, ipſoque auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Inſuper autem perſonas, & domos veſtras ſub beatorum Petri, & Pauli protectione ſuſcipientes, & noſtra præſentium auctoritate ſtatuimus, ut vos filii Priores, & Fratres in profeſſione prædicti Ordinis in præfato generali Capitulo ordinata (quo quidem Ordine vos perpetuo cenſeri volumus, vobiſcum ſuper univerſarum profeſſionum, aut obſervationum debito, quas antea feceratis in prædictis, vel aliis Ordinibus, diſpenſantes) ſub devota Generalis Prioris, quem nunc vobis divina ordinatio prætulit, ejuſque ſucceſſorum obedientia perpetuo virtutum Domino ſervientes, nigris duntaxat, & nullis aliis alterius coloris cucullis, ut uniformis amictus normam ejuſdem in vobis profeſſionis oſtendat, utamini de cetero univerſi. Et ut hæc ſancta unio, quam perpetuæ pacis tranquillitate gaudere volumus, omnibus integritatis ſuæ perfecta partibus, ſtabilis perſeveret, decernimus, ut omnes domus Ordinum ſupraſcriptorum, quarum Fratres, juxta mandati noſtri formam, ad noſtram præſentiam non venerunt, ipſi unioni, tamquam corpori membra, abſque ullius exceptionis prætextu inhæreant, & ad obſervationem prædictorum omnium teneantur. Alioquin ſententiam, quam tu, dilecte fili Prior Generalis, & ſucceſſores tui rite tuleritis in rebelles, ratam habebimus, & faciemus, auctore Domino, uſque ad ſatisfactionem condignam,

Unio magna ſub Cardinale Richardo.

Lanfrancus creatus Generalis.

Diſpenſatur circa baculos.

ap-

appellatione remota, inviolabiliter obſervari. Nulli ergo omnino liceat hanc noſtræ confirmationis, protectionis, diſpenſationis, & constitutionis paginam infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Laterani v. Idus Aprilis Pontificatus noſtri anno II.

XXII. Hic etiam fatentur, ſibi impoſitam neceſſitatem baculos, ſeu ferulas deferendi, videlicet per mandatum Apoſtolicum, & propterea petunt ab eo diſpenſari, quod & Cardinalis Richardus conceſſit, & Pontifex confirmavit. Dum autem hujuſmodi diſpenſatio non conſtabat Epiſcopis Italiæ, juxta ſcriptas ad ſe litteras, tam a Gregorio, quam ab ipſo Alexandro, de cogendis Eremitis, ut habitum præſcriptum a Gregorio geſtarent, illos ad hoc compellebant gravibus cenſuris, efformatis etiam in eos proceſſibus, ut ſimul baculos deferrent. Recurrentes vero Eremitæ ad Pontificem Alexandrum, ſequens reportarunt ab eo reſcriptum, aliquot menſibus ab unione facta. Habetur autem Diploma apud meum diſſertatorem.

Marq. c.4. §.5.

ALEXANDER EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Venerabilibus fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis per Lombardiam, Tuſciam & Romandiolam, ac Tarviſinam & Anconitanam Marchias, Ducatum Spoletanum, Patrimonium beati Petri in Tuſcia, Campaniam, & Maritimam, ac Regnum Siciliæ conſtitutis; ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

XXIII. L*itteras noſtras vobis direxiſſe meminimus ſub hac forma* (deinde inſerit litteras a ſe datas Anagniæ VIII. Kal. Julii, Pontificatus anno II. quas ſupra dedimus, ſubjungitque) *Vos itaque auctoritate litterarum ipſarum prædictos Priores & Eremitas (prout ex parte ipſorum fuit propoſitum coram nobis) ad portandum baculos, & facienda quædam alia, quæ in narratione litterarum hujuſmodi continentur, compellere intendentes ſuper hoc monuiſtis eoſdem, vel proponitis admonere; & quidam veſtrum in eos, niſi hoc infra idem feſtum omnium Sanctorum adimplere curaverint, excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti promulgarunt ſententias, vel promulgare intendunt, ſuper quo dicti Priores & Eremitæ petierunt, ſibi per Sedem Apoſtolicam ſalubriter provideri. Quia vero noſtræ intentionis extitit, ut præfati Priores & Eremitæ ad aſſumendum uſque ad prædictum feſtum, juxta prædictum ſtatutum noſtrum, nigras dumtaxat, & nullas alias coloris alterius cucullas ab eis, abjectis aliis, deferendas tantummodo, & non ad alia per eaſdem litteras cogerentur: volumus, & univerſitati veſtræ in virtute obedientiæ per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, ut ſinguli veſtrum infra octo dies poſt receptionem præſentium, proceſſus ſuos contra memoratos Priores & Eremitas, vel eorum aliquos, occaſione hujuſmodi habitus, ſublato cujuslibet difficultatis & dilationis obſtaculo, ſtudeant revocare. Alioquin ex tunc proceſſus hujuſmodi revocamus, & eos decernimus nullos eſſe. Vobis etiam univerſis & ſingulis inhibemus, ne uſque ad feſtum Reſurrectionis Dominicæ proxime futurum contra ſæpe dictos Priores & Eremitas, vel ipſorum aliquem auctoritate prædictarum litterarum aliquatenus procedatis: ex tunc vero ipſos tantummodo ad aſſumendum, & deferendum cucullas omnino nigras, tinctas, vel non tinctas, non ad aliqua alia compellatis. Datum Anagniæ Idibus Octobris, Pontificatus noſtri anno* II.

Supra n. 16.

Scribit Epiſcopis ne cogant eos baculos portare.

XXIV. Ubi-

XXIV. Ubique ante & poſt unionem manifeſte videtur, ægre tuliſſe Eremitas illos Auguſtinianos baculos ſeu ferulas, & ex omnibus Bullis clarius habetur, neceſſitudinem ea deferendi non a primæva Ordinis inſtitutione, ſed ab Apoſtolico proveniſſe mandato. Idque fatetur Joannes Gonzalez Critana Auguſtinenſis citatus, licet non ad Gregorium, aut ejus Legatos, ſed ad Alexandrum IV. anno MCCLVI. rei originem referat his verbis. *Quia haud facile Auguſtinenſes a Franciſcanis dignoſcerentur, Alexander IV. per Breve Apoſtolicum datum anno Verbi Incarnati* MCCLVI. *mandavit ut Auguſtinates atriori colore ſuam veſtem induerent, baculiſque uterentur, quod ea ætate ad praxim redactum eſt.*

Crit. c.8. §. 3. §.3, n. 10.

XXV. Quod vero ad calceos attinet, præterquam quod hi omnibus tam Eremitis, quam Anachoretis, quam item univerſis Ordinibus ſtatus ſecularis communes ſint, nec peculiare fuerit ſignum ſtatus regularis in ſancto Franciſco eos ſibi induxiſſe, peculiarius, & veroſimilius ex eis inducitur argumentum ad probandum, nequaquam Joannis Boni fuiſſe diſcipulum. Ille etenim, ut ſanctus Antoninus refert, numquam calceatus incedebat, cui etiam ſubſcribit Abrahamus Bzovius, Conſtantius Laudenſis in ejus vita, necnon Cardinalis Viterbienſis Auguſtinianus, ad ſummum calepodiis, vel ligneis ſotularibus dumtaxat uſum in Eremo conſcribunt. Unde ergo ex calceis infertur, diſcipulum Franciſcum fuiſſe Eremitæ diſcalceati?

Antonin. tit. 24. c.13.
Bzov. ad annum 1249. n.10.
Laud. lib.1. c.2.
Ægid. lib. 10. ſecul. ad annum 1198.

XXVI. Fragile itaque & inane deſumunt venerandi Patres Eremitæ, ex Franciſci habitu Eremitico, ad ejus Monachatum Auguſtinianum aſſerendum. Quod enim de ſimilitudine utriuſque habitus objiciunt, conſtat ex Bullis Pontificiis, non eam exinde exortam, quod Franciſcus veſtem Joannis Boni, aut ſimilem induerit, imo potius quia Franciſci veſtem, hominibus jam probatam & gratam, induebant Eremitæ, variantes formam ſui habitus, & Ordinis ſui ſubſtantiam, ut majorem ſentirent, & reciperent in populis caritatem. Quod dum redundabat in multiplicem derogationem Minorum, ut Pontifex loquitur, juſſit ut omnino illum deponerent, & certum ſibi aſſumerent habitum, vel nigri, vel albi coloris, adjectis aliis inſignibus corrigiæ & baculi, quibus clarius diſcriminarentur. Si vero Franciſcani mutuarent hunc habitum ab Eremitis, & hi priores eſſent in poſſeſſione, nequaquam illo privarentur, & concederetur Minoritis; dum iniquum cenſetur (ut recenter adnotavit D. Gabriel Pennottus digniſſimus Abbas ædis ſanctæ Mariæ de Pace in Urbe, & Procurator Generalis Congregationis Lateranenſis Canonicorum Regularium, vir doctus, mihi ſpectatiſſimus) veros & priſcos rei cujuſque poſſeſſores eadem ſpoliari, atque ultro adventitiis, & hominibus recenter natis conferri.

Eremitæ uſurpant habitum Minorum.

Pennot. in hiſtor. Trip. lib.1. c.47. §.3.

XXVII. Quod autem addebant ex Jordano & Antonino, Eremitas peramplam corrigiam ab Auguſtino accepiſſe, longe alienum eſt a narrativis Pontificum litteris, quæ ad Gregorium IX. referunt originem. Neque Jordanus ſuum aſſertum aliunde probat, quam ex ſermonibus ad Fratres in Eremo, quorum auctoritas jam pridem excidit, dum indigne Auguſtino adſcribi docta conſtitit diſcuſſione. Antoninus vero rem tranſcripſit ex Jordano, ut vel ex hoc loco conſtabit, & ipſe præfatus eſt his verbis: *De ſacro Ordine ſancti Auguſtini, &c. quæ inveni hic refero. Quidam Religioſus dicti Ordinis ſic ſcribit &c.* Ex illo autem loco Auguſtini contra litteras Petiliani neſcio quid velit, aut poſſit diſſertator exſurgere pro ſua ſtabilienda de corrigia ſententia. Verba enim Auguſtini ſunt: *Deinceps perrexit ore maledico in vituperationem Monaſteriorum, & Monachorum, arguens etiam me, quod hoc genus vitæ a me fuerit inſtitutum. Quod genus vitæ omnino quale ſit, neſcit, vel potius toto orbe no-*

Reſpondetur ad confirmationes adjunctas in principio hujus §.

Anton. cit. c. 14.

Auguſt. nihil habet in confirmationem corrigiæ.

Auguſt. l.3. cont. litteras Petil. c. 40.

notiſſimum, *neſcire ſe fingit*, *inde aſſerens*, *me dixiſſe*, *Chriſtum eſſe Baptiſtam*. Ego certe ſuſpicatus ſum, quidquam vel aperte, vel apparenter habuiſſe hoc loco Auguſtinum, quod ejus Monachos corrigiatos inceſſiſſe inſinuaret, dum adeo fidenter eum vocat in teſtem meus diſſertator. At nihil ad rem hanc ibi habet præter relata, ex quibus qua conſequentia Auguſtiniana teſſera corrigiæ inferatur, plane neſcio, etiam poſtquam conſului eumdem diſſertatorem alibi, quo lectorem remittit, & ubi latius teſtimonium illud expendit. Sed neque ibi ipſe Marquez quidquam ex eo colligit, quam quod Auguſtinus Monaſteria fundaverit, eaque in Eremo, quos dum Chriſti vocat diſcipulos, videbatur inferre, Chriſtum eſſe Baptiſtam, quia non ille, ſed iſte vixit in ſolitudine. Quid hic ex ipſa diſſertatoris diſcuſſione de zona pellicea? Quid illic de perampla & lata corrigia?

Marq. c.8. §.1.

Qualis Franciſci corrigia?

XXVIII. An item ſimilem corrigiam Franciſcus ſibi cinxerit, an etiam latum, vel anguſtum habuerit cingulum, quis poterit enarrare? Conjecturare voluit diſſertator ex viri in pœnitentiam affectu, quaſi latum præcinctorium ad eam plus conducat anguſto. Curioſum aut ſericum cingulum, vel baltheum conſtellatum, hominem dedecet pœnitentem, non autem exile, quale unius pollicis menſuræ ſanctum Benedictum geſtaſſe, & ſuis præſcripſiſſe narrat Joannes Diaconus. Quod vero Sabellicus, Polydorus Vergilius, aut Granatenſis Franciſci cingulum vocaverit zonam, nihil refert ad probandam ejus amplitudinem: communi enim hac nuncupatione tam intelliguntur exiles, aut teretes nobilium, vel fœminarum zonæ, quam etiam amplæ, vel robuſtæ militares, ut videre eſt apud obſervatores lectionum antiquarum. Martialis in Apophoretis de zona agit muliebri, Ovidius in Faſtis de zona tereti, Plutarchus in vita Demetrii, & Spartianus in vita Peſcennii de zona militari, ita ut omnia cingulorum genera hoc uno ambiguo *zonæ* nomine intelligantur. Quare Ambroſius Calepinus non aliter zonam declaravit, quam per cingulum, quo cingimur. Neque vero omnes interpretes loci iſtius Matthæi: *Neque pecuniam in zonis veſtris*, in eam abeunt ſententiam, ut ipſis zonis portarentur pecuniæ, quin plures, Abulen. Euthymius, Maldonatus, & alii ideo id dictum putent, quia ex zonis pendebant communiter marſupia, vel crumenæ. Neque minorem habet latitudinem apud Hiſpanos vox illa *cinto*, quo uſus eſt interpres Caſtellanus Marci Ulyſipponenſis, quin & ſimiliter amplas & exiles ſignificet corrigias.

Diacon. in vita S. Greg. lib. 4. c.82.

Vide Rhodi. lib. 22. c.19.
Martial. in Apoph.152.
Ovid. 2. Faſt.
Plutarch.

Matth.10.

Baculũ non fuiſſe peculiare Auguſt. inſigne.

XXIX. Baculos item communes quibuſcumque Eremitis, paſtoribus, ruricolis, & diverſi generis hominibus eſſe, & ſemper fuiſſe, clarius eſt quam ut probatione egeat, quam ſi velis, ubique in ſacra tibi occurret Scriptura: & ſane Chriſtus Dominus juſſit, ut diſcipuli virgam, ſeu baculum ferrent. Neque nos negamus familiares eſſe Eremitis; an vero ita peculiares Eremitis Auguſtinianis fuerint ante ætatem ſancti Franciſci, ut eis ſervierint in ſignum & teſſeram a ſancto Auguſtino acceptam, hoc illud dubii. Profecto Flaminius refert, ſanctum Dominicum, ſive rediret in Monaſterio, ſive uſquam iter ageret, ſemper baculum manu geſtaſſe. Nihilominus peculiarem fuiſſe teſſeram Auguſtinianorum probat Jordanus de Saxonia, ſed inefficaciter, ex ſermonibus ad Fratres in Eremo, quos Auguſtini non eſſe, jam diximus pro comperto haberi, & largiſsime probant duo illi Illuſtriſsimi atque doctiſsimi Cardinales Baronius, & Bellarminus, quorum verba nunc recens tranſcripſit, aliaque multa pro eodem confirmando adjecit argumenta plane efficacia Gabriel Pennottus citatus. Addit vero Jordanus, prætenſam illam ſuam inſtitutionem baculorum per Auguſtinum vetuſtate, ſeu antiquitate confirmari; ait

Marc. 6. v.8.

Flamin. in vita S.Dominici.

Jord. lib.1.c.15.
Baron. anno 382. num.26. & 385. n.13. & in Notis ad Mart. die 5. Januarii.
Bellarm. de ſcriptor.
Pennot. c.30. & ſeqq.
Supra n.16.

ait enim, per B. Gregorium Papam ſtatutum fuiſſe, ut eju ſmodi Fratres baculos quinque palmorum in manibus portarent. Sed præter quam quod ad Gregorium, Auguſtino uno atque altero ſeculo poſteriorem, originem vel ſtatutum deferendorum referat baculorum, quod antea attribuit Auguſtino, valde plane decipitur circa Gregorium. Ut enim adnotavit ad eumdem Jordani locum Marcus Antonius Maſſa Salernitanus (quem digne laudat Auguſtinus Fivizanius in præliminari epiſtola operis Jordani) nullibi apud beatum Gregorium invenitur hujuſmodi ſtatutum. Neque ſane mirum, cum non ſancti Gregorii I. ſed Gregorii IX. fuerit præceptum, cujus de hac re multiplex expreſſum teſtimonium, & plures tabulas omnino certas ſuperius adduximus. Circa calceamenta nihil occurrit peculiare quod refellatur: quod enim diſſertator colligat ex litteris Gregorii IX. Eremitas ſuos calceatos inceſsiſſe, non reluctor. An vero ex re, omni ferme hominum generi communi, quidquam inferatur ſingulare, quo probetur, Franciſcum calceatum, non Anachoretam, aut ſui juris, ſed regularem egiſſe Eremitam, id plane neſcierim.

Hoc §. n. 3. & ſeqq.

XXX. Satis me oſtendiſſe judicaverim, debile omnino ac plane nullum deſumi ex habitu Eremitico argumentum pro Monachatu hoc aſſerendo, dum certo certius probavi formam habitus, quem modo geſtant Patres Auguſtiniani, Franciſco poſteriorem. At demus & anteriorem, vel Franciſcum hoc ipſo noſtro ſeculo extitiſſe, tunicam, corrigiam, calceos & baculum geſtaſſe, quis inde ſerio, aut probabilius efformet Auguſtinianum? Non efficacius ſane dicet, quam qui Franciſcanum velit, qui tunicam, chordulam, ſeu funem nodoſum abſque calceis geſtarit. Quot undequaque ſemper, & ubique videmus circumcelliones, gyrovagos, & nebulones ſuper tunicas protenſas corrigiatos & funiculatos? Quot conſpicimus & audimus ſolitarios & Anachoretas, ſub utriuſque Inſtituti inſignibus in ſolitudine latitantes? Quid? hinc omnes Auguſtiniani? hinc omnes Franciſcani? Abſit. An item ſcire vellem, illo ævo ita præſcripta Eremitis regularibus Auguſtinianis hæc inſignia tunicæ, corrigiæ & baculi, ut quibuſcumque, vel Anachoretis, vel cujuſvis generis hominibus non proſtarent, aut licerent? Peculiaris ſane non facit Inſtituti, quod pro omnibus fuit inſtitutum. Circa ipſius ſancti Auguſtini veſtem plura hic intexere potuiſſem, niſi maluiſſem brevitati conſulere, nec ita ad ſingulos hujus diſſertationis anfractus declinare. Fidenter id dixerim, inefficaciter Marquez probare in veſte, ſuæ conſimili inceſsiſſe ſanctum Doctorem, quod largiſsime, & data opera convincit Gabriel Pennottus, ad quem lectorem remitto, ne videar actum agere, *& telam Penelopis texere, atque retexere*. Plura etiam ſubminiſtrare liceret de Congregationum, ſub Auguſtini regula unitarum, origine, ac cujus fuerint primævi Inſtituti, certis tabulis monſtrare, niſi vererer, non omnibus hæc placitura. Nolo mihi vitio vertatur, quod in meo diſſertatore aliis diſplicuit ex arrepta occaſione aſtruendi Monachatus ſancti Franciſci, & ſuæ inſtitutionis ad ſanctum Auguſtinum deducendæ, originem Canonicorum Regularium evertere, plures Sanctos iiſdem Patribus, Benedictinis, aliiſque Religionibus eripere, nobis ſanctum Ludovicum Galliæ Regem negare, ſibi omnino D. Claram Montefalcenſem adſcribere, aliaſque id generis in aliorum commotionem quæſtiones excitare. Ego meo dumtaxat adhærebo argumento, nec extra chorum in hac ſcena ſaltabo; quæ ſola Monachatum hunc attingunt, vel ſtabiliens, vel refellens.

Adhuc oſtenditur inefficax deſumi argumentũ ex habitu.

Auctor unico de hoc Monachatu inhæret argumento.

Marq. c. 4. §. 1. & ſeqq.

Pennot. cit. c. 21. & ſeqq.

XXXI. Ad quaſdam vero conjecturas, ubi argumenta defecerunt, meus diſſertator deſcendit, quæ meo judicio, plus ejus cauſæ obſunt,

Marq. c. 21. §. 5. Prima diſſertatoris conjectura.

quam proſunt. Quid enim magis infirmam aliquam ſententiam eſſe confirmat, quam ut non rationes firmæ, ſed quædam exiles, imo non rationes, ſed conjecturæ undequaque pro ea conſtipentur? Primam autem deſumit ex eo, quod ſanctus Franciſcus dicatur converſus biennio illo ante inſtitutam ſuam Religionem; at inquit, *converſus* non dicitur, niſi qui mundo valedicit, & approbatæ cuipiam Religioni ſe tradit; idque probari, ait, ex Jure Canonico, toto titulo *de converſione Conjugatorum*, ſecundum expoſitionem Juriſconſultorum in eumdem locum, atque interpretationem aliorum Doctorum. Id vere nos libenter admiſerimus, agi in eo titulo Decretalium de perfecta & ultima converſione per omnimodum mundi contemptum, & Religionis ingreſſum; tractatur enim ibi de diſſolutione conjugii, quæ non per aliam converſionem, quam per hujuſmodi contingit. Præter hanc item & alias eſſe converſiones, quis neget, niſi univerſam rejiciat ſacram Scripturam, quæ ubique ſcatet hujuſmodi phraſi, & modo loquendi, quo uſi ſunt, qui dixerunt, Franciſcum poſt renunciatas patri veſtes, converſum fuiſſe ad Deum. Conſulendi libri Canonici *Eccli.* 17. *Iſaiæ* 55. *Jerem.* 13. *Ezech.* 18. atque alii paſſim ſacræ Scripturæ codices, qui peccata, vel ſeculi vanitates relinquentes, & juſtitiam ſectantes, converſos ad Dominum appellant. Atque in hoc ſenſu eſt & alius titulus in Jure Canonico *de converſione infidelium* (ut rubricam rubricæ opponamus) immediate ſubſequens ad titulum a diſſertatore allatum, quem potuiſſet conſulere, & videre neque a Doctoribus, neque a Pontificibus, neque in Jure Canonico ſumi in eo dumtaxat ſenſu *converſionem*. Atque in ipſa Religione eſſe Converſorum gradus, & quoſdam dici Oblatos, ſeu Converſos, qui privilegiis non gaudent exemptionis; alios vero omnino Converſos, atque exemptos docet Panormitanus. Amplior ſane & communior eſt *converſionis* acceptio, quam ut ſolis Religioſis poſſit attribui, neque tutum dixerim contra communem loquendi modum ſacræ Scripturæ, ad hunc ſolum ſenſum illam redigere. Circa illa verba de peccatoris converſione ad Deum apud Zachariam Prophetam: *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*, vide ſi placet, Auguſtinum in Pſal. 70. & lib. 50. Homiliarum, Homil. 34. cap. 4.

Refellitur. — *Latus ſenſus converſionis.* — *Panor. in c. Tuarum de privileg. n.4.* — *Zach. 1.*

XXXII. Aliam addit conjecturam ex iis verbis, quibus ſanctus Bonaventura retulit Innocentii Pontificis erga Franciſcum & ſocios dignationem. *Approbavit*, inquit, *Regulam, dedit de pœnitentia prædicanda mandatum, & Laicis Fratribus omnibus, qui ſervum Dei fuerant comitati, fecit coronas parvulas fieri, ut verbum Dei libere prædicarent*. Dum, inquit, refert Bonaventura factas Fratribus Laicis coronas parvulas, neque de Franciſci corona quippiam eloquitur, probabiliter infertur, eam jam habuiſſe: at non aliunde accepit, quam ſub habitu & Inſtituto Eremitarum: non enim tantum videtur ſibi aſſumpſiſſe, ut tonſuram clericalem voluerit admittere ex privilegio Ordinis adhuc non approbati. Sed nihil nimium ſibi attribuit Franciſcus ſacra jam pœnitentiæ norma inſtituta, dum ſibi clericali modo capillos in orbem totondit. Apoſtolica enim traditione, ac conſtitutione in Eccleſiam derivatum eſt (veluti late docet Severinus Binius in Notis ad epiſtolam decretalem Aniceti Pontificis) ut eorum capita in modum ſpheræ deſuper tondeantur, qui a communi hominum vita recedentes, excultius vitæ genus ſectantur. Ita Rabbanus de Inſtitutis clericalibus, Iſidorus de divino officio, & ex hoc Concilium Aquiſgranen. ſub Ludovico Pio cap. 1. Concilium item Toletan. 4. cap. 55. & Toletan. 6. cap. 6. 7. & 17. ubi videndæ ſunt notæ Garſiæ Loayſæ in cap. 6. ad illa verba: *Ut vir detondeatur*. Plura habet de Monachorum tonſura Epiphanius hæreſi 80. adver-

Secunda conjectura. — *Bonavent. cap. 3. in fin.* — *Rejicitur.* — *Sever. Binius.* — *Rabb. cap. 3. Iſid. lib. 2. c. 4.*

verſus Maſſalianos: *Oportet*, inquit, *filios Virginis Matris Eccleſiæ eſſe reverendos in tonſura*. Et Hieronymus epiſtol.48. ad Sabinianum, Beda lib.5. de geſtis Anglorum,& hujus ritus meminit etiam Dionyſius Areopagita de Eccleſ. Hierarch. p.2. cap.3. Quid ergo prohibuit Franciſcum, ne in novo & excultiori vitæ genere, atque ſub religioſa pœnitentiæ ratione comam religioſe tonderet? præſertim cum jam unius, aut alterius anni ſpatio, & plurium ſociorum ſequela jam ſuum firmarit Inſtitutum, nec ullum eſſet præceptum, aut jus poſitivum Eccleſiaſticum, quo teneretur ulteriorem confirmationem petere a Pontifice, ut docte obſervarunt Illuſtriſſimus Bellarminus, Joannes a Carthagena, & Hieronymus Platus, atque ego ex his alias adnotavi. Socium item tunc habuit ſecum Silveſtrum Aſſiſiatem Sacerdotem, nec tamen de ejus corona verbum fecit Bonaventura: an ergo & religioſe tonſum negabimus, & quotquot erant in illo tunc Sodalitio divino cultui deputati, abſque tonſura fuiſſe dicemus, vel aliunde, quam ſub hoc vitæ genere ea inſignitos affirmabimus?

In Annal. ad an. 1210. n.1.

XXXIII. Tertiam deſumit conjecturam, ex quibuſdam ſimilitudinibus vitæ & actionum utriuſque Dei ſervi, Franciſci, & Joannis Boni, nullius plane momenti, aut efficaciæ ad ſtabiliendum prætenſum hunc Monachatum; quare non eſt cur ſingulas recenſeam, præſertim cum ex ſerie annorum, quam ſupra ſtatuimus, evidenter conſtet, nihil horum potuiſſe Franciſcum ediſcere ex Joanne Bono, tamquam ex præceptore, & ex illis multa, etiam ſecundum calculum annorum ſtatutum a noſtro diſſertatore, non niſi poſt Franciſcanum Sodalitium jam inſtitutum evenire potuerint. Vere licet dictum ſit de Abrahamo, & quotidie dicatur de unoquoque ſancto Confeſſore Pontifice in laudibus Eccleſiaſticis, quod *non eſt inventus ſimilis illi*; tamen multi comparantur inſigni Patriarchæ, & ita invicem inter ſe conferuntur ſancti Confeſſores in pleriſque heroicis actibus, ut ex eadem virtutis officina prodiiſſe, vel ſub eodem magiſtro audiiſſe videantur, licet toto orbe aliquando diviſi diverſis ſeculis effloruerint. Librum integrum, nec parvæ molis, ante ducentos annos ſcripſit Bartholomæus Piſanus de conformitatibus vitæ Chriſti, & Franciſci, qui ei adeo ſimilis, quantum homini licuit, undequaque apparuit, ut non immerito dixerit Volaterranus: *Conſervatoris noſtri fere per omnia typum geſſit*: nec tamen omnia immediate ab ipſo didicit Chriſto, ſuffecit audiiſse & legiſſe quæ Salvator effecit, ut imitari vellet & ſequi: quod & probabiliter de beato Joanne Bono Franciſco coævo, & ſuperſtite ſuſpicari licebit. Potuit enim Franciſci virtutes audire, ipſum videre, vel cum ſociis agere, qui multa de ſuo Inſtitutore adhuc in vivis agente, vel jam defuncto referrent, quæ ſancto Viro ad majora aſpiranti calcaria adderent, ut præclariſſimi hominis, jam mundo notiſſimi, & inter Sanctos relati, omnibus æmulandum ſectaretur exemplum, juxta illud Apoſtoli: *Æmulamini chariſmata meliora*.

Tertia conjectura.

Eccl.44. v.20.

Volater. lib. 21. Antropolog. c. de S. Franciſco.

1. Cor. 12. v.31.

§. V.

Recenſentur & refelluntur hujus prætenſi Monachatus aſſertores.

I. JAm tamdem deveniendum erat ad rei teſtes, vel aſſertores, quos in diverſas acies diſſertator effinxit: aliquando enim in teſtes apertos ſeu claros, & probabiles, vel obſcuros; aliquando in domeſticos Auguſtinianos; & alterius vitæ viros diſtinguit, ne ſi perdiderit turmam unam, non ſalvetur & altera. Claros teſtes enumerat viginti unum, ob-

obſcuriores plures; Auguſtinianos multos; externos convocat undecim. Sed antequam horum vires exploremus, ducem tanti exercitus exquiramus. Profecto non alius aſſignabitur, quam Jacobus Philippus Bergomenſis Eremita Auguſtinianus, qui tertio poſt Franciſcum ſeculo Monachatum hunc primus adinvenit, ut venerandus Pater Antonius Daza præmonuit. Sed alios hoc priores anteſignanos ſtatuit, & evicisse ſe putat Marquez præmittens Henricum de Urimaria, ſeu de Alemania, Jordanum de Saxonia, conſtitutiones quaſdam Patavinas Ordinis Eremitarum, Marcum Antonium Sabellicum, & Polydorum Vergilium. Hærendum hic paulisper pro aſſerendo primatu Philippo Bergomenſi, ad quem reducenda eſt totius rei origo: quod facile fiet, ſi eorum quos priores Marquez vult, examinemus ſermonem & tempus. Citatur Henricus de Alemania (quem eumdem eſſe cum Henrico de Urimaria ait diſsertator, ſed diverſum facit Joannes Gonzalez de Critana Auguſtinianus in epitome hiſtorica vitæ Monaſticæ ſancti Auguſtini Hiſpano idiomate edita, quam Latinam fecit Gregorius Aur. D'ayneff. Auguſtinianus) in tractatu quodam per eum completo, anno MCCCXXXIV. ſervato in Bibliotheca ſancti Victoris Pariſienſi in pluteo triplicis G. in hæc verba: *Beatus Franciſcus cum dictis Fratribus habitavit, & ut quidam aſſerunt, fuit Frater noſtri Ordinis in loco ſancti Jacobi de Aquaviva juxta Piſas*. Aliter citat locum hunc Joannes Gonzalez citatus ſub his verbis: *Henricus ab Alemania in ea, quam in membranis reliquit hiſtoria*, inquit, *tempore Innocentii III. fuit frater Joannes de Cella, circa quod tempus beatus Franciſcus cum Fratribus ſancti Auguſtini habitavit; & quidam aſſerunt, quod fuit Frater dicti Ordinis ſancti Jacobi de Aquaviva juxta Piſas, ut ex ejus vita colligitur, ubi legitur quod beatus Franciſcus habitum Eremiticum deferens, baculum manu geſtans, pedibus calceatus, & corrigia cinctus cum Fratribus Eremitis ſancti Auguſtini devote inceſſit*. Concludit autem, inquit Critana, quod *relictis omnibus, ſolus ad nemus confugit*. Non expendo modo differentiam utriuſque lectionis; fortaſſis enim interpres Latinus hujus epitomes aliter tranſtulit ex Hiſpanico, quam codex habeat MS. Pariſienſis: ſed illud obiter interrogaverim, ubi ut ille ſcribit, legitur in vita ſancti Franciſci, quod ſub illo habitu cum Eremitis ſancti Auguſtini devote inceſſerit? Volve ſane, & revolve quantum placuerit, vitas quaſcumque ante hujus Henrici ætatem ſcriptas, atque illam præcipuam a divo Bonaventura accurate exaratam, neque verbum de Eremitis Auguſtinenſibus invenire, aut quidpiam de iiſdem ſubodorare licebit.

Philipp. Bergomas primus aſſertor hujus Monachatus.

Daza tract. de Monach. S. Fran.
Marq. c. 2. §. 4.

Marq. cit. §. 4.
Crita. cap. 9. an. §. 1.

Examinatur teſtimonium Henrici de Urimaria.

II. At quidquid ſit de re hac omnino manifeſta, ipſius teſtimonii veritatem placuit diligentius inquirere. Datis itaque litteris anno MDCXXII. ad viros doctos amicos Pariſiis commorantes, oravi obnixius, ut omnino rei veritatem mihi explorarent, tranſcriptis ad eos verbis ipſis & citationibus, quæ apud meum diſsertatorem habentur. Egerunt cum Bibliothecario ſancti Victoris; atque uno & altero die revolutis libris ſcamni ſignati, conſultoque ſerio indice, minimeque invento tractatulo, tranſmiſerunt mihi ſubſequens R. Patris Bibliothecarii teſtimonium. *Ego infraſcriptus teſtor, librum, qui dicitur tractatus completus per Henricum de Alemania, non eſſe in pluteo g. g. g. Bibliothecæ noſtræ ſancti Victoris, meque diligenter inſpexiſſe catalogum dictæ Bibliothecæ, & dictum Auctorem in ea minime reperiſſe, neque ullam ejus mentionem. In cujus rei fidem, ſubſcripſi* IV. *Maii* MDCXXII. *Fr. Nicolaus Bollaire Regularis indignus præfati loci, necnon Bibliothecarius*. Attamen, dum mihi ſubeſſet ſcrupulus circa indagatorum ſollicitudinem, mirarerque, adeo diſtincte enumeratis ſcamni characteribus, additis indiciis, & tractatuli prin-

Marq. proxime cit.

principio, citari a diſſertatore teſtimonium, iterum reſcripſi ad Hugonem Bardæum noſtrum, confeſsarii Reginæ Chriſtianiſſimæ ſocium, modo Collegii Lovanienſis Minorum Hibernorum profeſsorem, rogans ut novam & ſedulam adhiberet operam in hoc Opuſculo, undequaque, & per omnes, ſi oporteret, pluteos inveſtigando. Invenit tamdem, & tale dedit reſponſum: *Omnem poſui curam in detegendo illo tractatulo, quem V. R. indicat, in Bibliotheca ſancti Victoris, & tamdem offendi in quodam libro antiquo papyraceo in quarto, qui ſervatur in prima aula ejuſdem Bibliothecæ in ſcamno, cui inſcribi ſolebant tria G.G.G. nam & characterum aliquantulum immutatus eſt Ordo. In libro iſto continentur plures diverſi tractatuli ſcripti characteribus ferme Gallicis, omnino ſimilibus & antiquis. In tractatu illo Henrici de Alemania, ut habet inſcriptio, non vero de Urimaria, ubi plurimum agit de differentia Canonicorum regularium ab Eremitis Auguſtinenſibus habentur in pagina 40. folio penultimo, ea quæ V. R. inquirit ſub hac formula verborum.* Beatus Franciſcus cum dictis Fratribus habitavit, &, ut quidam aſserunt, fuit Frater noſtri Ordinis in loco ſancti Jacobi de Aquaviva juxta Piſas. Tamdem licentia obtenta a Priore dicti loci, ut arctiorem vitam aſsumeret, dimiſsa zona, & ſubcellaribus, ad nemus ſe ſolitarius tranſtulit. *Hæc ibi, ſed in margine, diverſo & recentiori charactere, etiam cancellata; neque in eadem margine, aut in textu, ante, vel poſt, antecedens, aut ſubſequens verbum ullum habetur de Patre noſtro Franciſco.*

III. Vide ergo quam ſuppoſititius hic teſtis mereatur fidem: & ſane plane conſtat recentiorem eſſe additionem hanc, dum ait, alios aſſeruiſſe Franciſcum Auguſtinianum fuiſſe. Quis enim aliquando ſub illo tempore, aut ante hujus Henrici ætatem, imo nec multis poſt annis, quidquam de prætenſo dixit Monachatu? Taceo inſuper, quod tirocinii, vel incolatus locum aſſignet ſanctum Jacobum de Aquaviva prope Piſas, contra communem Auguſtinianorum fidem, ut ipſe Marquez notavit, de quo nos egimus ſuperius, atque etiam ſingulariter præ omnibus dicat obtinuiſſe licentiam a Priore dicti loci, ut arctiorem vitam aſſumeret, deinde ſolitarium ad nemus ſe contuliſſe, quod eſt contra Bonaventuræ, & aliorum Auctorum narrationem, qui dicunt, ſtatim a depoſita veſte, eum prædicandæ pœnitentiæ, & novæ vitæ inſtituendæ totum intendiſſe. Neque minus fictitium illud, quod refert Critana ex Nicolao ab Alexandria cap. 9. Collectaneorum Ordinis Auguſtiniani, ſcilicet ſanctum Franciſcum inſtructum voce Evangelica ad arctiorem vitam aſſumendam R. P. Fr. Bandinum Priorem Monaſterii ſancti Salvatoris, quod *Silva lacus* dicitur; Ordini ſancti Auguſtini Secenis (Senis puto voluiſſe dicere: in illa enim diœceſi eſt Monaſterium hoc) adiiſſe, durius aliud vitæ genus ineundi facultatem rogaturum. Belle ſane ſibi cohærent hi Auctores, ille ad Piſarum, hic ad Senarum Priorem recurriſſe abſque ullo perhibet teſte, cum ſtatim, audito Evangelio, habitum mutaſſe, communiter vitæ ſancti Franciſci Scriptores enarrent. Quid? quod & Eremitæ Tuſciæ, in qua comprehenduntur tractus Piſanus & Senenſis, uſque ad annum primum Pontificatus Innocentii IV. non fuerunt Auguſtiniani? nam præter quam quod ille omnium primum tunc eos juſſerit Regulam ſancti Auguſtini aſſumere, ut conſtat ex Bulla ejuſdem, *Incumbit nobis*, data XVII. Kalendas Januarii ad univerſos Eremitas Tuſciæ (exceptis Fratribus Guillelmitis ſub Regula etiam ſancti Benedicti degentibus, quos noluit tunc ad illam unionem reducere) quæ habetur apud meum diſſertatorem, & in Regeſto ejuſdem Pontificis num. 333, aperte aſſeritur, eos uſque ad illud tempus Regulam obſervaſſe ſancti Benedicti, ut etiam ex his duabus litteris ejuſdem Pontificis, quæ

Marq. c.26. §.4. §.3. n° 10.

Egregium commentum.

Bonav. c.3.

Crita. c.8. §. 2.

Refellitur.

Eremitæ Tuſciæ quando ſuſceperunt Regulam S. Auguſtini.

Marq. c.3. §. 3. & c. 18. §. 11.

quæ habentur in citato Regeſto ſub num.176. & 187. aperte demonſtratur.

INNOCENTIUS, &c. *Priori & Fratribus Eremitis in Tuſcia, Ordinis ſancti Auguſtini, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.*

Abſolvuntur ab obſervantia Regulæ ſancti Benedicti.

IV. C*Um a nobis petitur quod juſtum eſt, & honeſtum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per ſollicitudinem officii ad debitum perducatur effectum. Exhibita ſiquidem nobis veſtra petitio continebat, quod cum Regulam beati Auguſtini vobis concedendam duxerimus, ut a vobis, & ſucceſſoribus veſtris perpetuis futuris temporibus obſervetur, ac per dilectum filium noſtrum R. S. Angeli Diaconum Cardinalem a promiſſione, quam de obſervando Ordine ſancti Benedicti, vel quocumque alio feceratis, de ſpeciali mandato noſtro ſitis penitus abſoluti. Nos abſolutionem ipſam ratam & gratam habentes, auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. Datum Laterani* v. *Kalendas Aprilis anno* 1.

INNOCENTIUS, &c. *Priori & Fratribus ſanctæ Mariæ de Murceto Ordinis ſancti Auguſtini Piſanæ Diœceſis, &c.*

V. C*Um vos & alii Eremitæ per Tuſciam conſtituti, de mandato noſtro, nuper Ordinem & Regulam beati Auguſtini duxeritis aſſumenda, ea perpetuis temporibus ſervaturi, ad obſervationem Regulæ ſancti Benedicti, quam in Eremo veſtra fuiſſe vos profeſſos aſſeritis, denunciamus vos auctoritate præſentium, non teneri. Datum Laterani* VII. *Kalendas Aprilis anno* 1. Heus bene hæc ſibi concordant, ut a Monachis, ſeu Eremitis ſancti Benedicti licentiam & veniam ille expoſtulet, quem totis viribus contendunt Auguſtinianum fuiſſe, & ab Auguſtiniano initiatum.

Examinatur teſtimonium Jordani de Saxonia.

VI. Porro ut ad anteſignanos hujus exercitus, quos Bergomenſi volunt priores, revertamur. Jordanus de Saxonia ab eis citatur lib. 1. Vitæ Fratrum, cap. 8. ſub his verbis. *Cum fama converſationis ejus per loca vicina crebreſceret, plurimi ad eum converſi ſunt, inter quos fuit beatus Franciſcus, qui Ordinis poſtea Minorum Fundator fuit. Qui in honorem ſanctæ Mariæ Virginis Eccleſiam conſtruxerunt ibidem, &c.* Atqui hic etiam ſuſpicio corrupti textus, nam quæ hoc loco apud Jordanum referuntur, ſcripta ſunt ex Bulla Innocentii IV. *Admonet nos*, ſæpius a me citata, & verbatim relata a diſſertatore, cujus verba cum iis, quæ habet Jordanus, hic poterit lector conferre. Ita habet Pontifex, vel Cardinalis Guillelmus apud Pontificem. *Sane ad audientiam Domini Papæ pervenit, quod bonæ memoriæ frater Joannes Bonus, primus in Ordine veſtro, primam apud Budriolum Cæſenatenſis diœceſis de conceſſione Diœceſani loci ejuſdem domum incœpit, & dum fama converſationis ejus per loca vicina crebreſceret, & plurimi converterentur ad eum, Eccleſiam in honorem beatæ Mariæ Virginis conſtruxit ibidem: creſcente autem numero & merito ejuſmodi converſorum, Religio veſtra per eos in diverſis partibus, in quibus manſiones conſtruxerant, extitit propagata. Cum autem iidem Religioſi aliquam de approbatis Regulam non haberent, quidam ex eis accedentes ad Sedem Apoſtolicam, obtinuerunt ab ea beati Auguſtini Regulam ſibi dari, & ſic ex tunc cœperunt in regularibus obſervantiis inſtrui, & regulariter ſe habere.* Hæc illa Cardinalis Protectoris horum Eremitarum, illius temporis viri, in Bulla pontificia narratio. Audiamus nunc Jordani hiſtoriam; *Erat*, inquit, *Frater magnæ ſanctitatis re & nomine Joannes Bonus, qui primo apud Budriolum Cæſenatenſis diœceſis, domunculam quamdam*

Marq. c.13. §.7.

dam de conſenſu Diœceſani conſtruxit, & ibi vitam Eremiticam in arctiſſima pœnitentia duxit. Cumque fama converſationis ejus per loca vicina crebreſceret, plurimi ad eum converſi ſunt, inter quos fuit beatus Franciſcus, qui Ordinis poſtea Fratrum Minorum Fundator fuit, qui in honorem ſanctæ Mariæ Virginis Eccleſiam conſtruxerunt ibidem, in qua ſimul cum dicto Patre, virtutum Domino ſedulo ſervierunt. Creſcente autem merito & numero iſtorum converſorum, Religio illa per eos in diverſis partibus, in quibus manſiones conſtruxerunt, eſt ſatis propagata. Vocabantur autem iſti homines Fratres Eremitæ Fratris Joannis Boni, *cum ipſe fuerit primus inſtitutor eorum, & quaſi Prior Generalis Ordinem illum paterna ſollicitudine gubernaret. Cum autem iidem Religioſi aliquam de approbatis Regulam non haberent, Ordini Eremitarum ſancti Auguſtini de mandato Sedis Apoſtolicæ ſunt uniti, ſicque Vir iſte ſanctus, qui prius ſine Regula religioſe vixerat, poſtmodum ſub Regula ſancti Auguſtini militans, peramplius in devotione ſedula virtutum Domino ſerviebat.* Non approbare non poterit lector fidelem tranſcriptionem, & verum tranſumptum narrationis Pontificiæ, ſed male feriatum aliquem opinabitur abrupte inſeruiſſe illa verba: *Inter quos fuit beatus Franciſcus, qui Ordinis poſtea Fratrum Minorum fundator fuit*, cum quibus ſane non adeo recte, vel in ipſa conſtructione, connectuntur verba ſequentia. Et quidem extra locum ſuum, atque præpropere appoſita, ipſe meus fatetur diſſertator. Unde quæſo licuit huic Auctori hiſtoriam hanc narrationi Pontificiæ aſſuere? Quo teſte? quo narratore rem alienam ab hiſtoria Pontificia attexuit? quo Auctore adeo confidenter inducit rem alterius ſeculi, & poſt centum & plures annos ſolitarius & ſingularis narrator, rem cui intereſſe non potuit, alienæ affigit relationi? Quid? an non hoc irrepere potuit in aliquod ex illis corruptis, imo & contortis, depravatiſque exemplaribus, quæ jam extitiſſe, ſeque habuiſſe fatetur in utraque epiſtola præliminari Auguſtinus Fivizanius Eremita, qui primus hunc librum edidit Latinum? Quæ autographa, vel quos Codices MSS. exaratos ante ætatem Philippi Bergomenſis (qui errori huic, ut contendimus, & mox probavimus, primus dedit initium) proferet in medium, per quos fidem conciliet huic additamento? *Marq. c. 26. b. 5.*

VII. Adde, quod de libri inſcriptione, vel ejus auctore non inane ſuboriatur dubium. Joſephus Pamphilus in Chronico Auguſtiniano, Antonius Poſſevinus in Apparatu, Thomas Gratianus Eremita in Anaſtaſi Auguſtiniana, ſeu de Scriptoribus Ordinis Auguſtinenſis, librum Jordanis de Saxonia inſcriptum *Vitas Fratrum*, referunt incœpiſſe ab illis verbis. *Spiritualis pulchritudinis*. At aliud eſt initium illius libri, quem ſub titulo *Vitas Fratrum*, & nomine Jordani produxit Auguſtinus Fivizanius, quod & dudum adnotavit Rev. & perdoctus Pater mihi ſpectabilis, Heribertus Roſweydus Prologomeno I. ad Vitas Patrum a ſe editas, & erudite illuſtratas. Quare Gratianus librum hunc a Fivizanio editum, alium ab illo de Vitis Fratrum putat, & velut diſtinctum enumerat. His adjunge, non cohærere tempus, ſub quo floruit Jordanus, cum ætate auctoris hujus libri. Hic enim lib. 2. cap. 14. ait, ſe legatione functum pro Priore & Capitulo generali Mediolani celebrato, ut acta illorum Comitiorum Clementi VI. præſentaret. Hic autem Pontifex creatus eſt anno MCCCXLII. & Synodus illa Mediolanenſis Auguſtinianorum, ut refert Pamphilus, habita eſt anno MCCCXLIII. in qua Guillelmo Cremonenſi, ad Epiſcopatum Novarienſem aſſumpto, ſuffectus eſt Dionyſius Mutinenſis. Sed Jordanum de Saxonia idem Pamphilus reponit circa annum MCCCCVIII. ſub Nicolao Saraceno de Caſſia Generali, qui defuncto Tolomæo Veneto ſubrogatus eſt in Synodo Aquilana an-

Pamphil. Poſſevin. Gratian.

An Jordanus de Saxonia ſit auctor libri de vitis Fratrum,

Roſweydus.

Quando floruit Jordanus.

Phan. b. ad an. 1343.

Digitized by Google

no MCCCC. Guillelmus Eyſengrenius, eumdem Jordanum anno MCCCCIX. & Thomas Gratianus, anno MCCCCX. claruiſse recenſent. Quomodo ergo ante annos ſexaginta, vel circiter ſeptuaginta, pro Generali Priore, & Synodo, legationem poterat obire ad ſummum Pontificem, niſi impuberem adoleſcentem, vel juvenculum velis ad rem adeo gravem a graviſſimo Senatu ad ſupremum Pontificem deſtinatum, vel illius annos ultra communem hominum protrahas ætatem? Quomodo etiam minus probabiliter ante tercentum annos eum ſcripſiſse aſserit Marquez, quem poſt MCCCC. effloruiſse citati Auctores affirmant? Quid? ſi his etiam addas auctorem illius libri dicere, ſe familiarem habuiſſe Henricum de Urimaria, hic vero, referente Marquez, ait, ſe cognoviſſe Lanfrancum Mediolanenſem, qui creatus eſt Generalis Eremitarum in magna unione ſub Alexandro IV. anno MCCLVI. mortuuſque eſt anno MCCLXIV. quæ cohærere non poſſunt, niſi Jordanum longævum nimis efficias, & centum, vel plures annos ſupervixiſſe contendas. Ubi tot ſunt dubia circa librum hunc ſuo Auctori aſſerendum, & plures, neque eæ inanes, aut leves ſuſpiciones circa additionem illam ad hiſtoriam Pontificiam de monachatu Franciſci, parva, aut infirma ſuberit fides. Sane inter tot ſcrupulos nihil evincet locus ille, nec circa Franciſcum Eremitis adſcribendum, nec circa primatum in aſſerto hoc Philippo Bergomenſi tollendum.

Marq. c.21. §.1. *Jord. lib. 2. c. 22.* *Marq. c. 26. §. 3.*

Marq. c. 31. §. 1. De conſtitutionibus Patavinis.

VIII. Conſtitutiones etiam quaſdam Patavinas factas anno MCCCXV. proinde diſſertator producit, quia in eis ſtatutum eſt, ut de ſanctis Simpliciano, Dominico, & Franciſco ab illo tempore in univerſo Ordine recitaretur Officium, hac de cauſa, ut credibile reputat diſſertator, quia quamdam affinitatem habebant cum Ordine Auguſtinenſi. Cum Simpliciano, inquit, communicavit Auguſtinus ſub ſtatu jam monachali, Dominicus initiatus eſt ſub Canonicis Regularibus ſancti Auguſtini; Franciſci autem affinitatem in nullo, ait, ſe poſſe explorare, niſi quod monachatum hunc ſubierit Auguſtinianum. At ego velim ſcire, an venerandi Patres Eremitæ ſolos ſibi affines admittant divino Officio colendos? an ſolos eos, quibus aliquod cum ſancto Auguſtino interceſſit vinculum, in ſuis reponant Kalendariis, vel libris inſerant ritualibus? An item omnes pios & ſanctos Viros, cum quibus Auguſtinus in ſua converſione, vel ſuſcepto jam Baptiſmate conſortium inivit, Officio colunt divino, vel etiam omnes Sanctos Ordinis Canonicorum Regularium ita ſuos faciunt, ut eos precibus concelebrent horariis; & propterea Simplicianum & Dominicum in ſuo Ordine coli præcipiant? An ne credendum eſt, neque Franciſcum etiam ad eumdem cultum admiſſuros, niſi illa interveniret conſodalitatis affinitas? cujus cultum ſæpius & iteratis litteris, quas nos patulas effecimus, Pontifices omnibus Chriſti fidelibus commendarunt, & quem Religioſi Ordines univerſi in ritualibus Sanctorum tabulis ſacro honore colendum conſcripſerunt.

Vide Auguſt. lib. 8. conf. c. 1. & 2.

In Annal. ad an. 1228. & deinceps.

Marq. cit. §. 4. Quis prior ſcripſerit, Sabellicus, an Bergomas.

IX. His ſubnectit Marcum Antonium Sabellicum, quem Bergomenſi poſteriorem, aut ejus in hac opinione ſectatorem dici, ægre ait, ſe pati poſſe. Probat itaque, eum fuiſſe Bergomenſi, ſi non ætate, quia coævi erant, ſaltem in ſcribendo priorem. Nam Bergomenſis lib. 16. Supplementi citat Sabellicum, refertque Enneadum opus, quod divinum vocat, & omni admiratione dignum, elegantiſſimo conſcripſiſſe ſtylo, & plurimis diſtinxiſſe voluminibus. Ego certe neſcio unde Marquez ſumpſerit hoc teſtimonium ex Bergomenſi, quod tamen habere non diffiteor. At non eo in loco, vel opere, quod ille perlegerit, aut viderit, ut jam oſtendo. Locus ille & encomium Sabellici habet Bergomenſis in Supplemento ſupplementi Chronicorum: ſed hoc opus ejus non vidit Marquez, imo & ſcripſiſſe diffitetur. Nam cum ad teſtium numeroſam conſtipationem

Bergom. lib. 6. ad an. 1409. An Marq. viderit Supplementū ſupplementi Bergomenſis. *Marq. proxime cit.*

nem citaret Supplementum ſupplementi Chronicorum Bergomenſis italico idiomate conſcriptum, dubitaretque, ne ſibi objiceretur, non alium a Bergomenſi hunc eſſe auctorem, vel teſtem, ſed ejuſdem operis aliam tranſlationem, tacitam prævenit objectionem, dicendo, aliud eſſe ab illo hoc opus, diverſumque Auctorem. Probat autem ex inſcriptione operis, aſſerens, Bergomenſem ſupplementum ſcripſiſſe: hoc autem eſſe illius Supplementi ſupplementum accuratiori ſtudio elaboratum, & multis in locis auctum, ut conſtat ex principio libri ſecundi, teſtimonio, quod affert de divo Franciſco, quod locupletius eſt in ſupplemento ſupplementi, quam in Supplemento Bergomenſis.

X. Hinc mihi probatur, & manifeſtius liquet, non vidiſſe diſſertatorem opus latinum Bergomenſis inſcriptum, *Supplementum ſupplementi*, cujus liber ille italicus eſt mera translatio, ut ſtatim ex ipſo codice oſtendam. Dicam ergo quo ordine & methodo hæc ſua opera ſcripſerit Bergomenſis. Ante annum MCCCCLXXXVI. & ætatis ſuæ quinquageſimum ſecundum, ſemel, & iterum opus ſuum hiſtoriarum, ſeu Supplementum Chronicorum terminavit, ac tum tertio perfectum, & auctum Idibus Octobris anni prænumerati, impreſſum fuit Venetiis per Bernardum Rizum de Novaria, anno ſalutis MCCCCXC. XV. Maii ſub illius Reipublicæ Duce Auguſtino Barbadico, in quo opere hiſtoriam deduxit uſque ad annum illum ipſum, quo excuſa eſt, atque ita unam, vel alteram narratiunculam appoſuit anni illius MCCCCXC. & quindecim dumtaxat libros habet illud opus, in quibus nec verbum habet de Sabellico, quippe qui uſque ad illud tempus ſuas Enneades non edidit. Quare ex ſolo Supplemento Bergomenſis, quod ſolum ſcripſiſſe aſſerit Marquez, non potuit illud teſtimonium afferre, ſed ab aliis fortaſſe citatum attulit, & ex Supplemento, quod ſolum vidit, & illud teſtimonium non habet, citavit. In hoc autem opere lib. 9. ad ann. MCCXC. lib. 12. ad ann. MCXCIX. & lib. 13. ad ann. MCCIX. MCCXXIV. habet, repetitque Bergomenſis plura de Monachatu hoc Auguſtiniano ſancti Franciſci. Deinde poſt plures annos, ſcilicet anno Chriſti MDIII. & ſuæ ætatis ſexageſimo nono, amplius ſuum auxit opus, plura ubique addendo, & librum ſextum decimum adjungendo, in quo habetur illud de Sabellico elogium, vocavitque opus hoc novas repercuſſiones hiſtoriarum, ſeu Supplementum ſupplementi a ſe editi, hiſtoriam deducens uſque ad ann. MDII. quod edidit Venetiis opere, & impenſis Georgii de Ruſconibus anno MDVI. die IV. Maii ætate jam decrepita, ut conſtat ex libri fine & epiſtola, quam præmiſit ad D. Antoniotum ſanctæ Praxedis Cardinalem, in qua ita præfatur: *Cum Supplementum Chronicarum mearum, jam dudum a me multis laboribus, multiſque vigiliis elucubratum, in Chriſto Reverendiſſime ac ſapientiſſime Pater & Domine, ſæpe ac ſæpius quadam incredibili voluptate, & animi ſuavitate perlegerem, didici in eo plurima fore mendoſa, plurioraque tam antiqua, quam nova, memoratu digniſſima deeſſe. Quam ob rem haud parum ſubtriſtis diu extiti. Verum tamdem, cum me ipſum collegiſſem, & rem mente diligentius volutaſſem, demum animo incenſus, meæ vetuſtatis, ac meæ tremulæ manus parumper oblitus, de ipſo novam facere repercuſſionem conſtitui, &c.* In hoc autem opere in principio libri ſecundi habet illam ipſam obſervationem accuratioris adhibitæ diligentiæ, quam Marquez notatur haberi in opere Italico, additque frequenter interpres, vel mutat voculam, imo & aliquando rei ſeriem in tranſlatione, ſed ut plurimum non ſine errore, ut contingit in hac narratione de ſancto Franciſco, ubi ait, Regulam ejuſdem ſancti Patriarchæ confirmatam a Gregorio, quod tamen nullibi, vel in Supplemento, aut in hujus Supplementi ſupplemento habet Bergomenſis: licet in poſteriori, ſicut in priori in

Bergomenſis quando ſcripſit.

Digitized by Google

eiſdem locis, & ad eoſdem annos (præterquam in libr. 13. ubi annum MCCIX. mutavit in MCCIII.) agat de ſancto Franciſco. Porro, meram hanc eſſe translationem, ipſa libri inſcriptio & finis clarius dicunt, quam ut in controverſiam, aut dubium verti poſſit a quopiam, qui librum, vel levi aſpexerit intuitu. Ita enim inſcribitur, *Supplementum ſupplementi delle Chroniche vulgare novamente del venerando Padre Fratre Jacobo Philippo dell'Ordine Eremitano primo auctore agionto & emendato, el qual comenca dal principio del mondo in fino al anno de la noſtra ſalute* MDII. *& diligentemente vulgarizata per Miſer Franceſco C. Fiorentino*. Hæc ipſa iterum repetit in fine hujus operis impreſſi Venetiis anno MDVIII. Ex quibus convincor, nec Latinam editionem, nec Italicam hanc translationem Marquez vidiſse.

Sabel. poſterior in ſcribendo Bergomate.

XI. Vidit itaque Sabellicus primas illas editiones Bergomenſis, eiſque uſus eſt, ut videre licet ex indice Auctorum, quos ſuis Enneadibus ſcribendis Tomo potiſſimum ſecundo adhibuit, in quo ad initium ejuſdem Tomi hunc Jacobum Bergomenſem Eremitanum adnumerat. Quem etiam citat perſæpe, præſertim Enneade 7. lib. 8. agens de ſuſcepta fide Chriſtiana ab Armenis, Hiberibus, & Colchis, & lib. 9. improbat eumdem Jacobum Philippum cum Proſpero reponentem Anaſtaſii & Innocentii Pontificatus ſub Imperio Honorii, & Arcadii fratrum, Theodoſii ſenioris filiorum. Citavit itaque hic ex Bergomenſi plurima, & inter cetera illud de Franciſci monachatu; neque enim de ſuo ſe loqui oſtendit, illa uſus formula loquendi: *Franciſcus, qui, ut ſcribunt quidam, Aurelii Auguſtini ſacris initiatus*: & Bergomenſis vicem rependit, digno eum cohoneſtans encomio in auctario ſuo, viginti ferme annis a primo opere, ſeu Supplemento edito, in lucem emiſſo. Judicet hic lector, quam digne commoveatur diſsertator in Patrem Daza, quia dixit, Sabellicum in hoc aſserto ducem habuiſse Bergomenſem.

Plura ex eo citat.

Polyd. Vergil. Bergomenſi poſterior.

XII. Alium adhuc producit diſſertator teſtem Bergomenſi Priorem, Polydorum Vergilium lib. 7. de Inventoribus rerum cap. 4. quem ſi non ætate, vel tempore ſeniorem, ſaltem æqualem conſtituit, ex eo quod, Genebrardo teſte, convivebant anno MCCCCXCIV. Jacobus Gualterius Polydorum ponens ſub finem ſeculi XV. Pauluſque Jovius ſub Henrico VII. Angliæ Rege aliquanto anteriorem faciunt Bergomenſi; hunc autem Bellarminus in Chronologia reponit ſub anno MCCCCXCIV. At conſtat ex ſupradictis, Bergomenſem anno MDIII. annum egiſſe ſexageſimum nonum, & ante annum MCCCCLXXXVI. ſuum ſupplementum ſcripſiſſe: Polydorus vero ſuam deduxit hiſtoriam Anglicanam ad annum MDXXXVIII. in quo dicit, Joannam filiam Joannis Seymer, matrem Eduardi VI. Henrici VIII. uxorem, obiiſſe ex puerperio, naſcente eodem Eduardo: plures etiam annos poſt MDXXXVIII. ſupervixiſſe eumdem Polydorum ex eo loco conſtat; nam ibidem loquitur de Eduardo jam regnante poſt Henrici Patris mortem, qui incidit in finem Januarii anni MDXLVII. ſed & ipſum illud opus de Inventoribus rerum adoleſcens ſcripſit, teſte Paulo Jovio poſt editum a Bergomenſi Supplementum; nam hoc, ut diximus, editum eſt anno MCCCCXC. Polydorus vero novem poſt annis illud ſuum Opuſculum dedicavit Ludovico Odaxio Patavino, anno ſcilicet MCCCCXCIX. ut habetur in epiſtola præliminari. Traxit ergo errorem hunc vel a Bergomenſi, vel probabilius a Sabellico, cujus verba multis in locis tranſcripſit, & eadem ferme, quæ Sabellicus habet de ſancto Franciſco.

Polydor. lib. 29. Hiſt. Anglic. in fine.

Vide Surium in commentario.

Jovius in elog. Doctor. Viror. pagin. 213.
Supra in hoc §. n. 10.

Statuitur primus aſſertor hujus Monachatus Bergomenſis.

XIII. Jam ergo totius rei origo deflectit ad Bergomenſem; atque ſane non ſolus Pater Daza, verum Ludovicus Prutenus, ſive de Pruſia, in opere ſuo inſcripto *Trilogium animæ*, edito Norimbergæ anno

no MCCCCXCVIII. & Marianus Florentinus, Bergomenſis ſynchronos, vel qui auctor eſt appendicis ad librum primum Chronicorum a Mariano ſcriptorum ante centum & plures annos, eum primum hujus rei aſſertorem, atque inventorem faciunt. Ut audivi & legi primum hujus Monachatus auctorem hunc fuiſſe deſideravi impenſius ſcire, quod ei fundamentum, aut unde rem hanc poſt integra tria ſecula eruerit: inveni, non ſine voluptate, totam rei hiſtoriam in prædicta appendice Mariani, candide & ſine fuco in hunc modum exaratam: *Ad veritatem ſciendam, & qua de cauſa Fr. Jacobus Bergomenſis ſcripſit hoc, ſciendum eſt, ſicut narravit Fr. Hieronymus Battaglia de Mediolano, in loco noſtro montis Lucienſis apud Piſtorium, quando ſecunda vice venit prædicaturus Florentiam, cum ſibi Fratres conquererentur de hoc; dixit enim, ſe habuiſſe a fratre Bernardino de Feltro, qui in vita multis claruit miraculis, & innumeris poſt mortem ubique clarere non ceſſat, quod cum ipſe fr. Bernardinus prædicaret ſemel Mantuæ, in ſolemnitate Seraphici Doctoris ſancti Bonaventuræ, inter alia, quæ dixit in laudem præfati Sancti, narravit quomodo in Concilio Lugdunenſi tempore Gregorii X. celebrati, præfatus ſanctus Cardinalis formam habitus Fratrum Minorum dederat Fratribus Eremitanis ſancti Auguſtini, adhuc non concordantibus ad invicem de forma, & qualitate habitus. Aderat tunc prædicationi inter magnam turbam populi dictus fr. Jacobus Bergomenſis, qui tunc temporis ſcribebat ſuas Chronicas. Qui poſt prædicationem ad virum Dei viſitandum acceſſit, & poſt multa verba, rogavit eum, ut authentice ſibi oſtenderet, qualiter ſanctus Bonaventura dederit formam habitus Eremitis ſancti Auguſtini, qui fuerant tot ſeculis ante Ordinem Minorum? Cui beatus Fr. Bernardinus benigne reſpondit, quod licet authentice per Bullas id demonſtrare non poſſet, tamen in ſcripturis Ordinis, & in laudibus ſancti Bonaventuræ illud invenerat. Tunc ille audenter nimium; ex quo authentice neque per Bullas, neque ex authentico Doctore hoc demonſtrare valetis, volo quod in pulpito tale mendacium retractetis; Cui fr. Bernardinus, zelo honoris ſancti Bonaventuræ, & ſuarum laudum ductus, intrepide reſpondit, quod veritatem numquam erat retracturus, quod numquam mendacium prædicaverat, & quod ſicut prædicaverat, ita fuerit. Reſpondit ad hæc verba frater Jacobus; ex quo hoc retractare non vultis, & mendacium licet vobis prædicare, & mihi mendacium licebit ſcribere: & ita a beato Patre indignatus recedens, finxit in ſua præallegata Chronica, quod ſupradictum eſt de beato Patre noſtro Franciſco, videlicet, quod ipſe fuit diſcipulus Joannis Boni, & profeſſus ſub Regula Eremitarum ſancti Auguſtini.* Ecce quæſo, ex fideli & coævo narratore totius rei, & obfirmatæ inter duos præclaros Ordines controverſiæ præclaram originem. Sane hiſtoriæ (præter quam quod eam retulerit qui eamdem ex ore ipſius beati Bernardini excepit) concordat temporis ratio: dum enim Bergomenſis ante annum MCCCCLXXX. ſuam ſcribebat Hiſtoriam, Bernardinus hic ſæpius Mantuæ prædicavit, ut largius refert in ejus vita Bartholomæus Cimarella vir doctus; & diem ultimum clauſit anno MCCCCXCIV. teſte eodem Cimarella, Petro Rodulpho, Marco Ulyſſiponenſi; & aliis fidis Auctoribus.

Unde ei aſſertionis occaſio.

Cimarel. 4. par. Chron. lib. 6. per tot.
Rodulph. in dic. cap. 7. lib. 1. fol. 85.
Marc. 3. p. lib. 7. cap. 25.

XIV. At videamus quibus fundamentis, quo antiquitatis monumento, quibus ſolidis rationibus, quod belle adinvenit, belle probavit. Libro nono ad annum MCCCXC. loquens de beato Joanne Bono, ejuſque diſcipulis, addit: *Inter quos & Seraphicum Franciſcum Minorum fundatorem fuiſſe conſtat*; nec amplius quidpiam adjecit. Sed liceat gravem Hiſtoricum interrogare, unde quod tanta fiducia aſſerit, adeo certo conſtat, ut nullo teſtimonio, nulla ratione id opus ſit probare? Fortaſſe an ex quibuſdam carminibus, quæ ibidem præmiſit, dum conten-

Quomodo probat ſuum aſſertum?

Digitized by Google

tendit ex ſancto Auguſtino omnes in univerſum Ordines Mendicantium prodiiſſe? Illa viri ait eſse periti; ſed Auguſtiniani (forte non alterius ab ipſo Bergomenſe) & imperiti Poëtæ ſe prodat opus. Inter cetera, quæ in tanti Doctoris laudem politus habet Vates, quæ ſubjungo, rem noſtram attingunt.

Primus hic inſtituit noſter Dux nos Eremitas,
Cujus ab imperio Regula noſtra data eſt.
Hinc ortum poſt hæc duxerunt Carmelitani;
Indicat hæc eadem tradita norma ſibi.
Prædicatorum fœlix hinc naſcitur Ordo,
Canonici primo Regula Chyriacos.
Tamdem quis dubitat Franciſcum ſtigmata Chriſti
Geſtantem primum, quin fuit alter ego?
Hic Eremita fuit, ſub quo tolerare magiſtro
Tunc ſanctimoniæ noverat ipſe viam.

XV. Judicet lector quam ſolide ex his politis conſtet carminibus Franciſcum tironem Auguſtinianum egiſse, quæ nec ſuum præferunt auctorem, nec veritati, nec fidei congruunt hiſtoricæ, ſi vel ſolis Annalibus credamus Carmelitarum, qui ſuam originem nullatenus referri volunt ad Auguſtinum, nec ei Regulam acceptam ferunt: quod & multis oſtendit R. P. Joannes Carthagena noſter, uno & altero de hac re tractatu, & præcipue cap. 5. ſecundi tractatus. Quidquid tamen ſit de hoc, quod alii curabunt, illud unum conſtantis aſsertionis fundamentum, illum unum anonymum Auguſtinianum ibi teſtem producit. Sed deſcendamus ad alia loca, in quibus hoc idem inculcat libro duodecimo ad annum MCXCIX. iterum repetit: *Hujus ſancti Viri, & Patris Joannis Boni inter celebres præſtanteſque diſcipulos Seraphicum Franciſcum de Aſſiſio ſanctiſſimi Ordinis Minorum conditorem fuiſſe conſtat.* Sed unde conſtat? jam dicit: *Sed ne quis*, inquit, *dubitet, qui forte ignarus hujus rei execranda plurimum talis videatur ſcriptura, quibus omiſſa Vincentii Galli Hiſtorici teſtificatione, qui etſi* (debuiſset dicere 29.) *ipſius hiſtoriarum libro cap. 98. referat, D. Franciſcum fuiſſe Eremitam, & cum baculo pedibuſque calceatis, & corrigia cinctum inceſſiſſe, non tamen hujus Joannis Boni diſcipulum fuiſſe dicit: ſed hoc in loco, hoc uno veriſſimo comprobamus teſtimonio: quod apud Mantuam, ubi ſacratiſſimum Viri extat corpus, & reliquæ ipſius veſtimentorum reliquiæ, tabellarii etiam inter antiquiſſimas Monaſterii ſcripturas chirographum aliquando viſum eſt, conteſtans, Beatum Franciſcum de Aſſiſio profeſſionem Eremiticam ſub Regula beati Auguſtini emiſiſſe in manibus Fratris Joannis Boni Eremitæ Mantuani.* Libro denique 13. ad annum MCCIX. denuo ait: *Religionis habitum a beato Joanne Bono ſuſcepiſſe, & in manibus ejus profeſſionis votum ſub Regula beati Auguſtini emiſiſſe, ut hoc etiam tabellarii chirographo authentico comprobatur.* Poſtremo ad annum MCCXXIV. ait, Ordinem Minorum ex Auguſtino, *tamquam fluvium ex optimo fonte emanaſſe*, neque ulteriorem adhibet probationem.

Confuſa oratio: ſed ita habetur apud auctorem.

XVI. Examinemus jam hoc unum conſtantis aſsertionis fundamentum. Ubi obiter adnotandum eſt, non obſcure hominem ſe primum prodere hujus rei auctorem. Etenim ſi quiſpiam in hac opinione præceſſiſset, ſi quempiam haberet ſuæ aſsertionis Auctorem, ſi illo prius hunc aſtruerent Monachatum illi noſtri diſſertatoris anteſignani Henricus de Urimaria, Jordanus de Saxonia, Sabellicus, aut Polydorus Vergilius; credibile eſt, vel expreſſis, vel ſuppreſſis eorum nominibus, non vocaturum in teſtes rei, vel aſsertionis, quam ex ipſa novitate verebatur, ne *plurimum execranda*, ut ipſe ait, *videretur*? Qui rude & impolitum car-

Facile ſe prodit Bergomen. primum ejus rei aſsertorem.

Digitized by Google

carmen, vel ſuum, vel cujuſquam ex conſodalibus protulit in teſtimonium, an expreſsum & grave ſileret, vel omitteret ſuperiorum Auctorum? qui inſinuavit inefficacem, ut ipſe admittit, Vincentii Belluacenſis teſtificationem, an probabiliorem prætermitteret aliorum? Non erat ſane quem proferret teſtem, uno rem hanc chirographi ſtabilit teſtimonio. Atque id ſane ſufficeret, omnique eſset exceptione majus, ſi conſtaret. At non conſtat, atque in hac re quidpiam magius dubium, aut ſpurium hoc chirographo, quod nemo vidit, nemo legit, nemo in apertum produxit. Sed fortaſse credibile eſt, quod ſi tale extaret chirographum, non illud quiſpiam ex Auguſtinianis per quadringentorum annorum ſpatium in confirmationem hujus prætenſi Monachatus in forma probanti tranſcriberet, per quod de re noſtra actum eſset, & ſuam ſtabilirent? An veroſimile eſt extare, vel aliquando extitiſse ſcripturam, quam per quatuor integra ſecula nullus vidit, nec auſit dicere ſe vidiſse? Ille ipſe Bergomenſis, qui primus poſt annos tercentum hanc larvam objecit, non audet dicere, ſe eam vidiſse, *ſed aliquando*, inquit, *viſum eſt chirographum*. A quo? quæſo, quando? quo loci? dic, oro te, quid continebat? quibus verbis fidem hujus profeſſionis aſtruebat? quo characterum genere ſcribebatur? qui illi teſtes? qui profeſſioni ſubſcripſerunt? quod illius tabellarii nomen, per quem chirographum, ut ille vult, ſtipulatum eſt? Nihil horum habet Bergomenſis, ſed *aliquando viſum eſt*: ut quid ipſe, ſi extabat, non legit aliquando, dum Mantuæ moram traheret; ut quid non ſcripſit? ut quid non ſemel a ſe aſserto huic Franciſci Monachatui non ſubjunxit?

Dubium nimis chirographum a Bergomenſi citatum.

XVII. Ut myſterioſum & ſacrum hoc chirographum, quod credi volunt, non videri, examinaretur, aut conſpiceretur, multi ex noſtris, omni adhibita arte, prece, ſollicitudine, laborarunt, nec tamen veſtigium, nec probabilitatem, aut umbram illius potuerunt explorare. Apud Marianum citatum teſtatum habeo Ludovicum de Turre Veronenſem, aliquando Ordinis Vicarium Generalem, & ſæpius per Italiam per plures Pontifices Commiſſarium Generalem Cruciatæ, ſerio ad veritatem hujus rei dumtaxat indagandam, ſub Alexandro VI. Mantuam tetendiſſe, ibique ſolerti ſtudio egiſſe cum Patribus Eremitis, ut chirographum hoc inveſtigaretur. Inveſtigarunt, perquiſierunt, evoluerunt, nihil tamen hujuſmodi apparuit, ut ipſe poſtea retulit huic Auctori in Monaſteriis ſancti Salvatoris Florentiæ & Montis Caroli Vallis Arnenſis. Ego item impenſius egi de hac re per litteras cum Illuſtriſſimo Domino, piæ & recolendæ memoriæ viro, Franciſco Gonzaga, Imperii Principe, & Epiſcopo Mantuano, qui binis ad me datis ipſo, quo grandævus mortuus eſt, anno MDCII. teſtificatus eſt, ſe per triginta & ultra annos eam Civitatem rexiſſe, nec aliquando potuiſſe vel veſtigium hujus chirographi reperire, nec in hac re quidpiam certi ab ipſis Auguſtinianis audire.

Supra 4.13.

XVIII. Adhuc tamen huic chirographo fidem conciliare cupiunt recentiores Eremitæ, & aſſertores hujus Monachatus, quidpiam ex ſuo penu addentes ſcriptis anteriorum. Non admirari non poſſum, qua licentia addant & affigant aliorum aſſertionibus, & plus eos dixiſſe velint, quam dixerunt. Bergomenſis dixit, *aliquando chirographum viſum eſt inter antiquiſſimas Monaſterii ſcripturas*. Paulus Morigia ſæpius citatus, hoc loco Bergomenſem citans, dicit, eum affirmaſſe *ſe illud vidiſſe*. Amplius aliquid addit Hieronymus Romanus Auguſtinianus, videlicet, illud chirographum vidiſſe Bergomenſem apud quemdam Notarium publicum Mantuanum, cum tamen nihil horum habeat Bergomenſis, per quod ſibi & teſtimoniis a ſe allatis hi probi coaſsertores fidem derogant: *Teſtis enim*

Alii fidem conciliant inanem huic chirographo.

Roman. lib. 6. reipub. Chr. c. 6.

Ambr. lib. de Parad. cap. 12. & habet. c. Pura. 3. q. 9.

enim dum aliquid ad ſeriem geſtorum ex ſuo adiicit, totam teſtimonii fidem partis mendacio decolorat. Sed ita comparatum eſt, ut qui res novas nullo pondere firmatas ſtabilire velint, multa ex ſuis adjungant, & cœco ducantur affectu in planos & apertos errores. Inanis quæque opinio, ſi dum exoritur, non opprimitur, in plurimas excreſcit falſitates, juxta illud Ovidii.

Ovid. 9. Metamorph.

Fama loquax pervenit ad aures
Deianira tuas, quæ veris addere falſa
Gaudet, & minimo ſua per mendacia creſcit.

Bergomenſis ait, aliquando viſum inter ſcripturas Monaſterii Mantuani chirographum, hi adſtipulatores addunt, ab ipſo Bergomenſi viſum, idque in manu publici tabularii, & ita ſe aſſerere. Specioſum, ſed nimis patulum additamentum. Profecto, ſi certum autographum, aut authenticum chirographum ipſe Bergomenſis vidiſſet, non adeo liberam feciſſet cuique optionem in Supplemento ſupplementi pluribus poſt annis a ſe ſcripto, ut quam vellet, in hac re ſequeretur quiſque ſententiam; neque enim in re irrefragabili, & omnium firmiſſimo teſtimonio comprobata & certiſſima (qualis hæc eſſet, ſi ipſum haberet apud ſe, vel videret chirographum) diceret, vel juberet ut quiſque teneret quod ſibi placeret.

XIX. Cum hæc ita ſint, & tota controverſiæ origo ad Bergomenſem deflexerit, nullumque produxerit novæ, & antea inauditæ hujus aſſertionis fundamentum, præter novum etiam, & eo uſque inauditum chirographum, cujus exemplar nullus produxit, quod nullus ſcripſit, quod nemo hominum vidit, plane efficitur, ut inanis hæc fuerit cogitatio ex affectu & ſtudio exorta, ut encomium opponeretur encomio. Dixit beatus Bernardinus Tomitanus, hoc viro præſente, Bonaventuram tradidiſſe Eremitis inter ſe non conſentientibus de veſtitu exteriori ultimam formam, quam modo geſtant, cucullæ, ne hoc impune diceret, atque ut moderator moderatori, & cuculla cucullæ opponeretur, jam invenit Magiſtrum converſione poſteriorem, qui, ſi Superis placet, Franciſcum inſtrueret, & habitum præſcriberet. Infertur ſecundo, omnes Bergomenſi aſtipulantes, non aliam quam illum, cujus ſecuti ſunt fidem, mereri: *Satis enim videtur abſurdum illos admitti, quorum repelluntur Auctores*, neque ex numeroſitate illis, aut Auctori ampliorem fidem accreſcere: nam uti dixit Socrates: *Cui non fideres ſoli, ei nihilo magis fidendum eſt in turba ſimilium, nec enim refert, quam multi ſint: ſed quam graves & veri. Nummus adulterinus, etiam in quantumvis magno acervo, adulterinus eſt*.

Quam merentur fidem coaſſertores Bergomenſis.

Licet ex quadam de teſtib.

Eraſmus ex Laertio lib. 2. cap. 5.

XX. Producendi nihilominus hi teſtes, & in ſuas claſſes diſtinguendi, qui dum multa huic controverſiæ inſeruerunt, & multis extra advectis veritatem obnubilarunt, diſtincte ſunt examinandi. Nam *maxima quæque ambigua ſunt, dum alii quoquo modo audita pro compertis habent, alii vera in contrarium vertunt, & gliſcit utrumque poſteritati*. Major autem & potior pars teſtium conſtat ex domeſticis Auguſtinianis, quorum eo facilius condonandum errori, quo nobilius erat quod appetebant, & ex ſuis habebant, qui audenter ducem ſe præbuiſſet itineris. Mirandum non eſt erraſſe, ovium more pergentes, non quo eundum erat, ſed quo ibatur: *Quiſque ſequitur priores, male iter ingreſſos; habeant excuſationem cum publica via erraverint?* At domeſticos teſtes non admittendos, præcipue in re ipſos concernente, & in emolumentum cedente, docent leges, earumque Expoſitores. Et ſane rejiciendum docet non ſemel diſſertator Philippum a Soza dicentem, ſanctum Bonaventuram Auguſtinianis præſcripſiſſe cucullam, quia ejuſdem erat familiæ

Tacit. lib. 3. Annal.

Aliqualiter excuſandi.

Senec. lib. 2. de ira c. 9.
L. etiam, C. de teſt. lib. teſtes eos, ff. ſi teſtes 4. q. 3. & c. in litteris de teſt. & aſſerit ibi gloſſ. Ab. in c. 1. de proc. n. 4. Marq. c. 4. §. 6. & 10.

liæ

liæ Franciſcanæ. Nolit ille recipi contra ſe Franciſcanos, & pro ſe nobis objicit Auguſtinianos; eaſdem ſtatuat leges pro Minoritis, ac Eremitis, niſi in ſe velit retorqueri, quod alteri objecit: *Pondus & pondus, menſura & menſura, utrumque abominabile eſt apud Deum.* [*Prov. 20. v. 10.*]

XXI. Habeo etiam præter communem hunc errorem ex Bergomenſi hauſtum, alios, quos breviter objiciam quibuſdam hujus claſſis teſtibus. [Notantur quidã errores Hieronymi Romani.] Omitto, quod quoſdam citaverit, qui adhuc in hac controverſia nihil in publicum produxerint, velut R. P. Magiſtrum Ægidium de Præſentatione, mihi ſpectatiſſimum, Conimbricenſis Academiæ primarium profeſſorem, & magnum ſplendorem; nunc præ ceteris interrogaverim P. Romanum citatum, qua ratione, aut probabilitatis ſpecie aſſerat, [*Rom. cit. c. 4.*] Franciſcum, integro biennio & ultra, Cæſenæ hæſiſſe cum Joanne Bono, aut quomodo hoc cohærere poſſit cum Bonaventuræ, & omnium Hiſtoricorum fide dicentium, [*Bonav. c. 2.*] quod illo biennio a prima uſque ad ſecundam converſionem, quo Eremitanus hic adſtruitur Monachatus, trinam ædificaverit, aut reſtauraverit Aſſiſii Vir ſanctus Eccleſiam? Deinde ſcire vellem qua fide, quove Auctore ibidem dicat, Franciſcum baculum, Auguſtinianæ Religionis inſigne, ſemper retinuiſſe, [*Rom. cit.*] quod tamen depoſuiſſe expreſſe aſſerunt Bonaventura, Vincentius, Antoninus, & alii quique ſerii Franciſci vitæ Scriptores. [*Bonav. c. 3. Vincen. lib. 29. cap. 98. Anton. tit. 24. cap. 2.*] Tertio, quomodo Jambonitarum, ſeu Joannis Boni Congregationem eamdem eſſe dicit cum ea, quæ dicebatur Fratrum Pœnitentiæ Jeſu Chriſti, ſeu Saccitarum, a quo item errorem hunc traxit Nicolaus Cruſenius, [*Roman. cit. c. 6. & 14. Cruſen. p. 3. c. 1.*] cum has Congregationes omnino diſtinctas ceteri rerum Auguſtinenſium Scriptores velint, & abunde probat noſter diſſertator, qui etiam a toto corpore Ordinis Auguſtiniani manſiſſe diviſam hanc Congregationem multis, iiſque efficacibus, oſtendit argumentis, [*Marq. c. 16. per totum.*] quibus & nos plura adjecimus in notis ad tertiam partem Promptuarii moralis, quod ſimul cum Concordantiis ſancti Antonii Patavini hoc anno publici fecimus juris. Poſtremo, unde accepit Minores ſemper proprio & certo nomine appellatos fuiſſe Fratres de pœnitentia Jeſu Chriſti, idque ex mandato Honorii III.? Cui contradicunt præter noſtros, graves quique Hiſtorici, Marcus Antonius Sabellicus, Paulus Æmilius, Abbas Urſpergenſis, Franciſco coævus & familiaris, Jacobus a Vitriaco, abunde noſter diſſertator, & alii plures. [*Sabel. Ennead. 9. lib. 6. Æmil. ſub Philip. II. Urſperg. ad annum 1212. Vitriac. in hiſt. Occid. c. 32. & epiſt. ad Lotaring.*] Et ſi adhuc egemus teſtibus, ipſe ſufficiet Romanus contra Romanum: nam paulo ſuperius cap. v. ipſius Honorii diploma, quo confirmabat Regulam ſub titulo *Fratrum Minorum*, pluries in eadem repetito, verbatim refert, & adeo exiguo intervallo cap. vi., ait aliter præceptum ab eodem Honorio, ut vocarentur *Fratres de pœnitentia Jeſu Chriſti*: [*Marq. c. 16. §. 8.*] quodque magis admirer, teſtem adducit Bonaventuram, qui nullibi per univerſa opera quidquam ſimile habet, imo expreſſe in Legenda, ſeu vita ſancti Patriarchæ ſcribit contrarium. [*Bonav. c. 6.*] Alias etiam in noſtris Annalibus & Regeſtis Pontificum videre eſt ejuſdem Honorii litteras ſuperiori diplomate priores, datas anno III. ſui Pontificatus, & ſequentibus, quibus non alio, quam *Minorum* nomine nuncupat Franciſcanos. Ut facilius & ſpecioſius Franciſcus Joannis Boni aſſereretur diſcipulus, tota hæc ordiebatur tela, & apparentia hæc ſtruebantur fundamenta, quæ tamen, velut omnino falſa, ipſe noſter rejicit diſſertator. [*Marq. cit.*] In hoc ſane Hiſtorico viri graves, & ponderoſi Scriptores majorem cuperent ſolertiam in rebus examinandis, & ſeveriori trutina librandis, ita ut non immerito dixerint Auctor Bibliothecæ Hiſpanicæ, & Valerius Andreas in catalogo clarorum Hiſpaniæ Scriptorum, eum Cenſorum notionem minime effugere potuiſſe. [*Biblioth. Hiſpan. tom. 2. claſſi 5. Valer. Andr.*] Quod autem addit in lite exorta in diœceſi Cremonenſi de antiquitate inter Eremitas & Minores allegatum fuiſſe in proceſſu, Franciſcum cum [*Roman. cit.*]

illis Eremitam egiſſe: quale illud mirum? ſi allegabant Eremitæ, idque anno MCCCCLCIX. poſt adinventum a Bergomenſi Monachatum?

Examinatur aſſertū Viterbien.

Viterb. ſupra cit.

XXII. Alius mihi reſtat ſcrupulus circa ea, quæ ſcribit Cardinalis Ægidius Viterbienſis de colore habitus Minorum, quem *Beretinum* ait vocari a Brictinis, loco non procul a Piſauro, quem Joannes Bonus incoluerat. Nam nec hic a ceteris Auguſtinenſibus ſtatuitur tirocinium, aut initiatio Franciſci, nec locum hunc incoluerat Joannes Bonus, ſed Cæſenam, ut exacti ejus vitæ habent Scriptores, quam dum aliquando relinquere vellet, & tota nocte omni conatu verſus patriam tenderet, ad auroram in eadem eremo Cæſenatenſi ſe invenit, per quod divinam eſſe voluntatem intellexit, ut eo loci commoraretur, a quo non receſſit, niſi ab Angelo monitus, ut Mantuam pergeret, illic moriturus. Adde his, neque Congregationem de Brictinis incepiſſe, aut Eremitas ad ſolitudinem Brictinenſem ſe recepiſſe, niſi poſt plures annos a morte Franciſci, ut Reverendiſſimus habet Cruſenius Auguſtinianus. Porro de hujuſmodi etymologia coloris *Beretini*, Latinis *leucophæi*, ſeu cinerei, vellem, quempiam mihi proderet Auctorem; neque enim tanta eſt inter *Beretinum* & *Brictinenſe* Proſonomaſia, ſeu vocum ſimilitudo, ut inde poſſet, vel a longe deduci. Conſului plures, qui de coloribus ſcripſerunt, Ariſtotelem, cum commentariis Simonis Pertii, Averroem, Antonium Thyleſium, Joachimum Coreum, Ludovicum Doleum, & alios; nec quiſquam horum, etiam recentiorum & Italorum, de hujuſmodi coloris origine, aut deductione quidpiam tale commentus eſt.

Anton. tit. 24. c. 13.
Laud. in vita lib. 1. c. 11. & 13.
Bzov. ad annum 1249.

Cruſen. p. 2. c. 28.

Critan. c. 8. §. 2.

Expenduntur quædam aſſerta Critanæ.

XXIII. Contra Critanam habeo quod dicat, ſanctum Franciſcum Minorum Ordinem inſtituiſſe ſub divi Auguſtini Regula, quam quia novis additis præceptis nonnihil immutarat, Honorius III. vix adduci poterat, ut eam confirmaret. Id ſolum hunc interrogarim Scriptorem, an Auguſtini, & Franciſci viderit Regulas, & quas periodos, vel conſtitutiones in eis legerit, utrique Inſtituto communes? Quem etiam conſuluerit rerum Franciſcanarum, aut alium peritum Hiſtoricum, qui dicat, Honorium durum ſe exhibuiſſe, vel vix adduci potuiſſe ut Regulam ſibi oblatam probaret, idque obinde, quia Auguſtinianam, novis additis præceptis, nonnihil immutarat? Sane Bonaventura, & tam vetuſti, quam novi noſtri Scriptores, non circa confirmandam ſecundam Regulam ab Honorio, ſed primam ab Innocentio aliqualem paſſum ſcribunt difficultatem. Deinde ubi invenit Concilium Lugdunenſe approbaſſe ſanctorum Franciſci & Dominici Inſtituta tantum ut rem bonam, & Reipublicæ utilem, & nihil ultra: at vero divi Auguſtini Ordinem approbatum & confirmatum habuiſſe, & declaraviſſe, prout in ipſo Auguſtini ſeculo fuerat, quem item in Concilio Lateranenſi codicibus inſcribi juſſum affirmat.

Bonav. c. 3. & 4.

Critan. cit.

Idem cap. 8. ante §. 1.

Religionum de relig. domib. in 6.

XXIV. Ad evincendam rei veritatem, verba dumtaxat Lugdunenſis Concilii tranſcribam. Poſtquam revocat, & extingui jubet Ordines Mendicantes abſque ſpeciali Sedis Apoſtolicæ approbatione inſtitutos poſt Concilium Lateranenſe, ſubdit: *Sane ad Prædicatorum & Minorum Ordines (quos evidens ex eis utilitas Eccleſiæ univerſali proveniens perhibet approbatos) præſentem non patimur conſtitutionem extendi.* Hocne eſt approbare hos Ordines, *tantum ut rem bonam, ac Reipublicæ utilem, & nihil ultra?* An potius ipſam evidentem ex eis utilitatem univerſali Eccleſiæ provenientem (qualem experta eſt in illo ipſo Concilio in reductione Græcorum per Minoritas facta, & magna Bonaventuræ in eadem Synodo prudentia, & auctoritate) eos perhibere approbatos, ac propterea declarare Concilium non de eis intelligi conſtitutionem, ſed jam eſſe approbatos, vel non indigere ulteriori approbatione? An vero fue-

fuerint ante Concilium magnum Lateranenſe inſtituti, jam alias largius examinavimus; de aliis vero duobus Ordinibus addit Concilium: *Ceterum Eremitarum ſancti Auguſtini & Carmelitarum Ordines, quorum inſtitutio dictum Concilium generale præceſſit in ſolido ſtatu volumus permanere* (ſeu ut habetur in Regeſto Gregorii X. in Vaticano ſub anno III. fol. 28. in Conciliis Coloniæ nuper editis, cum annotationibus Severini Binii) *in ſuo ſtatu manere concedimus, donec de ipſis fuerit aliter ordinatum*, quod & in gloſſa hujus Canonis de relig. domib. in 6. adnotatur ita haberi in textu, & ſequitur in eiſdem codicibus Vaticano & Colonienſi, & in Gloſſa, *Intendimus ſiquidem tam de illis, quam de reliquis, etiam non Mendicantibus Ordinibus, prout animarum ſaluti, & eorum ſtatui expedire viderimus, providere*. Hoc ne eſt, oro te, Critana, *Auguſtinenſium Religionem ſat comprobatam, confirmatamque in Antiſtitum ephemerides redigere*? His recte conſonant quæ ſubjungis? *Aliter cum divorum Dominici & Franciſci Ordinibus actum eſſe: nam licet*, inquis, *eos dictum Concilium approbarit, non tamen confirmavit, nec codicibus, ſicut Auguſtinenſem, inſcribi juſſit*. Qui ſunt, quæſo, hi codices? quæ Antiſtitum ephemerides? quibus inſcripta hæc ſacra Religio, & ad perpetuam ſecuritatem repoſita, quod alii illi duo Ordines non ſunt aſſecuti? Profecto abſque cujuſpiam injuria potius crediderim ipſis verbis Concilii expreſse dicentibus, velle Pontificem, & Patres Concilii eum Ordinem in ſuo ſtatu permanere, non abſolute, ſed ad tempus, donec ſcilicet aliter de illo ordinaretur. Declarat enim Pontifex, ſe intendiſſe tam de Eremitarum, quam Carmelitarum, quam de reliquis etiam non Mendicantibus Ordinibus providere, prout animarum ſaluti, & eorum ſtatui videret expedire. Sane conſequenter ad hæc verba, non adeo improbabiliter, nec veroditſimiliter (quantumcumque ex adverſo noſter elaboret diſſertator) ſubjunxit Gloſſa: *Hoc eſt deciſum, & dicebatur, quod Gregorius nolebat aliquem Mendicantium dimittere, niſi Prædicatores & Minores; de non Mendicantibus tres, Ciſtercienſium, & Ordinem Nigrorum, & de Templariis, & Hoſpitalariis unum Ordinem facere*.

In Annal. an. 1215. n.33.

Marq. c.2. §. 4. & 5.

XXV. Deſiderarem etiam, mihi diceret unde accepit, ſanctum Franciſcum *cingulum in funem vertiſſe ex humilitate, ut qui ſe indignum exiſtimaret, qua tot tamque ſolemnes Sancti prius uſi fuerunt*. Certe tres Socii ſancti Franciſci, Bonaventura, Vincentius Belluacenſis, Antoninus, nullum hic in alias humillimo aperiunt veſtigium humilitatis, nec myſterioſum quippiam in corrigia illa ſubodorant, imo Franciſcum eam *rejeciſſe* ajunt. Res autem caræ, & quæ in pretio habentur, non dicuntur rejici; quæ vileſcunt & ſpernuntur, rejiciuntur. Cicero 1. de finib. *Spernere*, inquit, *ac rejicere*. Pro Roſc. Amer. *Aliquid a ſe rejicere, & aſpernari*, Tuſcul. 2. *Refutetur ac rejiciatur clamor*, de legib. 2. *diligere bona, & rejicere contraria*. Aliud adhuc eſt, quod ſcire velim, quo loco apud Bonaventuram legerit, ſanctiſſimum Doctorem Auguſtinum quinque vulnerum Chriſti ſtigmata in corde ſuo impreſſa habuiſſe, & propterea appoſite quadraſſe Franciſco, *ut patrem referat ſua proles*. Non invideo laudem hanc præclariſſimo Patri, fulgentiſſimo Eccleſiæ ſyderi, qui major eſt omni laude; ſed noſtro gratulari velim Doctori, qui eam Auguſtino tribuerit, & gravem hunc adeſſe cupierim Auctorem, quem ſequar in eodem ampliando maximi Doctoris encomio. Fateor meam inſcitiam, vel in inveſtigando imperitiam, quantumvis enim Bonaventuræ libros evolverim, nihil hujuſmodi licuit offendere.

Legen. 3. Socior. Bonav. cap. 3. Vinc. lib. 39. cap. 98. Anton. tit. 24. cap. 2.

Crita. cit. §. 1.

XXVI. Reverendiſſimum Patrem Nicolaum Cruſenium demum expoſtulem, quo titulo aſſerat, non ſolum ſanctum Franciſcum ſub Regula ſancti Auguſtini profeciſse, verum & addiderit, *Cum eodem Franciſco ſan-*

Cruſen. p. 2. c. 25.

Digitized by Google

Exponuntur alia ex Cruſenio.

ſancti Auguſtini zelum & ſpiritum hæreditaſſe Bonaventuram, Paduanum, Bernardinum, & innumeros Viros Dei, qui ex Cæſenatica eremo, & ſchola ſancti Joannis Boni prodiere. Quaſi vero non ſufficiat, quod alii ſibi ſufficere, & ſuperabundare putant, Franciſcum Auguſtinianis addicere, verum & nobiles quoſque heroes nobis eripere, & Cæſenatenſis Eremi, Joanniſque Boni diſcipulos præſcribere? Monuerim etiam Reverendiſſimum Patrem ex Bonaventura, & ceteris Scriptoribus vitæ ſancti Franciſci non coram Fulginate, ſed Aſſiſiate Epiſcopo veſtes renunciaſſe, nec tunicam paſtoris, ut ait, pecorum a ſe antea emendicatam (ut contra omnium fidem, & rei ſeriem, probabilitatemque hic Auctor adjunxit) coram Epiſcopo ſuper nudum induiſſe. Errorem corrigo ex Bonaventura, qui poſtquam retulit, renuntiatis jam veſtibus, Franciſcum ex nimio fervore totum denudatum, ſubjunxit. *Hoc cernens Epiſcopus, & admirans tam excedentem in viro Dei fervorem, protinus exſurrexit, & inter brachia ſua illum cum fletu recolligens, uti erat vir pius & bonus, pallio, quo erat amictus, operuit, præcipiens ſuis, ut aliquid ſibi darent ad membra corporis contegenda: oblatus eſt autem ei mantellus pauper & vilis cujuſdam agricolæ ſervientis Epiſcopo, quem ipſe gratanter ſuſcipiens, cum cemento, quod ſibi occurrit, manu propria conſignavit, operimentum formans ex eo crucifixi hominis, & pauperis ſeminudi.* Multa hujus generis obſervare liceret in his venerandis Scriptoribus, ſed non omnes errores propalare noſter eſt ſcopus, verum oſtendere ex uno multos quotidie accreviſſe, & minimum errorem in principio fieri maximum in fine. His novitatibus obſiſtendum in ipſa origine: nam ſi progredi permittantur, in ſui confirmationem multa etiam non tam vera, quam nova efforment, neceſſe eſt. Error non alio, quam errore perſuadetur, neque falſitas veritate probatur. Error ſemper eſt error, & quidquid errorem probat, erroneum eſt. Agas quantum valeas, labores quantum velis, nonniſi depoſito errore, te non errare plene monſtraveris. Probe ille & appoſite. *Qui ſemel aberrat in quadrivio, fere in varia diverticula tamdem deveniet, nec errorem bene explicat, niſi regreſſus quaſi novam viam ineat. Ita qui errare cœpit, facile multos errores congerit, niſi paulatim intermittat, ac quaſi recens ad intermiſſam diſputationem redeat.*

Bonav. cap. 2.

Unus error multos generat.

Triver. in Apophec. 58.

XXVII. Huc uſque egimus de teſtibus domeſticis Auguſtinianis, deſcendamus modo ad externos. Sabellicum & Polydorum Vergilium jam oſtendimus errorem hauſiſſe a Bergomenſi, coœvo & priore Scriptore. Eumdem ſequutus eſt Paulus Morigia recens ſcriptor, teſtem etiam adhibens Vincentium Belluacen. lib. 33. cap. 98. cum aliis, quorum nomina tacuit. Porro Vincentius (de cujus, ceterorumque fide mox agemus) non habet tot libros hiſtoriæ, neque trigeſimum primum terminavit, quem ad ſecundum Innocentii IV. Pontificatus annum deduxit, & continuator ejus hiſtoriæ ſub eodem lib. 31. addidit ſupplementum. Neque quidquam habet alibi Vincentius, quod huic opinioni, vel apparenter faveat, præter ea quæ ſcribit lib. 26. cap. 98. de habitu, ſub quo incedebat illo biennio, ante ſuum Ordinem inſtitutum, ex quo loco quam tenue, aut nullum pro hac re poſſit ſumi argumentum, ſuperius jam dixi, de quo item inferius ſermonem iterum breviter inſtituam. Corrigitur etiam a diſſertatore Morigia, quod pro hac ſententia citet Bergomenſem lib. 12. quam eum, ait, habere tantum lib. 9. & 13. imo vero, verius & largius libro illo 12. ubi agit de beato Joanne Bono. Ceterum ipſe Morigia cap. 33. in quo de ſancto Franciſco ejuſque Ordine agit ex profeſſo, nec verbum habet de hujuſmodi Monachatu, imo taliter ejus vitam refert, ut fuiſſe non poſſet alterius Inſtituti. Denuo in ſuo Summario chronologico, libro ſexto de Auguſtino, Franciſco, eorumque Or-

Externi Auctores Bergomatem ſequuti.

De Paulo Morigia.

§. 4. n. 1. uſque ad 31.
Marq. c. 21. §. 2.

Ordinibus, diverſiſque ab eis exortis Congregationibus, ſermonem inſtituens ampliorem, nihil prorſus habet, quod diſſertatoris poſſit ſavere ſententiæ. Opus autem hoc jam accuratius, & amplioris lectionis vir, ſcripſit poſt editum illud de origine Religionum; nam & illud citat in hoc ſummario Chronologico eodem lib. 6. ubi refert opera a ſe conſcripta. Quod autem Pater Daza hunc inter Auctores ſeculares retulerit, de quo taxatur a diſſertatore, non tam dixit de hoc ſolo, quam de Sabellico & Polydoro connumeratis; & ſane ſi de hoc ſolo loqueretur, non adeo ſingularis eſſet in aſserto, ut gravem teſtem, & prævium Doctorem non liceret proferre. Tales enim dicendos Jeſuatos, quos alio etiam nomine, neſcio an ex errore typographi, vocat *inhumatos*: largiſſime probat Panormitanus in cap. *nullus, de foro compet. num.9.* & auctor additionum ad eumdem locum. Imo idem Abbas 1. *part. conſ. conſil. 55.* in quadam quæſtione orta inter eoſdem & Fratres Minores circa quoddam relictum legatum, ut illius ſe oſtenderent capaces, rejicerenturque quædam objectiones ſibi factæ, refert num. 3. eos dixiſse, ſe eſse puros laicos, & nullum habere Superiorem, & ſimul convenire cauſa devotionis: negaruntque ſuam domum eſse religioſam, ſed profanam, utpote dedicatam ſine auctoritate Epiſcopi, & ſine Eccleſia; habebant enim tantum Oratorium. Hic illorum ſub Abbate ſtatus, alium nunc habent, ſub quo dicantur Religioſi, quibus ego nihil detractum velim, imo additum, quidquid eſt ſplendoris & honorificentiæ. *Marq. cit. l. 4.*

XXVIII. Sabellicum ſecuti ſunt Gondiſalvus Illeſcas in hiſtoria Pontificali libro 5. cap. 33. ſub Innocentio III. & Alphonſus Villegas in vitis Sanctorum in Legenda ſancti Franciſci, Carolus de Tapia lib. de Relig. reb. cap. 18. num. 4. Illeſcam ſui aſserti prodit auctorem. Solus Joannes Baptiſta Egnatius lib. 4. de exemplis virorum illuſtrium cap. 4. nulli acceptam refert hanc opinionem. At cum ille obierit anno MDLIII. ut præmittitur ad hoc opus in ejus vita, rem, quæ tribus centenariis, & quadragena amplius annorum contenditur eveniſse, quomodo abſque Auctore ſcire potuerit? Alium habere non potuit ex completa noſtra deductione præter Bergomenſem, Sabellicum, aut Polydorum, de quorum fide jam egimus: hi enim ſoli in hoc aſserto priores. Illeſcas autem, Villegas & Tapia noſtrorum dierum viri, hic Juriſconſultus in re hiſtorica non adeo verſatus: priores duo, licet eam profiteantur, non ſane adeo illius artis regulas ſervarunt, neque peritorum artificum ſtateram in rebus ponderandis adhibuerunt, ut non potius populari trutina uſos dixeris, & ad ſeveriora judicia eos non facile revocaveris. Sane de Villegas, ſeu utraque parte Florum vitæ Sanctorum ab eo edita, ita habet Poſsevinus, *Omnino vero in utraque eſſent nonnulla ad veritatem hiſtoriæ accuratius recognoſcenda*: & profecto hoc ipſo loco Antonino tribuit, Franciſcum acceſſiſse ad Monaſterium Auguſtinenſium, ab eiſque petiiſſe, ut in eorum admitteretur Sodalitium, illos eum in ſuum recepiſse conſortium, & ſuo habitu donaſse. Ubi quæſo vel verbum hujuſmodi apud Antoninum? ubi de Monaſterio agit Auguſtiniano? ubi de initiatione Franciſci? Cur in re adeo ſingulari, & ſub illa forma verborum a nullo tradita, ſuum non citavit Auctorem, vel locum unde accepit, non ſignanter expreſſit? Illeſcas in quibus, vel quantis erraverit, non eſt animus propalare, ſolo in illo capite, & ſequenti in rebus notiſſimis circa ipſum Franciſcum non ſemel a vero deviavit. In Syriam ad Babyloniæ Soldanum profectum anno VI. ab ejus converſione ait c. 33. & ibidem ſanctum Dominicum mortuum anno ſalutis MCCXXIII. cum Franciſcus in Syriam perrexit, teſte Bonaventura, tertio decimo converſionis ſuæ anno, & Dominicus, ſecundum omnium bonorum Hiſtoricorum fidem, obie-

Aliqui Sabellicum referunt.

Supra n. 9. & ſeqq.

Quales hiſtorici Villegas & Illeſcas.

Bonav. cap. 9.

obierit anno MCCXXI. Deinde c. 34. ſub Honorio III. ait, hunc Pontificem confirmaſse Regulam ſancti Franciſci anno VI. ſui Pontificatus, cum id fecerit anno VIII. ut expreſse habetur ad finem ipſius Regulæ in Diplomate Pontificio. Qui in rebus adeo apertis lapſus eſt circa Franciſcum, nihil mirum, ſi & in hac etiam erraverit. Adde quod cum Franciſci vitam retulerit, & de rebus ejus egerit, nihil tale dixerit: ſolum cum de Auguſtinianis ſermonem inſtituerit, ſententiam in hac re retulerit Sabellici.

Marq. c.21. §. 2.
Vinc. cit.
Anto. tit. 24. c. 2.

Iterum examinatur ratio deſumpta ab habitu Eremitico.

XXIX. In ſecunda claſse Auctorum æquivalenti, ut inquit, forma verborum opinionem hanc aſserentium, ponit diſſertator Vincentium Belluacenſem, & Antoninum, propterea quod dixerint Franciſcum habitum habuiſse Eremiticum, baculum manu geſtantem, pedibus calceatis, & corrigia cinctum inceſſiſse. Quibus addit, præter D. Bonaventuram, Minores quoſdam, Breviarium Romanum Braccarenſis Eccleſiæ, & proprium Minorum, quia eamdem veſtem præſcribunt. Sed jam ſuperius oſtendimus, quam infirmum hoc ſit argumentum, & poſterius hoc eſse indumenti genus apud Auguſtinianos, quam ut illud Franciſco dare potuerint. Addo hic, ipſum Bergomenſem dixiſse, ſe omiſiſse velle teſtificationem Vincentii, *quia*, inquit, *& ſi referat D. Franciſcum fuiſſe Eremitam, & cum baculo pedibuſque calceatis, & corrigia cinctum inceſſiſſe, non tamen Joannis Boni diſcipulum eſſe dixit*: Non enim ſufficienter, imo nec probabiliter probari Monachatum Auguſtinianum per hujuſmodi putavit veſtes exteriores. Deinde hi Auctores Bonaventura, Vincentius, Antoninus, non ſolum tunicam, corrigias, calceos, & baculum, verum & peram, & pecunias habuiſse aſserunt. Audi Bonaventuram: *Solvit proinde calceamenta de pedibus, deponit baculum, peram rejicit, & pecuniam execratur, unaque contentus tunica, rejecta corrigia, pro cingulo funem ſumit*. Vincentius Belluacenſis ita habet. *Duplicibus ergo ſine mora depoſitis, ex hoc jam calceamentis, virga, ſacculoque & pera non utens, tunicam contemptibilem plurimum, & incultam fecit, rejectaque corrigia, funiculo eam cinxit*. Ipſa hæc eadem verba habet Antoninus: Breviarium item Minorum, *calceamenta depoſuit, rejecit baculum, peram & pecuniam abdicavit, unaque contentus tunica, dimiſſa corrigia funem ſumpſit*. Breviarium Romanum a Franciſco Quignonio tituli ſanctæ Crucis Cardinali ſub Paulo III. recognitum & ordinatum, *Diſtributa*, inquit, *pecunia, calceamenta depoſuit*. Æquali ergo certitudine & eadem narratione referunt tunicam, baculum, corrigiam, peram, ſacculum, & pecuniam habuiſse. Vellem itaque ſcire, an etiam ſacculum, pera, & pecunia inſignia fuerint profeſsionis, & vitæ Auguſtinianæ? vel quare a noſtro diſſertatore taceantur, vel ſimiliter non inculcantur, quæ eodem orationis decurſu narrant hi vetuſti & graves Auctores? An quæ placent narramus, & quæ non favent ſilemus?

§. 4. n. 1. & ſeq.

Bergo. lib. 12. anno 1199.

Bonav. cap. 3.

Vin. lib. 29. c. 98.

Anton. tit. 24. cap. 2.
Die prima infra oct. lect. 4.
Breviarium Rom. antiq. in feſto ſancti Franc. lect. uni.

Quam parum faveant multi teſtes.

XXX. Ceterorum, quos refert, teſtium verba tranſcribam, neque impugnationes adjungam, adeo enim aliena ſunt ab hujus Monachatus patrocinio, ut non impugnatore, ſed relatore tantum indigeant. Ex Breviario Braccarenſi hæc verba producit. *Beatus Franciſcus Seraphicus, natione Italus, ex Aſſiſio, Umbrorum civitate ortus, vir utique divinus, ac primus inſtitutor Fratrum Minorum, & fundator mirificus, circa annum Domini ducenteſimum octavum ſupra milleſimum, primo negotiator humanus, & affabilis, ac prodigus uſque ad annum vigeſimum quintum, inde terrena omnia deſpiciens, Chriſtum in omni vita ſequutus eſt, & cum aliquandiu pedibus calceatus, & corrigia cinctus inceſſiſſet, ſententiæ Dominicæ memor, dicentis*: Qui venit ad me, & non renunciat omnibus, non poteſt meus eſſe diſcipulus, *abjectiſque omnibus, tunicam incultam, & con-*

Luc. 14. v. 26.

& contemptibilem fune præcinctam induens, novum mox Ordinem inſtituit, cum quo velut Sol in orbe radians Chriſtianam Religionem plurimum illuminavit. Partim hæc ipſa verba habent Matthæus Palmerius, Hartmannus Schedel, & Nauclerus, quæ propterea diſſertator tranſcripſit, quia inde ſibi favere putat, quod dicat Franciſcum a vigeſimo quinto ſuæ ætatis anno, circa quod tempus primo converſus eſt, ſemper Chriſtum in omni vita ſequutum, & novum Ordinem inſtituiſſe. Quaſi vero nullus poſſit, nec vere dicatur Chriſtum ſequi, niſi regularibus ſe adſtringat diſciplinis, neque novum quis affirmetur Ordinem fundaſſe, niſi qui prius veterem fuerit profeſſus? Profecto locus hic eſt ad oppoſitum: nam in ſecunda converſione ait, omnibus renunciaſſe; ergo non renunciaverat antea per Auguſtinenſis Ordinis aſſumptionem, ad quam ſicut ad ceteras aliorum Ordinum præmittitur rerum omnium renunciatio. *Marq. c.21. §.2.*

XXXI. Ex Franciſco Petrarcha hoc producit teſtimonium. *Franciſcus licet, ut ajunt, divinitate conſulta, & revelatione cœlitus accepta, pro ſalute multorum inter vitæ hominum bella, periculoſas, non tam ſibi quam militibus ſuis excubias elegiſſet, ipſe tamen magnus amator ſolitudinis, eremique ſectator fuit.* Hinc applaudit hic teſtis pro hoc aſſerendo Monachatu quod dicat *Franciſcum amatorem ſolitudinis, & eremi fuiſſe ſectatorem.* Veluti ſi omnes amantes ſolitudinem, & Eremum ſectantes adnumerandi ſint Patribus Auguſtinianis? Neque vero Petrarcha de eremicolatu ante, ſed poſt inſtitutum ſuum Ordinem laudat ibi Franciſcum. Refert enim quæ ei bona provenerint ex ſeceſſu in montem Alvernæ, quem peculiarem ejus habitationis in ſolitudine locum fuiſſe ſcribit capite ſequenti. Verba antecedentia ad illa, quæ diſſertator adduxit, ſunt iſta: *An vero Franciſcum, ſeu volucrum audientiam, ſeu Seraphicum raptæ mentis ardorem, ſtupendumque illud inſigne ſacrorum Chriſti ſtigmatum, & vulnus animi membra teſtantia, tantumque & tam brevi de paupertatis conjugio genitæ ſobolis incrementum habiturum credimus, ſi manſiſſet Aſſiſii, qui licet, ut ajunt, &c.* Omnia autem hæc, & revelatio cœlitus accepta de Urbibus incolendis; evenerunt longe poſt Ordinem inſtitutum Minorum. Deinde citat Volaterranum, quia dixit ante aſſumptos & electos ſibi comites, *in eremo, ſaltibuſque ferarum victitaſſe.* Quæ ergo illatio? Eremita fuit Auguſtinianus, Probe ſane, Clarum teſtimonium.

Petrarcha de vita ſolitaria lib.2. c. 11.

Non favet Petrarcha.

Volater.citat.

Nec Volaterran.

XXXII. Ex Breviario Romano aliam addit confirmationem ex his verbis deſumptam. *Cum vero in gravem morbum incidiſſet, ex eo aliquando confirmatus, cæpit ardentius colere officia caritatis, qua in exercitatione tantum profecit, ut Evangelicæ perfectionis cupidus quidquid haberet, pauperibus largiretur.* Magnam, ait, hinc deſumi ſui aſſerti confirmationem, quod Franciſcus ante inſtitutionem ſui Ordinis dicatur cupidus Evangelicæ perfectionis, quæ abſque dubio, inquit, non acquiritur niſi in ſtatu Religionis. Omiſſo hoc dubio, an Evangelica perfectio extra Religionem poſſit acquiri interrogaverim, an idem ſit cupere perfectionem Evangelicam, ac eamdem ſtatim adipiſci, vel profiteri? Nonne biennio illo ſe exercuit, & diſpoſuit per varia virtutis & humilitatis officia, ut tamdem ad hanc deveniret? Tunc ſe diſpoſuit (ut ipſi Antoninus & Fernardus Perez, quos ſui ſenſus confirmatores adducit) ut mundum totaliter contemneret, deinde poſt multa virtutis exercitia, ſibi & ſectatoribus ex Evangelica lectione perfectionis normam præſcripſit.

Neque Breviarium Romanum.

Anton. tit. 14. c. 1. §. 1. in fine. Perez in Mari. biſt. cap. 123.

XXXIII. Convocat etiam Joannem Pinedam, & Marcum Ulyſſiponenſem Minoritas, propterea quod referant in habitu Eremitico illo biennio inceſſiſſe, & exinde deſumptam occaſionem hujuſmodi aſtruendi Monachatus, quod tamen non admittunt, neque probant, imo expreſſius & data opera improbat peculiari tractatulo Ulyſſiponenſis; & Pineda a nullo hominum, ſed a ſolo Deo edoctum, quam deberet vitam ſe-

Pined. 3. p. Monar. Eccl. lib. 22. c.25. §.2. Marc. 1.p. lib. 1. cap. 5.

ſectari, affirmat. Decipitur autem diſsertator, vel interpres Caſtellanus, qui Luſitanicum verbum *cumprido*, ex hiſtoria Marci Ulyſſiponenſis reddunt Caſtellano idiomate *Cumplido*, illud enim habitum longum, vel prominentem, hoc ſignificat integrum, vel completum, ex quo urgeri ſuum argumentum de habitu Religioſo, non ſemel Marquez contendit. Similiter ob id ipſum additur Henricus Sedulius Minorita, qui tamen illorum improbat opinionem ipſo illo loco, quo citatur, & Antonius Yepes Benedictinus, quia ſub conditione tantum loquitur de hoc Monachatu: nimirum, ſi ita, inquit, evenit, ut quidam opinantur; citatque Hieronymum Romanum in margine.

Marq. c.21. §.5. & c.22. in princ. Sedul. in comment. ad vit. S. Franc. c.2.§. Yepes cent. 1.an. 494. c.1.

XXXIV. Alios duos affert Minoritas D. Antonium Patavinum, ſeu potius Ulyſſiponenſem, & Franciſcum Maurum Hiſpellatem, quorum teſtimonia longa verborum ſtrue, & accommodatitiis loquendi formulis adaptare rei ſuæ toto nititur conatu, nec tamen id obtinuit, neque lectorum ulli credo perſuaſurum, ex illis vel leviter poſse deduci hunc Monachatum. Ipſa dum legantur Auctorum verba id clarius edocebunt. Porro ſanctus Antonius in ſerm. 3. Dominicæ 1. Quadrageſimæ, ubi poſtquam ad illa Evangelii verba: *Ductus eſt Jeſus in deſertum*, ſeptem dixit eſse deſerta, de quarto ita ait: *Quartum deſertum, id eſt, Religionis profeſsionem ardua vita aggreditur, ideo talibus profeſſoribus dictum eſt*: Eſtote fortes in bello, nam nemo mittens manum ad aratrum &c. *De hoc deſerto primo Machabæorum ſecundo, exclamavit Matathias voce magna in Civitate dicens*. Omnis, qui zelum habet legis, ſtatuens teſtamentum, veniat poſt me: & fugit ipſe & filii ejus in montes, & reliquerunt quæcumque habebant in Civitate: tunc deſcendebant multi quærentes judicium, & juſtitiam in deſertum, & ſederunt ibi ipſi & filii, & mulieres, & pecora eorum: *Matathias interpretatur* donatus a Domino, *vel* donum, *& ſignat virum juſtum & religioſum, ſpecialiter tamen Religionis fundatorem, ut beatum Franciſcum: talis namque ex ſpeciali dono Dei datus eſt Chriſtianis, ad liberandum de manibus inimicorum. Unde humilis Franciſcus intellexit, ſe ad hoc miſſum a Deo, ut animas lucraretur, quas Diabolus conabatur auferre; propter quod ipſe tamquam alter Matathias deſtruxit aras mundanæ vanitatis, in quibus peccatores Dæmonibus immolabant, circumcidit per revocationem ad vitæ veritatem, & puritatem illos, qui habebant præputium peccatorum. Legem inſuper abolitam operibus inſtauravit. Hic igitur Matathias virum religioſum ſignat, qui habet filios quinque, id eſt, ſenſus, quos mundum fugiens ad montem perfectionis Evangelicæ ſecum ducit. Reliquit in Civitate hujus mundi, quæ iniquitate & contradictione plena eſt, omnia, quæ videbatur temporaliter poſſidere. Hunc igitur tamquam juſtum & robuſtum Paſtorem & Principem, multi ſequuntur, deſcendentes per humilitatem vitæ, ſtatuentes teſtamentum, quod in mortuis, id eſt, abdicatione temporalium, & abnegatione propriæ voluntatis, ex quibus homo moritur, ſuum firmantes propoſitum, in deſertum, id eſt, in Religionem, quærentes judicium, ſcilicet mundi corporis, & mentis facere, & juſtitiam, & vitæ conſequi perfectionem, &c.* Judicet lector unde vel leviter poſset ſuſpicari, vel a longe deducere ex hoc loco, ſanctum Franciſcum aliquando Auguſtinenſibus nomen dediſse, quantumvis laboret Marquez illud venari ex eo quod prius vocet Franciſcum Religioſum, quam Ordinis inſtitutorem, illis verbis. *Signat virum juſtum & Religioſum, ſpecialiter tamen Religionis fundatorem, ut beatum Franciſcum*. Et ex illis: *Matathias virum religioſum ſignat, qui habet filios quinque, id eſt ſenſus, quos mundum fugiens, ad montem perfectionis Evangelicæ ſecum ducit*: Subtilis ſane verborum diſcuſſio, ſi ex iſtis ſuum intentum exſugat.

Nihil deducitur ex teſtimonio S. Antonii.

Luc.9. v.62. Mac. 2. v. 27.

XXXV. Sed quid, ſi ego probabilius ex eodem D. Antonio adjicerem,

Digitized by Google

rem, licet omnino illud non aſseram, nullos tunc fuiſse Fratres, vel Eremitas Auguſtinianos, ſub quibus potuiſset ſanctus Franciſcus militare, vel ſaltem hos non cognoviſse ſanctum Antonium, ſeu ad ejus notitiam non perveniſse? Alludens enim ſanctus Doctor in ſerm. 10. poſt. Trinit. ad furtum Achan, qui furatus eſt regulam auream, ait: *Regula aurea eſt vita Religioſorum, quæ hominem diſtortum, & pravum ad menſuram recte vivendi corrigit, & modum rebus ponit. Hanc Regulam fere omnes Religioſi furati ſunt, quia ad veritatem Evangelii non ambulant, ſecundum Patrum inſtituta non vivunt, ſed diſtorte & ſimulatorie vitam ſuam ducunt, Regulam auream beati Benedicti Monachi furati ſunt, Regulam auream beati Auguſtini Canonici, & ſic de ſingulis Religioſis, qui ſua non quæ Jeſu Chriſti ſunt, quærunt.* Ex quo loco veroſimilius, aut potiori fundamento deduci putarim, tum ſolos Canonicos ſub Regula ſancti Auguſtini militaſse, vel ita ſaltem conſtitiſse ſancto Antonio, quam ex ſuperiori loco indicaſse eumdem ſanctum Virum, ſui Inſtitutoris Auguſtinenſem Monachatum.

Probabiliter S. Antonius non agnovit Eremitas Auguſtinianos.

Joſ. 7.

XXXVI. Neque clarius pro hac re illud Franciſci Mauri Poëtæ eruditi carmen, quo deſcribit Franciſcum poſt acceptam agricolæ chlamydem, animo inconcuſsum ſe ad prælia occulti hoſtis præparaſse.

Mauri teſtimonium nihil refert.

Man. l. 5. Franciſciad. ante medium v. 169.

Ergo dura novæ tum primum exordia vitæ
Molitur, tentatque ultro bellator in armis
Inſuetis tener, inſueta certamina pugnæ.
Pectore ceu nondum rutilo fulgore comanti
Terribilis, nec dum magno litus atra cruore
Caſpius ora leo, tenero tener imbuit iras
Sanguine primævas: animos dehinc vivida magnos
Attollens virtus; cædem indignatur inertis
Quadrupedis, poſcitque pares, hoſteſque feroces:
Sic puer intrepido, primis congreſſibus audax
Seſe corde infert: nec; quæ, graviora parantur.
(Quippe truces Erebi, monſtra exhorrenda, colonos,
Ipſe ſibi, generique ſuo, ſtirpique nepotum,
Si qui olim adveniant, acres jam fecerat hoſtes
Religione ſacra, Superiſque in vota vocatis
Rite inimicitias, pariterque odia aſpera firmans)
Bella timet: quin ultro audax, animiſque ſuperbus;
Haud ullis ceſſura malis, ulliſque periclis
Corda parat; non aſſultus, non tela, nec ullas
Vitatura vices: quamvis horrentia ſurgant
Prælia, & inſani ſubeat Mavortis imago.

Illinc ei arriſit hic Auctor, quod antequam deſcenderit ad enarrandam ſecundam converſionem ſancti Franciſci, ſeu inſtituendam ab eo Religionem Minorum, dixerit *jam ſibi acres feciſſe hoſtes Diabolos ex Religione ſacra*, quaſi tunc eum Religioſum eſſe voluerit. Sed clarior eſt Poëtæ vaticinatio, quam ut illum ſenſum admittat, nam repræſentat Dæmones jam prævidiſſe ſacram ab eo fundandam Religionem, & propterea in inimicitias coiviſſe contra eum, & contra ſocios, eorumque futuros diſcipulos.

XXXVII. Facile ſane erat hujuſmodi convocare teſtes, & multos hujus generis conſcribere coaſſertores, cum enim non ſolum eos, qui verbum nullum fecerint vel Eremitici habitus, vel corrigiæ, aut baculi ſeu ſolitudinis, & eremi; verum etiam & contrarios teſtes advocaverit, nihil mirum ſi in magnum numerum excreverint. Sed *non in multitudine Dominus*, neque nimium ſtudium convocandi plures quoſque teſtes fidem argumenti roborat, ſed enervat: *Experientia quippe exper-*

Jud. 9. v. 6.

Digitized by Google

Abbas in proœm. ad decretal. n. 4. *tum eſt* (Panormitano teſte) *quod bona allegatio inficitur*, *&* *obnubilatur ob nimiam allegationem* , *&* *ſiniſtra oritur ſuſpicio contra allegantem* . Non terruit nos magnus & varius numerus Auctorum, ut teſtimonium qualitercumque dicerent, convocatorum; vidimus enim quam inefficaciter, & fluctuabunde id plures protulerint; ceteri vero, iique præter Auguſtinianos pauciſſimi, qui in hac re quidpiam conſtanter dixerint, non majorem apud nos adepti ſunt fidem, quam primus, quem ſequuti ſunt, meruerit aſſertor: *Certe quidem* (ut cum Illuſtriſſimo hiſtoriæ Eccleſia- *Baron. an. 1125.* ſticæ Principe Baronio dicamus,) *non numero Hiſtoricorum veritatem hiſtoriæ conſuevimus æſtimare*, *ſed quanta fide polleat primus auctor cujuslibet aſſertionis*. *Nam reliquos primum ſequi auctorem*, *&* *ejus veſtigiis inhærere*, *frequentiore uſu in more poſitum reperimus*. Cum igitur accurate expendimus quantæ fidei eſſet qui iſthæc primus aſſeruit, invenimus, eum plus æquo ſuis rebus ſtuduiſſe, & affectui tribuiſſe.

APOSTROPHE AD LECTOREM.

DIſputationem protraximus, & longius æquo putabit fortaſſis Lector nos ſermonem deduxiſſe. Sed breviori non licuit uti compendio, ubi tantopere, non parvo volumine ſe meus diffudit ex oppoſito diſſertator. Multa pro re noſtra ſolidius oportuit ſtabilire, plura contrariæ partis refutare, oppoſitos teſtes ſerio examinare, & undequaque ſerpentem plurimo ſtudio Patrum Auguſtinianorum ultro citroque ſe diffundentem, opinionem rationum repagulis cohibere. Hiſpaniæ ſinus penetravit, plures ibi obtinuit fautores & aſſertores Auguſtinianos; horum libri in Italiam prætervolarunt, & inter ejuſdem Sodalitatis Viros eam obtinuerunt auctoritatem, ut Italico idiomate donandos judicarint, ne Hiſpanico non omnibus proſtarent. In Germania potiorem partem peculiari ſtylo fecit Latinam Nicolaus Cruſenius, & ultra hæc pluribus in locis præ Templorum & Cœnobiorum foribus ſtigmatizatum Franciſcum ſpecioſa & ignaro vulgo (quod *in falſas opiniones ruere ſem-* *Aug. l. 3. cont. Academ. cap. 17. Marq. epiſt. ad lect. & c. 22. §. 3.* *per eſt pronius*) applauſibili pictura inter ceteros Eremitas exponunt, quod cordati inter eos viri, ſed nec ipſe meus diſſertator, non probant, neque factum, ſed infectum velint. Quam levi vero fundamento hæc publicentur, & in populum ſpargantur, conati ſumus ut doctis conſtaret Viris: eo tamen ſermonis moderamine, ut a calumniis & offenſionibus ubique abſtineremus. Optimam illam Ambroſii habuimus præ oculis *Ambr. l. 1. de off. c. 22.* Regulam: *Sicut in omni actu vitæ id cavere debemus*, *ne rationem nimius animi motus excludat*, *ſed teneamus conſilii locum*; *ita etiam in ſermone formulam eam tenere convenit*, *ne aut ira excitetur*, *aut odium*, *aut cupiditatis noſtræ*, *aut ignaviæ aliqua exprimamus indicia*. Quantum potuimus, illuc direximus ſermonem, ut argumenti principalis veritatem detegeremus, & acceſſorios exprimeremus errores. Si ſolide, & æquo veritatis pondere id fecerimus, nullus, qui verum amet, ſtomachari debet, ſed potius gaudere, & oblatam amplecti veritatem. Sacrum ha- *Cyprian. epiſt. 71. ad Quintum c. 2. & Aug. l. 2. cont. Don. c. 4.* bemus exemplum in ſacro Eccleſiæ capite Petro: *Qui conſilium veritatis admiſit*, *&* *rationi legitimæ*, *quam Paulus vindicabat*, *facile conſenſit*, *documentum ſcilicet nobis* *&* *concordiæ* *&* *patientiæ tribuens*, *ut non pertinaciter noſtra amemus*, *ſed quæ aliquando a fratribus* *&* *collegis noſtris utiliter* *&* *ſalubriter ſuggeruntur*, *ſi ſint vera* *&* *legitima*, *ipſa potius noſtra ducamus*. Eadem animi tranquillitate, qua hæc offerimus, expe- *Aug. epiſt. 112. ad Pau.* ctamus, ſi quæ ſunt redarguenda ab oppoſitæ opinionis viris, admonenda, vel obſervanda fore, ut ita *colloquamur*, *ſine contentione pacati*, *non inani ac puerili animoſitate ſtudentes alterum vincere*, *ut pax Chriſti vincat in cordibus noſtris*. Ita fiat, ſupplex exorem.

APO-

APOLOGETICI DEFENSIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

REVERENDO ADMODUM PATRI MAGISTRO

F. THOMÆ DE HERRERA

Eremitæ Auguſtiniano viro undequaque clariſſimo.

MALLEM *tecum, amice, verbo quam calamo agere; & præſentem offenſionis clam expoſtulare, quam abſenti palam tranſmittere. At quoniam propter terrarum intervallum ita non licet, leges breviter tibi ex integro ſatisfacientem, qui te patienter tulit in multis accuſantem. Diffuſe in meum ſcripſiſti Apologeticum, ubi cum aliquas meditareris offenſas, pluribus voluiſti repenſas. Ut ego nunc reſcribam, illud præcipue movet, ne quis ſilentium meum in conſenſum ducat, & credat approbata nobis, quæ non viderit refutata. Quando ſacrum amicitiæ percuſſimus fœdus, quando integris commorabamur menſibus, & tibi placebat* Eminentiſſimi Cardinalis *Spinolæ aulæ declinandæ, pio otio, & ſeriis ſtudiis ædem hanc non ſemel deligere, ſuſpicari non poteram domeſticis auxiliis, meis libris & ſchedis mihi parari bellum, & poſt tuum abſceſſum, quam occulte ordiebaris, pugnam indicendam. Et ſane acrem indixiſti, magno emiſſo volumine, quod non emiſſum te velle crebris ad me litteris indicaſti. Sed ita fit ut multorum poſt facta pœniteat; vel quod volumus videamur noluiſſe. Non tu ipſe librum edidiſti, ſed edendum alteri tradidiſti, & priſcorum more* Arietem per fecialem immiſiſti, *ita bellum indicturus, quod nunc videris detrectare. Ego laceſſitus accedam,* & pacis cauſa bellum ſuſcipiam, laboremque ſpe otii ſuſtentabo. *Hoc fine inter pios Principes, maxime autem inter viros religioſos,* bellum geritur, ut pax acquiratur. *Hanc ego totis viribus proſequar, & licet in operis limine ſpecioſum* pacifice reſponſionis *titulum non præfigam, pacatiorem & mitiorem meum probabis per omnia diſcurſum. Petis ne te lædam, id ſponte promitto, & firmiter complebo; niſi te læſum facile dixeris, ſi veritatis pondere graveris. Mea ſcripta nullam ſapiunt virulentiam, neque amaris conſperguntur vocibus: ratione, non conviciis, judicavi ſemper agendum: te in deliciis habui, & nec habere deſiſtam, miti & blando tecum agam ſermone, illataſque propulſabo injurias, quaſi nullas acceperim. Ut tamen videas, me te patientia viciſſe, referam quas intuleris, & Magiſtro tuo quam parum nocuerim, niſi ipſa reſponſio cenſeatur offenſio, ex ipſa tua accuſatione perſpicies. Et ſi vero* reſponſio prompta potius eſſe debeat, quam nimis cunctabunda, *hanc ego diſtuli; tum, quia invitus in te ſcribo, & indulgens animo calamus mihi tardus erat; tum, quia moleſtarum occupationum pertinacia, & quadriennii Joannis Scoti noſtræ ſcholæ Anteſignani, feſtina & ſeria operum editione in diverſa rapiebatur. Nunc amicum accipe reſponſum, & quam te diligo ex ipſa ſcriptione perpende.*

Frequenter [illegible] ad [illegible] S. Iſidori.

Saluſt. in fragm.

Aug. lib. 15. de civit. Dei c. 4.

In ultimis libri verbis.

Plato in Th.

AD

Digitized by Google

AD LECTOREM.

MULTORUM precibus, & Superiorum imperio pręcedens ſcripſeram opuſculum anno MDCXXV. contra aſſertores Monachatus Auguſtiniani ſancti Franciſci. Horum potiſſimus & noviſſimus Joannes Marquez celebris Doctor Salmanticenſis, conſodalium Eremitarum rationes univerſas ſerio congeſſit, & quo potuit ſtudio ſententiam comprobavit. Cum illo præcipue mihi agendum fuit, qui partes omnium agebat. Poſt annos decem prodiit Bononiæ ex officina Feroniana diffuſa reſponſio, meo tractatulo decuplo major. Auctor R. P. Magiſter Thomas de Herrera, vir religioſus & doctus, multis titulis commendabilis, mihi in paucis cariſſimus, diſſertatoris, in quem ſcripſeram, ab ineunte adoleſcentia diſcipulus. *Pacificam* inſcripſit, ita tamen ſcripſit, ut mihi bellum præſcripſerit, & a fronte reliquum corpus, a titulo totum opus diſſideat. Blanda & amica ſunt plurima, ſed plura acerba, & hoſtilia; multa encomiaſtica, non pauca injurioſa. Opus aggreſſus in Hiſpania, ferme complevit antequam in Italiam veniret, aut me cognoſceret, variiſque amicitiæ vinculis devinciret. Mutato affectu mutavit & ſtylum: quæ gravis animus ibi deprompſit, hic mitis correxit; quæ commotus dictaverat, pacatus delinivit. Non potuit tamen ita omnia in profuſo opere diſpungere, quin multa ſpongiam ſubterfugerent, aliqua laterent, alia tæderet abolere, quæ compoſita phraſi, lenocinante dicendi acumine, advecta aliena ſententia appoſite judicaverat in me prolata. Difficile quiſque ingenii partum contemnit, nec facile revocat, quæ longo ſtudio compoſuit. Etiam tranquillo & ſereno animo ſæpe arrident argutiæ, quas commotus affectus acriter extorſit. Adumbraverat ſibi multas Magiſtri offenſas, & defendendi ardoribus exarſit. *Vehemens eſt omnis homo, cum vel affectus eſt injuria, vel affectum ſe eſſe putat.* (*Dion. lib. 44.*) Accendit animum, & ſtimulavit tanti viri dignitas, cujus vel nomen omnibus reverendum judicavit, & ſi quid leviuſculum mihi inter differendum excidit, aut rationis pondus aggravavit, graviori ille trutina libravit. *Nulli mortalium injuriæ ſuæ parvæ videntur, multi eas gravius æquo habuere.* (*Salluſt. in Catil.*) Quam gravis ille in ſuo ſenſu, quam levis ego in offenſa, te, prudens lector, teſtem volo, & audiendis queſtibus judicem decerno. Utriuſque proferam; & quæ ille in meo libello, & quæ ego in ejus notavi volumine, ob oculos ponam, & circa quæſtionem ipſam, quæ meus habet Tractatus, incorrupto veteris amicitiæ fœdere, ſtabilire contendam.

APO-

Digitized by Google

APOLOGETICI DEFENSIO.

SECTIO I.

Referuntur de me conceptæ querelæ.

I. IAM nunc in arenam deſcendo, non gladio armatus, aut haſta; ſed galea protectus, & clypeo, ut tuos ictus patienter excipiam, & impenetrabili æquitatis virtute retundam. In ipſo limine num. 1. dicis; contra Magiſtrum Marquez, me hoſtile claſſicum canere, mortuis inſultare, & ſapientiſſimum verbis pungentibus gloriari non ſemel virum triumphaſſe. Poſtremam partem querelæ haud intelligo, neque enim ego gloriari debeo, quod adverſarius non ſemel triumpharit. *Ex inimicorum dolore triumphum agi juſtiſſimum*, dixit eloquentiæ Magiſter. Quod ſi ita intelligi velis, ut ego pungentibus verbis glorier, me non ſemel de ſapientiſſimo viro triumphaſſe, obſcurius hoc mihi eſt; neque enim in toto meo Tractatu quidquam de gloriabundo hoc triumpho, neque vox ipſa *triumphi* invenietur: neque verbum ullum de *claſſico hoſtili*; nec locus ullus occurret, ubi mortuo inſultaverim. Ubi enim manes ejus exagito? Ubi vehementius in ipſum invehor? Ubi contumelioſius in illum aliquid dico? Ubi perſonam pupugi? Ubi honorem denigravi? Ut primum ejus occurrit nomen, nonne cum elogio protuli? Nonne hominem laudavi? Ubi de morte illius egi, nonne tam honorificis id feci verbis, ut non aliis quam meis eam ipſe retuleris? Nonne, *immature, ſacrarumque litterarum haud mediocri jactura* dixi deceſſiſſe.

Cic. Ap. l. 3. 10.

II. Num. 8. dicis, me pollicitum, quod offenſas, & convicia procul facerem, & a ſcommatibus, & dicteriis omnino abſtinerem; ſed non ſtetiſſe promiſſis, & proinde in me contorques illa verba Auguſtini contra calumnioſos ſuos laudatores: *Laudando mordent, labiis mulcent, & dentem figunt*. Præcedenti accuſationi hæc ſimilis eſt; generali delatione injuriarum mihi invidiam conflas, & ſiniſtram advehis opinionem. Anne proinde fortaſſis *ut cuncta ſimul objecta plus noceant, quæ minus opinionem læderent, ſi per ſe ſingula prolata fuiſſent*? Sed hoc accuſationis genus apud viros cordatos parum obtinebit, ubi viderint *in crimen vocari omnia, probari vero nihil*. Ad peculiaria itaque deſcendendum, & monſtrandum ubi fidem datam non obſervarim, ubi offenſas protulerim, ubi convitiis, ſcommatibus, aut dicteriis laceſſiverim. At ecce nunc monſtras.

Aug. ſerm. 49. de diverſis c. 3.

Hug. de S. Vict. lib. 3. inſtit. monaſt. c. 39.

Demoſt. ex appell. cont. Eubulid.

III. Reſponſ. 11. num. 69. aſſeris me redarguere Genebrardum, Sabellicum, alioſque Auctores, non ut enervem, & convincam, ſed ut prodam, & innoteſcat quid alii dixerint, quod Auguſtinianis obeſſe videtur. Neſcio profecto unde hæc conjectari liceat. Rogo te, nonne directe meum proſequebar argumentum, & dum totus in eo verſabar, ut probarem nativitatem & converſionem Joannis Boni poſteriorem eſſe illo tempore, quod Marquez deſignavit, nonne oportuit & ejus refellere ſententiam, & teſtes ab eo productos infirmare? Atque hoc ipſum, quibus verbis feci? Qua arte, aut dolo? nonne producendo ea ipſa loca, & tranſcribendo ipſa eadem teſtimonia, quæ pro ſua ille adducebat ſen-

Digitized by Google

ſententia? Liceat illi quæ velit pro ſua opinione citare, & mihi non liceat recitare? Par eſt concertantium jus; aggredientis, ut probet; defendentis, ut neget. Ego ſuos teſtes ipſi, vel ejus tutelari examinandos obtuli, & tales ipſa nuda relatione verborum oſtendi, ut tu ipſe omnino rejeceris, & Genebrardum per omnia aberraſſe admittas, aliorumque aſſertiones circa exordia Eremitarum ſancti Auguſtini meras fabulas & nugas appelles, neque iis magis reſpondendum, quam pueris balbutientibus affirmes. Nullus adeo injuſte judicabit, ut fas ſit hoſti modis omnibus oppetere, & non liceat ex adverſo reſiſtenti oppoſitas vires infringere. *Jura belli permittunt ea facere, quibus hoſtium vires debilitentur, noſtræ confirmentur.*

Polyb. lib. 5.

IV. Num. 76. Repetitis quærelis, longa verborum ſerie magnos fragores & ſtrepitus excitas, hac una de cauſa, quia dixi ex Antonini teſtimonio, a Marquez adducto, nihil certum, aut determinatum haberi de tempore nativitatis, aut converſionis, vel profeſsionis Joannis Boni ſub ſancti Auguſtini Inſtituto; contendiſque iſta ex Sabellico potius illum probaſſe. Oro ut iterum accuratius tuum legas, & expendas Magiſtrum: videbis tam facile te conqueri, quam vere ego Antonini teſtimonium rejeci. Poſtquam ille ſibi ſtatuit probandum Joannem Bonum circa exordia Pontificatus Innocentii III. admiſiſſe regulam ſancti Auguſtini, quia tunc ſanctitate floruiſſe, & ſancti Auguſtini Ordinem reſtauraſſe ab Auctoribus referebatur, ſubjunxit: *Nunc videamus, quid dicant Auctores circa tempus, quo iſtud ſucceſſit.* Statimque citat verba Antonini, quæ ego huic aſſertioni parum, aut nihil conducere probavi. Quid hic tanti criminis, ut hoſtilem appelles incurſionem, ut hæc mihi dicas ruborem elicere, me abuti teſtimonio, adverſarium mihi effingere, in quem poſſim digladiari, & alias hujuſmodi depromas quærimonias? Si appenderentur verba mea in ſtatera, gravior valde hæc tua ira appareret.

Horat. 1. ſerm. 3.

. . . . adſit
Regula, peccatis quæ pœnas irroget æquas;
Nec ſcutica dignum horribili ſectere flagello.

V. Num. 77. Pro offenſa & convitiis, reputas, quod ego adnotaverim eum reticuiſſe verum numerum annorum Joannis Boni, ab Abrahamo Bzovio, quem probo vidiſſe, ex Conſtantio Laudenſi ſibi oblatum, utpote ſuo argumento incommodum, & ſi produxerit alios quoquo modo, etiam inepto, a quibuſvis Auctoribus productos. Ipſe hos numeros tamquam minus aptos, & a veritate alienos rejeciſti, & ſoli Laudenſis computo adhæſiſti. Tibi tamquam ineptos, aut quæ hiſtoriæ adaptari non poſſint, licuit refellere, & mihi non licuit ineptos nuncupare? Et ſi nuncupem, offenſas vocas, & convitia, atque ut novos lapides in Marquez mittam, dicis me omnem movere. Hic lapis angularis erat, & fundamentum totius ſtructuræ, in quem vel ipſe numero ſequenti miraris, quod Marquez non impegerit, nihilque tibi in hac re dicendum aſſeris, niſi quod non omnia poſſumus omnes, ut in nullo offendere, pluſquam humanæ felicitatis eſt.

VI. Reſponſione III. num. 2. in fine eaſdem offenſas, & convitia mihi objicis, & ironice dicis, me ſine ſtomacho & bile arguere, quaſi non adhæſerim iis, quæ in Apologetici limine promiſi, quia dixi, aſſertionem hanc Monachatus, de quo contendimus, coævis, lectiſſimiſque Hiſtoricis ignotam, poſt aliquot ſecula a quibuſdam rem ſuam agentibus, & honori conſulentibus excogitatam, ſubleſtæ eſſe fidei, nec vendicari poſſe ab opinione & cenſura ſuppoſititiæ. Hic ſtomachum & bilem diſtinguis, hic offenſas invenis, & convitia, ubi ego præcipuum controverſiæ

verſiæ cardinem verſo. Quod tui ex adverſo aſſerunt, meique conſtanter negant, ac tamquam falſum rejiciunt, nonne & mihi fas eſt dicere ſuppoſititium?

VII. Num. 27. ſuccenſes, quod ego contra Marquez male menſurantem in tabulis Geographicis Ortelii terrarum intercapedinem, & planitie dimetientem aſcenſum, deſcenſumque interjacentis Apennini, uſus ſim illis verbis Propheticis: *Poſuit prava in directa, & aſpera in vias planas*, *Iſai. 42. v. 16.* quaſi non liceat uti ſacris verbis ad redarguendos adverſarios. Adeo hoc familiare ſanctis Patribus, ut ubique obviæ ſint hujuſmodi phraſes accommodatitiæ. Conſule tuam, quam paras Bibliothecam Auguſtini, vel iterum leviter percurre ejus opera; perlege Hieronymum, Origenem, præ omnibus Bernardum, qui tam domeſticam fecit ſacræ Scripturæ phraſim, ut pro amicis, & contra inimicos potius ſacris verbis ſua intermiſcere, quam ſuo ſermoni ſacrum attexere videatur. Etiam temetipſum tibi adduco in exemplum. Reſponſione II. num. 13. in me profers verba a Chriſto in ſervum nequam prolata. Ego honorifica *Luc. 19. v. 22.* Chriſti encomia tuo applico Magiſtro; tu mihi accommodas in male feriatum negotiatorem ſevere contorta. Reſpon. eadem num. 76. in fine, nonne in me indigne, & abſque cauſa profundis etiam Chriſti verba, queis ſceleſtiſſimum nebulonem, colaphum impingentem manſuete redarguit? Lege ultra quæ habes reſponſ. IV. Auct. num. 364. *Luc. 18. v. 16.*

Turpe eſt doctori cum culpa redarguit ipſum.

His adjungo quæ vehementer & injurioſe valde ponderas reſponſ. IV. num. 287. quia poſt prolata ex Bullis Pontificiis aperta teſtimonia, ſubjunxi: *quid adhuc egemus teſtibus?* Pacato nunc animo expende quæſo, quæ commoto ſcripſiſti, & videbis, quam acriter me gratis impugnas.

VIII. Reſponſ. IV. num. 251. & ſequenti, adhuc perſiſtis in objiciendis offenſis & convitiis, & exclamas: *O quantum eſt in iis rebus inane! quantum eſt in iis verbis convicioſum!* quia poſt relatas varias Bullas dixi, Eremitas Brictinenſes perſtitiſſe in ſua renitentia, & diu reluctatos, ne habitum a Gregorio IX. præſcriptum ſuſciperent. Idipſum tumet refers, & admittis num. 311. 314. & alibi, eoſque *reſtitiſſe* affirmas, interpoſita appellatione ad Pontificem. Nonne, & hoc ipſum ego dixi, eoſque ad Pontificem appellaſſe ipſis litteris Apoſtolicis enarravi, & non ſemel repetii? Adeo magnum conſtituis diſcrimen inter *reſiſtentiam & renitentiam*, ut hæc in ore meo ſit convicioſa, & illa in tuo ſit officioſa & honorifica. Honeſte dixi reniſos, non graviori vocabulo dixi contumaces, non vocavi pertinaces, non compellavi rebelles, non ad ipſius Pontificis exemplum, nuncupavi *Apoſtolicæ proviſionis contemptores*; & tamen exaggeras, *quantum in iis verbis convicioſum?* Etiam mea modeſtia tibi convicioſa. His adnecte quæ habes infra num. 268. *Vide Bullã Gregorii IX. in Apolog. §. 4. n. 6.*

IX. Ibidem num. 338. Pro magno mihi attribuis piaculo, & tamquam grave mihi objicis haud tutæ conſcientiæ commentum, quod dixerim Eremitas Franciſci veſtem, hominibus jam probatam & gratam, induiſſe, variantes formam ſui habitus, & Ordinis ſui ſubſtantiam, ut majorem ſentirent & reciperent in populis caritatem. Duo hic dicis falſa contineri, primum, quod Pontificia Diplomata aſſerant, Eremitas variaſſe habitus formam; ſecundum, ex inde feciſſe, ut majorem reciperent in populis caritatem. Oro te, ut pro primi aſſerti veritate placeat legere Bullas Alexandri IV. a me relatas, & videbis ejus verba me tranſcripſiſſe: *Variantes*, inquit, *habitus ſui formam*. Secundum non *§. 4. n. 14. & 16.* obſcure ipſa eadem Diplomata inſinuant: *Pecuniam*, ait Pontifex, *pro eleemoſynis, aliiſque ſubſidiis depoſcentes: & adeo variantes habitus ſui formam, ut dilectis filiis Fratribus Minoribus uniformes, in derogationem*

multiplicem ipſorum Ordinis crederentur, eiſdem propter hoc minorem apud fideles ſentientibus in ſuis opportunitatibus caritatem. Eadem ferme verba habent Bullæ Gregorianæ. An non tuta conſcientia poſſum adſtipulari verbis Pontificiis?

X. Num. 392. Quanta admiratione, & verborum ponderatione, exaggeras me ad diſtrictum vocare judicium M. Marquez, quaſi doctrinam haud tutam protulerit, quem tu nobilibus encomiis, ſanctis Fulgentio, & Auguſtino attributis, magnifice extollis; & mihi applicas, quæ Proſper Rhegienſis in celebrem detrectatorem occinerat. Unde quæſo hæc fulmina, & fragores? unde miræ hæ animi commotiones? Inde quia Magiſtrum refelli ex unica voce *converſionis* probantem ſanctum Franciſcum fuiſſe Monachum Auguſtinianum. Dixerant Scriptores, eum biennio ante inſtitutam ſuam Religionem ad Dominum fuiſſe converſum, hinc Marquez infert, eos dixiſſe Auguſtinianum: *Etenim*, inquit, *certum eſt in phraſi, ſeu modo loquendi Juris Canonici, & Auctorum approbatorum, terminum, ſeu vocem hanc* converſionis, *non ſignificare qualemcumque vitæ mutationem, ſed illam qua quis mundum relinquit, & Religionem ingreditur.* Ego oppoſitum mitiſſime ex ſacra Scriptura probavi, monuique ampliorem, & communiorem eſſe *converſionis* acceptionem, quam ut ſolis Religioſis poſſit attribui: & ſubjunxi: *neque tutum dixerim contra communem loquendi modum ſacræ Scripturæ ad hunc ſolum ſenſum* converſionis *vocem redigere.* An non hoc & ipſe mecum fateberis, qui ut his paucis verbis ſatisfacias plures ſpecies *converſionis* diſtinguis, & ut Magiſtrum defendas, plures paginas adimples. Atqui alias de hoc

Infra ſect. 7. §. 3. tecum agam, & reſponſionem exactius expendam.

XI. Reſponſ. v. num. 752. & ſequentibus præſertim 803. innumeras congeris querelas, quia ſerio & efficaci diſcurſu impugnandum ſuſcepi chirographum illud emiſſæ profeſſionis ſancti Franciſci in manibus beati Joannis Boni, quod primus objecit Bergomenſis, & rationes urgeo contra recentiores Auctores, qui in fide Bergomenſem citant, & plus dixiſſe volunt, quam aſſeruerit. Mihi in hac re perſiſtendum erat, & enervandum antiquæ ſcripturæ novum inventum, niſi aliter cauſa cedere vellem, & publica tabellarii fide me fateri convictum, ita ut amplius hi-

Num. 799. ſcere non auderem. Et tamdem deduxi cauſam, ut tu admiſeris, hanc Notarii ſchedam non ab ipſo Bergomenſi viſam, ſed quod aliquando extitiſſet, potuiſſe ab aliis audire. Silus teſtis in Piſonem prolato crimi-

Eraſ. l. 6. Apoph. ne, in eum dictum ſe audiſſe dicebat, objecitque Craſsus, qui Piſoni aderat; poteſt fieri, Sile, ut is unde te audiſſe dicis, iratus dixerit. Annuit Silus. Poteſt etiam, inquit, fieri, ut tu non recte intellexeris. Cum id quoque toto capite annuiſſet Silus, ut ſe Craſſo daret, ſubjecit Craſsus. Poteſt etiam fieri, ut omnino, quod te audiſſe dicis, numquam audieris. Tum demum Silum teſtem omnium riſus obruerat. Itane ego in cauſa ſuccumbam, quia Bergomenſis aſſeruit aliquando hanc viſam ſcripturam, & aſſertionis vim, pondus, auctoritatem non expendam? Permittam inſuper, ut quæ tu ad aurem refers, alii oculis attribuant, & quæ ex auditu habuiſſe Bergomenſem admittis; illi certo vidiſſe conſpirent: quantum interſit inter auris & oculi teſtimonium non te putem latere.

Plaut. Truc.

Pluris eſt oculatus teſtis unus; quam auriti decem:
Qui audiunt, audita dicunt, qui vident, plane ſciunt.

XII. His ſimilia ſunt quæ habes reſp. I. num. 10. & reſp. IV. num. 925. & alibi paſſim, ubi de Bergomenſis auctoritate & fide dubitandi cauſas induxi, & primum dixi hujus Monachatus aſſertorem. Quibus rationibus

Digitized by Google

bus id probaverim ex adjuncto Apologetico lector perſpiciet, quantumque tibi tam acriter conquerendi materiam ſubminiſtraverim æque judicabit.

SECTIO II.

Quibus ego laceſſitus injuriis.

I. NOn eo animo offenſarum hunc catalogum intexo, ut meas depromam, ſed ut tuas mitigem querelas, tibique perſuadeam, meam in tuum Magiſtrum ſcripturam fuiſse mitiorem, quam ut tantam mereatur indignationem. Abſque multa injuriarum ponderatione, aut verborum exaggeratione, quæ in me protuliſti, & ex aliis coacervaſti, breviter recenſebo, tibique ipſi judicium committam, ita enim meæ cauſæ, & tuæ conſcientiæ confido, ut *te non dubitem conſtituere judicem eorum, quæ in me a te dicuntur.* *Chryſ. hom.24. in 1.Cor.10.*

II. In ipſo limine offendis, in epiſtola namque præliminari, qua me honorificentius quam mereri, aut rependere poſſim, tuis effers encomiis, admiraris, me in aliquibus minus voluiſse advertere, & in aliis noluiſse minus loqui, deinde aſseris paſſim mihi in Apologetico eveniſse ut vim argumentorum tui Magiſtri detruncarim, teque id paſſim notaturum. Ad lectorem præfaris, me pollicitum offenſas & convitia procul facturum, ſed non feciſse, meque lædentem graviter læſionem ignorare, læſum autem non leviter dolere. Subjungis: me tanto perniciosius mordere, quanto ſuavius & dulcius; per ſuaviloquium enim ais, mentibus legentium ſubtilius & intimius irrepit falſiloquium. Sed hæc leviora ſunt, utpote in Urbe, & poſt noſtræ amicitiæ fœdera conſcripta; ad graviora, dum incognita iraſcebaris, congeſta, pertranſeo. *For. mitius.*

III. Reſponſ. 1. num.1. Eam meæ contra Magiſtrum tuum ſcriptioni excuſationem ultro miniſtrans, (quod homo non Hiſpanus & juvenis, tunc minus bene illum noverim, atque ita ſe excuſaſse Berengarium Pictavienſem, qui pro ſuo Magiſtro Petro Abailardo ingentis acrimoniæ librum ſcripſit contra ſanctum Bernardum, de quo poſtmodum a multis increpatus dixit; *quod adoleſcens ſcripſiſſet, & quod ſibi Viri ſanctitas nondum pene nota eſſet.*) Neſcio an tibi notum ſit, & Abailardum Magiſtrum, & Berengarium diſcipulum hæreticos fuiſse, & juſtæ apud me offenſionis loco haberi quoquo modo hæreticis comparari. Neque adeo impudens ſum, ut me Berengario, neque Marquez tam ſanctus, ut illum Bernardo liceat aſſimilare. Quantus & qualis fuerit Marquez ego probe novi, & paulo inferius dicam, & ſi Hiſpanus non ſim, & taliter in eum ſcripſi, ut me non pudeat junioris, quam exprobras, ætatis. Quæ ego juvenis, ſi ita placet, eidem objeci, tibi juniori negotium faceſſunt, & felix licet ingenium, ita torquebant, ut decennio paulo minus, & magno volumine fuerit reſpondendum. *Vide Petrarc. in Apolo. con. Galli Calumnias.* *Sect.3.*

IV. Pergis me hæreticorum increpationibus inſectari, & totam tuam in me, quam meditaris, Auguſtini Bibliothecam effundere, eiſdem præſertim verbis, quibus ille Julianum, Petilianum, Creſconium, Pelagium, & hujuſmodi damnatæ memoriæ monſtra contrivit. Reſponſ. 11. num. 1. dicis in iis, quæ ex Conſtantio Laudenſi citavi (quæ ad rem facerent omiſſa, & nonnulla quæ veritati obeſſent, ſuper addita, minariſque Auguſtini verbis, contra Julianum dicentis: *Verum ea, quæ prætermiſeris, colligentur fortaſſe vel a nobis, vel ab aliis, ut appareat, cur prætermiſeris.*) Injuſte autem me hic de prætermiſſis, aut ſuperadditis *Vide Her. reſp.2. n.63. & reſp.4. n.11. & 345. & 437.* *Aug. lib.1. oper. imperf. con. Jul. n.19.*

Infra ſec. 5. §. 4. accuſari apparebit, cum de Conſtantii teſtimonio mihi denuo fuerit agendum.

V. Num. 16. Aſſeris me in duobus deceptum, videlicet circa cognomen genitoris Joannis Boni, & circa numerum annorum, inaniter in ſeculo exactorum; deinde me pervertiſſe, quæ negare non potui; atque his applicas illa verba Joſephi Hebræi: *Hæc autem Deo volente contigiſſe opinor quo minus apud Jeroboamum Jadonis verba fidem non invenirent de mendacio ſuſpecti*. Aliter hæc habentur in meo codice & translatione Ruffini Aquilejenſis, & in cap. 9. non tertio, uti tu citas. Utcumque vero ſe habent, qua proprietate mihi accommodari poteſt illa mors Jadonis ſancti Prophetæ, a leone occiſi, ita permittente, ſeu volente Deo, propter peccatum inobedientiæ, uti loquitur ſacra Scriptura, vel ut exiſtimat Joſeph, ne reſipiſceret Jeroboam a via ſua peſſima, & nequaquam metueret verba Prophetæ ita miſere defuncti, prorſuſque indigni cui crederetur, quippe de mendacio ſuſpecti? An ego hic mentitus ſim, aut Conſtantii textum perverterim, inferius apparebit.

Joſeph. antiquit. l. 8. c. 9.

3. Reg. 13. v. 21.

Sect. 5. §. 4. n. 20.

VI. Reſponſ. III. num. 6. longo diſcurſu, multiſque rationibus inveheris in illa verba: *Non omnes Evangeliſtæ omnia eademque ſcripſerunt: at quod unus omiſit, alter ſupplevit, præcipuas, fideique noſtræ proficuas actiones notavit*. Quid hic tam inſulſe dictum, a fidei regulis tam devium, ut gravem hanc ſubinferas cenſuram? (Dici non poteſt a viro Catholico omnes Chriſti actiones, quæ ſcriptæ non ſunt in Evangeliſtis, non eſſe præcipuas, aut non eſſe fidei noſtræ proficuas.) Hujuſmodi conſequentias deduci ex illa univerſali vocula *omnes*, a te ubique in hoc diſcurſu ad meam aſſertionem adjecta. Tu efformas propoſitionem & cenſuram affigis. Ipſe Antoninus, quem contra me profers, nonne ſuis verbis, etiam a te adductis, meis adſtipulatur? *Ipſi etiam*, inquit, *Evangeliſtæ inter ſe mutuo ſuppleviſſe leguntur, quæ ab eorum aliquo, vel aliquibus ſunt omiſſa*.

Anto. 3. p. tit. 19. cap. 1. § 9.

VII. Num. 84. Objectionem quamdam meam trimembrem ais (triplici inniti funiculo, ſed qui facile rumpi poſſit triplici gladio, *ut tamquam*, ſubjungis ex Auguſtino contra Petilianum *tridenti telo velut tricipitem beſtiam, eorum calumniam trucidemus*.) Quid mihi cum Petiliano Donatiſta, Auguſtini acerrimo convitiatore, & veritatis Catholicæ vehementiſſimo oppugnatore? Quid mihi cum Maximianiſtis Arianis, quorum doloſam traditionem, ſævam perſecutionem, & falſum baptiſma, tamquam tricipitem beſtiam tridenti telo dixit Auguſtinus trucidandam? An ita tibi monſtruoſæ, aut feræ rationes meæ videntur, ut hoc nomine veniant appellandæ?

Auguſt. cont. Petilian. l. 1. c. 27.

VIII. Num. 95. Simili modo argumentaris contra mea verba, quibus aſſero ſtudium, & affectum, monſtra & errores in hac hiſtoria peperiſſe, & poſtquam innuis hæc ex ſtomacho & bile procedere, & inter convitia, & offenſas cenſenda, ſubjungis ex Auguſtino contra eumdem Petilianum: (*Et ne dum ego dixero: nos ſumus oves, vos autem lupi, ideo putes intereſſe aliquid, quod tu illa verbis turgidis dicis*.)

Auguſt. l. 2. c. 73.

IX. Num. 109. Ut impugnes meam aſſertionem, qua dixi introductam Regulam ſancti Auguſtini in Congregationem Joannis Boni poſt annum MCCXXXIII. trium Pontificum ſtatuis tibi opponenda teſtimonia, (ut oppoſitam, inquis, exiſtimationem, *velut giganteos montes*) verba ſunt Auguſtini de geſtis Pelagii (*adverſus ſupereminentiam gratiæ cœleſtis ſtructos, tribus divinorum teſtimoniorum, tamquam fulminum ictibus dejiciamus*.) Appoſite ſane triviale hoc dubium de tempore conceſſæ Regulæ ſancti Auguſtini, comparatur graviſſimæ noſtræ fidei controverſiæ de gratia cœleſti; & pacifice contra me proferuntur verba de geſtis impii Pelagii.

Aug. c. 50.

X. Num.

Digitized by Google

X. Num. 120. quia quædam verba Conſtantii Laudenſis, quæ alias ab eo dictis repugnant, & ego infra manifeſte refellam, non produxi, aut abſque ulla veritatis injuria omiſi, dicis hæc ultima verba ſuppreſſiſti *Sect.5.§.4.* vel deglutiiſti, *ſed hæc verba, quæ pauca ſunt numero* (ita Auguſtinus de geſtis Pelagii *magna ſunt pondere*. Et infra ex eodem Auguſtino contra *Aug. c.2.* Creſconium Donatiſtam iſta ſubnectis: *Non dico videre noluiſti, quia prorſus non attigiſti, ſed tanto attentius, acutiuſque vidiſti, quanto magis attingere timuiſti.*) Et reſponſ. 11. num. 13. hac eadem de cauſa alias cumulaſti auctoritates ex eodem Doctore contra Petilianum & Pelagium. *Idem l.2. c.18.*

XI. Reſponſ. IV. num. 225. probaturus, habitum Eremiticum ab Auguſtino ſumpſiſſe originem, & non a conſtitutionibus Gregorii IX. varias ordinationes Pontificis circa habitus Canonicorum Regularium, & Monachorum ſancti Benedicti, & ſancti Bernardi, ex quibus ſubinfers, a Religionum iſtarum Inſtitutoribus non per illas conſtitutiones habitus fuiſſe præſcriptos. Quod ſi ego hoc negaverim iſtis Religionibus, me ita redarguis, quam proprie vero, aut apposite, ipſe videris, & quam bene conveniant huic rei auctoritates Hieronymi, & Auguſtini, quas ſubnectis. Dicis itaque gaudebimus numerari cum talibus; ut poſſimus dicere cum Hieronymo: *Porro quod Pamphilum proferunt laudatorem ejus*, ſcilicet Origenes, *gratias illis ago meo nomine, quod dignum me putaverunt, quem cum Martyre calumniarentur*. Vel cum Auguſtino *Hieron. epiſt. ad Pammabc.Ocean.* (nimirum contra Julianum Pelagianum) *Cernis, quam tibi pernicioſum ſit tam horribile crimen objicere talibus*, (videlicet Hilario, Ambroſio, & his ſimilibus) *& quam mihi glorioſum ſit quodlibet crimen audire cum talibus*. Oro te ut conſideres, quam æqua in iſtis comparatio, & quam apte ſanctiſſimorum Doctorum verba tuo inſerviant Inſtituto. *Auguſt. l.2. c.4.*

XII. Num. 241. Quia dixi Innocentium IV. immediatum Gregorii IX. ſucceſſorem, cum interceſſerit Cæleſtinus IV. paucorum dierum Pontifex, ais: permiſit Deus ut in re notiſſima in limine errares, ut agnoſceremus quale futurum eſſet ædificium: ut ex errore præliminari interiores inſidias caveremus. Quam bene hæc æquiparentur, qui legerit, expendet. Quomodo autem ego dixerim Innocentium immediatum *Sect.7.§.1. n.21.* Gregorii ſucceſſorem, alias explicabo.

XIII. Num. 286. Dixeram Eremitarum renitentiam circa habitum a Gregorio IX. præſcriptum ſuſcipiendum, non potuiſſe tolli per tot Pontificum Diplomata. Tibi viſum eſt ita te probaſſe contrarium ex verbis Innocentii IV. & Alexandri, ut quodammodo, inquis, poſſimus accommodare illud Auguſtini (ſcilicet contra Julianum) *Uſque adeo per-* *Aug. l.2. c.10.* *miſcuit ima ſummis longa dies; uſque adeo tenebræ lux, & lux tenebræ eſſe dicuntur, ut videant Pelagius, Cæleſtius, & Julianus, & cæci ſint Hilarius, Gregorius, Ambroſius? Eligat quiſque quod placet*, cum Auguſtiniano (nimirum contra Parmenianum Donatiſtam dixero, *& ſi contra cæle-* *Idem l.1. c.2.* *ſtia fulgura mendacii terreni fumus aliquid prævalet, dimiſſo cælo evaneſcat in ventos*.

XIV. Num. 333. Per ſingulas partes habitus Eremitici, ex quo ſanctum Franciſcum ſibi vendicant Auguſtiniani diſcurrens, probavi, inefficax ex iis deſumi argumentum. (At argumentum noſtrum, inquis, longe eſt aliud, ut quando illud Waddingus in hanc formam induxit, ſeu reduxit, dicere cum Auguſtino poſſimus, *aut non intelligit, aut non vult* *Idem l.2. de nup. c.23.* *intelligere quid dicamus; ſed ſi non intelligit, præoccupatione impeditur erroris; ſi autem non vult, quid dicamus intelligere, pervicaciæ vitium eſt, quod ſuum defendit errorem.*) Quid in mea argumentatione adeo diſplicuit, ut vel erroris, vel pervicaciæ inſimularetur? Quod ſcilicet ego re-

Digitized by Google

reprobavi per partes, quod objectum eſt integrum. At & per partes habitum diſtinxit Marquez, & per ſingulas diſcurrens, eas ſuo appropriavit Inſtituto, primum de tunica, ſecundo de calceis, tertio de lato cingulo, quarto de baculis in hunc finem latiſſime diſſeruit. Nonne & tu ipſe ſimiliter ampliſſime diſtinctis ſectionibus, appoſitiſque propriis titulis, de ſingulis his partibus diſcurris, ut probes unamquamque convenire, & appropriari Religioni Auguſtinianæ? Demum numquid non & ego integrum habitum, eo modo ab Auctoribus collatum, huic Monachatui aſſerendo ſæpius & ſerio probavi nullius eſſe virtutis?

Marq. l. 12. §. 3.

XV. Num. 352. Communi nuncupatione *Zonæ* dixi intelligi tam exiles, aut teretes nobilium, vel fœminarum zonas, quam etiam amplas vel robuſtas militares, ut videre eſt apud obſervatores lectionum antiquarum. Ad hæc ſola verba audi quas affigis. (Illud, dicis, ſubjungam circa obſervatores lectionum antiquarum, quos citas, quod alibi dixit Auguſtinus, ſcilicet contra Julianum: *Quis hæc audiat, & non in ipſo nominum ſectarumque conglobatarum ſtrepitu terreatur; ſi eſt ineruditus, qualis eſt hominum multitudo, & exiſtimet te aliquem magnum, qui hæc ſcire potueris?*

Aug. l. 4. c. 15.

XVI. Num. 369. Ad illa mea verba: *Fidenter dixerim inefficaciter Marquez probare in veſte ſuæ conſimili inceſſiſſe ſanctum Doctorem*, magnam hanc gloſſam adjungis. (Fidenter dixeris. Quis prohibeat? dicam tamen illud Auguſtini ad Petrum Presbyterum per quamdam accommodationem: *Rem tam novam atque a diſciplina Eccleſiaſtica, & a regula veritatis alienam, cum libris ſuis auderet inſerere; non ait, puto, non ait, exiſtimo; non ait arbitror, non ait ſaltem, ſuggero, vel dico, ſed cenſeo, ut ſcilicet ſi offenderemur novitate, ſeu perverſitate ſententiæ, terreremur auctoritate cenſuræ. Videris tu Frater, quomodo ſuſtinere poſſis iſta docentem*. Fatebor tamen (ut ad Creſconium dixit Auguſtinus) *facunde dicis vana, & acute diſputas falſa*, eo tamen periculoſius venenum; *ſurrepit enim falſiloquium per ſuaviloquium*, ut alibi Auguſtinus, *& valde ſunt noxia prava diſerta, quia hominibus minus eruditis, eo quod diſerta ſint, videantur & vera*.) Quot hic unius verbi congeſtæ cenſuræ?

Idem lib. 2. de anima c. 11.

Idem lib. 1. c. 13.

Idem l. de anima cap. 6. & 10.

XVII. Reſponſ. v. num. 747. contendis, me haud fideliter retuliſſe teſtimonium Marquez, quod fideliſſime, me produxiſſe alias conſtabit, & adnectis. (Ecce quam fidem mereatur in relatione antiquiorum Auctorum, qui tam mala fide relator, & interpres retulit teſtimonium doctiſſimi noſtri temporis Viri, ut dicere poſſimus aliqualiter cum Auguſtino: *Jam vero quod etiam de Cirtenſi Eccleſia dicere voluit, & Epiſcopos ibi Catholicos maledictis inſectatus eſt, quibus voluit; quid aliud egit, niſi ut vituperando ſanctos etiam noſtrorum temporum Viros, nobiſque optime cognitos, ſatis oſtenderet, quid etiam de ignotis, quibus ſimiliter maledicit, ſentire debeamus*.)

Infra ſect. 8. §. 6.

Idem lib. de unico baptiſmo c. 16.

XVIII. Si omnes hujuſmodi aliorum acres locutiones, in hæreticos ut plurimum prolatas, & in me retortas, exſcribere vellem, prius lectori nauſeam adveherem, quam finem faceret legendi. Omitto alia quæ minus ſuaviter in me dixiſti, quale eſt illud reſponſ. 4. num. 34. doctum quondam noſtrum amicum Franciſcum Bivarium de re hiſtorica, & antiquitatibus Hiſpaniæ optime meritum, aliter ſcripſiſſe de habitu Eremitico, quam veritas patiatur, ut mihi morem gereret, vel ne mihi in aliquo adverſaretur. Dignus profecto erat Bivarius, ut melius inter Hiſpanos audiret, quam ut affectui, aut aſſentationi ſcripſiſſe diceretur. Adde quod habes eadem reſponſione 244. quod mea me confuſione confundo, & fallor; reſponſ. v. num. 693. quod fruſtra contendo; quod meus labor eſt caſſus & craſſus, quod nego librum Jordani, vel per-

Digitized by Google

pervertendo, aut evertendo verba, quæ nocent: & alibi his ſimilia. Et tamen in apoſtrophe, & voluminis termino, quaſi omnia pacifice, & mitioribus verbis tranſegeris, illis Ambroſii Catharini tuam commendas modeſtiam. *Quod vero ad modeſtiam & manſuetudinem attinet, opinor, agnoſcet pius lector, etiam pluſquam rei ferret indignitas, ſæpenumero imperaſſe me ſtomacho, cohibuiſſeque juſtum quemdam animi mei impetum.*

Catha. opuſc. contra Caet. in præf. ad Mag. Generalem.

SECTIO III.

Magiſtri Marquez auctoritas ab ipſo propugnatore depreſſa.

I. Miris encomiis, & magnis elogiis ita Magiſtrum tuum extollis, ut verendum ſit, ne potius invidiam, quam famam concilies, & omnes ægre ferant, unum omnibus præferri. Reſponſ. I. num. 12. Phœnicem vocas Hiſpaniæ, Salamanticæ Aquilam, qui (uti de Tertulliano dictum eſt) *nihil pene ſibi ad expugnandum propoſuerit, quod non aut acumine irruperit, aut pondere illiſerit*; deinde ejus ingenium aſſeris orbi fuiſſe portento. Reſponſ. II. num. 78. iterum Phœnicem appellas Hiſpaniæ, in omnibus perſpicacem, diligentem, ſollicitum, & providum. Reſponſ. III. num. 69. talem eſſe affirmas, ut qui cum illo contendit, ſatis gloriæ habeat, quod cum illo certaſſe feratur; ut de iis, qui cum illo certamina appetierunt, dici poſſit, quod de Maximianiſtis Auguſtinus dixit: *Magis de certamine nominari deſiderabant, quam formidabant in certamine ſuperari; nec ſperabant victoriæ gloriam, ſed famam requirebant*. Reſponſ. IV. num. 333. ingenium dicis acerrimum & perſpicaciſſimum, toti Hiſpaniæ, imo & orbi notiſſimum. Num. 392. linguam appellas, & ingenium ſcholæ Salmanticenſis, quo nomine inſignis Antiſtes Fulgentius Ruſpenſis audiebat, & celebris recordationis virum, quem *nunquam*, ut de Auguſtino dixit Cœleſtinus Pontifex, *ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem rumor aſperſit*.

Marquez nimiũ commendabat.

Vincent. Lyrin. l. con. har. c. 24.

Auguſt. l. 3. contra Jul. c. 1.

In vita S. Fulg. cap. 20.

Cœleſtin. in ep. ad Epiſc. Galliæ.

Qualis fuerit.

II. Præclarum certe tecum ego dico Virum, multis dotibus inſignem: tribuo, & optimas litteras, multarum artium diſciplinam, ingenii acumen; non adimo leporem, dicendi copiam, concionandi venuſtatem; deinde ſi qua illi honeſta alii concedunt, non repugno. At Hiſpaniæ, clariſſimorum feraciſſimæ, Phœnicem, & unicum veluti prodigium non auſim nuncupare; neque Salmanticenſem Academiam adeo elinguem, aut hebetem dixerim, ut hunc ejus linguam, aut ingenium appellarim. Non alios ita humi repere, ut illum tamquam Aquilam ſupervolitaſſe exiſtimem, neque defuiſſe per varias Religiones celeberrimos viros, in quorum conſpectu hujus ingenium haud potuerit toti orbi eſſe portento. Intra ipſa tui Cœnobii Salmanticenſis clauſtra cum illo floruerunt tres, (heu quales viri!) egregiis dotibus illuſtres, ſua quiſque ſuperior. Auguſtinus Antolinez; quem digne laudas, uti primaria cathedra, ita pietatę, & univerſaliori rei Theologicæ peritia eminentior, Franciſcus Cornejo, judicii pondere, Baſilius Ponce Legionenſis ingenii ſubtilitate, & Juris Pontificii peritia præponendi. Alios etiam undequaque nobiles aliæ Religiones habuere Magiſtros, quorum ſplendorem illius radii non offuſcabant. In cathedra, in re ſcholaſtica multi non cedebant, aliqui excedebant, e ſuggeſto raro dicebat ad populum, ſed venuſte, ſed eleganter: alii plerique tunc in Hiſpania frequentius & fructuoſius, neque minus jucunde. Nonne & ipſe præfers tui Sodalitii virum percelebrem, Didacum de Andrade, quem unicum vocas hujus ſeculi

Reſp. 3. n. 88.

Reſp. 3. n. 92.

Digitized by Google

culi prædicatorem? Multa Marquez accepit a Deo talenta, ſed non omnia, aliquod, idque optimum, defuiſſe ipſi tui conſodales feſtive jocabantur. An & ego hominem norim, & ſi Hiſpanus tibi non ſim, ex hac deſcriptione perſpicies. Novi equidem & peroptime: non ſemel prædicantem attentius excepi, cum veneratione diſſerentem audivi, ſæpe & familiariter domi hærentem adivi, in publicis congreſſibus mihi faventem, & amice blandientem reverenter amavi.

Vide Reſp.1.n.1.

A diſcipulo ſæpe corrigitur.

III. At ex Theologo & Aſcetico repente factus Hiſtoricus, multa ſcripſit, quæ non omnibus probentur, neque tu ipſe probas: ſed aperte refellis. Longo præludio in operis limine Reſp. 1. n.12. humanæ infirmitatis conditione falli, & errare potuiſſe demonſtras; deinde paſſim ejus redarguis aſſerta. Reſp.11. n.6. libenter fateris erraſſe in anno nativitatis beati Joannis Boni, & n.27. deceptum ais in anno, quo in Eremum abiit, & in eo, quo Regulam ſuſcepit ſancti Auguſtini num. 78. Mones perperam aſſeruiſſe Bullam indagandæ vitæ, & miraculorum ejuſdem directam fuiſſe Epiſcopo *Mantuano*, cum debuiſſet dicere *Mutinenſi*, uti vere præfert Bullæ inſcriptio, & ipſe Marquez ex Bzovio tranſcripſit. Reſponſ. 3. num.45. ſimilem notas errorem circa Epiſcopum *Aſſiſiatem*, quem in *Fulginatem* paſſim commutavit. Num. 108. & ſeqq. uſque ad 121. late probas erraſſe circa annos vitæ Anachoreticæ Joannis Boni. Num. 117. & ſeqq. eum reprobas, dum ſcribit, Joannem vixiſſe in Conventu Mantuano aliquibus annis. Reſponſ. v. num. 149. ex revelatione Veronicæ de Binaſco ſtatuis contra Marq. beatum Guillelmum Aquitanum fuiſſe Sacerdotem. Num.169. tuam ſententiam tribus propoſitionibus diſtinctam circa Regulam, aut inſtitutiones Guillelmitarum ante Gregorii IX. Pontificatum aperte aſſeris Magiſtro Marquez eſſe inimicam, ſed veritati amicam. Num. 209. Duabus propoſitionibus rejicis ejus ſententiam circa ſtatum & Regulam Eremitarum Tuſciæ. Num.345. Bis deceptum ais circa diem datæ epiſtolæ Innocentii III. quæ incipit *Inſinuante*, & habetur lib. 4. decretalium tit. *Qui Clerici, &c.* Num.420. teſtimonium Henrici de Urimaria aliter haberi advertis in codice MS. Romano, quam Marquez tranſcripſit. Num 738. & ſeq. in duobus illum erraſſe ingenue fateris, dum Marcum Antonium Sabellicum Enneadum opus ſcripſiſſe ante Bergomenſis Supplementum affirmat, & conſequenter num. 742. dicis, male Marquez mordicus hoc conſueviſſe. Alia his ſimilia alibi notas; & Auctores quandoque male citaſſe animadvertis.

Marq. c.23. 5.2.

Reſp. 1. n.12.

IV. Si tot tibi licuit in Magiſtro reprobare, cur non & mihi in adverſario? Vel ſi in ea perſiſtis ſententia, quam alias tradidiſti, ſufficiat ſolum Marquez re mature perpenſa dixiſſe, aliquid probabile eſse, ut a Viris ſanctæ mentis probabile reputetur, cur tot ejus aſſerta manifeſte refellis? vel ſi aliter ſentis, & iſta judicas improbabilia, cur etiam mihi ab ejus ſententia non liceat recedere, & improbare quod probabile reputavit. Poteram ego & alia in ejus volumine indicare, & reprobare, ſed dum ad meum argumentum non adeo directe conducebant, volui potius præterire. *Non enim conſuevi eorum inſultare erroribus, quorum miror ingenia.* Tu propugnandum ſuſcepiſti, & in multis impugnas: vereor ne, uti Hieronymus dixit de Origenis amicis, *ſi ipſe adhuc viveret, tibi ſuo fautori iraſceretur.*

Hieron. epiſt. 65.

SE-

Digitized by Google

SECTIO IV.

Defenduntur quæ in §. primo Apologetici habentur.

I. ALiquantulum mihi in meo Apologetico complacui, & prout ſolent omnibus ſui fœtus placere, mihi iſte tractatulus arriſit, poſtquam multorum virorum haud vulgarium judicia ſubivit. Sed heu me miſerum! quantum mea me fefellit opinio, quamque aliter nunc ſentire oportet, lecta illa tua gravi cenſura, Auguſtini verbis concepta, qua poſt decurſam primam Apologetici partem, reliquam tibi per ſingula membra proponis refellendam. *Quamquam*, inquis, *ad placitum veſtrum convincendum, & ſi volueritis, corrigendum, ſatis ſuperque potuerint iſta ſufficere, ne tamen quiſquam arbitretur, aliquod te* in Apologetico *poſuiſſe, quod refellere non valerem, aut in quo te* præcipuis M. Marquez fundamentis *nihil idoneum reſpondiſſe, demonſtrare non poſſem, ſequenti volumine cetera videamus. Et quia multi ſunt*, ait alibi Auguſtinus, *quia ſervire nos convenit, qui omnia depulſa eſſe non putant, niſi locis ſuis etiam ſingula pertractentur*, *reſidua ſermonis tui ex ordine refellenda percurram.*

Reſp. 5. n.7.

Totum Apologeticum conatur refellere.

Auguſtin. lib. 2. contra Creſc. cem. c. 37.

Idem lib. 3. c. 1.

II. At fortaſſis hæc aptius & verius ab Auguſtino contra ſuum, & Catholicæ veritatis hoſtem ſcripta ſunt, quam a te contra me amicum tuum, & ejuſdem fidei conſortem cenſeantur reſcripta. Non adeo me ab humana illa infirmitate liberum aliquando judicavi, ut in aliquibus errare non potuerim; neque tamen adeo infirmum, & ignorantiæ tenebris obvolutum, ut nihil dicere potuerim, quod tu refellere non valeas, & monſtrare me nihil idoneum præcipuis M. Marquez fundamentis reſpondiſſe. Ita magno quidem labore conatus es oſtendere, ſingulas ſectiones, ſingulos numeros, omnes rationes, etiam verba aliquando redarguens, & apices, ita ut inſuper moneas, potius *ſultem* quam *ſaltim* eſſe ſcribendum. Ego iterum meum Opuſculum ad examen revocabo, rationum pondus librabo, & fortaſſis non adeo leves apparebunt, ut tuæ valde præponderent. Cuperem præcipuas materias breviter percurrere, & totam controverſiam ad pauca capita reducere, ſed ne videar tua objecta deſpicere, aut pondus declinare, a tua methodo non recedam, & præter ea, quæ retuli, te mecum in M. Marquez rejeciſſe, oſtendam haud ita eſſe inania omnia a me producta, ut a te ſingula valeant refelli.

Irrito tamen conatu.

Reſp 5. n.746.

Ad ſingula objecta reſpondebitur.

III. Omitto quod primis tui libri verbis meam præfationem, ſeu argumenti propoſitionem dicis *ſpecioſam & ſpatioſam*; neſcio enim an tibi adeo *ſpecioſa* apparuerit, qui ſingula ferme verba tentaſti convellere: & quam *ſpatioſa* ſit, ipſe melius expendes, dum ad paucas meas pagellas, & numeros dumtaxat tres, longam tuam reſponſionem, pluribus numeris, & integris diffuſam, velis conferre. Ab eo impugnationem ordiris, quod ego dixerim ab Eremitica vita ſancti Franciſci ſumptam occaſionem poſt trina integra ſecula eum Eremitis Auguſtinianis adjudicandi. Opponis primo Henricum Urimarium, & Jordanum Saxonem ante elapſos a Monachatu centum annos ita ſenſiſſe. De horum fide, & ſcriptionis tempore infra dicemus. Secundo dicis Bergomenſem, quem ego contendo hujus opinionis primum fuiſſe auctorem, opus ſuum edidiſſe anno MCCCCLXXXVI. a quo ſi recurras ad annum MCCIX. quo Franciſcus habitum depoſuit Eremiticum, enumerantur anni CCLXXVIII. & ad tria integra complenda ſecula viginti duo probantur deeſſe. Hæc eadem repetis reſponſ. v. num. 763. & num. 799.

An poſt integra ſecula tria excogitatus hic monachatus?

Sect. 8. §.1. & 2.

IV. Solutionem ipſe indicas exhiberi poſſe ex illis verbis Matth. 27. *Poſt tres dies reſurgam* (quæ tamen non ſunt ipſius Chriſti, ut tu dicis, ſed Chriſti inimicorum Pilato dicentium: *Domine recordati ſumus, quia ſeductor ille dixit adhuc vivens; poſt tres dies reſurgam.*) Et certe per Synecdochen aptiſſime & proprie ſalvari poteſt, quod vere apud Marcum Chriſtus ipſe dixerat. *Oportet filium hominis &c. & poſt tres dies reſurgere*; nec non illa præfigurata locutio: *Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, ſic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.* Et tamen ex ſeptuaginta duabus horis quibus tres dies, & tres noctes complentur, non niſi quadraginta horis ſecundum animam in inferis morantem, & triginta ſex ſecundum corpus in ſepulcro exanimatum fuit Chriſtus in corde terræ. Nihilominus tamen propriam & veram fuiſſe locutionem, ſancti Patres, ſacræ paginæ interpretes conſtanter defendunt, & Auguſtinus his verbis aſſeveranter affirmat: *Manifeſtum eſt occiſum Dominum poſt triduum reſurrexiſſe*; licet tridui dimidium, vel media pars horarum tribus complendis diebus defuiſſet. Rigoroſe itaque mecum agitur, dum tercentum annis abſolvendis viginti duo dumtaxat, ut tu hic recenſes, vel unus ſupra viginti, ut alibi bis affirmas, ſive potius novemdecim, uti ego numero ab anno MCCVI. quo habitum Eremiticum Virum ſanctum obduxiſſe contendo, deſiderari probantur.

An triduo mortuus Chriſtus?

Marc. 8. v. 31.
Matth. 12. v. 40.

Vide Suar. to. 2. in 3. p. diſp. 45. ſect. 3.

Aug. tract. 11. in c. 2. Joan.

Reſp. 5. n. 763. & 799.

V. Sed quia urges, & vim facis in verbo *integra*, & tria contendis non integrari ſecula, dum illi pauculi anni deficiunt, præterquam quod ego infra in eodem Apologetico, non niſi tertio poſt Franciſcum ſeculo Monachatum hunc adinveniſse Bergomatem dixerim, quod ad tempus a te præfixum æque recurrit, quodque tu cum hoc loco amice potuiſses conciliare: adhuc oſtendo nihil deeſse, ut a ſuſcepto habitus tempore uſque ad aſsertionis metam tria integra ſecula compleantur. Tres ipſe refers editiones operis Bergomenſis. Poſtremam Auctor paravit in ſua patria anno quinto ſupra milleſimum quingenteſimum, uti habetur in fine epiſtolæ ab eodem ſcriptæ ad Aloyſium Taſſum, Parentinum Epiſcopum, quæ habetur in calce operis impreſſi Venetiis anno ſequenti, ſcilicet milleſimo quingenteſimo ſexto per Georgium de Ruſconibus. A toto itaque tempore hujus aſsertoris, & ſcriptionis ejuſdem, mihi licet numerare, & ab hoc anno poſtremæ editionis computum reducere ad annum MCCVI. ſuſcepti habitus Eremitici, qua ratione unus ſupra centum annos cenſebuntur. Vide ergo ſi quid deſit ad tria integra ſecula conſummanda.

§. 5. n. 1.

VI. Addo, latiorem eſse *ſeculi* menſuram, quam ut uno centum annorum ſpatio comprehendatur. Recte cum Servio notarunt alii, pro *ſeculo* communiter intelligi unius hominis ætatem, quæ raro ad annorum centenarium pertingit; frequenter etiam accipi *ſeculum* pro centum annis; aliquando pro centum & decem, nonnumquam putant ſeculum annis mille contineri, aliquando annos triginta habere, atque ita explicant illud Virgilii 8. Æneid.

Seculum quid ſignificet.

Servius in 8. Æneid.

Sed mihi ſera gelu, ſeclisque effœta ſenectus.

Quo etiam ſenſu dixit Ovidius 3. Metamor. *Vitam noſtram tot ſeculis agi*, & Lucret. lib. 2. *Animantium ſæcla brevi ſpatio mutari*; & ibidem *genus humanum parere omnia ſecla ferarum*, & lib. 5. non improprie vocat *ſæva ſecla leonum*. Si ergo tantam habet latitudinem vox *ſeculi*, cur adeo ſtrictim mecum agis? & ſi communiter ea voce hominum ætates intelliguntur, expende an ab illo anno ſuſcepti habitus, uſque ad aſsertionem Bergomenſis tres integræ hominum ætates defluxerint?

VII. At objicis, me ſimiliter redarguiſse M. Marquez, quod Jorda-

Digitized by Google

danum ante ter centum annos ſcripſiſſe aſſeruerit, cum ante annos ſaltem CCLX. ſuum opus compoſuerit. Sed ego alibi, cum de Jordani opere & ætate dicendum fuerit, objectionem hanc diluam, & quantum a vero annorum cenſu receſſerit Marquez, aperiam. Quod autem ſubjungis, me minus fideliter referre M. Marquez aſſeruiſſe, Jordanum ſcripſiſſe ante ter centum annos, cum ille ſolum dixerit, Jordanum eſſe Auctorem pluſquam trecentorum annorum, quod longe diverſum eſt. Mihi certe uterque loquendi modus idem prorſus ſonat; cum enim de peculiari opere alicujus Auctoris agitur, & ex illo codice aliquid citatur, præſertim in confirmationem rei chronologicæ, ut probetur antiquitas, ſeu tempus aſſertionis, vel rei, de qua agitur, idem omnino eſt dicere, ita ſcripſit Jordanus ante tercentum annos, ac ita habet, aut teſtatur Jordanus, qui eſt Auctor pluſquam tercentorum annorum. Parum enim refert, ſi prius, vel diutius vixerit libri Auctor, aut ante, vel poſt citatum opus alios libros ediderit; dicitur enim *Auctor* peculiariter reſpectu illius libri, ex quo rei aſſertæ tempus intentatur probari. Atque ut tuo utar exemplo: qui ex retractationibus ſancti Auguſtini velut antiquitatem, ſeu tempus rei geſtæ, aut alicujus doctrinæ in libro illo primum traditæ a ſancto Doctore probare, non id recte faciet, niſi ſtatuendo peculiarem annum, aut determinatum tempus, quo retractationes ediderat; nihil enim huic intento conducit, ſi multis antea vixerit annis, aut alios libros compoſuerit. His adjungo, me fideliſſime dixiſſe ita aſſeruiſſe M. Marquez: non ſolum etenim dixit, Jordanum eſſe Auctorem tercentorum annorum, verum & paulo infra in eodem cap. §.3. aſſerit, de hoc Monachatu ſcripſiſſe ante annos tercentum.

Sect.3. §.2.

Auctor proprie quis dicendus eſt a tempore ſcriptionis.

VIII. Num. 10. ad illa mea verba: *Satis ſe obtinuiſſe putat Marquez, ſi quam ex ſuis conſodalibus certam judicarunt opinionem, ille ſaltem probabilem eſſe convinceret*; opponis, nullum ex tuis Confratribus certam judicaſſe. Vellem ſcire quo ſenſu accipienda ſint illa verba Bergomenſis, quæ ego in Apologetico ex ipſo tranſcripſi: *Inter beati Joannis Boni diſcipulos*, inquit, *ſanctum Franciſcum fuiſſe conſtat*. Bis refert id comprobari authentico tabellarii chirographo; neque hæc ullatenus retractaſſe probat Marquez, adducto alio ejuſdem poſteriori teſtimonio, quo aſſerit *Ordinem Minorum ex Auguſtino tamquam fluvium ex optimo fonte emanaſſe*. Hieronymus Romanus eadem certitudine, & orationis ſerie, refert Nicolaum Tolentinum, & Franciſcum Aſſiſiatem fuiſſe Eremitas Auguſtinianos, & paulo poſt longo diſcurſu probat, eumdem Virum ſanctum ex Auguſtinianis prodiiſſe, ut ſuam inchoaret Religionem. Et præter alia dicit, veritatem hanc mille Auctores docere, & ſe hoc oſtendere duobus teſtimoniis indubitabilis fidei. Deinde diſcurſum abſolvens ait, ſe credere, veritatem hanc ſufficienter probaſſe. Jordanus etiam de Saxonia, vel qui auctor eſt libri de Vitis Fratrum, nonne certiſſimæ narrationi Diplomatis Apoſtolici tamquam rem certam hanc aſſertionem interſerit? Loquens enim de diſcipulis Joannis Boni, *inter quos*, inquit, *fuit beatus Franciſcus, qui Ordinis poſtea Minorum fundator fuit*. Vide quæſo an hi habuerint pro certo, quod Marquez probabile tantum judicavit.

Quam certam hác judicent Auguſtiniani opinionem.

§. ult. n. 14. & ſeqq.

lib. 13. ſuppl. an. 1224.

Rom. lib. 2. reipub. cap. 6.

Jordan. l. 1. c. 8.

IX. Num. 14. Dum ego aſſero, me veritatem dumtaxat in hac controverſia indagare, neque aliunde moleſte me ferre alienum honorem qui ex meo conſurgit, aut ægre me audire Patres Eremitas ex mea gloria ſuam capeſſere; objicis quod hic me laudem, aut excuſem, & in epiſtola nuncupatoria condemnem Reverendiſſimum Patrem Bernardinum Senenſem, tunc familiæ noſtræ Ultramontanæ Commiſſarium Generalem, poſtea totius Ordinis Miniſtrum Generalem, deinde Epiſcopum Viſen-

Unde ægre ferenda hæc controverſia?

Digitized by Google

ſem in Luſitania, quod dixerim eum ſemper ægre tuliſſe adverſum Patrum Eremitarum conatum. Nulla hic, religioſiſſime Vir, mihi apparet contradictio, aut verborum oppoſitio, ut ego dicar me excuſare, & graviſſimum Virum carpere, idem enim mihi cum illo ſenſus, eadem audiendi moleſtia, & ferendi ægritudo, dum enim uterque judicat PP. Eremitarum in hac re ſtudium a veritate aberrare, propterea, & ille ægre fert illorum adverſum conatum, & ego omni conatu, & ſerio ſtudio laboravi, Apologeticum concinnavi, ut exulantem in hac controverſia veritatem veluti per fimbrias apprehenſam revocarem. Aliter enim (uti illic intuli) ut quid moleſte ferrem illorum honorem, qui ex meo conſurgit, aut ægre audirem illos ex mea gloria ſuam capeſſere? Veritatis ſtudium æque utrumque afficiebat, æque uterque moleſte ferebat contra veritatem hanc litem moveri.

SECTIO V.

Diluuntur objecta contra §. ſecundum.

§. I.

Quo anno natus & mortuus beatus Joannes Bonus.

I. HIc totius belli moles, hic præcipuus controverſiæ cardo verſatur, hic ex temporum ratione, & annorum ſerie tam manifeſte oſtendi, ſanctum Franciſcum haud fuiſſe Joannis Boni diſcipulum, ut nec fuiſſe potuerit. Chronologiam deduxi, & annorum obſervationes exſcripſi ex graviſſimis monumentis, & probatiſsimis Auctoribus, ex quibus me cauſam eviciſſe putavi. Sed ne tu Magiſtrum & conſodales cauſa cecidiſſe admitteres, Auctores, quos reprobare non licuit, violenter interpretari placuit, & contortis gloſſulis, minimeque germanis explicationibus, in alienum ſenſum retrahere. Ex his præcipuum delegiſti cauſæ noſtræ judicem, & controverſiæ dirimendæ arbitrum ſtatuiſti Conſtantium Laudenſem, veſtrum Eremitam, a me productum, & commendatum, ex quo, inquis, ſi non conſtiterit manifeſte ſanctum Franciſcum ſub beato Joanne Bono audire potuiſſe, libens lubenſque a cauſa recedis. Ego pari conſenſu in hujus judicium conſpiro, nec damnare auſim, quem impenſe laudavi, unde & facili negotio litem terminandam putem, dum in unius compromittimus ſententiam, eo æquius ab utroque noſtrum excipiendam, quo apertius conſtat non ſuo judicio Conſtantium, ſed firmiori inniti teſtimonio proceſſus Apoſtolici. Hic itaque mihi pauliſper hærendum, & ſerio ſtabilienda illa chronologia, ex qua in te, tuoſque coaſſertores jam credideram palam fuiſſe prolatum judicium.

Arbiter controverſiæ.

II. Dixeram ex hoc Auctore, beatum Joannem Bonum natum anno MCLXVIII. & denatum anno MCCXLIX. utrumque tu admittis, quippe ex actis manifeſtum; unde & num. 6. libenter fateris M. Marquez erraſſe, dum ortum ejus reducendum ad annum MCXXX. aut XXXII. conjectat. Annum hunc abſque ullo teſte, aut auctore ſtatuiſſe, & conjecturam parum fundatam ego dixi, quod tu ægre audiviſti, nec tamen ullum auctorem, aut teſtem producere potuiſti, qui annum hunc nativitatis determinate præſcribat, neque fundamentum ullum oſtendere hujus conjecturæ, præter aſſerta quorumdam opinantium, beatum Virum obiiſſe anno MCCXXII. & vixiſſe annos XC. vel XCII. ex quorum computo ſubductis calculis, Marquez reduxit nativitatem ad annum prædictum. Illorum auctorum ſententias ipſe reprobas, & num. 7. admittis Magiſtri con-

Digitized by Google

conjecturam fundari ſupra relationes falſas, & num. IX. dicis eſſe falſam, utpote innixam ſuper auctorum relationibus veritati contrariis. Ut quid ergo dubitas fateri eſſe parum fundatam, aut mihi ſuccenſes, quia ita judicavi? Male & parum fundatam oportet eſſe ſententiam, quæ fundamentis omnino infirmis, imo, ſecundum te, falſis innititur; nam & nutare, & male fundatam dicimus domum, quæ fallaci ſuperſtruitur cæmento.

§. II.

Quo ætatis anno defunctus.

I. QUAMVIS etiam admittas deceſsiſſe beatum Joannem Bonum anno MCCXLIX. die XXIII. Octobris, negas tamen quæ ſubjungo circa numerum annorum quibus vixit. Dixi, vita functum anno LXXX. ſuæ ætatis, quibuſdam additis menſibus. Contendis, me haud ſincere iſthæc ex Conſtantio referre, cujus verba hæc ſunt loco a me citato: *Rendè l'alma al Creatore in età di anni ottanta, e più*: ſcilicet, animam reddidit Creatori ætatis anno octogeſimo, & amplius: magnoque conatu ſtudes inculcare, per illud *amplius* intelligendum eſſe annorum, non menſium, additamentum, & perveniſſe Joannem ad ætatis octogeſimum ſecundum. Atque ut hæc probes, recurris ad quaſdam argumentationes Scholaſticas, & poſsibilitates Logicas, quibus annos effingis Metaphyſicos, quæ ad quæſtionem facti probandam nihil conducunt, & a re hiſtorica ſunt adeo aliena, ut in hac arte peritos in magnam rapiant admirationem. *Demus*, inquis, *natum fuiſſe v.g. die* XXIII. *menſis Januarii eo anno* MCLXVIII. *quem præſcribit Conſtantius, quis hoc vetat?* & infra: *Supponamus nos, ut poſſibile & probabile eſt, beatum Joannem Bonum fuiſſe in lucem editum anno* MCLXVIII. *v.g. die* XXIII. *Januarii*: ex quibus inferre vis vixiſſe annis LXXXII. licet non completis, nihilque amplius in hujus imaginariæ poſsibilitatis confirmationem adducis, per quod conſtare poſsit, Joannem annum compleviſſe LXXXI.

II. At ego ex ipſo Conſtantio, non aliunde, didici verba illa *di anni ottanta, e più*, quæ habet lib. I. cap. 15. intelligenda eſſe de annis LXXX. completis, & additamento aliquorum menſium, non vero de pluribus annis, uti tu contendis. Nam cap. 13. relata Angelica monitione de repetenda patria Mantuana, ut illic moreretur, ait, aſſumpto unico ſocio Fr. Bonaventura ſuo confeſſario, confeſtim profectum, annos agentem octoginta, ſummo ſtudio iter acceleraſſe, & moras omnes declinaſſe. Deinde cap. 14. recenſitis duobus miraculis, quæ in oppido Deolæ, & urbe Ferrarienſi patravit, narrat uti feſtive exceptus a Mantuanis, erecto apud Confratres Oratorio prope Odæum, ut ibi quiete oraret, paulo poſt obdormierit in Domino. Si ergo Conſtantius narrat e Cæſena diſcedentem non niſi octoginta annis natum, celeriter breve illud iter inter Cæſenam & Mantuam confeciſſe, & non niſi aliquoto brevi tempore Mantuæ, ſicut etiam tu ipſe, data opera, ex his capitibus a me citatis oſtendis, non niſi per aliquot menſes ſuperv ixiſſe, quomodo aliter potuit intelligi Conſtantius, dum dixit, obiiſſe *di ottanta anni e più*, quam quod deceſſerit octogenarius, additis aliquot menſibus, ſive anno octogeſimo primo ætatis nondum completo. E Cæſena, inquit, diſceſsit anno ætatis octogeſimo, & poſt paucos menſes aſſerit deceſsiſſe, quod & ipſe admittis. Vixit ergo, ex Conſtantii teſtimonio, annis octoginta, additis aliquot menſibus. Qui Chriſti annum, Innocentii IV. Pontificatum, Friderici II. imperium, Caſalodicum Mantuæ Principatum, menſis diem

Reſp. 3. n. 120.

Digitized by Google

diem, hebdomadæ feriam, & diei horam, quo Joannes obiit, minute recenſuit, an non dicturum putes, ſi annos vixerit aliquos ultra octogeſimum, quem ſignanter deſignavit. Concordat etiam his ipſius patriæ Mantuanæ hiſtoria, dum quadraginta annos in ſeculo, totidem in eremo tranſegiſſe commemorat, & infra ait, deceſsiſſe anno octogeſimo primo. Dic, ſodes, an ſincere fideliterque retuli ex Conſtantio vita functum anno ætatis octogeſimo, additis quibuſdam menſibus? Parvi autem pendo aliquot numerorum errores, quos hic vitio, uti credo, typographi habes, & verba Hieronymi, quæ in me injurioſe contorques.

§. III.

Quo anno converſus?

I. HIs annis ortus & interitus ita ſtabilitis, conſequenter judicavi, me abundantiſsime probaſſe converſionem Viri ſancti incidiſſe in annum MCCVIII. vel ſequentem. Etenim præterquam quod ita expreſse habeatur in præcitata hiſtoria Mantuana, & in propatulo omnium exponatur conſpectui in clauſtro ædis Auguſtinianorum Mantuæ, in qua venerandum corpus requieſcit, maniſeſte ita deduxi ex computo annorum, quo uſus eſt Conſtantius, dum ex octoginta annis, quos vixiſſe retulit, quadraginta, ait, in ſeculo conſumpſiſſe: atqui quadrageſimus vitæ in præcitatum Chriſti coincidebat. Tu vero Magiſtri ſuſcepto patrocinio, nolens adeo maniſeſto argumento ſuccumbere (quippe ad hunc annorum calculum ſequebatur impoſſibilitas aſſerti Monachatus ſancti Franciſci) omni ſtudio & arte acceleraſti Joannis Eremicolatum, & ſub annum MCCIV. aut ſequentem, conſtituiſti, ipſumque quam citiſſime anno MCCVII. inſtituto ſubjeciſti Auguſtiniano. Sed quo hæc fundamento? Iſto ſcilicet, quod Conſtantius lib. 1. cap. 15. aſſerat obiiſſe Joannem octogenarium & ultra, annoſque quadraginta exegiſſe in ſeculo, reliquos inter Eremitas in Religione Auguſtiniana, & cap. 1. ſe abdidiſſe in ſpelunca Eremi Cæſenatenſis, ibique perpetuis jejuniis, vigiliis, & orationibus vitam vixiſſe angelicam, ſanctiſſimi hominis famam per circumadjacentes populos adeptum. Et cap. 2. ut arctius ſe Chriſto conjungeret, ampliuſque in Religione proficeret Chriſtiana, voto ſe adſtrinxiſſe Religioni, & veſti Auguſtinianæ, ſub qua proponebat vitam ſtrictiorem & magis rigoroſam ſubire.

II. Ex his ita argumentaris. Antequam profiteretur Joannes Regulam ſancti Auguſtini, pœnitentiam egit in illa eremo per tempus ſufficiens, ut in populis circumvicinis potuerit ſanctiſſimus reputari. [Hoc autem videtur fuiſſe (tui ipſius verbis argumentum repeto) ad minus per tempus duorum, vel trium annorum; ſed beatus Joannes Bonus profeſſus eſt regulam Auguſtini anno XL. vitæ ſuæ, qui currebat ab anno MCCVII. ad annum MCCVIII. ergo prima ejus ſeceſſio in Eremum Cæſenatenſem fuit duobus vel tribus annis ante annum MCCVII. vel MCCVIII. ſi ſtandum nobis eſt fidiſſimo teſtimonio ex proceſſu canonizationis deſumpto, ex quo totam hanc litem dirimi voluiſti.] Deinde ex brevi tempore ad ſummum, ut dicis, quinque annorum, quo Comicam exercebat, & exinde quod nihil convincat oppoſitum, ejus converſionem & profeſſionem Auguſtinianam ad prædictos annos reducis.

III. Ex his pauculis infirmiſque conjecturis chronologum agis diſertiſſimum, vitæ annos ad placitum diſtinguis, menſes præcipuis actionibus præſcribis, & ipſum nativitatis diem aſſignas. Natum dicis XXIII. Januarii anno MCLXVIII. Comicam aggreſſum anno ætatis trigeſimo, eam-

eamque reliquiſſe anno trigeſimo quinto; ejus genitricem deceſſiſſe anno trigeſimo ſexto, & Chriſti MCCIII. ipſum ad eremum profectum anno Chriſti MCCIV. vel ſequenti, Auguſtini Regulam ſubiiſſe in principio anni MCCVII. v.g. menſe Februario, aut Martio. Deinde ut tempus ſupereſſet Monachatui ſancti Franciſci, introducta jam Regula in Congregationem beati Joannis Boni, ſtatuis primam Franciſci converſionem in eumdem annum MCCVII. & menſem Julium, aut Auguſtum, & ſecundam in annum MCCIX. & menſem Januarium, vel Februarium incidiſſe. Addis etiam, non perfunctorio, ſed ingenti ſtudio varias diviſiones annorum in emergentem & uſualem, in completum & inceptum, in currentem & excurrentem, ut ſecundum varias partitiones prius in eremo conſtituas ſub Regula ſancti Auguſtini, & deinde diſcipulum ejus efformes Franciſcum. Omnia hæc longiſſimo diſcurſu ſubtiliter meditaris, a numero XVI. uſque ad LVII.

IV. Unde, quæſo, hæc omnia adeo diſtincte accepiſti? apud quem tam claram annorum epocham inveniſti? quis tibi adeo diſerte annos, menſes, dies recenſuit, ut ſic minutim temporum des tempora, & omnia ſuis annis & menſibus circumſcribas? Auctorem nullum profers, neque proferre poteris; nullus præter te hæc excogitavit, neque a longe ſomniavit; poſt quadringentos annos primus & ſolus has temporum diviſiones producis. Qua deinde probabilitate, aut ratione? videlicet, quia tuo argumento conducunt, & ut ais num. 28. in favorem tuum contendis admittenda eſſe omnia poſſibilia & probabilia, & mihi incumbere affirmas, ut oſtendam eſſe improbabilia. Egregie ſane, ut quidquid excogitaveris poſſibile, ſit & probabile, & per locum a poſſibili argumenteris ad probabile, nec quidquam hic ſolidum præter ſolam imaginationem. Hac ratione nihil non ſcribes, nihil non affirmabis, non erit apud te impoſſibile omne verbum; ſed omnia in quam velis hiſtoriam corrivabis, & ad libitum cuncta compones. Ego tamen licentiam hanc ita ſcribendi, & per quoſcumque annos ita divagandi cohibere conabor, & oſtendam in quas anguſtias te mea conjecerit diſſertatio, atque hæc a te non tam vere, quam ad libitum fuiſſe reſponſa.

V. Ego unde geſta & annos Joannis Boni certius ſcirem, aut quo tutius recurrerem non habebam, quam ad ipſam, in qua natus eſt Civitatem; ad ipſum, in quo jacet, Cœnobium; ad ipſum, qui pro eo acriter decertavit, ejuſdem Inſtituti Auctorem; ad ipſa incorrupta proceſſus Apoſtolici monumenta. Hæc tunc objeci; ſed dum tu ingenioſe ictus declinare ſtuduiſti, ego his ipſis armis pugnam nunc diligentius inſtauro, expreſſa Auctorum verba refero, & manifeſta teſtimonia produco. Urbis Mantuanæ hiſtoria ita habet: *Il beato Giovanni Buono Mantuano eſſendo caduto in una graviſſima infermità in Mantova, ſi convertì a Dio nel* MCCIX. *proponendoſi di far aſpriſſima penitenza de' ſuoi peccati. Havea egli allora quarant'anni di ſua vita.* Latine: *Beatus Joannes Bonus Mantuanus in graviſſimam lapſus infirmitatem Mantuæ, ad Deum ſe convertit anno* MCCIX. *proponens aſperrimam ſubire pœnitentiam pro peccatis ſuis. Habebat tunc annos ætatis quadraginta.* Clauſtrum Mantuanum Cœnobii S. Agnetis, in quo Vir ſanctus requieſcit, olim ita habebatur in ſimulacro quinto. *Per ſegno di vera converſione, ad imitatione di Mattheo e Zacheo, abandona la caſa, gli parenti, & amici, e la patria, e ſenza riſerva di coſa alcuna per ſe, dona tutto il ſuo a i poveri anno* MCCVIII. Latine: *In veræ converſionis ſignum, ad inſtar Matthæi & Zachæi, dereliquit domum, parentes, & amicos, & patriam, & nihil ſibi reſervato, donavit omnia pauperibus anno* MCCVIII. Marquez in ſua diſſertatione: *Es probable que quando ſe fue al yermo de Ceſena, tenia de quarenta a cincuenta años*; videlicet:

Doneſ. lib. 4. pag. 107.

Marq. c.16. §.3.

Pro-

Probabile eſt quod quando ad eremum Cæſenæ abiit, verſabatur inter quadrageſimum & quinquageſimum ætatis annum. Conſtantius Laudenſis ex (Conſt. l. 1. c. 15.) proceſſu auctoritate Apoſtolica compacto. *Rendè l'alma al Creatore in età de anni ottanta, e più: quaranta cioè ſpeſi al ſecolo*; ſcilicet, *reddidit animam Creatori in ætate annorum octoginta & ultra, ex quibus quadraginta exegit in ſeculo*. Qui ergo natus eſt anno MCLXVIII. non niſi anno MCCVIII. vel ſequenti receſſit a ſeculo.

VI. Quid, quæſo, ſolidum, aut firmum ad tam aperta reſponderi poteſt teſtimonia? quid ad tot irrefragabiles dici Auctores? Tu ab omnibus facile te expedies, ſi omnium contemnis, vel negas auctoritatem. Ita facis, & tuas præfers conjecturas conſtanti omnium aſſertioni. Quid ad hiſtoriam Mantuanam reſponderes, non habebas, ego ſaltem nihil te reſpondiſſe conſpicio.

VII. Ad inſcriptionem clauſtri Mantuani ædis Auguſtinianæ dicis, Scriptorem, vel Auctorem erraſſe, indeque errandi cauſam ſumpſiſſe, quod legerit, Virum ſanctum natum anno MCLXVIII. & ſubiiſſe vitam religioſam ſub ſancti Auguſtini Regula anno XL. ſuæ ætatis, & propterea ſcripſit, id factum anno MCCVIII. quando implebatur annus XL. ætatis. Sed, inquis, erravit. In quo quæſo erravit? nonne perfecte ſibi correſpondent numerorum partitiones? nonne hoc anno completur menſura annorum quadraginta? Adde quod non loquitur de profeſſione Auguſtiniana, ſed de mundi contemptu, & converſione a ſeculi vanitate.

VIII. Aſſertionem Magiſtri Marquez aſſeris falſo inniti fundamento nativitatis & mortis, ſuper aliorum Auctorum minus certis relationibus conſtructo, neque vidiſſe vitam a Conſtantio editam, ex qua conſtat, ab anno XL. ætatis profeſſum fuiſſe Joannem Regulam Auguſtinianam, atque adeo mirum non eſſe, ſi in eo diſcurſu Marquez erraverit. Quod anticipaverit Marquez ortum & interitum Joannis, & in his a Conſtantio, aut a veritate diſcreparit, non officit, ut in eo, quod vere loquitur, & in quo cum aliis concordat, non admittatur. Ita ipſe non (Reſp. 2. n. 73. & reſp. 5. n. 875.) ſemel doces, Auctores, etſi in aliis errent, in iis, quibus probatis conſentiunt Auctoribus, debere approbari.

IX. Conſtantium ipſum tam inſigniter a te laudatum, & controverſiæ arbitrum a te conſtitutum, primo dicis minus proprie locutum, dum dixerat totos quadraginta annos in ſeculo conſumpſiſſe, quia tu contendis duos, vel tres ſaltem ex iſtis in eremo tranſactos. Secundo, alio te convertis, dicendo, etiam ſi prius ad eremum abierit, tamen illud biennium, vel triennium ante ſuſceptam Regulam Auguſtinianam in Eremo tranſactum, computandum eſſe intra menſuram illam quadraginta annorum, quos Conſtantius dixit in ſeculo conſumptos; licet enim vixerit in eremo, adhuc non exivit de ſeculo per ingreſſum Religionis approbatæ. Et objicis, ita me intellexiſſe illa verba Teſtamenti ſancti Franciſci *poſtea parum ſteti, & exivi de ſeculo*; & Jeſuatos tempore Abbatis Panormitani fuiſſe ſeculares, quia non vivebant ſub Regula approbata. (In Apolog. 6. 3. num. 5. Ibid. 6. 5. n. 27.)

X. At ego non admitto, Conſtantium improprie locutum, ſed genuina & aperta phraſi dixiſſe contendo, Joannem in ſeculo, & ludicris artibus perſeveraſſe uſque ad annum ætatis quadrageſimum. Neque admitto computandos eſſe inter ſeculi annos quoſcumque in Eremo tranſactos. Quomodo enim dicetur conſumpſiſſe in ſeculo eos annos, quos ſanctiſſime in arctiſſima pœnitentia peregit in Eremo, in qua diluere ſtudebat, quod in ſeculo peccaverit? Elongavit fugiens ſeculum, & manſit in ſolitudine, ut ibi ſevere corrigeret quod in mundo deliquit. Eremum ille ſeculo oppoſuit, & tu utrumque conjungis. Meliori tranſgreſſu

ad

Digitized by Google

ad Dominum ſeculo renunciavit: & extra ſeculum in ſpelunca ſemotum tu adhuc in ſeculo contendis conſtitutum.

XI. Quod autem dixi, illa verba *exivi de ſeculo* referenda eſſe ad exitum ſancti Franciſci a ſeculo per æmulationem Evangelicæ perfectionis; quando audito Evangelio, exordia auſpicatus eſt ſuæ Religionis, non vero antea, dum adhuc verſaretur in ſua patria: propterea dixi, quia per Civitates & oppida inter familiares & notos adhuc diſcurrebat, neque plane erat ſequeſtratus a ſeculo. Joannes vero ita e mundo abiit, ut deinceps non redierit, ut in deſerto ſolitarius, quid mundus ageret, prorſus neſcierit. Quod demum ad Jeſuatos attinet, ego dumtaxat ex Abbate retuli, tales tunc fuiſſe, & ipſos dixiſſe ſe puros laicos, & nullum habere Superiorem, ſed ſimul convenire cauſa devotionis. Nihil hæc conducunt ad probandum, Joannem Bonum in caverna deſerti latitantem, & a ſeculo ſequeſtratum adhuc in ſeculo debere computari.

XII. Claris his, manifeſtiſque teſtimoniis ex ipſo nativitatis & mortis loco productis, alia ex religioſæ converſationis, & pœnitentiæ ſedibus adjungo. Conſului doctos quoſque Cæſenates, & ex urbis monumentis, vetuſtiſque chronicis MSS. hæc recepi fragmenta. Ex archivo Civitatis. *Anno* MCCVIII. *Il beato Giovanni de Buonomi Mantuano, detto Giovanni Buono, ſi ritira a far penitenza in un eremo vicino a Ceſena duoi miglii in circa, nelli anni quaranta della ſua età, & ivi per altri quaranta anni vivè vita eremitica.* Ex chronicis MSS. vetuſtis Monaſterii ſanctæ Crucis Cæſenæ. *Giovanni Buono ſi ritira all' eremo di Butriolo all' anno* MCCVIII. *Stette in detto eremo più di quaranta anni, perche ſuperò con la età l'anno ottanta, e partì da Ceſena, e morì a Mantova l'anno* MCCXLIX. *cioè l'anno quaranteſimo primo della ſua converſione.* In Ephemeride Cæſenatica Nicolai Marini Cæſenatis MS. *Anno* MCCVIII. *venne a Ceſena il beato Giovanni Buono, nel tempo che era Commiſſario per il Papa, e riſtorò la Città, Giovanni di Brenna.* Demum omnium nuperrimus Scipio Claromontius in hiſtoria Cæſenæ, quæ hoc ipſo anno prodiit, rem omnem abſolvit. *Natus*, inquit, *eſt beatus Joannes Bonus Mantuæ anno* MCLXVIII. *Quadraginta annos in ſeculo, indignis curis mancipatus, perdidit; inde a Deo benignè evocatus, ſe totum illi reddidit. Ad Cæſenam ad ejuſque agrum, ſeu receſſum Butriolum venit, ita ut* MCCVIII. *vel ſub initium noni in eremum conceſſerit, ſeque ibi condiderit.* In Chronicis equitis Stephani Parthi connumeratur Joannes Bonus inter Sanctos Cæſenates, *per eſſer*, inquit, *ſtato quarant' anni continovi nell' eremo di Ceſena, dove le fu conceſſa la capella della Madonna dal Veſcovo Odone.* His concordat Fabricius Manzenius in chronologia Epiſcoporum Cæſenatenſium, ubi hæc habet de Oddone. MCCII. *Eligitur Cæſenatenſium Antiſtes Oddo Monachus, qui beato Joanni Bono domunculam quamdam apud Budriolum conceſſit, in qua eremiticam vitam per multos annos traduxit.* Hujus Oddonis Epiſcopi Cæſenatis meminerunt ad annum MCCXII. Claromontius citatus, & Rubeus in hiſtoria Ravennate. Jam tamdem, te tot teſtibus acquieſcere poſſe, & debere, exiſtimo, namque ut vetus illud uſurpem. *Aut hoc teſtium ſatis eſt, aut neſcio quid ſit ſatis.* Claromon. lib. 8. pag. 285.

§. IV.

Quando Regulam profeſſus ſit Auguſtinianam.

I. Ecce claros teſtes ex loco nativitatis & mortis: ecce clariores produxi ex ipſo loco converſionis, & penitentiæ; quid ad hæc ſupereſt reſpondendum? quid objiciendum? Mirum ſi aliquid quæritur

Auguſt. 1. de peccat. merit. c. 2. hac manifeſtatione liquidius? *Valeat*, quæſo, *apud te aliquid*, *ad ſeipſam perſuadendam ipſa evidentia*, neque enim ego quid amplius dicam invenio, ubi res ipſa manifeſtior eſt, quam omne, quod poſſim producere. Ne tamen difficultatem aliquam mihi tua facere videantur objecta, quæ ſupra reſcripſi, aut aliis faciant aliquando, hic breviter & clare diſſolvam. Totum tuæ aſſertionis fundamentum in eo conſiſtit, quod Conſtantius dixerit: *Rendè l'alma al Creatore in età di anni ottanta e più,*
Conſt. l. 1. c. 15. *quaranta cioè ſpeſi al ſecolo, e tutto il reſtante fra Romiti nella Religione Auguſtiniana* nimirum: *Reddidit animam Creatori annos agens octoginta, & ultra, ex quibus quadraginta in ſeculo conſumpſit, reliquos inter Eremitas in Religione Auguſtiniana*. Ex his deducis anno quadrageſimo ſuæ ætatis Regulam profeſſum Auguſtinianam, & ex relatione ejuſdem Conſtantii, dum conſtat, aliquos egiſſe annos in Eremo ante profeſſionem, infers eo ſeceſſiſſe anno MCCIV. vel MCCV.

II. Sed infirmius eſt hoc fundamentum, quam cui totam tuæ controverſiæ molem imponas. Primo moneo, ne verbum quidem hujuſmodi extare in proceſſu originali, qui adhuc intactus ſervatur in archivo Ducali Mantuano, & hoc ipſo anno amicorum interceſſionibus, ut extraheretur, obtinui, ad veritatem hanc examinandam. Secundo aperte intelligendus eſt Conſtantius de ſocietate Eremitarum a beato Joanne inchoata, quæ poſtea evaſit, non quæ nata eſt, Auguſtiniana. Habuiſſe ſocios Eremitas, antequam Regulam acciperet a Sede Apoſtolica Auguſtinianam, nemo inficiari poterit, niſi protervire maluerit. Clarius eſt enim Guillelmi Cardinalis Protectoris, ipſorumque ſectatorum Joannis Boni in diplomate Pontificio teſtimonium, quam quod negari, aut rejici
Vide in Bullar. Aug. pag. 179. Jord. l. 1. c. 6. poſſit. Ita referunt Pontifici, & Jordanus de Saxonia, ſive quiſquis ille ſit, in ſuum librum tranſcripſit. *Sane ad audientiam Domini Papæ pervenit, quod bonæ memoriæ frater Joannes Bonus, primus de Ordine veſtro, primam apud Budriolum Cæſenaten. diœceſ. de conceſſione Diœceſani loci ejuſdem, domum incœpit, & dum fama converſationis ejus per loca vicina crebreſceret, & plurimi converterentur ad eum, Eccleſiam in honorem beatæ Mariæ Virginis conſtruxit ibidem. Creſcente autem numero & merito ejuſmodi converſorum, Religio veſtra per eos in diverſis partibus, in quibus manſiones conſtruxerant, extitit propagata. Cum autem iidem Religioſi aliquam de approbatis Regulam non haberent, quidam ex eis accedentes ad Sedem Apoſtolicam, obtinuerunt ab ea beati Auguſtini Regulam ſibi dari, & ſic ex tunc cœperunt in regularibus obſervantiis inſtrui, & regulariter ſe habere*. Ex hoc apertiſſimo teſtimonio manifeſte concluditur, factam poſtea Auguſtinianam illam Congregationem, non vero a ſuo exordio talem pullulaſſe. Vixit ergo ille per aliquod tempus cum Eremitis, qui tunc non erant Religionis Auguſtinianæ. Non itaque potuit ſtatim quadrageſimo ætatis anno Regulam profiteri Auguſtinianam, & ſocios Eremitas habere Auguſtinianos, ut tu hinc vel ex aſſerto Laudenſis cogaris nimis propere illum in eremo conſtituere ante annos quadraginta in ſeculo exactos.

Reſp. 2. n. 50. & ſeqq. & reſp. 3. n. 100. & ſeqq. III. At tu, cum Magiſtro tuo Marquez, hujus inſolubilis argumenti eludendi viam excogitaſti, aſſerendo narrationem illam Diplomatis Pontificii non ordinate poni, ſed plura illic per anticipationem, ſeu recapitulationem haberi, & propterea hoc ſenſu, & hac ſerie ipſe hiſtoriam ita componis. (Beatus Joannes Bonus vitam Eremiticam prope Cæſenam in arctiſſima pœnitentia duxit; cumque ejus fama crebreſceret, plurimi ad eum ſunt converſi, ſive ante, ſive poſt profeſſionem Regulæ Auguſtinianæ; & inter eos poſt Regulæ Auguſtinianæ profeſſionem fuit beatus Franciſcus. Cum vero iidem, qui illum in Eremo prius comitaban-

d by Google

bantur, & poſtea fuerunt viri religioſi, non haberent Regulam approbatam, acceſserunt ad Sedem Apoſtolicam, & ab ea obtinuerunt Regulam Auguſtini; ex tunc cœperunt in regularibus obſervantiis inſtrui, fuitque eorum Generalis idem Joannes Bonus, qui & fuerat primus ejuſdem Congregationis Inſtitutor.) Et ne videaris ad libitum hæc effinxiſse, ſubjungis primo modum hunc plura per anticipationem referendi, ſæpe apud profanos Auctores, & in ſacris litteris reperiri. Secundo ex ipſis verbis Diplomatis dicis probari per anticipationem aliqua recenſeri; dum enim ita refertur: *de conceſſione Diœceſani loci ejuſdem domum incœpit, & dum fama converſationis ejus per loca vicina crebreſceret, & plurimi converterentur ad eum*; innuitur aliqua per recapitulationem hic haberi: non videtur enim conceſsam ei fuiſse licentiam domum ædificandi pro ſe ſolo & non pro aliis diſcipulis, qui tamen hic dicuntur acceſſiſse poſt domus conſtructionem. Tertio, quia Conſtantius non enarrat multiplicatam Religionem ante, ſed poſt ſuſceptam Regulam ſancti Auguſtini, & intra biennium ita crevisſe Eremitarum numerum, ut extra Romandiolam ad alias Provincias oportuerit proficiſci. Quarto, mirum eſset, Congregationem illam adhuc ſine Regula minime approbatam adeo excreviſse, cum Franciſcani, teſte Antonino, in multis Provinciis varias paſſi ſint moleſtias, & injurias, quia nullum ſui ſtatus authenticum ferebant teſtimonium. *Anton. lib. 24. c. 7.*

IV. Ego vero nimis violenter contorqueri narrationem hanc exiſtimem, & injuriam fieri Guillelmo Cardinali Protectori, quippe qui neſcierit brevem hiſtoriolam exorientis Congregationis ſibi commiſsæ legitima ſerie contexere, ſed ita omnia confuderit, ut te oportuerit ſingula in ordinem redigere. Jordanus, quem tantopere a doctrina, & ſanctitate commendas, & qui, uti contendis, primœvos Patres hujus ſodalitatis cognovit, a quibus etiam vera potuit exordia percipere, hoc ipſo modo, quo narratur in Pontificis Bulla, retulit in ſua hiſtoria, nulla hujuſmodi excogitata recapitulatione. Imo pauca illa, quæ interſerit, verba, evidenter oſtendunt omnia recte narrari, neque admitti poſse ullatenus, quod dicitur de profeſſione Auguſtiniana Joannis Boni anno ætatis quadrageſimo: manifeſte convincunt creviſse Eremitarum numerum, eoſque per aliquot annos Joanni Boni, tamquam ſuo Auctori reverenter intendiſse, antequam Auguſtino nomen dediſsent. Poſtquam enim dixerat plurimos ad eum converſos conſtruxiſſe Eccleſiam ſanctæ Mariæ, & ſimul cum dicto Patre, virtutum Domino ſedulo ſerviiſse, ſubjungit. *Creſcente autem merito & numero iſtorum Converſorum, Religio illa per eos in diverſis partibus, in quibus manſiones conſtruxerunt, eſt ſatis propagata. Vocabantur autem iſti homines fratres Eremitæ fratris Joannis Boni, cum ipſe fuerit primus Inſtitutor eorum, & quaſi Prior Generalis Ordinem illum paterna ſollicitudine gubernaret. Cum autem iidem Religioſi aliquam de approbatis Regulam non haberent, Ordini Eremitarum ſancti Auguſtini de mandato Sedis Apoſtolicæ ſunt uniti, ſicque Vir iſte ſanctus, qui prius ſine Regula religioſe vixerat, poſtmodum ſub Regula ſancti Auguſtini militans, peramplius in devotione ſedula virtutum Domino ſerviebat.* *Reſp. 5. n. 701. & ſeqq.*

V. In his Jordani verbis: *Vocabantur autem iſti homines fratres Eremitæ fratris Joannis Boni, cum ipſe fuerit primus Inſtitutor eorum, & quaſi Prior Generalis Ordinem illum paterna ſollicitudine gubernaret*, expendo quod ſignanter adnotaverit, quo nomine tunc ante acceptam Regulam ſancti Auguſtini illi audiebant Eremitæ, *Eremitæ*, inquit, *fratris Joannis Boni*, nulla facta mentione ſancti Auguſtini, quia nullo adhuc vinculo Auguſtino colligabantur. At ubi a Sede Apoſtolica (uti refert

Digitized by Google

Diploma Pontificium) obtinuerunt ſancti Auguſtini Regulam ſibi dari, & ſic ex tunc cœperunt in regularibus obſervantiis inſtrui, & regulariter ſe habere, ſtatim affixum eſt nomen *ſancti Auguſtini*; ſubdit enim Diploma: *Qui cum jam vocarentur fratres Eremitæ Joannis Boni Ordinis ſancti Auguſtini, novitii, qui recipiebantur ab eis, profitebantur hoc modo: Ego N. facio profeſſionem, & promitto obedientiam Deo, & beatæ Mariæ, & tibi Priori Fratrum Eremitarum ſanctæ Mariæ de Ceſena, tuiſque ſucceſſoribus uſque ad mortem, ſecundum Regulam ſancti Auguſtini &c.* Dicit itaque Jordanus, quod dum non acceperunt Regulam appellabantur *Fratres Eremitæ Joannis Boni*, & Bulla narrat, quod accepta Regula ſancti Auguſtini, jam vocabant *Fratres Eremitæ Joannis Boni Ordinis ſancti Auguſtini*, & novitii emittebant profeſſionem cum illa expreſſione Regulæ Auguſtinianæ. Manifeſte itaque liquet aliquoto tempore creviſse Congregationem, antequam fieret Auguſtiniana, & multis annis cum Eremitis vixiſse ante hanc, quam contendis, profeſſionem.

VI. Ita hæc verba Pontificis, ſeu Cardinalis Protectoris narrationem intellexit Nicolaus Cruſenius veſter per Bohemiam, Auſtriam, Stiriam &c. generalis viſitator, & Cæſareæ Majeſtati a Conſiliis, ut quantumvis creverit numerus Eremitarum, non niſi poſt annos XXV. in Eremo tranſactos dicat, Joannem Bonum Regulam impetraſſe, neque quidquam hic dici per anticipationem, aut recapitulationem, commemoret; idque denuo ex Jordani narratione infra confirmat. Tuus etiam magiſter Marquez, Joanni Bono tribuit, ultra annos octodecim, vel viginti vitæ Anachoreticæ, antequam Regulam acceperit Auguſtinianam, & non niſi poſt incrementum exceſſivi numeri Eremitarum, acceptam ex hac ipſa Bulla, quaſi rem certiſſimam enarrat. Audi etiam tuum Jordanum, qui lib. 1. cap. 7. præmiſſa diſtinctione vitæ Eremiticæ, ſeu Anachoreticæ a cœnobitica, & cap. 9. numeratis quibuſdam ſanctis Patribus, qui prius fuerunt Anachoretæ, & Eremitæ ſolitarii, addit: *Similiter Fr. Joannes Bonus primo Eremiticam vitam duxit, & poſtea multorum Cœnobiorum Inſtitutor fuit, & Rector.* Quomodo ergo dicetur ſtatim poſt quadraginta annos in ſeculo exactos Monachus Auguſtinianus, aut in Religione Auguſtiniana ab anno ætatis quadrageſimo reliquum vitæ tempus tranſegiſſe? Adde, quod in illa Eremo, neque domus, neque Cœnobium, neque Religio præextitit Auguſtiniana, neque alii ante eum in deſerto Cæſenatenſi erant Eremitæ, cum quibus vixiſſe potuerit, uti toties inculcas. Ipſe primus fuit hujus Eremi cultor; non ille ſe aliis adjunxit, ſed alii ad eum acceſſerunt, & ejus exemplo converſi ſunt, qui cum nullam de approbatis Regulam haberent, quidam ex eis, non ipſe Joannes Bonus, accedentes ad Sedem Apoſtolicam obtinuerunt ab ea beati Auguſtini Regulam ſibi dari, & ſic ex tunc cœperunt in regularibus obſervantiis inſtrui, & regulariter ſe habere. Primo ſeceſſit in Eremum; deinde aliquoto tempore in ſpelunca, quæ adhuc extat, delituit; dein domunculam ædificavit; mox crebreſcente fama, plurimi ad eum convenerunt diſcipuli; hinc Eccleſiam ſanctæ Mariæ conſtruxit. Creſcente demum numero converſorum, & ſocietate per alias partes propagata, obtinuerunt quidam ex eis a Sede Apoſtolica Regulam prædictam. Hæc eſt compendioſa & vera narratio exordii hujus Sodalitatis.

VII. Unde non immerito Cruſenius & Marquez, a receſſu in Eremum uſque ad Regulæ conceſſionem, ultra annos viginti dicunt elapſos. Quomodo ergo potuit ſtatim poſt annos in ſeculo elapſos cum Eremitis Auguſtinianis idem Inſtitutum ſectari? Demum exemplo & argumento eſt Congregatio Brictinenſium, quæ ſub idem tempus cum Congregatione Joannis Boni, & forte, uti tu dicis, eodem auctore longo tempore coaluit,

Cruſ. in Monaſt. p. 2. cap. 25.

Marq. c. 26. §. 3.

Cruſ. in Monaſt. cap. 24. Marq. c. 26. §. 3.

Reſp. 5. n. 535.

luit, & non niſi anno MCCXXVIII. Regulam accepit Auguſtinianam, te ipſo teſte, producta Bulla Gregorii, quæ originaliter habetur in archivo Auguſtinianorum Romano. Vixit itaque Joannes Bonus cum Eremitis, qui poſtea facti ſunt Auguſtiniani; & proinde in eo ſenſu omnino intelligendum eſt, quod dixit Conſtantius, reliquum vitæ vixiſſe inter Eremitas in Religione Auguſtiniana, quæ ſcilicet poſtea evaſit Auguſtiniana. Ita enim & Religio Franciſcana continuata non interpolata Ordinis ejuſdem ſerie dicta eſt Religio Minorum ante & poſt ſuſceptam & confirmatam a Sede Apoſtolica Regulam: ita etiam & Dominicanum Inſtitutum eodem *Religionis* nomine audivit, licet per aliquot annos ſua exordia habuerit ante acceptam a Pontifice Honorio ſancti Auguſtini Regulam; & qui ab ipſa origine primi fuerunt ſocii ſancti Dominici, & cum ipſo perſeverarunt, donec Regulam prædictam acceperunt, ſemper ejuſdem Ordinis dicuntur. Hac etiam de cauſa Pontifex in iſta Bulla loquens cum Eremitis Auguſtinianis, Joannis Boni etiam ante acceptam Regulam eorum Inſtitutum appellat *Religionem*; *Religio*, inquit, *veſtra per eos in diverſis partibus, in quibus manſiones conſtruxerant, extitit propagata*; & Eremitas ante Regulam impetratam vocat Religioſos: *Cum autem iidem Religioſi aliquam de approbatis Regulam non haberent &c.* *Reſp. 4. n. 157.*

VIII. Difficile itaque tibi fuit, adeo manifeſtam tam Pontificis, ſeu Cardinalis, quam tui Jordani narrationem debilibus conjecturis infirmare, & præpoſteram dicere, ſive per anticipationem, aut recapitulationem fuiſſe compactam. Quod enim primo aſſeris, hujuſmodi anticipationem paſſim in aliis Scriptoribus, & in ſacra Scriptura reperiri, admitto: at & hic haberi, conſtanter nego: unde locus? quid hic me cogit, ut quod alibi aliquando fit, hic etiam factum admittam? Nulla hic neceſſitas, relationem planam & ſinceram ita torquendi, & res geſtas ſuo loco dimovendi. Neceſſarius temporum ordo, plana rerum ſeries, & diverſa Evangeliſtarum narratio Auguſtinum & ſacros Doctores coegit & fateri & docere, hujuſmodi tropum, ſeu tranſpoſitionem aliquando in ſacris litteris inveniri. Hic nihil horum urget, neque præpoſterus rerum ordo, neque temporum confuſio, neque Auctorum in narrando diſcrepantia.

IX. Quod ſecundo loco ex ipſo Diplomatis textu de domo ex Diœceſani licentia ædificata, antequam Viri ſancti fama crebreſceret, infers ſaltem hoc per anticipationem referri, non enim probabile videtur, ut pro ſe ſolo domum ædificaret. Imo mihi ſumme probabile eſt, & omnino videtur neceſſarium, ut in deſerto conſtitutus, domunculam, uti vocat Jordanus, utique pararet cœli injuriis abarcendis. Nonne & hoc faciunt quotquot ſunt ubique Eremicolæ, & Anachoretæ, quorum domunculæ & caſellæ paſſim per Italiam occurrunt, quibus tamen ædificandis Diœceſanorum licentiæ prærequiruntur? *Jord. lib. 1. c. 8.*

X. Tertia ex Conſtantio objectio nullius eſt roboris, ait enim in capitis titulo, Joannem ſuſcepiſſe habitum ſancti Auguſtini, & in ipſo capitis exordio, votum emiſiſſe hujus Inſtituti. A quo, quæſo, ſuſcepit habitum? In cujus manibus votum emiſit? a quo inſtructus, ſi prius nullos habuit, qui habitum conferrent, votum admitterent, Inſtituti legibus erudirent? Prius advenerunt fama ſanctitatis allecti, prius multiplicati ſunt, & cum nullam Regulam approbatam haberent, acceſſerunt ad Sedem Apoſtolicam, a qua impetrarunt Auguſtinianam, & ex tunc non prius cœperunt in regularibus obſervantiis inſtrui, & regulariter ſe habere. Huic fidæ Pontificiæ, ab ipſis Fratribus, ſeu Cardinale Protectore porrectæ, narrationi hærendum, maxime cum Conſtantius ibidem loquatur de numeroſo Fratrum augmento, quod item factum eſt illu-

Digitized by Google

illuſtrius & amplius poſt Regulam acceptam, quam etiam magnus numerus præceſſit.

XI. Illa comparatio quarto loco adhibita de repulſis Franciſcanis, dum teſtimonium non afferebant authenticum ſui ſtatus, non cogit ut negemus, Joan-Bonitas in diverſis partibus ſuam Religionem propagaſſe, & manſiones conſtruxiſſe. Illi enim per varias orbis Provincias miſſi extra Italiam in aliquibus mitius habebant, ex aliis injurioſe repellebantur; quia ex Inſtituto & fine miſſionis, dum prædicabant in populis, tamquam adventitii & ignoti peregrinæ veſtis viri abjiciebantur. At hi intra Italiam, in conterminis regionibus Umbriæ, Marchiæ Anconitanæ, Etruriæ, per quas noſcebantur, deliteſcebant in ſolitudinibus, nulla obibant miniſteria publica, ſolas ſuas animas curabant. Adde quod Franciſcani ante has in exteris Provinciis & Regnis repulſas, in præcipuis Italiæ partibus mirabiliter creverunt, & domicilia multa conſtituerunt.

Reſp. 3. n. 109. Aug. de geſt. Pelag. c. 30.

XII. Sed adhuc inſtantiſſime urges, & perſiſtis in tuo conatu, ut probes, Joannem paulo a ſuo in Eremum ſeceſſu factum Auguſtinianum, & nullatenus tot annis, quot ſupra numeravimus, in ea ſine Regula vixiſſe. Tribus id putas te probaſſe fortiſſimis argumentis, tamquam *tribus*, inquis, *divinorum teſtimoniorum ictibus*, & indiſſolubilem veritatem triplici funiculo reddidiſſe certiſſimam. Sed ecce primum illud teſtimonium, omnium, quæ affers, fortiſſimum. Sixtus & Eugenius IV. confirmant Bullam Innocentii IV. directam *Priori Generali Ordinis Eremitarum, ac aliis Provincialibus & Conventualibus Prioribus &c. Eremiticam vitam profeſſis*; in qua inter reliqua ita habetur. *Præterea omnes libertates, immunitates a Prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus locis veſtris conceſſas, necnon libertates & exemptiones ſecularium exactionum a Regibus, Principibus, & aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas, auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti privilegio communimus*. Probas autem, Diploma hoc ſpecialiter dirigi ad Fratres Congregationis Joannis Boni; deinde præter alia infers, quod præcipuum intendis, ſcilicet ante annum MCCXXXIII. a me ſtatutum, introductam in hanc Congregationem Regulam ſancti Auguſtini: quod inde probas, quia Innocentius confirmat libertates, & immunitates a ſuis Prædeceſſoribus huic Congregationi conceſſas. Innocentium autem præceſſit Cœleſtinus IV. qui brevi dierum decem, & ſeptem Pontificatu nihil conceſſit, hunc Gregorius IX. iſtum Honorius, & Innocentius III. Ut illa verba verificentur, neceſſe eſt, inquis, ut ſaltem duo Pontifices, videlicet Gregorius & Honorius, aliquod conceſſerint privilegium, idque poſt introductam Regulam in illam Congregationem (aliter enim adderet: *Etiamſi fuerint conceſſa privilegia antequam ſe regulariter haberent*) unde conficitur ad minus ante mortem Honorii, quæ incidit in annum MCCXXVII. hos Eremitas Regulam accepiſſe. Hoc argumento me *lancea vulneratum* ex Hieronymi phraſi, vel *phalarica mole percuſſum* affirmas, & ex Bernardo, *nefas* aſſeris *tantæ Pontificiæ ſanctitati non credere, & tantæ majeſtati non obedire*.

Hieron. epiſt. 11. inter Auguſtin. Bernar. epi. 251.

XIII. Ego tam prompte Pontificiis verbis aſſentiar, quam tu aperte in Diplomatis intellectu deciperis. Ut nunc admittam Bullam hanc directam ſoli Congregationi Joan-Bonitarum (etſi Patres Eremitæ Auguſtiniani, vel totum corpus ex omnibus Eremitis compactum, inter ſua privilegia veluti ſibi conceſſam bis illam petierit confirmari, circa quod nolo nunc immorari) admiror valde hominem eruditum, in monumentis Apoſtolicis verſatum, & qui pene innumera me miniſtrante revolvit, non advertiſſe, Scriptores pro determinatis & ordinariis materiis, ordina-

Vide Bull. Auguſtinian. pag. 319. & 335.

nariis etiam & communibus uti formulis, eamdemque Bullam variis & diſtinctiſſimis perſonis & inſtitutis adaptari, mutatis dumtaxat nominibus, diebus, aut locis, quibus conceduntur. Pro fundationibus Monaſteriorum, conceſſionibus Indulgentiarum, inſtitutionibus Epiſcoporum, confirmationibus donationum & exemptionum, ab Epiſcopis Monaſterio, aut Religioni factarum, ſexcentas hujuſmodi formulas invenies ubique, & ſi placet, ne latius divageris, in regeſto noſtrorum Annalium ſub eodem tenore verborum repetitas.

XIV. Pro hac etiam materia, & ſuſceptione Monaſterii, aut Religionis ſub protectione Sedis Apoſtolicæ, & amplo concedendo privilegio, idem præſcriptus eſt modus, quod vel in ipſo tui Ordinis Bullario conſpicere licebit, ubi hæc eadem Bulla pro Eremitis Tuſciæ, pro Brictinenſibus, pro Ultra-montanis, pro Ordine Eremitarum quinquies ab Innocentio & Alexandro quartis, nulla mutata clauſula repetitur. Non ſe ita adſtringunt Scriptores; neque miniſtri, qui a ſacris ſunt monumentis, ad hæc volunt teneri, ut ſerio, aut ſtricte examinent, a quibus, aut quot Pontificibus conceſſa ſunt privilegia, nec quo anno, aut tempore fundata ſunt Monaſteria, aut Religiones, quibus ſub communi forma verborum, commune etiam hoc concedunt privilegium; ſed ſub cautiori & ſecuriori clauſula, & formula verborum ſcribunt confirmari a Pontifice omnes libertates & immunitates a ſuis Prædeceſſoribus conceſſas, nimirum ſi plura a pluribus Pontificibus ſint ipſis, vel ipſorum locis conceſſa, ea omnia volunt rata & confirmata.

XV. Atque in hoc ſenſu illa verba eſſe intelligenda, neque ea neceſſario ſupponere, aut omnino inferre quod velis, ſcilicet plures Pontifices ante Innocentium, Joan-Bonitis privilegia poſt acceptam Regulam ſancti Auguſtini conceſſiſſe; manifeſtiſſime probo ex ipſo Innocentio & Bullario Auguſtiniano. Hoc ipſum privilegium, eadem per omnia ſervata forma verborum, concedit Innocentius Eremitis per Tuſciam conſtitutis VI. Kalendas Maii anno Chriſti MCCXLIV. cum non niſi anno præcedenti XVII. *Kalendas* Januarii ipſe eis conceſſerit Regulam ſancti Auguſtini, ut ex Conſtitutione I. & 4. Innocentii in prædicto Bullario conſtabit, & nos alias diximus in Apologetico. Idem Innocentius conceſſit iſtud ipſum privilegium expreſſis iiſdem verbis quod habetur in *§.5. n.3. & ſeqq.*
Bullario Cherubini Monachis Silveſtrinis anno V. Pontificatus, cum illi paulo ante ſub Gregorio IX. incepiſſent; auctore Silveſtro Ghiſſerii *Conſt.5. Innoc.*
Canonico Auximano, qui non niſi MCCLXVII. deceſſit, & ab ipſo Innocentio ſuæ Religionis confirmationem, teſte Barboſa, ſuſcepit. Quid ad hæc, mi amice, hocne tuum lanceatum vulnus, & phalarica illa moles, qua me judicabas oppreſſum? Adde, quod non loquatur privilegium de libertatibus & immunitatibus a Prædeceſſoribus Romanis Pontificibus, quæ fuerant conceſſæ ipſis Religioſis, aut Religionibus, ſed *locis*, inquit, *veſtris conceſſas*. Potuerunt autem acquiſiviſſe loca aliqua, aut Templa, longe antea ædificata, quibus aliquot Pontifices multa indulſerint favorabilia. Ita Honorius III. conceſſit hoc ipſum privilegium ſancto Dominico & ſociis, qui ante paucos annos ſub Innocentio III. Ordinem inchoarunt, & Eccleſiam acquiſiverunt vetuſtam ſancti Romani Toloſæ; cujus privilegia Honorius ita confirmat: *Libertates quoque, & immunitates antiquas & rationabiles conſuetudines Eccleſiæ veſtræ conceſſas &c. ratas habemus*. Viden, hoc tuum primum fulmen abſque vulnere in aere diſſipatum?

Barboſa collect. in bullar. verbo. Monachi Silveſtrini.

XVI. Vibras & ſecundum, ex alia ejuſdem Innocentii Bulla, ſed vereor ne in bullam evaneſcat. In litteris incipientibus *Admonet nos*, refert Innocentius, beatum Joannem Bonum poſt acceptam ſancti Auguſtini

ſtini

ſtini Regulam, per plures annos Fratribus præfuiſſe, & paulo infra ait, Fratrem Matthæum, qui Joanni renuncianti officio ſucceſſit, in eadem Religione annis pluribus tamquam Generalem Priorem, generaliter miniſtraſſe, donec in Capitulo Ferrarienſi anno MCCXLIX. celebrato, regendi munus depoſuit. Ex his infers, datam huic Congregationi Regulam ante annum MCCXXXIII. quem ego traditæ Regulæ præfixi. Etenim ab hoc anno uſque ad MCCXLIX. quo Matthæus ab officio abſolutus eſt, numerantur anni ſexdecim dumtaxat, qui nimis pauci ſunt, & tempus breve valde, ut dicantur duo Generales pluribus annis præfuiſſe.

XVII. Mihi verò non pauci videntur anni ſexdecim, ut ſi inter duos Ordinis Primicerios dividantur, non ſufficiant, ut uterque pluribus annis præfuiſſe genuinè dicatur. Octo anni plures anni ſunt, & minorem numerum hoc verbo Cicero declaravit. *Colores plures in columba videri ſentio, nec eſſe plus uno*: inquit 4. Acad. *& ſummus*, inquit, *dolor plures dies manere non poteſt* 2. de Finib. Imo & ad binarium numerum reduci poſſe dictionem hanc, humanioris litteraturæ profeſſores conſtituunt, idque aſſignant diſcrimen inter *Plura* & *Complura*, ut illud de duobus dici poſſit, iſtud non niſi de numero majori. Deinde ſcire a te velim, unde tibi conſtat, Innocentium loqui ſolum de tempore poſt acceptam Regulam, cum ait, Joannem Bonum pluribus annis præfuiſſe? Nonne ipſa verba manifeſte indicant oppoſitum? *Cumque*, inquit, *dictus Frater Joannes Bonus, qui per plures annos Fratribus prædictis præfuerat, & Fratres ipſi eidem tamquam Inſtitutori Ordinis ipſorum reverenter intenderant &c.* Nonne à principio inſtitutæ Congregationis eamdem regebat, & Fratrum ad ſe converſorum curam agebat? nonne eiſdem ſua auctoritate & directione præfuerat? an non ab exordio eidem, tamquam Ordinis Inſtitutori, Fratres reverenter intendebant? At, inquis, hæc verba habet poſt narrationem conceſſæ Regulæ, & relatam ſub illa profeſſionem novitiorum. Quid inde? nonne hæc verba utrumque tempus proprie complectuntur, & ſequens Regulam & præcedens? Quod ſi in locatione, vel ſitu verborum vis tota conſiſtit, ecce profero, qui hæc verba, ſeu relationem Regulæ præmittat. Is eſt tuus commendatiſſimus Jordanus. *Vocabantur*, inquit, *iſti homines Fratres Eremitæ fratris Joannis Boni, cum ipſe fuerit primus Inſtitutor eorum, & quaſi Prior Generalis Ordinem illum paterna ſollicitudine gubernaret. Cum autem iidem Religioſi aliquam de approbatis Regulam non haberent, &c.* Indiſcriminatim itaque loquitur Innocentius de toto tempore ab initio exorientis Religionis uſque ad illud, quo curam inſtituti gregis depoſuit. Tertii fulminis ictum jam ſupra declinavimus, nec eſt cur amplius vereamur, & ſi tu majori vi denuo contorqueas. Repetis illa verba Conſtantii ſatis ſuperque jam inculcata, videlicet, *Reddidit animam Creatori octogenarius, & ultra, conſumptis in ſeculo annis quadraginta, & reliqua parte inter Eremitas in Religione Auguſtiniana*. Sed quam debile hoc fulmen, & quam leviter noceat, diffuſe ſatis jam oſtendimus, dedimuſque genuinum ſenſum, & veram verborum interpretationem, quæ perperam te conſtruxiſſe probavimus, & ſi tibi aliquantum acceſſerit Doneſmundus in hac aſſertione, verbis Conſtantii innixus, ſed male perceptis. Quem ſi tu teſtem & coaſſertorem vis de introducta Regula S. Auguſtini in hanc Congregationem ante annum MCCXXXIII. admitte etiam in iis, quæ paulo antea, ſeu ipſo eodem loco dixit de converſione Joannis Boni a ſeculo & arte Comica anno MCCIX. & dabimus manus, litemque terminabimus. Mihi ſufficiet, quod Doneſmundus conſtanter affirmat de converſione Joannis anno MCCIX. ut convincam, Franciſcum Joannis non fuiſſe diſcipulum; tibi non ſufficiet, quod Regulam Joannes acceperit an-

Jord. l. 1. cap. 8.

Supra ſect. 5. §. 2. n. 2.

Doneſmund. in hiſt. Mant. l. 4.

no MCCX. quod Doneſmundus aſſerit, ut Franciſcum efformes Auguſtinianum. Id enim judicas improbabile, niſi eam paulo celerius, anno videlicet MCCVII. ut meditaris, admiſerit.

XVIII. Atque ut viam huic meditationi præſtrueres, prævias actiones ita componis, & præcedentia tempora ita diſponis, ut converſio & profeſſio in quos velis annos recurrant. Inter reliqua etiam ſpatium diuturnum exercitæ Comicæ ita breve præſcribis, ut quinquennium non excedat. Sed uti ſolus & ſolitarius aſſertor exiſtis de introducta Regula anno MCCVII. ita nullum habes teſtem, qui de miſſa hac arte ſub quinquennium adſtipuletur. Ipſo illo, quem citas, loco, Doneſmundus, ab ineunte juventute, & ab ipſa ferme pueritia uſque ad annum MCCIX. & vitæ quadrageſimum in hoc vitæ genere perſeveraſſe, ſerio recenſet. Hinc tecum expende, quam recte mecum agas, dum acriter reprehendis, quod ex Conſtantio & hiſtoria Mantuana dixerim, Joannem Bonum quadraginta annos male & inaniter in ſeculo conſumpſiſſe, & conſtanter affirmas, nihil hujuſmodi in Conſtantio reperiri. At placeat ipſum audire. Lib. I. cap. 15. quod ſæpe monui, dixit ex octoginta annis, quos vixerat, quadraginta in ſeculo conſumpſiſſe. Ibidem cap. I. refert ejus in eremum, & ſpeluncam ſeceſſum, perpetuum jejunium, vigilias, orationem, corporis macerationem, quibus præteritos corrigebat errores, & annos deflebat male tranſactos, *piangendo gli anni malamente ſpeſi*, ſi omnes quadraginta conſumpſit in ſeculo, & uſque ad annum converſionis perduravit in ludicris exercendis, uti ipſe admittis, nonne hos annos male & inaniter deflebat elapſos? Hiſtoria Mantuana loco proxime citato loquens de anno converſionis ait. *Haveva egli all'hora quaranta anni di ſua vita, ma così malamente ſpeſi, ch'eſſendogli, mentre era fanciullo, morto il padre, ſi diede all'arte del Comico, nella quale con gran dolore di Bona ſua madre, per diverſe città de Italia era andato ſin'a queſta hora eſercitandoſi*. Hiſtoria Cæſenatica ſupra citata. *Quadraginta annos in ſeculo, indignis curis mancipatus, perdidit*.

Reſp. 2. n. 21. & ſeqq.

1. Ibid. n. 17.

XIX. Huic ſimilis eſt illa tua vehemens in me exprobratio, quam ſupra indicavi, quod dixerim, pium virum appellatum *Joannem Bonum a Bona* genitrice & patre *Joanne Bonhomi*. Contendis enim ex Conſtantio cognomen *Bonhomi* genitricis fuiſſe, non genitoris: *Nacque*, inquit ille, *di Giovanni e Bona di Bonhomi, familia antica*, &c. Ego aſſertionis meæ ducem habeo clariſſimum, Doneſmundum in hiſtoria Mantuana: *Chiamandoſi il padre*, ait, *Giovanni de Bonhomi, e la madre Bona, eſſo perciò fu appellato al batteſimo Giovanni Bono*. His concordat ille codex MS. Cæſenas a me ſupra citatus illis verbis: *Il B. Giovanni de Buonhomi Mantuano, detto Giovanni Bono ſi ritira &c.* Cognominatur hic etiam filius Joannes *Bonhomius*: communiter autem & proprie cognomen potius deſumitur a patre quam a genitrice. Quid ſi uterque parens ex eadem eſſet familia *Bonhomia*, uti certe Conſtantius indicare videtur; dum patrem & matrem ſub eodem cognomine *Bonbuomi* conjungit, & nullo facto utriuſque diſcrimine, ſubnectit: *familia antica, e nobile, & honeſtamente ricca*?

Ibid. n. 16. Sect. 2. n. 5.

Conſt. lib. I. c. I.

XX. Concludo itaque ex dictis, & manifeſte hucuſque deductis, Joannem Bonum familia Bonhomia natum anno MCLXVIII. patre in pueritia orbatum, ſpreta matris auctoritate, adoleſcentiori ætate liberius vixiſſe, artem Comicam prætuliſſe uſque ad annum ætatis quadrageſimum, atque adeo anno Chriſti MCCVIII. a ſeculi vanitate converſum, eodem, vel ſequenti, ad eremum Cæſenatem confugiſſe; illic inſtituta & collecta religioſa familia, Regulam accepiſſe S. Auguſtini circa annum MCCXXXIII. in eadem eremo per annos quadraginta prioris vitæ pœnituiſ-

Compendium vitæ B. Jo. Bon.

tuiſſe, deinde in patriam Mantuanam remeaſſe, ubi octogenarius, aut paulo amplius, ſancte deceſſit.

§. V.

Quando converſus S. Franciſcus, & inſtitutus Ordo Minorum.

I. STabilito tot teſtimoniis, firmiſque rationibus tempore converſionis, profeſſioniſque Auguſtinianæ Joannis Boni contra leves, ſingulareſque conjecturas, quas tu primus & ſolus excogitaſti, ſupereſt, ut ſimiles conjectationes circa annum converſionis S. Franciſci, & inſtitutæ ab eo Religionis non diſſimiliter explodam. Ut Franciſcum effingeres Auguſtinianum, diſtuliſti ejus primam converſionem uſque ad anni MCCVII. menſem Julium, aut Auguſtum; & ut per biennium, ſecundum communem tuorum ſententiam, Joannis Boni aſſereres diſcipulum, protraxiſti ſecundam uſque ad anni MCCIX. menſem Januarium, aut Februarium. Id ſolum a te avide ſcire cuperem, ubi hæc legiſti, a quo accepiſti? quis, vel triobolaris, Scriptor hos determinavit menſes? aut quis, quantumvis obſcurus, Auctor hæc ſomniavit? Circa ipſos illos annos utriuſque converſionis, tamquam communiores, & ſcitu faciliores, credebam, te aliquos teſtes convocaturum. Sed pro anno MCCVII. primæ converſionis ſolum tuum Magiſtrum Marquez producis, & pro anno MCCIX. ſecundæ Antonium, Franciſcum Gonzagam, Franciſcum Diago, Jacobum Gualterum, Onuphrium Panvinum, Franciſcum Ortiz, Lucium, Alphonſum Ciaconium.

II. Ego opportuna oblata occaſione, dum Minorum conderem Annales, de utraque hac converſione, tamquam neceſſario præſtruendo operis fundamento, ſerio tractavi, & primam comperi in annum MCCVI. ſecundam in MCCVIII. recurriſſe. Teſtes, quos ibi adhibui, hic repetam, alioſque adjungam, & reproducta ex Apologetico firmiſſima ratione, rem totam abſolvam. Franciſcum divina illuſtratione, & Chriſti voce mundi pertæſum, patri veſtes reddidiſſe, & pœnitentiam ſub habitu Eremitico inchoaſſe anno MCCVI. aperte tradunt beatus Leo ſancto Franciſco a ſacris confeſſionibus; beatus Ruffinus, ſanctæ Claræ conſanguineus, beatus Angelus Tancredi, ſocii omnes, & diſcipuli Viri ſanctiſſimi, qui unanimi ſtudio ad præceptum Creſcentii Miniſtri Generalis, vitam ſui præceptoris conſcripſerunt. Hæc paſſim extat MS. e qua potiſſimi & primi Scriptores geſta ſancti Franciſci decerpſerunt. Ita porro habent cap. 7. *Anno itaque* MCCVI. *& ætatis ſuæ* XXV. *reſtitutis, quæ habuerat patri, & mundo contempto &c.* Marianus Florentinus lib. 1. Chronic. MSS. cap. 3. relata veſtium renunciatione, & novi indumenti in crucis figuram efformatione, ſubjungit: *Quo tempore veterem Apoſtolorum vitam in ſe renovare cœpit, & Chriſti pauperis veſtigia ſectari, anno videlicet* MCCVI. *ætatis ſuæ* XXV. Alexander Aquilanus in Chronicis etiam MSS. lib. 1. cap. 3. ubi Chronica etiam citat cujuſdam Iſidori de rebus Franciſcanis: *Patrem, & quæcumque in hoc mundo habebat, propter Chriſtum reliquit anno* MCCVI. Martinus Polonus ſub Friderico II. licet in aliis annorum calculis erret, hic diſerte ait: *Anno Domini* MCCVI. *qui fuit annus converſionis ipſius.* Vincentius Belluacenſis lib. 29. Spec. hiſt. cap. 98. & Antoninus tit. 24. cap. 2. iiſdem verbis ajunt: *Immutationem dexteræ excelſi in eo apparuiſſe ad annum ætatis ſuæ fere vigeſimum quintum.* Idem Antoninus cap. 7. *primo per duos annos honeſtum habitum, & Eremiticum gerens &c. Incepit autem vitam iſtam anno Domini* MCCVI. Henricus Sedulius in commentario ad cap. 2. vitæ ſancti Franciſci, & Pe-

In appar. ad Annal. §.5. & 6.

§. 2. n. 5.

Prima converſio S. Franciſci.

Digitized by Google

Petrus Salazar in Chron. Prov. Caſtellæ lib. 1. cap. 11. Subſcribunt ſancto Antonino, Ludovicus Prutenus in Trilogio animæ par. 3. cap.6. littera g. *Sanctus Franciſcus converſus eſt a ſeculo anno* MCCVI. *& per biennium ambulavit in vili habitu, ſicut Eremita*. Naucler. volum.2. generat.41. *Franciſcus primo negotiator humanus, & affabilis, ac prodigus uſque ad annum* XXV. *inde terrena cuncta deſpiciens* &c. Joann. Pineda lib.22. Monarch. Eccleſ. cap. 23. §. 2. *Prima ejus converſio ad Dominum per vitam religioſam, fuit anno* MCCVI. Adde his ſanctum Bonaventuram, & tres illos irrefragabiles teſtes, quorum verba exſcripſi in Apologetico, & quintum, quem reproduco Pinedam citatum §.3. qui expreſſe ajunt, ſanctum Franciſcum obiiſſe anno MCCXXVI. anno videlicet a ſua prima converſione vigeſimo. Quid ad hæc, vir doctiſſime? Tot manifeſta probatorum Auctorum teſtimonia præponderabunt unicæ Magiſtri, vel tuæ conjecturæ? §.2. n.5.

III. Secundam etiam converſionem in annum MCCVIII. incidiſſe docent aperte, & manifeſto annorum calculo probant Thomas Celanus, Marianus, & Antoninus Florentini in Apologetico proxime citati, Auctor Chronicorum 24. Ordinis Generalium cap. 2. *Hoc anno* MCCVIII. *ætatis* XXVII. *audito apud Portiunculam Evangelio, ſecundo converſus eſt P. N. Franciſcus*. Naucler. citat. *Franciſcus Seraphicus &c. vir divinus, ac primus Fratrum Minorum Ordinis inſtitutor, & fundator circa annum Domini* MCCVIII. Marcus Ulyſſiponenſis p. 1. Chron. lib. 1. cap. 7. poſtquam retulit illum audiiſſe lectionem Evangelicam in æde Portiunculæ, ad quam plene converſus eſt, & novum habitum aſſumpſit; inquit: *In hac lectione Evangelica, in hoc facto, in hoc die, anno ſcilicet* MCCVIII. *menſe Octobri, die ſancti Lucæ, hic beatus Vir initium dedit Regulæ Minorum, anno ætatis* XXVII. *expletis annis duobus ſuæ converſionis*. Petrus Salazar citatus cap. 12. *dum in die ſancti Lucæ ætatis ſuæ anno* XXVII. *audiret Evangelium, in quo Chriſtus formam Evangelicam præſcripſit &c.* infra. *Hoc tempore anno ſcilicet* MCCVIII. *anno* XII. *Pontificatus Innocentii III. principium accepit ſacra Religio Minorum*. Secunda.

IV. Verum eſt communiter ſumi initium alicujus Religionis a Congregatione conſodalium, ſeu a tempore, quo ad Inſtitutorem accedunt aliqui diſcipuli ſub eadem vivendi norma convicturi. Attamen ſanctus Franciſcus hoc anno aliquale dedit initium Religioni Minorum; uti alias monui, dum habitum, quem veluti teſſeram ſuis diſcipulis voluit communem, ipſe primus tunc aſſumpſit, & vivendi normam ex prælecto illo Evangelio ſibi conſtanter præſcripſit, & diſcipulis ſectandam potiſſime reliquit. Unde non immerito ſanctus Antoninus loquens de hac ſecunda converſione, quando Eremitico habitu rejecto, ſimplicem tunicam fune cinctam Vir ſanctus aſſumpſit, ita ſubjunxit. *Quo tempore ſecundum veriorem opinionem, in lapide iſto fundamentali Ordo Fratrum Minorum initium & fundamentum accepit*. Similem animadverſionem eiſdem ferme verbis adhibuerunt Auctor Chronicorum 24. Generalium, & Marianus Florentinus ad hujus anni & converſionis hiſtoriam. *Annal. Min. an. 1208. n.12.* *Anton. cit. c.7.*

V. Novi Antoninum proxime citatum, converſionem hanc ſecundam ſtatuere ſub ann. MCCIX. ſed manifeſtus eſt error in numerorum notis, quod alias notavi. Etenim ipſo eodem loco paucis interjectis lineolis dixit, per duos tantum annos honeſtum habitum & Eremiticum geſſiſſe. Si ergo vitam iſtam Eremiticam incœpiſſe aſſerit anno MCCVI. ſecundum eumdem terminaſſe oportet anno MCCVIII. Quibus conſonant, & per omnia concordant, quæ duobus locis habet manifeſto calculo, conſequentia ad ſtatutos annos MCCVI. & MCCVIII. primæ & ſecundæ converſionis. Etenim cap. 2. §. 9. loquens de poſtrema infirmitate & mor- *In app. ad Annal. §. 6. n.16.*

Digitized by Google

morte ſancti Franciſci, eam accidiſſe, ait, annis a ſua ſecunda converſione octodecim tranſactis, quod etiam dixerat Vincentius citatus lib. 30. c. 121. & cap. 7. §. 6. eamdem mortem obtigiſſe confirmat Antoninus a prima ſua converſione anno vigeſimo, ab inſtitutione Religionis decimo octavo. Evidenter ergo liquet, Antoninum ſtatuiſſe ſecundam converſionem, & Ordinis inſtitutionem anno MCCVIII. non vero MCCIX. multo minus, ut tu opponis, anno MCCX. Etenim eo loco cumulatim agit de exordiis duarum Religionum, Dominicanæ & Franciſcanæ, inter quæ parvum, aut breviuſculum tempus interceſſit. Et ſi vero neutra inſtituta ſit anno MCCX. (quippe ultra ea, quæ jam diximus de ortu Franciſcanæ expreſſam Dominicanæ inſtitutionem anno MCCXV. conſtituit vir doctus, & nobilis auctor Thomas Maluenda, licet quædam Ordinis initia, & veluti rudimenta, aut præexercitamenta anno MCCVII. præponat) cœperunt tamen ſub illum annum majoribus & clarioribus incrementis innoteſcere, & hominibus apparere. Atque hunc ſibi propoſuiſſe ſenſum Antoninum, conſtat ex ipſis peculiaribus utriuſque Ordinis hiſtoriis, ad quas ſe eodem loco remittit, addens: *De quibus infra*.

Anton. tit. 19. c. 1. §. 4.

In Annal. Præd. an. 1215. cap. 3. & an. 1207. c. 6.

Anton. tit. 24. c. 7. §. 11.

VI. Quod vero dicis, Antoninum, dum agit de converſione beati Ægidii, tertii ſancti Franciſci diſcipuli, loqui de anno MCCIX. id mihi mirum unde hoc collegeris, neque enim quidquam per integras paginas proximas, & hiſtoriæ partitiones occurrit, unde hic annus, vel alius quiſquam determinatus poſſit apprehendi. Imo ex ipſis verbis Auctoris ego colligo potius loqui de anno MCCVIII. Ita enim habet: *Frater Ægidius fuit tertius diſcipulus, ſeu habitu indutus a beato Franciſco, poſt duos annos a primordio converſionis ipſius beati Franciſci*. Cum ergo manifeſte, & repetita annorum calculatione, dixerit, primordia converſionis ſancti Franciſci incidiſſe in annum MCCVI. quomodo poterit hic nunc interjecto tantum bienni ſpatio, Ægidii converſionem protrahere in annum MCCIX. multo minus alibi in annum MCCXI. quod alias diſcuſſi. Ejus verbis, diſcurſui, & numerorum inductionibus potius inhærendum duxi quam notis arithmeticis, in quas facile irrepunt errores.

Indid. cap. 7. in princ.

In Annal. ann. 1209. n. 8. 10. 1.

VII. Tum porro cogito, putaſſe in eumdem annum coincidiſse & Franciſci ſecundam converſionem, & diſcipulorum acceſſionem, quod & alios decepit, & fluctuare fecit in narratione, vel præſcriptione annorum, & aliquando Ordinis Minorum initia tribuere anno MCCVIII. aliquando ſequenti. Vere autem hæc diſtinguenda ſunt, & poſterior Franciſci converſio ſtatuenda eſt anno MCCVIII., & diſcipulorum admiſſio anno MCCIX. Ita expreſse docet Ludovicus Prutenus multis adductis aliorum teſtimoniis. *Anno*, inquit, *MCCIX. Franciſcus cœpit habere Fratres, ſicut etiam dicit Chronica, & teſtatur Magiſter Bartholomæus de Piſa in lib. Conformitatum, & ſimiliter frater David, & frater Peregrinus de Bononia in ſua Chronica, necnon Legenda fratris Ægidii ſancti Viri, & etiam Legenda fratris Bernardi de Aſſiſio teſtantur; & tunc illo anno ſecundum veriorem opinionem Ordo Fratrum Minorum incœpit.* Hinc colligitur altercatos quoſdam, exortaſque adverſas opiniones circa verum ortum, & propria initia Religionis. Alios diximus ſupra illa conſtituiſse in ſuſcepta paupere veſte, & abjectis reliquis indumentis juxta præſcriptum tunc auditi Evangelii: alii ponunt in adventu conſodalium. Et quidem quod Prutenus citet annum hunc ex Legendis Ægidii & Bernardi, veriſſime facit, in utraque enim a Franciſci familiaribus conſcripta, hic annus præfigitur, imo & dies converſionis utriuſque adnotatur. Ex his & diem & annum decerpſit Marcus Ulyſſiponenſis, Bernardum, ait, habitu Minoritico donatum XVI. die Aprilis anno MCCIX. & Ægidius poſt diem ſeptimum in ſancti Georgii natalitiis. Eadem habet Salazarius.

Pruten. cit.

Marc. cit. c. 8. & 9.

Salaz. cit. c. 13.

VIII. Subla-

Digitized by Google

VIII. Sublata itaque æquivocatione circa ſecundam Franciſci converſionem & diſcipulorum admiſſionem, quas in idem tempus aliqui rejiciebant, & in ſuum quaque annum diſtributa, duabuſque explicatis ſententiis circa Ordinis Minorum initia ſtatuenda, ſive in Franciſci converſione, ſive in diſcipulorum acceſſu, qui vere in annum recidit MCCIX. dubium omne evacuatur, & ingenue admittimus quos profers teſtes de inſtituto Ordine anno MCCIX. tunc enim admiſſi primi diſcipuli, qui in Sodalitium convenerunt. De his aperte loquitur Gonzaga a te citatus: *Pii aliquot viri*, inquit, *anno* MCCIX. *Franciſco adhærere cæperunt, quorum auſpiciis Seraphicus Minorum Ordo initium ſumpſit*. De hoc Ordinis initio, ſive inſtitutione, ſimiliter loquuntur Gualterus, Panvinus, Lucius, & Ciacconus, uti ipſe ipſorum verbis teſtaris.

IX. Solus Franciſcus Diagus ex plano errore videtur tuæ favere ſententiæ circa converſionem ſecundam ſancti Franciſci ſub annum MCCIX. Fuit, qui diceret ſanctum Patriarcham anno MCCXIV. in Hiſpaniam abiiſſe transfretaturum in Africam deſiderio Martyrii. Fuit etiam qui in annum anteriorem hanc profectionem Hiſpanicam retraheret. Voluit Diagus priorem defendere ſententiam, eamque ex ſancto Bonaventura probare, quia dixerat *ſexto converſionis ſuæ anno* Martyrii cupidum ad Saracenos perrexiſſe. Ex quo, infert Diagus, prædicto anno MCCXIV., *qui ſextus*, inquit, *erat ab ejus converſione, ſuppoſito quod anno* MCCIX. *contigerit, in Hiſpaniam abiiſſe*. Sed in duobus palam lapſus eſt, primo quod putaverit Bonaventuram loqui de profectione Hiſpanica, & tranſitu in Marochium, cum ille aperte egerit de profectione Syriaca, & navigatione Adriatica ex portu Anconitano. Atqui hæc, & ſi irrito conatu, incidit in annum MCCXII. uti omnes vetuſti Scriptores vitæ ſancti Franciſci, Antoninus tit. 24. cap. 5. Marianus Florentinus cap. 10. Marcus Ulyſſiponenſis citatus cap. 43. Salazar citat. c. 14. unanimiter conſcribunt. Et iter Hiſpanicum inchoavit Vir ſanctus ſub finem anni MCCXIII. & proſecutus eſt anno MCCXIV. Secundo lapſus eſt, quod judicaverit ſanctum Bonaventuram per illa verba *ſexto converſionis ſuæ anno*, loqui de ſecunda converſione ſancti Franciſci, aut Ordinis inſtitutione, cum de prima loquatur converſione, a qua ille annus MCCXII. computatur ſextus, & quartus ab Ordinis inſtitutione. Ita expreſſe habent Chronica antiqua Ordinis, Marianus, & Marcus citati.

Bon. in leg. c. 9.

S. Franc. ex Portu Ancon. ad Sarac.

X. Viden' ergo quam recte ſibi omnia cohæreant, quanta concordia in te conſpirent Auctores, qualiter diſcriminatis rebus, & in ſuos annos diſtributis, omnes in te unam proferunt ſententiam de non retardanda quantum tu velis utraque converſione ſancti Franciſci, ſed primam tribuendam anno MCCVI. ſecundam anno MCCVIII. Sunt qui amplius accelerare voluerunt, & converſionibus iſtis alios annos priores deſignarunt, ſed graviorum Auctorum concordia, & rerum geſtarum, annorumque firma conſonantia hos, quos diximus, ſtabilierunt; neque nos quam cito, ſed quam vere hæc facta ſint, perquirimus, & facti veritatem a bonis Auctoribus & coævis, iiſque partim oculatis teſtibus indagamus. Ex his itaque, quos repellere non licet, & qui omnibus præferendi ſunt, aſſertoribus, ſancti Viri ſociis, diſcipulis, coætaneis (præſertim ſanctus Bonaventura, qui pro millibus ſufficit unus) ex harum rerum conſciis & fidis Scriptoribus Franciſci geſta narramus, & ex ſimili penu, ex certis Scriptoribus & domeſticis monumentis, ex ipſis locis, quibus Joannes Bonus vixit, & obiit, quid, quando egerit, recenſemus. Ut autem ſibi invicem oppoſita clarius eluceſcant, quæ hucuſque tot probatiſſimis Auctoribus de utroque Viro ſancto produximus, & ob oculos inter ſe comparata collocamus.

Vide appar. Annal. t. 5. n. 32.

BEA-

Digitized by Google

Beatus Joannes Bonus.	Sanctus Franciſcus.
Natus eſt Mantuæ anno Chriſti MCLXVIII.	Naſcitur Aſſiſii anno Chriſti MCLXXXII.
Converſus eſt a liberiori vitæ genere anno ætatis XL. & Chriſti MCCVIII.	Convertitur primo a ſæculi vanitate anno ætatis XXV. & Chriſti MCCVI.
Defuncta matre, expiata conſcientia, venditis facultatibus, ſeceſſit in Eremum Cæſenatem anno MCCIX.	Convertitur ſecundo ad arctiorem vivendi normam anno MCCVIII.
Accepit cum ſodalibus Regulam ſancti Auguſtini circa annum MCCXXVI.	Fundat ſuam Religionem anno MCCIX.
Sanctiſſime obiit Mantuæ anno MCCXLIX.	Moritur Aſſiſii anno MCCXXVI.

XI. Collatis invicem annorum notis, & ſtabilita per graves Auctores utriuſque Viri ſancti converſione, quid amplius in hac materia objici poſſit, prorſus ignoro. Ita enim ſibi obviant temporum rationes, & præſtituti converſionum anni ita contradicunt, ut ſub Joanne Franciſcus haud potuerit audire. Biennio ante Joannem converſus Franciſcus: eo anno condendæ Religionis præſtruxit fundamenta, quo Joannes mundo valedixit, & vere poſtea condidit, dum hic receſſit in eremum. Ante inſtitutum Ordinem biennalem Franciſci ſub Joanne Monachatum aſſerebant Patres Auguſtiniani; & nullum hic tempus, locus nullus, tanto diſcipulatui aſſerendo. Quare jam tamdem cogito, ſublatam omnem dubitationem, & venerandos Patres æque admiſſuros erutam ex imis ruderibus veritatem, noſtramque in colligendis monumentis, & examinandis Auctoribus probaturos induſtriam. Quantum licuit, ſinceram poſui, neque animus aliquando fuit quempiam offendere, imo a multis licitis abſtinui, ne ullum ponerem offendiculum. Plurima, quæ hic objicis, prætereo, & varia, quæ facis diverticula, miſſa facio, ne longas cogar diſputationes intexere, & aliquid, quod offenſionem pariat, aut invidiam conciliet, aſſerere. De inſtitutione, aut reſtauratione Ordinis Auguſtiniani, de primo habitus exordio, de Congregationum origine, diſtinctione, & unione, deque aliis his ſimilibus, quæ longo repetitoque inculcas ſermone, parum, aut nihil agam; ſolum hoc de Franciſci apud vos tirocinio proſequar argumentum, breviter ſtabiliens quæ ego alias aſſerui, vel refellens quæ tu recenter opponis.

§. VI.

Satisfit reliquis, quæ habentur in reſponſione ſecunda.

I. INtermiſces aliqua, quæ extra noſtram metam ſunt, ut eſt illud de ſuppletione lacunæ Bullæ Innocentii IV., de commodo, vel incommodo teſtimoniorum Genebrardi, Pontaci, & ſociorum, & his ſimilia, quæ conſultius omittere judicavi, ne extra unicam hanc Monachatus controverſiam ad ſingulos anfractus divagemur, etſi alias ad ſingula reſpondere decreverim, ne quidpiam a nobis dictum appareat, quod ſcite defendi non poſſit. Itaque poſt efficaciſſimum ex temporum chronologia petitum argumentum, aliud ſubjunxi ex confeſſione Conſtantii Laudenſis, nimirum non haberi in proceſſu pro canonizatione Joannis Boni com-

Digitized by Google

compacto ullam hujus Franciſci diſcipulatus memoriam. Probabiliter autem credi non poſſe, diſcipulos Joannis, qui præcipui compaginando proceſſui teſtes adfuere, tacituros, Virum ſanctiſſimum Franciſcum, jam inter Sanctos ſolemniter relatum, ſui magiſtri diſcipulum, ſuumque fuiſſe conſocium.

II. His reſpondes num. 63. & ſeqq. primo inefficax eſſe argumentum ab auctoritate negativa; ſecundo alios habuiſſe diſcipulos memoria dignos, neque tamen recenſeri in proceſſu. Tertio te velle ſcire, an in proceſſibus SS. Dominici & Franciſci contineantur eorum diſcipuli ſanctitate conſpicui. Quarto in proceſſibus Thomæ a Villa nova, & Alphonſi de Oroſco non haberi, quod ille hunc docuerit, vel hic ſub illo audierit. Quinto, Gregorius XI. fuit I. C. Baldi auditor, at ipſe Magiſter id non refert, licet eumdem Romæ obiiſſe narrarit. *Bald. ad lib. 6. Codicis.*

At Argumentum negativum multum habet ponderis ex rerum, temporis, & perſonarum circumſtantiis, quæ hic concurrunt graviſſimæ. Summo omnium honori, quem diſcipuli tunc ſuo procurabant Magiſtro, maxime conducebat, ut palam innoteſceret tali fulſiſſe virtute, & doctrina, ut hominem ſanctiſſimum, Cœlitibus adſcriptum, ad tantam ſanctimoniæ excellentiam erudierit. An credibile videtur, ut tunc hoc reticerent, etſi non interrogarentur, & non id ultro proderent, propalarent, inculcarent? Nonne facilius Magiſtri gloriæ ſterneretur via, ſi tantopere præfulſiſſet in diſcipulo? Alios autem habuiſſe diſcipulos virtute illuſtres, quod ſecundo opponis loco, neque aliunde ſcio, neque negabo; ſolum id dixero, non fuiſſe tanta memoria dignos, quanta Franciſcus, quem eo tempore per omnes Orbis audiebat regiones; & proinde licet illi reticerentur; hic publicaretur, & protinus obtruderetur. Tertium, quod ſcire cupis, a me non potes, qui Apotheoſis acta non vidi, id dicere poſſum, horum Patriarcharum neutrum, dum efformarentur proceſſus, talem tunc habuiſſe diſcipulum, qualem hic oſtendimus debuiſſe explicari. Et ſi Dominicus habuerit ſectatorem Hyacinthum Polonum, & Franciſcus Antonium Patavinum, non tamen tunc Sanctorum albo donatos, neque tanto nomine conſpicuos. Similiter ſatisfaciendum eſt quartæ rationi, ſive exemplo de binis tuis Conſodalibus.

III. Quinta objectio a ſcopo deviat; Auditorium ſcholaſticum millenis adoleſcentibus commune & liberum, longe differt a tirocinio Monaſtico ad ſelectiores redacto, & vinculis reſtricto. Inſuper ſi Baldus ob modeſtiam ſuum tacuerat magiſterium, id expreſſerunt alii, qui vitam ejus, vel Gregorii ad poſteros tranſmiſerunt. Conſule, ſi vis, Guidum Panzirolum Regienſem lib. 2. de claris legum interpretibus cap. 70. ubi de Baldo; Platinam & Ciaconium in vita Gregorii; tuum Ægidium Viterbien. in hiſtoria ſeculi vigeſimi, præter Blondum, & Pium II. a te citatos. Ego non contendo, debuiſſe Joannem Bonum de ſuo gloriari magiſterio, aut Franciſci diſcipulatu; ſed difficile credi poſſe id tacituros ejus diſcipulos, Franciſci collegas, in teſtimonium vocatos virtutis & gloriæ ſui Magiſtri.

SE-

Digitized by Google

SECTIO VI.

Refelluntur quæ habentur Reſponſione III. contra §. III.

§. I.

Stabilitur argumentum deductum ex ſilentio tot Auctorum Franciſco æqualium.

I. Temporum exactæ diſcuſſioni addidi quaſdam rationes, quæ magis intentum comprobarent. Prima erat, altum eſſe ſilentium apud tot Scriptores, qui Franciſci geſta retulerunt, quorum aliqui diſcipuli & a ſecretis; alii coœvi & ſanctiſſimi Scriptores; eoque efficacius hoc cenſendum a M. Marquez argumentum, dixi, quod ille prius ſimile in Dazam contorſit. Valde hic ſuccenſes, & egre fers, me comparare hoc meum diſſertatoris argumento, & multa excogitas inter utrumque diſcrimina, eaque tam ſubtilia, ut meum effugiant intellectum. Noluit Marquez admittere quod Daza ex Volaterrano, dixit, videlicet ſanctum Bonaventuram Præſidem inter Auguſtinianos egiſſe, eiſque habitus formam contuliſſe, nimirum quia nullus ex vitæ Bonaventuræ Scriptoribus, aliiſve Auctoribus, neque Chronica ulla Ordinis ſancti Franciſci rem hanc enarrant. Hoc ipſum ego fortius objicio ex potiſſimis Franciſci vitæ Scriptoribus, quod omnino tacuerint hunc prætenſum Monachatum. De narratione autem implicita ex habitus Eremitici mentione, quid cenſendum ſit, ſuo loco dicemus. Arriſit mihi lepide tuum argumentationis documentum, quo velis meam ita Magiſtri opponi rationi. Dixit ille *nulla hiſtoria Ordinis ſancti Franciſci*, ego debui ex tua inſtructione ex adverſo dicere: *nulla hiſtoria Ordinis ſancti Auguſtini*. Qua id ratione ille loquitur de viro ſancto Franciſcano, & ego de Franciſcanorum Auctore; ille de re, ut dicebatur, geſta in Ordine ſancti Auguſtini, & ego de alia ſimiliter ibidem prætenſa. Ut quid non ejuſdem Ordinis Auctores in utroque facto conteſtentur?

Infra ſect. 7. §. 1. & ſect. 8. §. 10.

II. Adhuc pergis inefficax dicere argumentum, & exempla congeris de ſancto Benedicto probabiliter ſancti Baſilii Regulam profeſſo, quod tamen nullus dixit Auctor vetuſtus; de ſancto Gregorio, ex Baronii ſententia, ſancti Equitii Ordini adſcripto, quod nullus retulit antiquus, de Joanne Bono Inſtitutum Auguſtini amplexo; etſi coætanei tacuerint Auctores. Unde infers, quod ſupra dixeras, argumentum ex auctoritate negativa non inferre rem eſſe improbabilem, quod multis Auguſtini & Bonaventuræ ſententiis confirmas.

III. Ut tua reſponſio meum evacuaret argumentum, oportebat prius oſtendere, tot fuiſſe, qui prædictorum Sanctorum vitas ſcripſerint, quot ego vitæ ſancti Franciſci produxeram Auctores, atque ex his fuiſſe plures, ſive concives, ſive diſcipulos, ſive coætaneos, qui eos viderint, obſervaverint, & tamquam magiſtros ſequuti fuerint, quales ego tibi offero geſtorum ſancti Franciſci diſertiſſimos narratores. Ex his aliquot ſunt, qui vel a confeſſionibus, a ſecretis, vel in eadem urbe nati, vel ab eo educati fuerint: alii non ſolum coævi, ſed & qui ab eo tempore, quo intravit & exivit inter eos Franciſcus, teſtes fuerunt omnium, quæ geſſit inter illos, & ignorare non potuerunt, quam paulo antea per biennij ſpatium vitam egerit, & a qua ſchola ad ſuam efformandam prodierit. Da mihi tot, & tales, Benedicti, Gregorii, & Joannis integræ vitæ narrato-

Digitized by Google

ratores, & ſi quid circa rem notabilem, circa profeſsionem ſolemnem, circa biennii vitam regularem altum tacuerunt, ego pro non facto reputabo; & ſi a poſteriore Scriptore obtrudatur, non tam facile ducar ut credam, quam difficile judicabo, ut firmum & ſolemnem vitæ ſtatum tot teſtes oculati prætererint.

Quam ſit primo profeſſus Regulam ſanctus Benedictus.

Greg. lib. 2. Dial. cap. 1.

IV. Atque hinc mihi improbabile quod ſuggeris de profeſſione ſancti Benedicti ſub Regula Baſiliana, dum ſanctus Gregorius ei coævus, a quatuor Diſcipulis Benedicti ejus geſta perdoctus, diſerte refert Romanum Monachum, a quo prius victum, deinde vitæ Inſtitutum, & habitum accepit Benedictus, non ſub Baſilii, ſed ſub Theodati Patris Regula vixiſſe. Circa res adeo claras, & teſtimonia, quæ ex tanti Scriptoris auctoritate, & diſcipulorum conteſtatione credibilia facta ſunt nimis, neſcio cur hærendum, aut dubitandum ſit, vel quid ſolidum in adverſum poſsit afferri. Quod ſciolus aliquis ex levi conjectura, ſeu potius craſſo errore, & pudenda temporum imperitia aliud ingerat, floccipendendum eſt. Vide quali hunc afficiat cenſura Antonius de Yepes ſuis centuriis Benedictinis.

Cent. 1. an. 480. cap. 3.

Et S. Gregorius magnus.

V. Deinde, neque Gregorio, neque Joanni Bono tua æquiparatur reſponſio, de his enim neque diſcipulos, neque contemporaneos, aut conterraneos habemus Scriptores, ex quorum ſilentio poſſumus quidpiam inferre. Primus Gregorii vitam ſcripſit Paulus Monachus Caſsinenſis, ſub Carolo magno; ſecundus Joannes Diaconus, ſub Carolo Calvo. Qui præceſſerunt, potius fragmenta collegerunt, aut geſta obiter indicarunt, quam vitæ hiſtoriam concinnarunt. Gregorius Turonenſis æqualis pauca ejus geſta ſuæ interſerit hiſtoriæ. Quantum itaque temporis effluxerit inter Gregorii obitum & Caroli magni imperium enumera, & videbis quam apte meo occurreris argumento. Quid autem cenſeam de Monachatu Gregorii ſub Equitii, an potius Benedicti Inſtituto, haud opportune hic propalaverim; probe novi pro illo decertaſſe Cæſarem Cardinalem Baronium, & Antonium Gallonium, pro iſto Antonium de Yepes, & Conſtantinos Bellottum & Caetaneum.

Turon. lib. 10. hiſt. Franc.

Baron. ann. 828. Gallon. lib. peculiari de hac re. Yep. cit. an. 576. cap. 2. & ſeqq. Bellot. & Caet. propriis de hac re libris.

VI. Qui de Joanne Bono ſcripſerit ante prætenſum Jordanum de Saxonia, cedo mihi aliquem. Quod ſi univerſi diſcipuli & coævi omnino tacuerint, neque aliquid de eo ſcripſerint, ex prætermiſſo ejus Monachatu Auguſtiniano, quid poterit contra meam diſſertationem inferri? Adde, quod Innocentius paucis annis poſt Joannis mortem Bullam ediderit, in qua refert, illum Regulam ſubiiſſe ſancti Auguſtini. Quid ergo hic poterit eſſe dubii Pontifice coævo ita diſerte affirmante, quantumvis eſſent qui hoc tacuerint? nulla potuit ſuboriri apud viros doctos, minimeque pertinaces controverſia. Ex ſimili autem caſu neſcio quid meo objici poſſit argumento, quo contendo multos diſcipulos & æquales minutim ſancti Franciſci geſta ſcripſiſſe, nec quidpiam de Monachatu Auguſtiniano dixiſſe, primoſque prodiiſſe ex Auguſtinianis Auctores, qui eum adſtruerent, nullo Pontifice, nulloque gravi Auctore vetuſto adſtipulante.

VII. Ut argumentum ex tantorum Auctorum ſilentio petitum infringeret Marquez, cum Bergomate objecit, aliquas Chriſti actiones tacuiſſe quoſdam ex Evangeliſtis, neque omnes omnia ſcripſiſſe, etſi ſumma diligentia, & Spiritus ſancti aſſiſtentia ſuam concinnarint hiſtoriam. Admiſi objectum, adjecique ab uno Evangeliſta prætermiſſa alterum ſuppleviſſe, & præcipuas, fideique noſtræ proficuas Chriſti actiones notaſſe. At rem hanc, de qua agimus, omnibus patulam, ſcituque faciliimam nullum ex tot Scriptoribus ſcripſiſſe, neque ſuppleviſſe. Hinc vehementer excandeſcis, & libere exſpatiaris in probando, non omnes

 Chri-

Chriſti actiones præcipuas, fideique noſtræ proficuas ab Evangeliſtis fuiſſe relatas, ſed multas ab omnibus prætermiſſas, neque contrarium a viro Catholico dici potuiſſe. Ego me catholice ſcripſiſſe exiſtimo, dum abſque nota illa, aut termino univerſali, *omnes*, quam tu adjungis, dixi præcipuas fideique noſtræ proficuas ab Evangeliſtis, vel omnibus, vel aliquibus, fuiſſe conſcriptas; neque ex hac aſſertione contra me inferri poterit, quod contendis, me velle nullam Chriſti actionem Evangeliſtas omiſiſſe, ſed omnes in ſuam hiſtoriam coadunaſſe. Admitto cum Joanne *alia multa eſſe, quæ fecit Jeſus*, eaque gravia & ponderoſa, ſed præcipua & potiora, fideique noſtræ graviora myſteria adnotarunt. Hæc a Catholico viro dici poſſe & debere, tumet ipſe mecum admittes.

Joan. 21.

VIII. Potioribus autem argumentis, quod probandum aſſumpſiſti, potuiſses urgere; ea enim, quæ affers, ut oſtendas multa a Chriſto dicta & facta, quæ apud Evangeliſtas non habentur, infirmiora ſunt, quam ut quæ velis, extorqueant. Primo ex ſola ad Hebræos epiſtola cap. 5. haberi dicis Chriſtum cum clamore valido & lacrymis offerentem, exauditum eſse pro ſua reverentia. Secundo ex Act. 20. non aliunde, dixiſse Chriſtum: *Beatius eſt magis dare, quam accipere*. Tertio, ex ſola traditione conſtare, beatam Mariam fuiſse ſemper Virginem. Quarto, ex Patrum dumtaxat doctrina ſciri, Chriſtum communicaſse Judæ corpus ſuum in nocte cœnæ.

IX. At quid ſi ego hæc tibi in Evangelica hiſtoria contineri monſtravero, haſque Chriſti actiones, quas omiſsas ſupponis, ab Evangeliſtis ſignanter fuiſse notatas? Verba illa Pauli intelligunt Ambroſius, & alii, de oratione Chriſti in cruce, ubi ex Matthæo & Luca cum clamore valido & voce magna dixit: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* & *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum*; iterumque: *clamans voce magna emiſit ſpiritum*. Sed cum hic nulla mentio de lacrymis habeatur, probabilius hic egiſse Paulum de oratione Chriſti in horto ajunt Theodoretus, Œcumenius, D. Thomas, & alii, ubi tertio orans, & uti ait Apoſtolus, *preces, ſupplicationeſque ad eum, qui poſſet illum ſalvum facere a morte, offerens*, non ſolum flevit, ſed factus in agonia ſudorem emiſit ſanguineum, *ubi quidem*, inquit Bernardus, *non ſolis oculis, ſed quaſi membris omnibus fleviſſe videtur*.

Mat. 27. v. 46.
Luca 23. v. 36.
Matth. 27. v. 50.
Vide Gutier. a Trejo hic.
Bern. ſerm. 3. in Dom. palm. in fine.

X. Secundum locum ex Actis Apoſtolicis allatum: *Beatius eſt magis dare quam accipere*, ad illa Chriſti verba Lucæ 6. v. 30. *Omni petenti te tribue*, & ibidem v. 35. *Mutuum date, nihil inde ſperantes*, referunt Chryſoſtomus, Œcumenius, Lyranus, Sixtus Senenſis: vel ad illum etiam locum Lucæ 14. v. 13. *Cum facis convivium voca pauperes &c. & beatus eris, quia non habent retribuere tibi*: Veroſimilius reſpicere potuit Apoſtolus. Hoc enim, ait Lorinus, videtur eſse quod hic ponitur: *Beatius eſt magis dare quam accipere*.

XI. Virginitatem beatæ Mariæ (etſi mihi hoc onus non incumbat, qui de ſolis Chriſti actionibus in mea diſsertatione locutus ſum) adeo manifeſtum eſt, in ſacro Evangelio contineri, ut ex nullo alio Scripturæ loco, neque validiori argumento, quam ex Evangelica hiſtoria deſumpto, eam ſancti Patres contra hæreticos defendant. Etſi enim inſignis ſit ille locus Iſaiæ 7. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium* ad probandam perpetuam Mariæ virginitatem, tamen quia eum ad alios ſenſus detorquent Hebræi, variiſque modis interpretantur hæretici, inde majorem vim accepit, & irrefragabilior cenſetur, quod Matthæus eum ad aſſerendam Mariæ virginitatem a Propheta dixerit prolatum. Poſtquam retulit Angelum repuliſſe Joſephi timorem de virgine prægnante, & di-

Mariæ Virginitas aſſeritur in Evangelio.

Matth. 1. v. 21.

Digitized by Google

dixiſſe: *Quod in ea natum eſt de Spiritu ſancto eſt: pariet autem filium &c.* ſubjungit: *Hoc autem totum factum eſt ut adimpleretur quod dictum eſt a Domino per Prophetam dicentem: ecce virgo in utero habebit & pariet filium*. Non parvum etiam adminiculum aſſerendæ Marianæ virginitatis & probandi voti virginalis Patres accipiunt ex illo Lucæ. *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? & reſpondens Angelus dixit ei: Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi &c.* Non ergo, ut tu aſſeris, ex ſola traditione Mariæ virginitatem novit Eccleſia, ſed potius ex ſacra Scriptura, maxime autem ex Evangelio. *Luca 1. v.35.*

XII. An vero Judæ in nocte cœnæ Chriſtus ſuum corpus communicaverit, dubium & controverſum eſt inter Patres. Qui vero affirmant, non aliunde firmius probant, quam ex ſacro Evangelio, in quo non obſcure indicatur, Judam & cœnæ agni, & cœnæ communi, & inſtitutioni ac diſtributioni corporis & ſanguinis Chriſti fuiſſe præſentem, eaque percepiſſe. Satis hæc inſinuat Lucas, dum poſt datam a Chriſto Euchariſtiam de Juda tamquam adhuc præſente, Chriſtum ita loquentem inducit: *Hic eſt calix novum teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis fundetur. Verumtamen ecce manus tradentis me mecum eſt in menſa*. Unde ex Patribus potiſſimi colligunt, Judam toti actioni interfuiſſe, & corpori Dominico communicaſſe. Imo ſi credimus tibi conſtanter aſſerenti ſermonem 28. ad Fratres in Eremo ſancti Auguſtini fœtum legitimum eſſe, id evidenter dixiſſe Evangeliſtam ſanctus Doctor edocuit his verbis: *Jam Dominus omnes Diſcipulos communicaverat, & Judam, ſicut Lucas evidenter oſtendit*. Vide quales præcipuas Chriſti actiones profers ab Evangeliſtis prætermiſſas, quarum nullam prætermiſerunt, nullam prorſus tacuerunt.

An Judas in cœna acceperit Euchariſtiam.

Luca c.22.v.20.

Reſp.4. n.345.

XIII. Huic de Scriptorum æqualium ſilentio non inefficaci argumento addideram, exſibilandum fore, qui ſeriam aliquam, aut gravem Chriſti actionem ab omnibus Evangeliſtis prætermiſſam nunc in medium afferret, nec eam certa traditione a Chriſti familiaribus, aut coævis deductam, vel revelatione indubia comprobaret, & quidquid ultra Evangelicam hiſtoriam produceret, pro apocrypho reputandum. Atque hinc deduxi quod de Monachatu ſancti Franciſci aſſeritur, dubiæ, aut nullius eſſe fidei, quippe a novis Auctoribus dictum, nulla adſtipulante traditione, aut revelatione, tacentibus omnino Scriptoribus coævis.

XIV. Dupliciter huic occurris inſtantiæ, primo, aſſerendo, apud vetuſtos Auctores Franciſco æquales, per verba æquivalentia Monachatum hunc haberi. Secundo, reſpondendo, aliquam Chriſti actionem poſterioribus ſeculis relatam, uti veram admitti, etſi in Evangelio non contineatur, neque traditione, aut revelatione firmetur. Exemplo id probas imaginis Edeſſenæ, a Chriſto ad Abagarum miſsæ, paſſim ab omnibus receptæ, & in honore habitæ, etſi in ſacra Scriptura nullum ejus extet veſtigium, nullave commendetur revelatione, aut traditione; primumque dicis tantæ rei Auctorem Evagrium, qui hiſtoriam ſuam abſolvit circa annum DXCIV. unde deducis, gravem ſeriamve Chriſti actionem ad fidem admitti poſt annos quingentos, etſi nulla præceſſerit apud Evangeliſtas mentio, neque apud alios firma revelatio, aut certa traditio.

XV. Sed vellem a te ſcire, an Evagrium legiſti? quod ſi legeris, quomodo contendis, eum primum fuiſſe imaginis Edeſſenæ Auctorem? Nonne ipſe Procopium citat, & veterum traditionem? Nonne ab his verbis auſpicatur ſuam narrationem: *Procopius litteris mandavit ea, quæ ſunt de Edeſſa, & Abagaro, a veteribus commemorata?* Nicephorus traditionem hanc ipſius Edeſſæ urbis monumentis, & commentariis de

Unde prima notitia imaginis Edeſſenæ?

Evagr. l.4. c.26.

Niceph. l.1.c.7.

rebus geſtis Abagari confirmat. Cum enim de epiſtolis Abagari ad Chriſtum, & Chriſti ad Abagarum, & de hac imagine, aliiſque multis diſſeruiſſet, ſubjungit: *Hæc quidem ex tabulariis, & archivis Civitatis Edeſſæ; quæ tum Regia adminiſtrabatur poteſtate, ſunt deſumpta. Fuerant enim in publica librorum monumenta relata. Et libri de Augari* (ſive Abagari) *rebus conſcripti, hæc quoque complectebantur ex Syrorum lingua translata*. Nonne hanc traditionem aperte aſseruit Damaſcenus? Docuitque rem hanc communi hominum fama & atteſtatione comprobatam, dum ita hanc hiſtoriam exorſus eſt. *Sermone ſuperioribus temporibus per manus tradito, qui ad nos uſque pervenit, conſtat, Augarum illum Edeſſæ Regem, auditis iis, quæ de Domino ferebantur &c.* Traditionem hanc confirmant Auctores vitæ SS. Martyrum Sumonæ, Guriæ, & Abibi, qui ſub Diocletiano circa annum CCXCIX. Edeſſæ paſſi ſunt, & ſancti Alexii Romani, qui ante annum CCCLXX. Edeſſam profectus, ibi per annos ſeptemdecim commoratus eſt, qui de imagine hac agunt, & vetuſtiſſimi illorum temporum videntur Scriptores. Traditionem hanc a ſancto Thadæo poſt Chriſti mortem ad Abagarum & Edeſſanos miſſo, Chriſtianis exhibitam firmiter inoleviſse, & perſeveraſse docet Joannes Giacchettus peculiari de hac imagine tractatu. Et certe, uti recte Jacobus Gretſerus in ſuo Syntagmate de imaginibus non manu factis, argumentatur contra Iſaacum Caſaubonum (qui idipſum quod tu contendis, primum ſcilicet innotuiſse hanc imaginem poſt Chriſti annum quingenteſimum Evagrio auctore) mirum eſset, ſi alii non præſcripſerint Auctores, aut veterum præceſserit traditio, ut quiſpiam inveniretur tam facundus, & in dicendo tam copioſus, qui anno demum DL. imaginem hanc quaſi rem veterem, & tamen nec traditione, nec litterarum monumentis ſuffultam, in orbem introducere potuerit, nemine refragante, ſaltem uſque ad Iconoclaſtarum tempora. Quam vere autem ipſe dixeris, traditionem iſtam oſtendi non poſse, niſi ex Evagrio, Damaſceno, Synodo 2. Nicæna, Bonaventura, & aliis novioribus, ſi ſcire volueris, conſule prædictum Gretſerum, dabitque viginti tres Auctores Bonaventura priores.

Dam. orat. 1. de imag.6.

Giacch. de Iconologia Salvator. cap.1.

Gretſer. c. 9.

Gretſ. cap.5.

§. II.

Roboratur argumentum deſumptum ex Bullis canonizationis ſancti Franciſci.

I. DIxi ſecundo loco, nullam haberi mentionem hujus Monachatus in Bullis Gregorii IX. quibus Franciſcum a ſe canonizatum declaravit, cum idem Gregorius in Bulla canonizationis ſancti Dominici narraverit, prius profeſſum Regulam ſancti Auguſtini, quam Prædicatorum Ordinem inſtituerit; & ſimiliter Leo X. commemoravit Franciſcum a Paula inter Minoritas annum exegiſse, antequam ſui Sodalitii præſtruxerit fundamenta. At non videbatur veroſimile, ut Pontifex Franciſco ſumme familiaris biennalem hunc Monachatum neſciret, aut notum in prædictis litteris præteriret.

II. Huic rationi variis modis cupis ſatisfactum. Primo, aſserendo in Bulla *Mira circa nos*, Pontificem haud obſcure hujus Monachatus meminiſse. Secundo, objiciendo quod neque ſtigmatum, neque habitus Eremitici, quem omnium conſenſu per biennium geſtaverat, in iiſdem litteris meminerit. Tertio, comparando Bullas canonizationum SS. Dominici & Franciſci Paulani his noſtris; in illis enim Pontifices narrant geſta particularia illorum Patriarcharum: in iſtis Gregorius ſtrictim per-

percurrit acta ſancti Franciſci Aſſiatis; neque enim neceſsario in hujuſmodi litteris referunt omnia geſta Sanctorum virorum, quos canonizant. Quarto, quod alii viri ſancti Divorum catalogo ſint adſcripti, qui ab uno Inſtituto ad aliud tranſierunt, neque tamen hoc refertur in litteris, quibus canonizati denunciantur.

III. Singulas has tuas reſponſiones libuit examinare, atque ut a prima ſumam exordium, neſcio certe ubi vel clare, vel obſcure Gregorius meminerit in præcitata Bulla hujus Monachatus. Illis, inquis tu, verbis, dum loqueretur de Franciſci egreſſu e domo paterna. *Vitia quoque ſupplantans, & contra mundum, carnem, & poteſtates aereas luctamen aſſumens viriliter, uxore, villa, bobus a cœna magna retrahentibus invitatos, penitus abdicatis, cum Jacob, Domino jubente, ſurrexit &c.* Jubes hic notari verbum *penitus*, nam impedimenta vitæ ſpiritualis non abdicantur, ais, penitus, niſi per tria vota paupertatis, obedientiæ, & caſtitatis. Abdicationem autem hanc feciſse animadvertis in ſtatu Eremitico, & præceſſiſſe inſtitutionem Ordinis Minorum ex ſequentibus verbis deducis. *Ne vero ſibi ſoli proficeret, in monte tantummodo Rachel amplexibus inhærendo, contemplationi pulchræ quidem, ſed ſterili, ad Liæ interdictum deſcendit cubiculum, minaturus gregem gemellis fœtibus fœcundatum ad interiora deſerti.*

IV. Subtili quidem mentis acie hic contemplaris iſtum Monachatum, quem auſim ſpondere nullum ab affectu liberum, vel a longe poſſe iſthic effingere. Si cetera, quæ ſequuntur adjungeres, vel ipſe fatereris, aut lector perſpiceret, non hic initia regularis vitæ per votorum nuncupationes, ut meditaris, ſed culmen perfectionis, ad quod pervenerat poſt diuturnum virtutis exercitium, manifeſtius indicari. Converſionem autem ejus, Ordinem ab eo inſtitutum, & ingentem animarum converſionem per ſe, & ſocios factam, longe ante in eiſdem litteris retulit Pontifex ab illis verbis: *Qui audita interius voce invitantis amici, impiger ſurgens, mundi vincula blandientis, quaſi alter Samſon, gratia divina præventus, dirupit &c.* adjungitque, Virum ſanctum *prædicatione ſimplici nullis verborum perſuaſibilium humanæ ſapientiæ coloribus adornata, non tantum mille, ſed multa millia Philiſtinorum proſtraviſſe*: additque magnum deinde rei Chriſtianæ per ſocios incrementum. Longe vero poſt hæc verba a te producta ſequuntur. Lege, quæſo, attente, & perpende ſincere diploma, videbis nihil tuum hic reperiri.

V. Quod objicis ſecundo, de prætermiſſis ſtigmatibus, & habitu Eremitico, verum omnino eſt: ſed illa digna erant, quæ peculiaribus, & ad rem compoſitis litteris innoteſcerent, quarum tres in variis codicibus ipſe legiſti, & plures alibi licet conſpicere. Cede mihi tu Bullam aliquam, in qua hic Monachatus adſtruatur; non urgebo ſilentium in litteris Gregorianis. Delatio autem habitus Eremitici omnibus communis, *Vide tom. 1. 2. & Annal. Minor.* & quibuſcumque volentibus expoſiti, non tanti erat æſtimanda, ut in graviſſimo apotheoſis monumento inter celebriora Viri ſancti facta recenſeretur.

VI. Quod tertio aſſeris de relatis peculiaribus Dominici & Franciſci a Paula actionibus, non adeo omnino verum eſt, ut qui legerit Bullam canonizationis Dominici, & noſtri Franciſci, non dixerit plura a Pontifice Franciſci facta narrari, quam Dominici. Etenim in hujus Bulla totus eſt Pontifex in providentia Dei magnificanda, qua Eccleſiæ ſuæ ſanctiſſimas tribuit Religiones ſancti Benedicti, Ciſtercienſem, Florenſem, Prædicatorum, Minorum, & paucis abſolvit a ſancto Dominico facta. In Bulla Franciſci longiori, poſt breve exordium totus eſt in cumulandis Viri ſancti encomiis, & ſub cultiſſimis formulis, allegoriiſque ſacræ Scri-

pturæ

ptura ejus factis recenſendis. Adeo ne vero orationis curſum retardaret, ſi breviter, aut obviam narraret digniſſimum facinus, quo ſe Deo ſolemniter ſub Auguſtini Regula conſecraret?

VII. Quartum de variis exemplis Sanctorum inter Divos relatorum, quorum vitæ regularis inſtitutum non commemoratur in apotheoſis monumento, non enervat difficultatem. Ego argumentum præſtruxi, & vim poſui in Religionum Fundatoribus, qui a vetere Inſtituto ad novum procreandum proſiliere, & valedicta priore vita, ad aliam omnino diſtinctam tranſierunt. Tu vero mihi præbes non Religionum Conditores, ſed ad ſummum unum aut alterum novæ Congregationis in eodem Ordine, vel ſub eadem Regula, quam prius aſſumpſerant Fundatorem, ſeu ejuſdem Inſtituti per domos aliquot reformatorem; Joannem ſcilicet Gualbertum, Congregationis Vallis-Umbroſæ; & Petrum Moronum, Cœleſtinæ Inſtitutores. Et quidem Joannis non Bullam profers canonizationis, ſed litteras dumtaxat ad Abbatem & Monachos Cœnobii Vallis-Umbroſæ miſſas, canonizationis factæ enunciativas. Ubi enim aliquando vidiſti inſtrumenta canonizationis, ſeu apotheoſis Bullam ad peculiares viros, aut unius Monaſterii incolas inſcripta? Ad Archiepiſcopos, Epiſcopos, Eccleſiarum Prælatos, & univerſos fideles ex ritu & conſuetudine Eccleſiæ deſtinantur, ut omnibus innoteſcat, hunc, vel illum Dei famulum Cœlitibus eſſe adſcriptum. Si ergo ad ſolos ſuos Monachos Ordinis ſancti Benedicti, & a ſe inſtructos, miſſa eſt epiſtola, ſupervacaneum erat enarrare, eum prius Ordinis fuiſſe Benedictini. Qui Inſtitutum non mutavit, ſed reſtrinxit, aut reformavit, ut quid narrandum erat, quod ipſis erat notiſſimum, ſub eodem fuiſſe educatum? Similiter uti ipſe refers ex Bulla canonizationis, Petrus Moronus *Congregationem Monaſticam ſub beati Benedicti Regula, ſuperadditis ei ſtatutis arctiſſimis, ordinavit*; non novam Religionem inſtituit, ſed veterem reſtituit. Et proinde ipſe, te etiam teſte; in Bulla anno primo Pontificatus ſub Cœleſtini V. nomine referens ſuæ juventutis primordia, & profeſſionem in Ordine ſancti Benedicti, non videtur reputare ſuam Congregationem aliud diſtinctum Inſtitutum ab illo ſancti Benedicti, ſed potius unum & eumdem Ordinem eſſe.

VIII. Ex mea itaque diſſertatione infero, dum nullibi in litteris Apoſtolicis hic Monachatus exprimitur, & in Bullis canonizationis omnino reticetur, ex Bullis canonizationis SS. Dominici & Franciſci Paulenſis optime deduci, numquam ſub Auguſtini Regula militaſſe, maxime cum id latere non poſſet Pontificem, qui in ipſa canonizationis Bulla ita teſtatur. *Cum igitur glorioſæ vitæ ipſius inſignia ex multa familiaritate, quam nobiſcum habuit in minori officio conſtitutis, plene cognita nobis eſſent*, & infra: *quem familiarem habuimus in terris, confidentes habere patronum in cælis*.

§. III.

Confirmatur tertium argumentum ab actionibus cum hoc novitiatu incompatibilibus petitum.

I. PRopoſui tertio loco, ſanctum Franciſcum toto illo biennio prætenſi Monachatus ea feciſſe, quæ ſeceſſum in longinqua Eremo non admittant. Tres Eccleſias reſtauravit, Romam perrexit, ſanctorum Apoſtolorum limina veneraturus. His nobis notis actionibus, aliiſque incognitis, quod ſupereſſe potuit tempus, ut per biennium novitiatum, aut Monachatum ageret Auguſtinianum in Eremo per multa milliaria, itinere trium, aut quatuor dierum diſtante?

II. Re-

II. Reſpondes ex Antonino ſimul utrumque peregiſſe *nunc latendo in eremis*, *nunc Eccleſiarum reparationibus inſiſtendo*, idque facile potuiſſe, tum quia Eccleſiæ humiles erant, & pauperculæ; tum quia potuit eas ſimul fabricaſſe; tum denique quia neceſſe non erat, ut toto fabricationis tempore moraretur Aſſiſii, ſed collecta eleemoſyna, & præſcripta operis norma ad eremum ire potuit & redire. Secundo addis, potuiſſe etiam ex Superioris licentia extra Monaſterium commorari, & fabricæ aſſiſtere, neque id impedire probationis, aut tirocinii curſum. Vel potuiſſe uno aut altero exacto novitiatus menſe, profeſſionem emittere, & reliquum biennii tempus fabricæ deputare. Deinde adjungis, trium, vel quatuor dierum iter Cæſenam verſus, potuiſſe ter in anno commode, & Aſſiſium ad opus inchoatum redire, in ſimilitudinem fulguris coruſcantis. Demum dubitas de teſtimonio Alexandri Aquilani, quem retuli, ſcripſiſſe toto illo biennio Franciſcum Umbriæ fines non tranſiliiſſe, una excepta peregrinatione Romana. *Anton. tit. 24. c. 7. in princ.*

III. In multas anguſtias te tuumque Magiſtrum hoc congeſſit argumentum: dum tanto ſtudio & labore opus fuerat tot poſſibilitates excogitare, gloſſas, textus, & Doctores agglomerare, ut a communi religioſæ educationis recedentes via oſtenderetis Franciſcum conſuetam tironibus clauſuram, aut præſcriptum tirocinio tempus forte non obſervaſſe. Ego vos tanto hoc onere levabo, & ex Bonaventura, optimo geſtorum Franciſci hiſtorico, omnibus præferendo, quippe rerum omnium conſcio, & ſolerti indagatore, non quod potuit eſſe, & vos imaginamini, ſed quod vere factum ſit, manifeſtius oſtendam. Vitæ ſancti Franciſci a ſe conſcriptæ cap. 2. diſerte refert, quod poſtquam patri ceſſerat veſtimenta, ſecretum petiit ſolitudinis, ut ſolus & ſilens ſupernæ audiret allocutionis arcanum, ubi in ſilva incidit in latrones, mox abiit ad vicinum Cœnobium, ubi tamquam mendicus & deſpectus eleemoſynam recepit; deinde profectus Eugubium, a priſtino amico pauperem accepit tuniculam: hinc ad leproſorum obſequia ſe totum convertit. Poſtmodum ejus fama clareſcente, Romam abiit Apoſtolorum limina viſurus; in regreſſu quemdam Comitatus Spoletani horrido morbo laborantem oſculo ſanitati reſtituit. Fundatus jam in Chriſti humilitate ad memoriam reducit obedientiam ſibi e cruce injunctam, de ſancti Damiani Eccleſia reparanda, & tamquam verus obediens Aſſiſium rediit, ubi mendicans, & lapides propriis humeris bajulans, Eccleſiam refecit. Hoc Templo reſtituto, aliam ſancti Petri extra Urbem reparavit, eaque tamdem conſummata, ad deſertam beatæ Virginis in Portiuncula ſe contulit; cœpitque illic aſſidue pro ipſius reparatione morari, ibique pedem fixit, donec audito Evangelio miſſionis Apoſtolorum, ſtatuit illorum vitam æmulari, & ſuæ Religionis poſuit exordia.

IV. Hæc omnia diſtincte uno eodemque capite narrat Bonaventura, ex quibus apertiſſime conficitur, neque vitam ullam regularem ſubiiſſe, neque extra Umbriæ fines, ſola excepta peregrinatione Romana, abiiſſe. Qui ſtatim ab exutis veſtibus deſertum petiit ut ſibi vacaret, Deique præſtolaretur voluntatem, qui inſidias & injurias paſſus latronum in ſilva, qui ad Cœnobium ſtipem mendicaturus acceſſit, & *exinde progrediens devenit Eugubium*, Umbriæ urbem ad Apennini radices poſitam, Umbriæ adhuc fines non eſt egreſſus. Evidenter etenim ex Bonaventuræ contextu & formulis loquendi colligitur, & deſertum, & ſilvam, & Cœnobium intra Umbriam conſtitiſſe. Qui utique ex Aſſiſio, notiſſima Umbrorum urbe, dicitur in ſolitudinem profectus per ſilvam iter facere, ad quoddam vicinum Cœnobium venire, & exinde progrediens, devenire Eugubium, Umbriæ Civitatem; intelligitur per Umbriæ tractum ſem-

ſemper inceſſiſſe, neque ad remotas regiones, diverſamque Romandiolæ Provinciam abiiſse, ex qua potius diceretur *regreſſus perveniſſe* Eugubium, quod longo itinere tranſiit, quam ulterius *progrediens deveniſſe*, qui Umbriæ metas plurimo intervallo Cæſenam uſque, ex tua ſententia, prorſus exceſſit. Exinde poſt leproſorum obſequia refertur, Romam abiiſse, in regreſsu leproſum, ſeu fœde affectum, Comitatus Spoletani virum oſculo ſanaſse, Aſsiſium rediiſse, Eccleſiæ ſancti Damiani reficiendæ inſtitiſse; ea refecta, alteram ſancti Petri reparaſse; hac conſummata, Templum Portiunculæ reſtauraſse, ibique pedem fixiſse uſque ad ſui Sodalitii primordia.

V. His facile concordant, quæ dicit Antoninus, quod ſcilicet *per Civitatem Aſsiſii mendicans, nunc latebat in eremis, nunc Eccleſiarum reparationibus inſiſtebat devotus*, in vicinis ſcilicet Umbriæ, non remotis Romandiolæ eremis, facile erat alternis vicibus, diebuſque ſacris, aut temporibus, quibus ab opere licebat feriari, aliquandiu latere. Minime autem concordare poteſt quod tu aſſeris, potuiſſe omnes tres, vel ſaltem duas ex his Eccleſiis ſimul & eodem tempore a Franciſco reſtaurari. Etenim quaſi in te ſcriberet, vel aſſertum tuum, data opera Bonaventura refelleret, ita contrariis, appropriatiſque verbis ſcripſit non niſi refecta Eccleſia ſancti Damiani, Eccleſiam ſancti Petri aggreſſum, & hac conſummata reparaſſe Portiunculæ delubrum. Hac diſertiſſima itinerum, rerumque geſtarum narratione, eliduntur omnino omnes tuæ ex poſſibilibus deductæ ſolutiones. Ut autem tollas ſuſpicionem circa verba Alexandri Aquilani, fidemque adſtruas, do quod petis, ipſius contextum.

Anton. citat. 7.

Per duos autem annos ſuæ converſionis ad uſque principium ſui Ordinis extra vallem Spoletanam non exivit (S. Franc.) *niſi quando, ut habetur in Legenda Gregorii IX., & in Legenda majori, ivit Augubium, & ſemel Romam.*

Aquilan. in Chro. MSS. Ord. Min.

VI. Addo his plurima, quæ Bonaventura aliique vitæ geſtorum narratores ſub hoc biennium facta intra terminos Umbriæ, maxime vero in ipſa urbe Aſſiſii recenſent, uti ſunt, præter jam relata, patris importunæ perſecutiones, fratris irriſiones, & alia. Nihil vero refertur ab illo in Romandiola, in Eremo Cæſenæ, aut alibi extra Umbriam perpetratum, quod fidem, aut levem ſuſpicionem generare poſſet hujus eremicolatus, aut ſub Joanne Bono novitiatus.

§. IV.

Urgetur argumentum quartum ex teſtamento ſancti Franciſci.

I. EX ipſo ſancti Franciſci Teſtamento judicavi me abunde rem hanc probaſſe, ſtatutis tribus temporibus, ſeu vitæ ſtatibus, quos ipſe ſuis verbis diſtinxit, juvenilis ſcilicet vanitatis, reſipiſcentiæ a peccatis, in quo leproſis inſerviebat, & pleni receſſus a ſeculo per regularis vitæ inſtitutum. Ita hos diſpartivi ex ultimis vitæ tabulis, adjecto Bonaventuræ commentario, ut plene M. Marquez reſponſionem me refelliſſe putarim.

II. At eadem ipſa, quæ ille olim adduxit, tu nunc reproducis, nec quidquam adjungis, quod novam ingerat difficultatem. Admittis primum ſtatum, de quo nulla eſt contentio, ſecundum de obſequio leproſorum, quem ego ad biennium uſque ad Ordinis Minorum inſtitutionem expendo, tu ad pauculos menſes, a primis ſcilicet divinæ vocationis igniculis, uſque ad veſtes patri reſtitutas, reſtringis. Tertium vitæ regularis inchoatum vis ſtatim ab exutis veſtibus per ſancti Auguſtini diſcipu-

pu-

Digitized by Google

pulatum. Probas autem reſtrictionem ſecundi ſtatus ad illos menſes præcedentes veſtium renunciationem, ex eo quod Franciſcus loquatur de prima amiſſione horroris erga leproſos, quam immediate ſubdit ſtatui, quo erat in peccatis, & ab obſequio leproſorum teſtatur, ſe incœpiſſe pœnitentiam. Deinde ab amiſſo horrore prædicto uſque ad inſtitutionem ſui Ordinis interceſſerunt anni duo: non itaque intelligenda ſunt illa verba *Parum ſteti, & exivi de ſeculo*, de ſui Ordinis exordio: non enim totum illud temporis parum videretur homini divina flamma ſuccenſo, cui vel brevis dilatio ingens mora cenſetur. Parum autem interceſſit inter primam vitæ mutationem, & veſtium renunciationem, cui ſtatim ſubjungit ſanctus Bonaventura illa verba: *Solutus exinde mundi contemptor a vinculis mundanarum cupiditatum*, ſcilicet per ingreſſum in Religionem Auguſtinianam.

III. Contra hos ſtatus ita a te diſtributos, & ſuis terminis diſtinctos, quid objici poſſit alicujus momenti dicis plane te non poſſe videre. Ego, ut videas, conabor, tantique momenti objecta proponam, ut fortaſſis tantumdem nolis videre. Admittis ex teſtimonio ſancti Bonaventuræ, & Belluacenſis,& Antonini poſt datas patri veſtes adoleſcentulum leproſis ſerviiſſe, ſed hoc feciſſe aſſeris, poſtquam ſancti Auguſtini ſubiit Inſtitutum, & de obſequio eis præſtito ante veſtes exutas, intelligenda eſſe verba Teſtamenti ſancti Franciſci. Sed vide quo te teſtimonio convinco: Thomæ Celani ſocii ſancti Franciſci primi ab eo miſſi in Teutoniam Vicarii. Scripſerat hic duas Legendas ſui Inſtitutoris, unam breviorem ex præcepto Gregorii IX. ab eodem Pontifice approbatam, quæ proinde etiam *Gregorii IX. Legenda* appellatur, & in choro legebatur, donec ſuam compilavit ſanctus Bonaventura; alteram majorem, ex mandato Capituli generalis *Legenda antiqua* nuncupatam. In illa porro, quæ Gregorii IX. intitulatur, ipſa eadem verba, quæ Belluacenſis exſcripſit, ita habentur. Recenſita veſtium traditione, ſubdit: *Epiſcopus vero faciem ejus admirans, intra brachia ſua collectum, pallio, quo induebatur, obtexit. Poſt hæc humilis ſui contemptor, etiam ſe ab omnibus contemni contemnens, ad leproſos ſe contulit, quibus devotiſſime ſerviens, ulceroſas plagas devotiſſime oſculabatur, ſicut ipſe in ſuo Teſtamento loquitur dicens: Quia cum eſſem in peccatis, nimis mihi videbatur amarum videre leproſos, ſed Dominus conduxit me inter illos, & feci miſericordiam cum illis*. Ecce manifeſtum diuturni comitis teſtimonium, quo intra terminos ſecundi ſtatus obſequium hoc claudit leproſorum. Verum eſt in receſſu a peccatis, exuit, uti tu toties repetis, horrorem leproſorum, ſed obſequium per biennium protraxit uſque ad ſui Ordinis inſtitutionem.

IV. Concordant etiam Teſtamenti & Bonaventuræ formulæ loquendi: *Ipſe Dominus* (inquit Franciſcus in Teſtamento) *adduxit me inter illos, & feci miſericordiam cum illis*. Bonaventura in narratione præſtiti obſequii poſt veſtium renunciationem, receſſum in ſolitudinem, & profectionem Eugubinam, inquit: *Exinde totius humilitatis amator ſe tranſtulit ad leproſos, eratque cum eis diligentiſſime ſerviens omnibus, propter Deum, lavabat ipſorum pedes &c.* Franciſcus dicit: *Dominus adduxit me inter illos, &c.* Bonaventura: *ſe tranſtulit ad leproſos, eratque cum eis diligentiſſime ſerviens &c.* In primo autem exordio ſervitutis leproſorum ante veſtium depoſitionem ſuſceptæ, non dicit Bonaventura, eum cum leproſis hæſiſſe, aut inter illos commoratum, ſed ad ſummum *viſitaſſe frequenter domos ipſorum*, & officia exhibuiſſe caritatis: hic autem poſt illam abrenunciationem dicit, quod *ad eos ſe tranſtulit, & erat cum illis*; quod ipſum illud eſt, quod Franciſcus commemoravit: *ipſe Dominus adduxit me inter illos*. Atque hinc merito dixit Celanus ſocius in Legenda *Bonav. leg. major. c. 1.*

Gregorii ad illud hujus temporis miniſterium alluſiſſe verba Teſtamenti.

V. Demum proſequutum fuiſſe hujuſmodi obſequium leproſorum ſub ſtatu & veſte laicali, non regulari, clarius demonſtro, quam ut ullum ſupereſſe poſſit effugium. Tunc aſſeris cum tuo Magiſtro, Franciſcum factum Auguſtinianum, cum patri veſtes reddiderat, & proinde in hunc ſenſum verba illa Bonaventuræ, quæ huic exſpoliationi immediate ſubjungit: *Solutus exinde mundi contemptor a vinculis mundanarum cupiditatum*, interpretaris, *quia*, inquis, *verius & rigoroſius loquendo, dicitur quis eſſe ſolutus a vinculis mundanarum cupiditatum, quando ſe Deo devovet vinculo Religionis*. Præcipui etiam hujus Monachatus aſſertores tecum, & cum Magiſtro tuo affirmant, Religionis Auguſtinianæ normam & veſtem accepiſſe Cæſenæ in Romandiola a Joanne Bono Mantuano. At veſtium renunciatio facta eſt Aſſiſii in Umbria, & in eadem urbe adhuc exiſtentem dicit Bonaventura *ſolutum fuiſſe a vinculis mundanarum cupidinum*, propter nobilem ſcilicet rerum omnium contemptum, ipſarumque veſtium renunciationem; & poſt hæc verba dicit, Civitatem Aſſiſii reliquiſſe, & ſecretum ſolitudinis petiiſſe. Nihil ergo regularis Inſtituti per illa verba poteſt indicari, neque in eo ſenſu poſſunt applicari Franciſco adhuc in patria hærenti, quem longe a patria contenditis evaſiſſe Auguſtinianum.

VI. Adde, quod ſub illa veſte agricolæ, quam ab Epiſcopo recepit, ex urbe receſſit, in ſolitudinem abiit, & in ſilva incidit in latrones, qui ſub ruſtica veſte latentem, & ſe Dei præconem dicentem, inhumane tractarunt, ruſticum vocarunt, in nivium foſſam projecerunt, dicentes: *Jace ruſtice, præco Dei*. Sub hac veſte eleemoſynam accepit in vicino Cœnobio, *tamquam incognitus & deſpectus*. In hoc habitu profectus Eugubium, illic reliquit, & altero ab amico accepto commutavit. Non itaque veſtrum Inſtitutum ſubivit, neque veſtram veſtem religioſam eo tempore, a Bonaventura illis verbis aſſerto, ſuſcepit: neque enim ſub illa, quam tantopere per univerſum tuum librum commendas, religioſe incedens, a latronibus male afficeretur ut ruſticus, neque eleemoſynam a Cœnobitis acciperet ut deſpectus; neque irreligioſe eam ipſe exueret, & alia mere ſeculari ab amico accepta commutaret. Quid ad hæc, amice, ſupereſt reſpondendum? quod hic effugium ad tam apertam & planam D. Bonaventuræ narrationem?

VII. Secundus itaque ſtatus, & erga leproſos obſequium protrahendum eſt ultra tempus, quod præſcribis veſtium patri redditarum ad totum biennium, quo ſub pœnitenti, & Eremitico ſeculari habitu inceſſit, donec poſt moleſtiora virtutum exercitia, poſt præſtita leproſis caritatis officia, poſt tres reſtitutas Eccleſias, parumper ſtetit, & hæſit in æde Portiunculæ, ubi paulo poſt *meritis Matris miſericordiæ concepit, & peperit ſpiritum Evangelicæ veritatis*. Ita proprie & genuine intelligenda ſunt illa verba *parum ſteti, & exivi de ſeculo*; neque de illo, quod tu præſcribis, tempore poſſunt explicari; dum poſt illud, ea quæ ſupra retuli, adhuc egit in ſeculo, & multa alia, quæ infra recenſebo, in ſeculo leguntur peracta. Parum itaque ſtetit, poſtquam ſervivit leproſis, converſatuſque eſt cum illis, & Dominus adduxit eum inter illos; neque tanta fuit mora, ut ingens videretur, ut tu contendis, viro ardenter ad divina ſuſpiranti. Pedem, inquit Bonaventura, fixit in æde ſanctæ Mariæ Angelorum, & paulo poſt ibi vitam æmulatus Evangelicam, ſuum Ordinem inſtituit: Nonne his perfectiſſime conſonant: *Parum ſteti, & exivi de ſeculo*?

Bonav. cap. 3.

§. V. *Cor-*

Digitized by Goo

§. V.

Corroboratur quintum argumentum ab excuſſa veſte Eremitica, & nova ſuſcepta deſumptum.

I. INde etiam probaveram, ſanctum Franciſcum Auguſtinianis neutiquam nomen dediſſe, quod audito Evangelio miſſionis Apoſtolicæ, veſtem Eremiticam, quam illi ſuam appellant, ultro dimiſerit, & paupercula lacerna nullo religionis cultu probata, nullo ſacro ritu commendata, ſine mora commutaverit. Qui enim fieri potuit, ut qui arctiſſimo & indiſſolubili vinculo, uti contenditis, Auguſtiniano adſtrictus erat Inſtituto, ſacrum jugum ultroneus excuſſerit, & novum vitæ genus nulla auctoritate firmatum ſibi proprio præſcripſerit arbitrio?

II. Rationis hujuſce vim agnoviſſe M. Marquez cap. 45. §. 5. dixeram, & quaſi aliud ſcripſerim, tu corrigendum aſſeris numerum, & reponendum §. *ſeptimum pag.* 422. Oro ut iterum relegas quæ hic citavi & ſcripſi, denuoque conſulas tuum Magiſtrum, qui me in his non aberraſſe docebit. Ceterum ad argumentum diffuſe reſpondes ea ipſa, quæ Marquez potiori adduxit compendio de impulſu & inſtinctu divino, quo licite hæc, quæ alias ſecundum regulas humanas non licerent, feciſſe contendis. Deinde ſecundam addis ſolutionem, aſſerendo, Franciſcum in hac ſtatus permutatione a laxiori ad arctiorem Religionem tranſiiſſe, idque rationabiliter, & canonice feciſſe, præmiſſa Epiſcopi Aſſiſiatis licentia, quæ abunde per te ſufficiebat. Hanc autem petiiſſe exinde probas, quod illam petierit, ut fratrem Bernardum primum diſcipulum in ſuum conſortium admitteret. Hujus rei teſtem affers Antoninum his verbis referentem Franciſci reſponſum: *Domine Bernarde, iſtud eſt adeo arduum, quod a Domino eſt conſilium requirendum. & ideo pergamus ad Epiſcopum, & ibi dicetur nobis quid nos oporteat facere &c.* *Anton. tit. 24. c. 7. in princ.*

III. Impulſum hunc, aut inſtinctum peculiarem divinum, in quem hoc opus, alias ſecundum communem legem illicitum, referendum putatis; ego ſuperflue hic excogitari dicebam. Ad quid enim requirebatur interna hæc & potens motio ſpiritus, aut privatum Dei conſilium, ſcilicet ut veſtem incultam alia viliori mutaret? At, inquis, prior veſtis Eremitica erat & regularis: habitus erat Auguſtinianus. Quis ex toto vetuſtorum Scriptorum cœtu hoc aliquando aſſeruit? Da mihi ex antiquis aliquem, qui ita dictitarit. Nullus ferme eſt, qui non de hoc habitu Eremitico agat; nullus tamen qui regularem, religioſum, vel monaſticum appellet: *Honeſtum habitum, & eremiticum* vocat Antoninus, *quaſi eremiticum* Ludovicus Prutenus; *vilem & eremiticum* tres Socii ſancti Franciſci in Legenda, quam conſcripſerant. Si Auguſtinianus, aut regularis eſſet, nonne id facilius & brevius hi dicerent Auctores, quam *honeſtum, vilem, quaſi eremiticum* nuncuparent? Nonne opportunius ſanctus Bonaventura, & alii referrent, religioſum ſancti Auguſtini habitum deſeruiſſe, quam *ſolviſſe calceamenta de pedibus, depoſuiſſe baculum, peram rejeciſſe, pecuniam execratum, unaque contentum tuniculo, rejecta corrigia, pro cingulo funem ſumpſiſſe?* Ut quid tam longa uteretur periphraſi & circumlocutione verborum, qui verbo uno dicere potuit, Auguſtinianum habitum reliquit, ſi vere hunc eo uſque geſtarat? *Anton. cit. Pruten. p. 3. bilog. c. 6. lit. g. Bon. c. 3. Legen.*

IV. Præter hæc, nullus eſt ex antiquis & coævis Scriptoribus, qui ubi, quo locorum, quo tempore, & quoties veſtem illo biennio mutarit Franciſcus, non obſervaverit. Omnes ſcribunt, veſtes familiares patri reſi-

reſignaſſe coram Aſſiſiate Pontifice, ibique conteɛtum rudi chlamyde, ſeu, ut Bonaventura loquitur, mantello rudi & vili cujuſdam agricolæ. Idem Auctor & omnes Legendæ vetuſtæ, hac etiam veſte excuſſa, conſentiunt, ab Eugubino amico paupere tunicula donatum. Tertiam deinde hanc mutationem ea, qua reliquas, libertate voluit peractam; quid enim prohibebat? Atqui proinde Vincentius Belluacenſis & Antoninus non inepte, neque inconſiderate eiſdem omnino verbis notarunt; quod *trium Eccleſiarum opere conſummato habitum adhuc Eremiticum tunc temporis habuit*, quaſi ſcilicet illa vocula *adhuc* indicare voluerint, ſponte uſque ad illud tempus in hac veſte Eremitica perſeveraſſe, cui liberum erat antea deponere, vel integrum longiori tempore deferre. Licuit itaque per omnem modum, & ſecundum regulas communes, eaſque, quas velis, leges, commutationem hanc facere veſtimentorum, neque ſcire poſſim, unde proveniat illa neceſſitas, quam meditaris, peculiaris motionis divinæ.

Bellu. l.29. c.98. Anton. tit. 24. cap.2.

V. Secunda illa, quam affers, ſolutio de tranſitu a laxiori ad ſtrictiorem Religionem, præſuppoſita Epiſcopi licentia, nullum hic habet locum. Etſi enim tibi concederem, ſub laxiori illa, quam inſinuas, Religione vixiſſe, ubi, quæſo, illa ſtrictior, ad quam tranſierat? Nullum tunc erat veſtigium novæ, ſtrictævæ Religionis, nulla tunc fundatio, neque meditatio novi Ordinis, nullum votum, nullus vitæ ſtatus, ubi nihil firmum erat, aut ſtabile. Status autem religioſus, uti viri docti ex S. Thoma deſcribunt, *eſt quædam vitæ profeſſio, ſeu quidam vivendi modus firmus & ſtabilis, ad propriam perfectionem vitæ Chiſtianæ obtinendam vel exercendam inſtitutus*. Firmitatem vero, ſeu ſtabilitatem acquirit ex promiſſione, ſeu voto, quod perpetuo obliget ad permanendum in tali ſtatu. Atque ad conſtituendum hunc ſtatum ſimpliciter requiri tria illa vota eſſentialia paupertatis, obedientiæ, & caſtitatis docent Theologi, necnon unionem ad aliquam communitatem Religioſam, aut habitudinem ad aliquem hominem, cui vovens ſe obliget, & poteſtatem in ſeipſum tribuat. Hic nihil iſtorum, hic nulla veſtis initiatio, nulla adhuc in ſacrum vitæ genus deputatio, liberumque erat Franciſco, uti docte tuus Magiſter adnotavit, eam ubicumque placeret, abjicere, donec adſcitis anno ſequenti ſuæ vitæ ſectatoribus, veſtis illa communis teſſeræ ſortita eſt auctoritatem, & approbato poſtea per Pontificem Inſtituto, firmitatem accepit veræ Religionis, ſumpto ab illa veſte primo præludio. Non ergo licuit Religionem Auguſtinianam, quam ſupponis, profeſſo, eam relinquere, aut veſtem rejicere, ut aliam nullius adhuc Religionis obduceret, & abſque Regula, aut votorum obligatione ſolutus incederet. Sanctus Dominicus ſemper ſub eadem permanſit Regula, neque veſtem mutavit, niſi poſt Ordinis confirmationem, & divinam inſuper revelationem.

Vide D. Th. 2.2. q. 184. ar. 4. & qu. 186. ar. 6. & Suar. tom. 3. de Relig. lib. 1. c. 5. n. 3. & li. 2. c. 2. & 4.

Marq. c. 25. §. 6.

VI. Quod demum ſuggeris de Epiſcopi pro hoc tranſitu licentia, probaſque ex altera petita ab eodem pro receptione fratris Bernardi, neſcio ſane unde iſtud deſumpſeris. Nihil tuus Auctor Antoninus habet de Epiſcopo, ubi tu legis *pergamus ad Epiſcopum*: habet ille, *pergamus ad templum, & ibi dicetur nobis, quid oporteat facere*. Atque ita feciſſe, & ſummo mane perrexiſſe ad Eccleſiam ſancti Nicolai, ſcribit ſanctus Bonaventura.

Bonav. cap. 3.

Reſp. 3. n. 71.

VII. Similia ſunt quæ habes ad probandum, ſanctum Franciſcum retinuiſſe aliquid Ordinis ſancti Auguſtini, dum aſſeris, Fratribus tertii Ordinis præſcripſiſſe corrigias de corio, quod probatum vis ex Bulla Nicolai IV. ſeu Regula Tertii Ordinis cap. 3. ex illis verbis: *Burſas de corio, & corrigias ſimpliciter abſque ſerico ullo factas, & non alias tam*

Fra-

Digitized by Google

Fratres habeant, quam Sorores. Et Clariſsas Monaſterii Ulmenſis obſervaſse Regulam ſancti Auguſtini, ita atteſtante Franciſco Gonzaga. Et ultra hæc, dicis, habitus Minorum & Eremitarum adeo ſimiles fuiſſe, ut inde magna lis & controverſia exorta ſit, atque adhuc formam ſatis eſse ſimilem habitus utriusque. *Gonz. in Prov. Argent. mon.2.*

VIII. Quod ad corrigias Tertiariorum attinet, diffuſe alias probavi, minime fuiſse præſcriptas a ſancto Franciſco, imo chorda, ſeu fune ſe præcinxiſse primævos hujus Ordinis ſectatores, & oſtendi, verba illa Regulæ in Diplomate Nicolai contentæ, non intelligenda de corrigiis veſticinctoriis, ſeu cingulis, ſed de ipſarum burſarum corrigiis, quas excidi voluit ex corio, abſque intertextura auri, aut ſerici, aut ſine floſculis bombyceis, omniſque prorſus pretioſi ornatus varietate, atque ita omnino hæc verba tranſtulerunt interpretes Itali & Hiſpani. Iſti: *las bolſas de cueroycorrea ſimplemente*. Illi: *Habbino borſe di corio e correggi ſemplicemente fatte*. *In comment. ad reg. 3. ord. n.2.*

IX. Regulam ſancti Auguſtini obſervaſse Clariſsas, in nullo adhuc legi monumento, erroremque deprehendi in Franciſco Gonzaga Epiſcopo (non Archiepiſcopo ut tu putas) Mantuano, quando de illo Monaſterio Ulmenſi, ſeu Seſflingenſi ſcribebam. Nam præterquam quod vetuſta Chronica Provinciæ Argentinæ apud me MSS. ſolum de Regula a ſancto Franciſco præſcripta agant in recenſu illius Monaſterii, evidenter conſtat, ſub illum annum MCCXXXVIII. quem recenſes univerſas Clariſsas ſub alterutra duarum vixiſse Regularum, vel ſub illa arctiori, quam ſanctus Franciſcus ſanctæ Claræ & Damianitis tradidit, Minorum Regulæ ſimillimam; vel ſub altera mitiori, quam concinnavit Cardinalis Hugolinus Ordinis Protector poſtea ab Innocentio IV. confirmatam. In hac autem pro principali norma tradita eſt Regula ſancti Benedicti; unde & in omnibus privilegiis, quorum plurima exſcripſi ad finem Tomi ſecundi & tertii Annalium Minorum, dicitur hic *Ordo inſtitutus ſecundum Deum, & beati Benedicti Regulam, atque Inſtitutionem Monialium incluſarum ſancti Damiani Aſſiſiatis*. *Tom. 2. Annal. an.1237. n.16.*

X. Quod de ſimilitudine habitus Franciſcani, & illius temporis Eremitarum, addis, veriſſimum eſt; ſed inde exorta lis & controverſia, ut alias dixi, & infra docebo, quod Eremitæ variantes ſui habitus formam Franciſcanæ ſimilem aſsumpſerint. In quo autem adhuc aſſimiletur, non video. Colore, pretio, latitudine, capitii amplitudine, veſtis præcinctorio, per omnia diſtinguuntur.

§. VI.

Aſſeritur ultimum argumentum a loci & temporis incertitudine collectum.

I. ILlud denique circa veſtrum in hac re conatum mihi dubium ingeſſit, quod præcipui aſsertores inter ſe non cohæreant de loco, aut tempore tirocinii. His occurris primo, dicendo, non quamlibet apparentiam contradictionis ſufficere, ut teſtimonium reddatur ſuſpectum, quod multis probas exemplis; Franciſci Cardinalis Ximenez, de cujus tirocinii loco eſt controverſia, etſi conſtet fuiſse Franciſcanum; Inſtitutionis ſacramenti Baptiſmi, de cujus loco & tempore variant Auctores; Baptiſmi Apoſtolorum, etſi neſciatur quo loco, aut tempore illum ſuſceperint; Fundationis Ordinis Minorum, quam diverſis annis diverſi adſcribunt Auctores; Mortis ſancti Guildonis, in qua circa diem & menſem ejus acta diſcrepant a Martyrologio Romano. Et tamen hæc om-

Digitized by Google

omnia certiſſima, ut ais, ſunt, etſi locus, & tempus incerta. Deinde dicis, ſanctum Franciſcum potuiſſe in uno Cœnobio inchoaſſe tirocinium, in alio abſolviſſe, vel in pluribus Cœnobiis per diverſa temporum ſpatia convixiſſe.

II. Ego admitto in rèbus alias conſtantibus & certis parum officere hiſtoricorum, aut relatorum diſcrepantias circa locum, aut tempus, & de rei ſubſtantia dari poſſe certitudinem, licet circumſtantiæ loci, aut temporis ſint prorſus incertæ. Hujus generis ſunt iſta, quæ profers exempla: at iſte, de quo agimus, Monachatus aliunde nullam habet certitudinem, totuſque quantus eſt, innititur verbo æquivoco *habitus Eremitici*, & teſtimonio horum potiſſimum Auctorum, quorum inter ſe relationes ſunt diverſæ. *Teſtimoniis certis in rebus incertis utendum eſt*. Hæc res adeo incerta eſt, ut toto nutet fundamento; idque præcipuum habet, quod hi dixerint, qui ſibi contradicunt. In rebus alias ſumme probabilibus, & aliunde noſcibilibus monetur judex inquirere de loco, & tempore.

Ariſtot. moral. 1.

C. cum cauſam de teſtib. & atteſt. ubi Panor. n. 17. & 4. q. 3. Si teſtes §. ſolam.

Ovid. 1. Triſt. 1.

Judicis officium eſt, ut res, ita tempora rerum
quærere.

Vide Bal. in lib. Matré *circa medit. de probat. Inn. in c.* Qualiter *in fin. de accuſatio. & addi. ad Panorm. ſupra citatum.*

Maxime ſi tempus, aut locus ſint de ſubſtantia ejus, de quo agitur. Quod ſi circa hæc teſtes varia deponant, inficiatur teſtimonium, & de tota rei ſubſtantia valde dubitatur.

III. Primi, quos producis teſtes, & Auguſtiniani Monachatus apertos Auctores, Henricus Urimarius, & Jordanus Saxo inter ſe de loco, uti ipſe admittis, non obſcure diſſident. Ille ex aliis refert, ſanctum Franciſcum *fuiſſe Fratrem Ordinis ſancti Auguſtini in loco ſancti Jacobi de Aquaviva juxta Piſas*: hic indicat, factum Auguſtinianum *apud Budriolum prope Cæſenam*; neque alibi quidquam agunt de hoc Monachatu, ſed totum teſtimonii pondus, & rei ſubſtantia ad hæc pauca verba de loco ſuſcepti Inſtituti reducuntur. Atqui in hac unica aſſertione, & brevi relatione manifeſtum eſt diſſidium. Ita fatetur tuus Magiſter Marquez: *Bien*, inquit, *echo de veer, que aunque los auctores alegados concuerdan en que ſan Franciſco fue frayle de nueſtra Orden, diſcrepan unos de otros en la conventualidad.* & inferius, rejectis Henrico Urimario, & Paulo Morigia circa Conventum diſcrepantibus, opinionem amplectitur Jordani Saxonis aſſerentis, tranſactum novitiatum Budrioli prope Cæſenam. Vide ergo quam fragile ſit Monachatus fundamentum. Reliqui etiam teſtes, etſi tibi non videantur, vere contrarii ſunt. Ambroſius Coriolanus loquens de uniformitate habituum, & controverſia inde exorta, dicit inde proceſſiſſe, *quia ut dicit Jordanus, talem formam accepit beatus Franciſcus in quodam noſtro Eremitorio apud Saxetum prope Lavernas, ubi ſanctus Franciſcus fecit pœnitentiam, nec voluit diſcrepare a nobis, niſi in cingulo*. Jordanum, qui aperte locutus eſt de loco tirocinii prope Cæſenam, teſtem citat, & tamen longo terrarum ab eo tractu diſſentit, ſi tui Magiſtri ſenſum ſequamur; ſed ego inferius Coriolanum aliter intelligendum eſſe monſtrabo. Ægidius Viterbienſis nonne Joannis Boni diſcipulum facit, ſub eo habitum induiſſe affirmat, eoque præter alia probat argumento, quod *habitus Franciſcanus Beretinus vocetur a Bictrinis, loco non procul a Piſauro, quem Joannes Bonus incoluerat*? Quid hic percipiet lector, niſi Franciſcum a Joanne Bono habitum Beretinum accepiſſe in loco Bictrinenſi, quem Joannes incolebat? Iſtæ apertæ contradictiones reſpuunt omnino tuas ſolutiones de duabus domibus tirocinii, una inchoati, altera completi; una novitiatus, altera adoptionis, dum locum dumtaxat aſſignant ſuſcepti habitus, aut initi Inſtituti.

Marq. c. 26. §. 4.

Coriol. in Apolo. verit. 2. ad arg. 9. Vide infra ſect. 4. §. 4.

Ægid. viterb. lib. 10. ſecul. ad ann. 1198.

IV. Quod Pamphilus dicit, ſanctum Franciſcum apud Piſas vixiſſe

cum

cum Joanne de Cella, Critana Auguſtinianis convixiſſe, & prope Lavernam, etiam poſt accepta ſtigmata, cum eis habitaſſe; Morigia Cœnobii ad ſanctum Salvatorem prope Senas incolam fuiſſe, admittere poſſunt illam, quam adhibes explicationem, de diverſo incolatu in variis Tuſciæ Monaſteriis, dum Romam e Cæſena iret, aut ex urbe in Romandiolam rediret. Oportebat tamen, ut prius conſtaret Auguſtinianum fuiſſe, & peregrinationem Romanam e Cæſena ſuſcepiſſe, quam ego ex Umbria iniiſſe abunde probaveram. At nullum ex prænominatis Cœnobiis hac via obvium eſt, neque ex illa Provincia per Tuſciam in Urbem eſt iter. Id etiam mirum, unde novi recenteſque hiſtorici poſt tot ſecula iſthæc hauſerunt, aut cur ſui aſſerti fundamentum, vel auctores non protulerunt? Nullos præceſſiſſe putaverim, qui tam turpiter labi potuerunt circa deſignati temporis varietatem, aut præſcriptorum generalium confuſionem. Eam ipſe improbas, & acriter Critanam reprehendis. Noſtri ſeculi Scriptores ſunt; quo longius ab origine receditur, facilius aberratur; & quo tardius de rebus vetuſtis ſcribitur, majori caligine offuſcantur. Quid ergo hic inter tot dubia certum? aut quid ſuper nutantia fundamenta firmum, conſtanſve potuit ædificari?

In Apolog. §. 3. num. 4. & in Appar. Annal. §. 5. num. 3.

SECTIO VII.

Reſpondetur ad ea quæ in reſponſione IV. afferuntur contra §. IV.

§. I.

Probatur ſanctum Franciſcum nullo umquam tempore vixiſſe ſub habitu Eremitico Auguſtiniano.

I. PRima inde deſumpta occaſio FranciſcumAuguſtinianum aſſerendi, quod aliqui cum Vincentio Belluacenſi dixerint, illum ante ſui Ordinis inſtitutionem habitum Eremiticum geſtaſse. Quaſi vero Eremiticus idem eſſet ac Auguſtinianus. Non defuerunt, qui poſteriori ſeculo regularem facerent, & Monachatus auctorem, & tirocinii locum præſcriberent. Toto demum conatu M. Marquez probatum voluit non alia quam Auguſtiniana veſte illo biennio inceſſiſse, dum habitum omnem, & ſingulas partes Auguſtinianis appropriare contendit. Ego ad ſingulas ejus rationes me plene ſatisfeciſse judicavi, neque quidquam poſse amplius in contrarium adferri. Non me fefellit opinio, dum nihil a te novum opponi, ſed jam ſcripta reſcribi conſpicio. Quæ tuus Magiſter Hiſpano, tu Latino profers idiomate; & per multas diſtinguis partitiones. In tanta rerum amplitudine, & ſpatioſo modo dicendi ego me colligam, & paucis abſolvam, quæ alias dixi, breviter repetam, & ſi quæ ſunt apud te inſoluta diſsolvam.

II. Prolixæ diſputationi de ipſius ſancti Auguſtini habitu nolo me immiſcere: libenter abſtinebo ab iis controverſiis, quæ odium pariant, aut offenſionem. Per me liberum ſit, Auguſtinum hoc, vel illud geſtaſse veſtimentum: illud nunc meo ſufficit argumento, ut probem Eremiticam Franciſci veſtem non fuiſse Auguſtinianam. Atque ut ab ipſo nomine ducam exordium: *Eremitæ* vox adeo lata eſt, ut non ſolum Monachi, aut qui regularibus inſtituuntur diſciplinis, ſub ea comprehendantur, verum & eo nomine cenſeantur, qui ſui juris ſunt, qui nullam profitentur Regulam, aut cœnobitici Inſtituti rationem. Eremum, ſeu loca

loca ſolitaria ſufficit incolere, ut Eremita quis nuncupetur. Qui velit ergo univerſos Eremitas, aut eremitice incedentes, Auguſtinianis agglomerare, vim inferet nomini, & ſacro Inſtituto injuriam irrogabit.

Sect. 6. §. 5.

III. Secundo, qui Eremiticum primi dixerunt habitum, ita dixerunt (quod ſupra admonui) ut regularem non fuiſſe clarius indicarint. *Vilem & Eremiticum* appellarunt, qui omnium primi de eo mentionem fecerunt, ipſi ſancti Franciſci Socii. *Honeſtum & Eremiticum* vocavit Antoninus, atque alii aliis affecerunt epithetis; nemo *regularem*, aut *Auguſtinianum* nuncupavit.

Marq. c. 24. §. 6. Reſp. 3. n. 57.

Sect. 6. §. 3.

IV. Tertio: neque tempus, quod cum tuo Magiſtro præſcribis huic veſti religioſæ ſuſcipiendæ, cohærere poteſt cum iis, quæ Bonaventura, & alii recenſent. A renunciatis patri veſtibus veſtras tribuitis, & Monachatum inchoatis: ſed alia poſtea peregiſſe ſupra oſtendi, quæ liberum, non religioſum hominis ſtatum indicant, imo & aperte refert Bonaventura, veſtem eo tempore, quo vos præſcribitis ſuſceptam, alia apud Eugubium commutaſſe.

Bon. c. 3. Legen.

Bellua. l. 29. c. 98.

V. Quarto: ex iis, quæ præcipui hujus rei Auctores Franciſcum referunt abjeciſſe, manifeſte conſtat, nihil in illius biennii veſte adeo religioſum, aut ſacrum fuiſſe, ut ſolivagis, aut ſecularibus Eremitis poſſit interdici. Legenda trium Sociorum, & Bonaventura. *Solvit proinde calceamenta de pedibus, deponit baculum, peram rejicit, & pecuniam execratur, unaque contentus tunicula, rejecta corrigia, pro cingulo funem ſumit.* Vincentius Belluacenſis: *Duplicibus ſine mora depoſitis, ex hoc jam calceamentis, virga, ſacculoque, & pera non utens, tunicam contemptibilem plurimum, & incultam fecit, rejectaque corrigia, funiculo eam cinxit.* Antoninus eadem reſcripſit verba tit. 24. cap. 2. & mox cap. 7. id ipſum referens: *Illico*, inquit, *calceamenta depoſuit, peram & pecuniam abdicavit rejectiſque baculo & corrigia, una contentus tunicula pro cingulo funem ſumpſit.* Quid inter omnia hæc adeo peculiare, aut regulari Inſtituto proprium, quod omnibus Anachoretis & Eremicolis, imo & diverſo hominum ſtatui non ſit commune?

Apolog. §. 5. n. 25. Reſp. 5. n. 852.

VI. Quid, nonne hæc ipſa verba procul allegant omnem religioſi habitus conceptum? *Rejeciſſe*, inquiunt, *baculum, & corrigiam*; quod ſi hæc Religioſi viri eſſent inſignia, aut Monachalis veſtis partes, uti vos contenditis, non ea contemptibiliter rejicere, aut aſpernari, quod alias notavi, diceretur Franciſcus. Scio, te voluiſſe mitigare verbum hoc *rejicere*, & placidiori ſignificatione cupiiſſe actionem hanc Franciſci cohoneſtare. Non placuerunt tibi vocis proprietates, quas ego ab eloquentiæ magiſtro Cicerone deduxi *ſpernere, aſpernari, refutare*, & proinde ex quibuſdam vocabulariis ita interpretandam docuiſti: *retrojacere, repellere, vile habere*. Ego tuas admitto explicationes, & te interprete dico, Franciſcum retrojeciſſe, repuliſſe, vilia habuiſſe baculum & corrigiam, vel hic Franciſci pietatem, & religionem condemna; vel ab iſtis inſignibus omne Religionis abrade veſtigium. Nonne etiam cum reliquis veſtis eremiticæ partibus *peram, pecuniam, ſacculum* geſtaſſe, abdicaſſe, rejeciſſe ab iiſdem Auctoribus refertur? Anne & hæc etiam veſtri habitus ſunt partes? an potius pauperum & Anachoretarum adminicula? Eodem orationis contextu cuncta referuntur, eodemque ſenſu, aut judicio, vel profanis, vel ſacris uſibus deputanda.

Diacon. l. 4. vita ſancti Gregor. c. 80.

Yepes tom. 1. anno 576. c. 2.

VII. At tu pergis adhuc religioſum ex habitu probare; ſi enim ab exili baltheo Joannes Diaconus dicit, Gregorium Benedictinum fuiſſe; & ex habitu albo, & corrigia anguſta, vel lata Dominicanum, aut Auguſtinianum, Monachum defunctum cognoſci poſſe, affirmat Antonius Yepes, & Fran-

Digitized by Google

& Franciſcus Eſquivel Archiepiſcopus Calaritanus cum aliis, ex lapide ad caput appoſito, cui inciſum erat cor ſagitta transfixum, ſculptis his litteris *Mar. & Epiſcopus*, & ex ampla fibula inter oſſa reperta, conjectavit corpus ea in urbe repertum, ſancti Epiſcopi eſſe, ex Eremitis Auguſtinianis aſſumpti: ut quid non valebunt tot notæ, & omnes veſtis Auguſtinianæ partes, ut Franciſcum Auguſtinianum fuiſſe ſaltem probabiliter oſtendant? *Eſquiv. l. de invent. reliq. Calari.*

VIII. Plane Joannes Diaconus, non ſolum ex mediocritate habitus, & balthei exilitate probat, ſanctum Gregorium Divi Benedicti Regulam obſervaſſe, ſed inſuper data opera oſtendit, non fuiſſe Ordinis ſancti Baſilii. Hæc duo dumtaxat tunc temporis, quando Diaconus ſcripſit, erant Monaſtica Inſtituta apud Europæos, illud frequentius, hoc rarius; & Baſiliani latum, Benedictini unius pollicis cingulum, aut baltheum deferebant. Conſtituto itaque certamine inter duos Monaſticos Ordines, recte adjudicatur Monachatus Gregorii Benedictinis, quorum exile, non latum Baſilianum baltheum portabat. Idque appoſito exemplo confirmavit Yepes (quod tu loco ſecundi argumenti producis;) ſi enim, inquit, nunc inveniretur corpus alicujus ſancti Monachi albo contectum habitu, qualem portant interius Fratres Ordinum ſancti Auguſtini, & ſancti Dominici, & dubitaretur utrius eſſet Inſtituti: ſi in loculo, ſeu ſepulcro reperiretur ampla corrigia, quatuor digitos lata, indubitanter diceremus, Ordinis fuiſſe ſancti Auguſtini, non ſancti Dominici, cujus cingulum anguſtum eſt, & exile, ſimile Benedictino. Apud utrumque Auctorem tamquam res certiſſima ſupponitur Monachatus; & eo deducitur controverſia, ut uni, vel alteri Religioni adjudicetur alumnus. Recto porro judicio tribuitur, cujus notiora portat inſignia. At hic in noſtro caſu nihil incertius ipſo Monachatu: de iſto maxime controvertitur, neque a corrigia, aut a reliqua veſte ullum ſumit adminiculum, dum totam ſibi æquo jure vendicare poſſit laicus & Cœnobita. Atque, ut argumentorum exempla retorqueam, da mihi æquales in baltheo, SS. Baſilii & Benedicti Monachos, aut SS. Auguſtini & Dominici ſectatores, cui tribuas Inſtituto; alias ex ſignis indiſcretum, ex ſolo cingulo non perſpicies. Quas in Franciſco refers notas, utrique ſtatui ſeculari & regulari pares ſunt: unde ergo huic ſoli adjudicabis?

IX. Quod ad fibulam Calaritanam attinet, dixerim, leve eſſe fundamentum, ut Auguſtinianus efformetur qui in Baſilica ſancti Saturnini repertus eſt. Etenim præterquam quod de hac tanta multorum corporum inventione varium ſit Sardorum, & ſeverum in Urbe judicium, multi Epiſcopi, aliique graves viri, ſive Martyres, ſive Confeſſores, varii ſtatus, variique habitus potuerunt cum cingulis fibulatis ſepeliri. Inſigne autem ſagittati cordis petræ inciſum, etſi communiter nunc approprietur ſancto Auguſtino, propter illa Viri ſancti verba: *ſagittaveras Domine cor meum*; tamen ita frequens erat in tabulis marmoreis, & memoriis Martyrum, ut in quamplurimis ſepulcris Sardiniæ fuerit inſculptum, tam in Templo S.Saturnini, quam in Luciferiana, aliiſque Eccleſiis. Imo & in Sulcitana Baſilica in inventione corporis ſancti Antiochi Martyris, ſub Imperatore Adriano, longe ante Auguſtinum paſſi, hoc ſignum apparuit in petra marmorea, & in ſepulcro cujuſdam piæ fœminæ conjugatæ. Vide libellum, ſeu relationem ipſius, quem citas, Eſquivelli, & paſſim ad ſingula ferme folia hoc tibi ſymbolum occurret. Vide etiam triumphos Sanctorum Sardiniæ a Dionyſio Bonfanto editos, & ubique hoc ipſum offendes; imo in ſolo uno Gaudioſæ Martyris epitaphio, ipſis litteris interciſa, tredecim numerabis hujuſmodi corda ſagittata, quibus ita Auctor ſubjungit. *Singular coſa, y notable es, hallarſe en eſte letrero gra-*

gravados treze coraçones, y ſolo puedo applicarlos a otros tantos tormentos que devio padeçer, y reſiſtir con intrepido coraçon. Vide ibidem epitaphia beati Luciani Martyris, & beati Leontii Palatini, qui Auguſtinum præceſſerunt. Novi acrem eſſe circa inventa hæc corpora concertationem, variumque judicium. Ego meum opportuniori tempori reſervo.

Habetur in Bullario Rodriguez, & in Annal. Minor. ann. 1237. n. 2.

X. Adhuc conaris probare, ſub illo habitu Eremitico Monachum fuiſſe ex Bulla Gregorii IX. ad Epiſcopum Olomucenſem (non Clomorenſem, ut tu habes) ubi ait, quod *poſtquam Religionis aſſumpſit habitum vacando virtutibus, carnis continuum ſubiit cruciatum*: Sed per illud biennium ante inſtitutum ſuum Ordinem carnis continuum ſubiit cruciatum; ergo intelligendus eſt Pontifex de prima illa aſſumptione habitus Eremitici & Religioſi.

Bon. in determin. ſuper regul. ſancti Franc. q. 1.

XI. Secundo, quia Bonaventura reddens rationem, quare ſanctus Franciſcus novam Regulam & Ordinem inſtituerit, ſic ait. *Et quia non ſufficit ei ut iſta in propria perſona tantum ageret, voluit inſtituere Ordinem, ut multos cooperatores haberet.* Indicat itaque, ante inſtitutum ſuum Ordinem fuiſſe Religioſum, alias non diceret, *& quia non ſufficit ei*: ſed *quia non ſufficiebat*, & clarius in prologo Legendæ ſancti Franciſci; ibi enim agitur primo de converſatione ejus in habitu ſeculari; ſecundo de perfecta ejus converſione ad Deum, & de reparatione trium Eccleſiarum; tertio de inſtitutione Religionis, & approbatione Regulæ &c. Fuit ergo ante inſtitutionem ſui Ordinis perfecte converſus, & non in habitu ſeculari. Unde merito doctus vir Joannes de Pineda Minorita dixit de beato Franciſco: *Fue ſu primera converſion al ſeñor por vida religioſa año de* MCCVI. Licet in anno, inquis, ipſum falli valde ſit probabile: eam enim converſionem accidiſſe anno MCCVII., ais, probabiliſſimum eſt, ut te alias oſtendiſſe commemoras.

Pineda 3. p. Monarch. lib. 22. c. 23. §. 2.

Reſp. 2. n. 31. & ſeqq.

XII. Conſului Gregorii Bullam, admiratuſque ſum, adeo tenui te fundamento ductum, ut ex illa hunc deducas Monachatum. Ita planum eſt, Pontificem loqui de ſuſceptione habitus Minoritici, ſeu Inſtituti, ut nemo ab affectu liber, aliter ea verba poſſit interpretari. Non negamus, ſub illud biennium Eremiticæ veſtis aliquos carnis cruciatus ſubiiſſe, & virtutibus floruiſſe; non adeo tamen continuus fuit cruciatus in ſeculo, qualis poſtea fuit in Religione; neque adeo excelſæ in primo, uti in ſecundo ſtatu fuere virtutes. Id aperte docet ſanctus Bonaventura: etenim, poſtquam refert Eremitici habitus in Minoritanum translationem, ſtatim ſubjungit: *Omnem ſollicitudinem cordis apponit, qualiter audita perficiat, & Apoſtolicæ rectitudinis regulæ per omnia ſe coaptet. Cœpit ex hoc Vir Dei divino inſtinctu Evangelicæ perfectionis æmulator exiſtere, & ad pœnitentiam ceteros invitare.* Ex illo itaque tempore vacavit virtutibus, & continuum ſubiit carnis cruciatum.

Bon. cap. 3.

XIII. Minori adhuc fundamento nititur ſecunda argumentatio, neque ego prorſus ullum invenio. Quod enim illud diſcrimen inter *ſufficit* & *ſufficiebat*, ut illud religioſum fuiſſe probet, iſtud neget: mira ſubtilitas in diſcrimine excogitando, mira facilitas in Monachatu aſſerendo. Quod vero Bonaventura præponat titulum perfectæ converſionis Religionis inſtitutioni, illud ſolum infert, quod perfecte abdicaverit terrena, renunciatis patri etiam intimis veſtibus, & jure ſucceſſionis nihil ſibi in heroica illa expropriatione reliquit, qui nudum ſe commiſit brachiis Pontificiis. Perfecte ad Deum converſus eſt, qui nihil retinuit, quo teneretur. *Sic igitur*, inquit Bonaventura, *ſervus Regis Altiſsimi nudus relictus eſt, ut nudum ſequeretur crucifixum Dominum, quem amabat.*

Bonav. cap. 2.

XIV. Teſtimonium Pinedæ partim probas, partim reprobas: reſpuis, dum anno MCCVI. ait, Franciſcum converſum, quia non congruit iis,

quæ

quæ alias ſcripſiſti de tardiori ſancti Viri converſione, de qua ſupra actum eſt; admittis dum primo converſum aſſerit per vitam religioſam. Sed in anno reliquis potioris notæ Scriptoribus cohærere oſtendi, & ſententiam hanc ipſe paulo infra confirmat, dicens obiiſſe, ſanctum Virum anno MCCXVI. vigeſimo a prima ſua converſione. Quod autem dixerit, tunc converſum per vitam religioſam, de præludio intellexit religionis, quod a mundi abnegatione, & receſſu a ſeculo incœpit; neque enim amplius mundana, aut ſecularia repetiit, ſed continuo virtutum aſcenſu ad Apoſtolicæ vitæ culmen pervenit. Qui ſua abnegarunt, & Deo in eremis, ſolitariiſque locis deſervierunt, non ſolum converſi, verum & Religioſi & profeſſi a tuo dicuntur Jordano, etſi vero nullam profiteantur Religionem. Audi ejus verba lib. 1. c. 9. *Sancti Patres in eremo nemini quidem profeſſionem fecerunt, ſed divino ducti conſilio, ad eremum convolarunt, & ibi ſecundam gratiam a Deo cuilibet datam, Domino ſervierunt. Et talis ſtatus in illo propoſito Deo ſerviendi, vocatur profeſſio, a qua quando Deus eis aliud inſpiravit, pro ſuo & aliorum profectu, recedere potuerunt.* In hoc itaque ſenſu locutum fuiſſe Pinedam, neque vel leviter veſtram ſequutum ſententiam circa Monachatum Auguſtinianum, aut magiſterium Joannis Boni: imo contrarium aperte ſenſiſſe, claris verbis ipſo eodem loco monſtravit. Ita habet: *Fue ſu primera converſion al ſeñor por vida religioſa año de* MCCVI. *a quien el ſeñor revelo maravilloſamente la vida que avia de hazer; y aſſi el Padre bienaventurado dize en ſu teſtamento, que ningun hombre le enſeño a ſervir a Dios, mas que el ſeñor le impuſo vivir conforme al ſancto Evangelio, que quaſi es lo que ſan Pablo dixo (almenos ſele parece mucho) que no recibio el la doctrina, que enſeñava de boca de algun hombre, ſino de la del miſmo Dios.* A Deo ſolo non ab hominibus edoctum dicit: & paulo infra refert, ex biennali habitu Eremitico cauſam ſuſcepiſſe Bergomenſem aſtruendi hujuſmodi Monachatum Auguſtinianum. Alia quæ profers ad confirmandum hunc Monachatum, aut religioſum habitum Eremiticum, non tanti ſunt ponderis, ut ſerio indigeant examine. Inconcuſſa adhuc manent, quæ de hac re produxi in Apologetico.

Sect. 5. §. 5.
Ibidem n. 2.
Pin. cit. 4. 3.
Jord. de vit. Frat.
Pineda cit. 4. 3.

§. II.

Expenditur tota ſeries controverſiæ exortæ inter Minoritas & Eremitas Joannis Boni circa habitus ſimilitudinem.

I. OMnem hanc in Apologetico poſui narrationem, ſed quia variis gloſſulis totam niteris convellere, ex ipſis, quibus ſtabilivi, Bullis Apoſtolicis, ſolidius, & per partes confirmabo. Ita porro ſe habet: Miſſi a Gregorio IX. ſub annum MCCXXXVII. Raynaldus Epiſcopus Oſtienſis, & Thomas Capuanus Presbyter tituli ſanctæ Sabinæ, Cardinales ad partes Lombardiæ, ut Eccleſiæ partes contra Fridericum Imperatorem tuerentur, monuerunt Pontificem controverſiæ exortæ inter Fratres Minores, & Eremitas Joannis Boni, Ordinis ſancti Auguſtini, circa exterioris veſtimenti ſimilitudinem. Adeo enim variabant Eremitæ ſui Ordinis ſubſtantiam, & habitus formam, ut omnino ſimiles viderentur Minoritis, in multiplicem derogationem eorumdem, & ſcandalum aliorum. Juſſit itaque Pontifex ut Eremitæ albo, vel nigro incederent habitu; admiſſoque ab illis nigro colore, præcepit ut largas & protenſas manicas, peramplas corrigias omnibus patentes, baculos quinque palmorum geſtarent, veſtium longitudinem ita temperarent, ut ab omnibus videri poſſent calceamenta, & in petendis eleemoſynis, cujus eſſent

ſent Ordinis declararent. Verum cum aliqui præfati Ordinis, & alii Religioſi ſupradictis Eremitis habitu conformes in Marchia Anconitana conſtituti, formam prædictæ identitatis prohibitam geſtare dicerentur, in gravem Minoritarum jacturam; ſcripſit Pontifex illius regionis Prælatis, ut ad præſcriptam a ſe habitus formam univerſos Eremitas, ac religioſos prædictos compellerent. Illi aliquanto ſegnes fuerunt mandati Apoſtolici executores, propter appellationem, quam prædicti Religioſi ad Sedem Apoſtolicam interpoſuerunt; qua de cauſa a Pontifice fuerunt reprehenſi.

II. Interim frater Andreas Prior Brictinenſis, & Generalis majoris partis Eremitarum Marchiæ, cum quibuſdam ex ſuis Fratribus in Urbem venit appellationem proſecuturus. Pontifex frivolam exiſtimans noluit exaudire. Hinc humiliter rogarunt, ut permitteret eis cucullas portare diſcinctas, per quas ſufficienter habitu diſtinguerentur a Minoritis. Annuit Pontifex, præſcripto termino, infra quem compellerentur ab Eccleſiarum Prælatis ad prædictas cucullas diſcinctas; reliqui vero Eremitæ, qui iſtas nollent, cogerentur ad obſervationem primi ſtatuti. Toto Gregorii Pontificatu non convenit univerſim inter Eremitas de habitu; quare facta unione quarumdam Congregationum per Innocentium IV. Richardus Cardinalis Protector, de conſilio quorumdam diſcretorum Fratrum, ad differentiam aliorum Ordinum, eis certum habitum præſcripſit, illum ſcilicet, quem Gregorius ordinavit.

III. Demum Alexander IV. conſiderans, neque Brictinenſes ſtetiſſe cum Gregorio pactis circa cucullas diſcinctas, neque alios Eremitas ejuſdem Gregorii ſtatutum obſervaſſe, decretum edidit, quo diſerte commemorat, ſe tunc in Lombardia legationem obiiſſe, quando Gregorius ad diſcriminandos a Minoribus Eremitas, horum habitum determinavit, & ſtricte præcepit, ut omnes Apoſtolico obediant ſtatuto, & Brictinenſes, quod ipſi petierunt, inviolabiliter obſervent. Deinde jubet univerſos totius Italiæ Antiſtites, ut ita fiat, diligenter invigilent. Tamdem in unum habitum nigrum omnes Eremitæ convenerunt, ſed baculum continuo portandi mandatum ægre tulerunt; qua de cauſa inſtanter egerunt cum Innocentio & Alexandro, & obtinuerunt, ut circa hoc cum omnibus diſpenſaretur; atque ita ſublatis baculis, reliquum a Gregorio præſcriptum habitum retinuerunt.

IV. Ecce compendioſam, & fidelem totius rei geſtæ hiſtoriam, quam alias per varios numeros inſertis litteris Apoſtolicis diſpertivi. Sed etſi mihi omnia hæc probatiſſima videantur ex Pontificum reſcriptis, quæ produxi, multa tamen tu velis improbata, & ſerio ſtudes impugnare. Ante omnia dubitas circa ipſas Legatorum perſonas, & ſecundum, dicis, non Thomam Capuanum fuiſſe, ſed Gregorium Creſcentium. Illinc te motum dicis quod in Bulla Gregorii IX. innuatur Thomas defunctus, & tamen Panvinus & Ciaconus obiiſſe referunt ſub Innocentio IV. ejuſque nomine epiſtolam ſcripſiſſe ad Fridericum Imperatorem. At ex Bullis ipſius legationis, quæ habentur in Regeſto Gregorii anno XI. num 88. & 89. manifeſte conſtat, hunc Thomam, non alium, ad Fridericum ſimul cum Raynaldo miſſum; quas Bullas citat Bzovius, eumdemque Thomam nominat Capuanum. Deinde Bullam citatam Gregorii (quam ego ex Magiſtri Marquez libro tranſcripſi) occaſione tuæ objectionis denuo in Regeſto Vaticano conſului, ubi ita habetur: *Bo: me. Thom. tituli &c.* Et ſimiliter legitur apud Bullarium Auguſtinianum conſtit. 5. Gregorii, & ibidem conſtit. 21. Alexandri IV. cujus autographum, ſeu originale cum ſigillo plumbeo aſſervatur in archivo Auguſtiniano Romano. Neque poſt ejus mortem, quæ incidit in annum MCCXXXIX. alius fuit Cardinalis

In Apo. §. 4. n. 2. & ſeqq.

Reſp. 4. n. 178.

Bzov. an. 1237. num. 1.

Digitized by Google

lis tit. ſanctæ Sabinæ, uſque ad Hugonem a ſancto Caro creatum anno MCCXLIV. Quomodo ergo potuit eſſe Gregorius ille tuus Creſcentius, illius legationis conſors, qui in nupera Ciaconi editione obiiſſe refertur v. Idus Maii anno MCCVIII. ſub Innocentio III. & non niſi Diaconus ſancti Theodori nuncupabatur; ſocius autem Raynaldi erat Presbyter tit. ſanctæ Sabinæ. Unde plane lapſi ſunt Panvinus & Ciaconus, eoſque ſequutus Michael Monachus in Sanctuario Capuano, qui ſub anno MCCXLIII. & Innocentio IV. hujus Thomæ mortem reponunt. Adde quod & ipſe Ciaconus eum referat, legationem hanc obiiſſe, ſocio Raynaldo ad urbes Lombardiæ, quæ Friderici imperium detrectabapt. Merum itaque eſt figmentum, quod de epiſtola ab eo Innocentii nomine ad Fridericum ſcripta narratur.

V. Secundo dicis, inde exortam veſtium utriuſque Ordinis ſimilitudinem, quod Eremitæ Joannis Boni aliquando albo habitu, & ſine baculis incedebant. Hunc autem habitum & colorem illis licuiſse, & proprium fuiſse ſui Inſtituti ex eo probas, quod Gregorius IX. & Alexander IV. in ſuis Bullis a me productis dicant, quod illorum exteriora veſtimenta *nigri vel albi debebant eſſe coloris*. Non ergo, infers, alienum aſsumpſerunt habitum, ſed ex proprio, quem geſtabant, ſimilitudo illa conſurgebat: quod etiam probas ex illis verbis Innocentii IV. & *quia eorum habitus, qui habitui Fratrum Minorum videbatur conformis, apud aliquos ſcandalum quodammodo ſuſcitabat*, ubi ponderas *eorum* dici *habitum*, non alienum. Præterea ſi de uſurpatione habitus Franciſcani aliquid hujuſmodi ſcandali oriretur, id declararet Pontifex, uti fecit Gregorius IX. Diplomate a te producto, quo prohibuit, ne fœminæ ullæ Clariſsarum habitum geſtarent. Reſp.4.n.179.

VI. Proculdubio vel litteras Apoſtolicas non legiſti, vel violenter nimis in tuam ſententiam adduxiſti. Ea prorſus de cauſa emanarunt, ut tolleretur veſtium ſimilitudo: Qualis porro potuit eſse inter *album* & *cinereum*, inter *candidum* & *leucophæum*. Quomodo conformitas & identitas veſtium oriri poterant ab uno extremo, & altero medio colore: qualiter eidem aut ſimiles dicerentur habitus omnino diſſimiles & diſcolores? Imo tantum abeſt ut illi Eremitæ albo inceſſerint habitu, ut vel albo, vel nigro, tamquam maxime diſſimili, diſcriminari a Minoritis maxime cupierint Pontifices. Nonne unius ex his duobus coloribus optionem dedit Gregorius, illique nigrum elegerunt? *Exteriora*, inquit, *veſtimenta nigri, vel albi debeant eſſe coloris, quorum altero, videlicet nigro, jam electo ab eis, ipſos volumus manere contentos*. Nonne poſt aliquot annos Alexander IV. hujus meminit Gregoriani ſtatuti, ejuſque obſervationem & executionem impenſe repetitis Bullis commendavit omnibus Italiæ Epiſcopis, diſtricteque præcepit, ut Brictinenſibus permitterent cucullas portare diſcinctas? *Eo*, inquit, *quod talis uſus cucullarum ad diſtinctionem prædictorum habituum ſufficere videbatur*: in alios vero *omnes qui nigras non portabant*, *ſeu albas*, excommunicationis ferrent ſententiam; idque alia & tertia repetit Bulla, & mandato rigoroſe exequendo terminum præfigit. Quomodo ergo conformitas & identitas habituum ex colore albo potuit provenire, ſi hic ipſe deſtinabatur ad difformitatem & diverſitatem? Si in eodem colore albo illis, ut aſſeris, eſſentiali, & a prima origine deducto perſiſterent, quomodo in tot Bullis diceret Gregorius, *eos variaſſe Ordinis ſui ſubſtantiam*; & toties aſſereret Alexander, qui præſens viderat in Lombardia, eos adeo *variaſſe habitus ſui formam, ut Fratribus Minoribus uniformes, in derogationem multiplicem ipſorum Ordinis, crederentur*? Qualem illi geſtaverint habitum ante acceptam Regulam ſancti Auguſtini, vel qualem ſibi conſtituerint,

rint, poſtquam *cœperunt regularibus obſervantiis inſtrui, & regulariter ſe habere*, omnino neſcio. Scio ex teſtimonio Pontificum, & relatione Legatorum, quod illum, qualiſcumque fuerit, ita variarint, *& Ordinis ſui ſubſtantiam* adeo alterarint, ut *uniformes viſi ſint Minoribus*, ut exinde *identitas apparuerit veſtium*, & *habituum confuſio*, ſicut Pontificia Diplomata teſtantur verbatim. Atque hinc uterque Pontifex hujuſmodi variationem *præſumptionem* vocavit, & Gregorius *formam prædictæ identitatis* prohibuit, & Innocentius Papa, & Richardus Cardinalis Protector *ad differentiam aliorum Ordinum certum habitum* (illum ipſum, quem Gregorius præſcripſit) *deferendum conceſſerunt*, *eoſque certis ſignis in habitu* voluerunt *inſigniri*.

VII. Quomodo hæc tuo concordabis aſſerto de geſtatione habitus albi, exortaque inde ſimilitudine? & qua via, quo ſtatuto, qua Regulæ tuæ formula, aut initiationis exordio, probabis nigrum, aut album indifferenter, Eremitis a ſua origine habitum eſſe præſcriptum? Ex illo ſcilicet verbo *nigri*, *vel albi debebant eſſe coloris*. At neque in Regeſto Vaticano, ex quo Gregorii Bullas extraxi, neque in tuo Archivo Romano, ubi Alexandri Bulla habetur originalis, pendente plumbeo ſigillo, & tranſcripſit Empolinus in Bullario Auguſtiniano num. 21. legitur *debebat* ſed *debeat*, verbo ſcilicet, & tempore reſpiciente præceptum primum Pontificium, ad Legatos tranſmiſſum de ſtatuendo per alterutrum colorem, album, aut nigrum, manifeſtum diſcrimen inter Minores & Eremitas. Illinc non aliunde primitus hoc debitum eſt ortum, & hac formula loquendi utuntur Gregorius & Alexander Bullis toties repetitis; atque ita legit veſter Coriolanus in acerrimo illo ſui Ordinis defenſorio. Quod ſi tibi velim concedere, utendum eſſe verbo *debebant*, ipſe idem ſenſus perſeverat, ſcilicet ex præſcripto & Ordine Pontificio ad Legatos tranſmiſſo de cogendis Eremitis ad colorem nigrum, vel album, ut palam diſcriminarentur a Minoritis, debitum hoc habuiſſe principium. Vel ſi hoc tibi non placet, da mihi ex antiquo aliquo monumento, vel probato Auctore, aliam hujus debiti originem, aut fundamentum.

Coriol. verit. 2. ad 9. arg.

VIII. Cetera, quæ profers, leviora ſunt, quam quæ reſponſionem expoſtulent: quid enim illa vocula *eorum* aliud indicat, quam veſtem illam, quam geſtabant, & propterea *eorum* dictam, ſimilem fuiſſe Minoriticæ? An etiam Pontifices Gregorius, & Alexander ſufficienter & apertiſſime ſignificarint de uniformitate, & identitate habitus nata eſſe incommoda & ſcandala, qui vel perfunctorie illorum legerit Diplomata, ſatis ſuperque perſpiciet.

Reſp. 4. n. 112. & ſeqq.

IX. Tertio, dicis, Gregorium determinaſſe veterem habitum, non vero novum inſtituiſſe: & licet aliqua accidentalia præſcripſerit, nihil tamen eſſentiale mutaſſe in habitu vetuſto. Eſſentiale (ais) erat veſtis alba, vel nigra, corrigia præcincta; accidentalia ſunt menſura habitus, amplitudo manicarum, continua baculorum delatio. Prius ergo Eremitæ indifferenter deferebant habitum album, ſeu nigrum; Pontifex juſſit ut alterutrum eligerent, electoque nigro, quippe ſancti Auguſtini veſtibus conformiori, reliqua adjunxit accidentalia, atque ita non inſtituit, neque variavit habitus eſſentiam.

X. His manifeſte obſtant, quæ modo produximus, Pontificum teſtimonia, dum Eremitas Joannis Boni Ordinis ſancti Auguſtini referunt *adeo variaſſe Ordinis ſui ſubſtantiam, & habitus ſui formam, ut Fratribus Minoribus uniformes crederentur*. Statuiſſe autem, & dediſſe eis certum & determinatum habitum Gregorium, præterquam quod pleraque ipſius & Alexandri Diplomata recenſeant, id aperte teſtantur Richardus Cardinalis Protector, & Innocentius IV. eadem præſcribentes veſtimenta.

Cer-

Certum, inquit Pontifex, *habitum deferendum de conſilio quorumdam diſcretorum Fratrum veſtrorum vobis provida deliberatione Richardus conceſſit*. Deinde ſuo Diplomati inſerit Richardi conſtitutionem, qua id ipſum recenſet, & præmittit ita dicere, ut eſſent *certis ſignis in ſuo habitu inſigniti*. Ille autem habitus profeſſorum ipſe ille erat, quem Gregorius conſtituit. Addo, quod ſi eſsentialis eſset ille habitus, & ab Inſtitutore, ut contendis, præſcriptus, neque tantum laborarent Brictinenſes ab eo recedere; neque adeo facile eis Pontifex concederet, ut cucullas portarent diſcinctas; neque toties oporteret Sedem Apoſtolicam præcipere, ut habitum iſtum a Gregorio adeo ſuis partibus diſtinctum, & determinatum, in univerſo Ordine omnes reciperent.

XI. Sed tu, quarto, dicis, ſolos Brictinenſes reſtitiſse, & interminatim quæreris, quod affirmaverim, alios etiam Eremitas Auguſtinianos ægre admiſiſse veſtem Gregoriano ſtatuto contentam. Contendis enim neque Joannis Boni, neque Congregationis Eremitarum ſancti Auguſtini ſectatores reluctatos fuiſse, ſed ſolos Brictinenſes, appellatione interpoſita, decreti executionem diſtuliſse.

XII. Quod a me ſcriptum eſt, Pontificiis litteris fuerat præſcriptum & quæ rei geſtæ narrationem mihi ſuggeſserunt, eamdem nunc confirmabunt. Gregorius IX. in prima, quam protuli, Bulla, poſtquam retulit, quæ ipſe præcepit circa habitum deferendum ab *Eremitis Fratris Joannis Boni Ordinis ſancti Auguſtini*, ne viderentur Minoritis conformes, ſtatim ſubjungit: *Verum cum quidam Eremitæ præfati Ordinis ſancti Auguſtini, ac alii Religioſi ſupradictis Eremitis conformes habitu, in eadem Marchia conſtituti, formam prædictæ identitatis prohibitam geſtare dicantur, in eorumdem Fratrum Minorum infamiam, & ſcandalum plurimorum &c.* Eoſdem ipſos Fratres, de quibus antea locutus erat, ſeu ipſos eoſdem Eremitas fratris Joannis Boni, quos paulo antea narravit, in Lombardia apparuiſse, Minoribus in habitu uniformes, juſſitque ut veſtem hanc deponerent, & a ſe præſcriptam aſsumerent; hos, inquam, narrat ſub prohibita perſeverare, monetque Epiſcopos, ut ad dimittendam compellant. *Præfati*, inquit, *Ordinis ſancti Auguſtini*; ſed de ſolo Eremitarum Fratrum Joannis Boni Ordine præfatus erat, ad quem ſequentes Bullæ clauſulæ referuntur, additque, ultra hos, alios Religioſos ſupradictis Eremitis, ſcilicet Joannis Boni, conformes habitu in eadem Marchia conſtitutos, eamdem veſtem prohibitam geſtaſse. Jam ergo ex relatione Pontificis, perſtiterunt quidam ex Joan-Bonitis in prima veſte, & ultra Brictinenſes alii ægre adducti ſunt ad ſumendum habitum a Gregorio præſcriptum.

XIII. Rem hanc amplius probo ex ejuſdem, alteriuſque Pontificis reſcriptis. Gregorius in alia Bulla data anno XIV. Pontificatus XV. Kalendas Auguſti, poſtquam inſeruit totam ſupra citatam Bullam, in qua ſolos Eremitas Fratris Joannis Boni ſpecificaverat, valde invehitur in Epiſcopos Marchiæ decreti Apoſtolici ſegnes executores: *Tepidi*, inquit, *& remiſſi, occaſione cujuſdam appellationis, quam ad nos ſuper his interpoſuiſſe dicuntur* (illi Eremitæ fratris Joannis Boni, de quibus ſolis nominatim tota Bulla locutus erat) *mandatum noſtrum exequi, & contra promiſſionis noſtræ contemptores procedere, de quo miramur plurimum, omiſiſtis*. Neque in tota hac Bulla, neque in præcedenti ullum habetur verbum de Brictinenſibus, ſed de ſolis Joan-Bonitis nominatim, atque horum etiam nomine interpoſita eſt appellatio. Idipſum repetit in Bulla data XV. Kalendas Septembris, meminitque appellationis a Joan-Bonitis, de quibus locutus fuerat, interpoſitæ, refertque, fratrem Andream Priorem Generalem majoris partis Eremitarum Marchiæ ad ſuam præſen-

ſentiam veniſse, ut appellationem proſequeretur, quam cum admittere nollet, ait, ſe illis permiſiſse, ut cucullas geſtarent diſcinctas, quibus ſufficienter ſe a Minoribus diſcriminabant. Claudit vero Bullam his verbis: *In aliis autem Eremitis, & Religioſis ſuperius nominatis* (ſcilicet Joan-Bonitis, & aliis Religioſis Marchiæ, quos nominaverat) *qui ſe ad portandum cucullas ſimiliter diſcinctas adſtringere noluerint, faciatis ſtatutum noſtrum, juxta traditam vobis formam inviolabiliter obſervari.* Ergo præter Brictinenſes, quorum caput erat Andreas, & qui cucullas admiſerunt diſcinctas, adhuc cogendi erant alii Eremitæ & Religioſi, non Congregationis Brictinenſis, ut tu libere ſatis & abſque fundamento num. 254. confingis.

XIV. Alexander IV. in Bulla data anno II. Pontificatus VIII. Kalendas Martii, poſtquam rei totius ſeriem, dum ipſe legationem in Lombardia obiret, tranſactam enarraverat, & fratris Andreæ ad Pontificem recurſum, obtentaſque pro ſe ſuiſque Fratribus cucullas diſcinctas, ſubjunxerat, addidit: *Verum cum, ſicut accepimus, ipſi Eremitæ de Brictinis, obtentu quarumdam litterarum ſuper hoc a Sede Apoſtolica obtentarum, ac etiam alii Eremitæ jam dicti* (ſcilicet Fratris Joannis Boni, de quibus antea locutus fuerat) *contra ſtatutum jam dictum, & proviſionem ad communem pacem provide factam, & in eorumdem Fratrum Minorum infamiam, & ſcandalum plurimorum, in pluribus venire præſumpſerint, & nos prorſus velimus prædicta, ſalubriter ſtatuta fuerunt a ſupradicto Prædeceſſore noſtro, ubique & ab omnibus Eremitis, ſive Religioſis, cujuſcumque ſint Ordinis, in exteriori habitu Fratribus Minoribus antedictis conformibus inviolabiliter obſervari* &c. Quid ad hæc, mi vir? An non præter Brictinenſes fuerunt alii Eremitæ maxime Joan-Bonitæ, de quibus ſemper præfatus erat Pontifex, quos compellere oportuit, ut Pontificis decreto obtemperarent? Paulo infra, poſtquam jubet Brictinenſes cogi ad gerendas diſcinctas cucullas, quas ipſi concedi ſupplicarant, jubet ut reliqui omnes Eremitæ, qui vel nigras, vel albas non portabant, cogerentur ad geſtandum habitum a Gregorio præſcriptum, ſublato cujuslibet appellationis & contradictionis obſtaculo. Adde, Brictinenſes in ſola Marchia Anconitana, & in diœceſi Fanenſi, in pauculis domibus conſtitutos: Alexandrum vero Bullam hanc deſtinaſſe ad univerſos Prælatos totius Italiæ, deſignatis Provinciarum nominibus. Demum in Bulla data XV. Kalendas Julii, ſpecificatis Brictinenſis, Joannis Boni, & aliarum Congregationum nominibus, præcipit ut Eccleſiarum Prælati cogant omnes Priores, & Eremitas dictarum Congregationum ad deferendas nigras, vel albas cucullas infra feſtum omnium Sanctorum proxime venturum.

XV. Sed ex hac Bulla effugium paras num. 219. quippe ex ea conſtat obſecutos Fratres Joannis Boni; teſtatur enim Alexander, ſtatuta a Gregorio prædeceſſore *fuiſſe ab ipſis acceptata*. Admitto: ſed ex his manifeſtius urgetur eorum culpa, & exinde efficacius ſumit argumentum Pontifex, ut cogantur ad præſcripta veſtimenta deferenda, quia ipſi acceptarunt, nec tamen omnes obſervabant; & proinde jubet, ut Epiſcopi omnes Eremitas omnium Congregationum, recenſita etiam illa, quæ erat Joannis Boni, ad ſtatuti obſervantiam compellerent. Igitur cum aliis, præter Brictinenſes, contendendum erat, neque appellatio a ſolis Brictinenſibus proceſſit.

XVI. Quinto, amplius aliquid intendis, neque ipſos Brictinenſes (quos contendis ſolos a Pontificis præcepto, per delegatos exequendo, ad eumdem Pontificem appellaſſe) ullatenus reniſos, aut reluctatos; magnamque paſſim inculcas fieri injuriam huic Congregationi, quam plu-

Digitized by Google

plurimis encomiis extollis, exinde dumtaxat quod reſtitiſſe, aut reluctatos, ſeu reniſos fuiſſe affirmaverim.

XVII. Hic te ipſum advoco teſtem: nonne num. 314. diſerte aſſeris: *Congregatio vero Eremitarum Brictinenſium reſtitit*. Sed dices reſtitiſſe *appellando*, *ſupplicando*, *& aliis viis juridicis*. At hujuſmodi vias ſe frivolas reputaſſe, neque appellantes audire voluiſſe, ipſe refert Pontifex Gregorius Bulla data XIV. Septembris & in eadem, ac in alia antecedenti data XV. Kalendas Auguſti, præmiſſa hujuſmodi appellationis mentione, vocat eos *ſuæ proviſionis contemptores*. Et Alexander in Bulla data VIII. Martii, ait, eoſdem Brictinenſes, alioſque Eremitas, obtentu quarumdam litterarum a Sede Apoſtolica obtentarum, *contra Gregorii ſtatutum in pluribus venire præſumpſiſſe*. An obediiſſe affirmabis decreto Apoſtolico, qui frivolas adinveniunt appellationes, ne obediant? An non reluctatos admittes, quos Pontifex ſui mandati vocat contemptores? An reſtitiſſe negabis, quos alter Pontifex narrat, præſumptuoſe in pluribus contraveniſſe ſtatuto Gregoriano? Reſtitiſſe dices, ſed non reluctatos. At quænam illa tanta hæc vocum differentia, ut quos reſtitiſſe concedis, reluctatos dici feras ægerrime? Qui latine ſapiunt *reluctari* idem dicunt, quod *repugnare*, & per hoc ipſum verbum *repugnandi*, quod ſit *reſiſtere*, declarat Cicero pro Roſc. Poſth. *Reſiſtere & repugnare contra veritatem*. Cæſar II. Belli Gallici ait: *legiones alias alia in parte hoſtibus reſtitiſſe*. Cic. 2. Tuſcul. *Reſiſtere armis*. Ovid. 2. de Art. *Arbor reſiſtit ventis*. Vide, quæſo, an & huic etiam verbo accommodari poſſit illa tua num. 121. ex Calepino exſcripta vulgaris, ſeu Hiſpana interpretatio verbi *reluctari*, *ſcilicet*, *reſiſtir comoluchando*. Quos ergo reſtitiſſe annuis, reluctatos etiam admittas.

XVIII. Sexto & ſeptimo, largiſſime te diffundis hic, & in reſponſione 5. a num. 449. ut probes, Congregationes fuiſſe diverſas eas, quæ dicebantur ſancti Auguſtini, Joannis Boni, & Brictinenſium, diſtinctoſque habuiſſe Protectores. Controverſia hæc majorem inquirit indaginem, longioremque diſputationem, quam hujus mei tractatuli ratio expoſcat. Sane ſi circa hæc luberet immorari, & tuis objectis plane ſatisfacerem, & illa producerem monumenta, quæ non leve negotium faceſſerent. Sed non adeo mea intereſt iſta controverſia, neque ſcio, ut tu longiſſimam hanc texeres diſputationem, quam ex meo diſcurſu anſam arripueris. Ego dixeram, Gregorium Pontificem univerſa ſua induſtria non potuiſſe aſſequi, ut Eremitæ Auguſtiniani in præſcriptum habitum convenirent. An non id verum? teipſum expoſco, qui tot legiſti, lectaque admittis poſteriorum Pontificum Innocentii, & Alexandri Diplomata circa hanc controverſiam terminandam, & habitum hunc omnibus inducendum. Sive agendum fuerit cum his, vel illis Eremitis ſancti Auguſtini, ſive cogenda hæc, vel illa Congregatio ad hanc veſtem ſuſcipiendam, mea conſtat aſſertio, Eremitas Auguſtinianos non conveniſſe in hunc habitum; ſi enim conveniſſent ſub Gregorio, non erat cur toties Apoſtolica mandata repeterent Innocentius, & Alexander. Quinimo Alexander etiam poſtquam omnes ſive domus, ſive Congregationes in unum corpus coierunt, tum in ipſa Bulla unionis, tum in duabus poſt unionem emiſſis, quæ in veſtro Bullario Auguſtiniano habentur, ut in hunc habitum concordarent, rigoroſe præcepit.

XIX. Num. 244. eo quod dixerim, litteras Innocentii, datas Kalendis Julii anno Pontificatus XI. directas fuiſſe non ad hanc, vel illam Congregationem, ſed ad univerſos Eremitas Ordinis ſancti Auguſtini, acriter in me inveheris, verbiſque non adeo pacificis dicis *mea me confuſione confundi & falli*. Oro te, quid ipſe poſt omnem tuam acrimoniam ſubinfers?

 fers?

fers? Nonne ad omnes Eremitas Ordinis ſancti Auguſtini concedis, Bullam eſſe directam, etſi putes fuiſſe Congregationem peculiarem ab aliis diſtinctam, quæ illo nomine nuncupabatur; quod tamen non adeo certum eſt, ut ulteriori non indigeat probatione. Diploma ita inſcribitur ab Innocentio, poſt unionem aliquarum Congregationum ab eo factam: *Innocentius &c. Dilectis Filiis N. Viſitatori Generali, & Prioribus, ac Fratribus Eremitis univerſi Ordinis ſancti Auguſtini*. Et Cardinalis Richardi decretum, quod Pontifex ſuis interſerit litteris, ita incipit: *Richardus &c. Viris Religioſis, ſuis in Chriſto dilectis, Priori Generali, & univerſis Prioribus & Fratribus Eremitis Ordinis S. Auguſtini &c.* Ipſum iſtud Diploma confirmavit Alexander IV. ſub iiſdem verbis, præpoſitaque eadem inſcriptione anno MCCLV. quo unionem magnam omnium domorum, ſive Congregationum ab eodem Alexandro factam eſſe *Panu. in faſtis.* ſcribit veſter Onuphrius Panuinus, eumque ſequutus Jacobus Gualte- *Gualt. ſecul. 13.* rus. Originale extat in veſtro Archivo Romano, & collector Empolinus in Summario notat, præſcribi in hac Bulla veſtri Ordinis habitum, non unius, aut alterius Congregationis indumentum.

XX. Octavo, (ſed tu ſexto loco num. 248.) objicis quod retulerim, Richardum Cardinalem præcepiſſe, ut baculi Eremitarum efformarentur in crocias ad modum Thau, & prohibuiſſe tranſverſum lignulum incurvari. Quaſi inſigne protulerim mendacium, aut grave aliquid, ſive injurioſum commentus ſim, ridicula quædam verba, quibus Hieronymus Oſorius Gualterum Addonem ſubſannavit, & inſigniter deriſit, in me contorques; & addis, Cardinalem Richardum ne quidquam de tranſverſo lignulo egiſſe. Ut adverſam hanc tuam opinionem omnino deponas, & Oſorii cachinnos aptius in alium transferas, illud ſolum a te oraverim, ut ab Italis nomenclatoribus addiſcas, quid ſibi velit illa vox Italica *crocias*, qua in ſuo decreto uſus eſt Cardinalis. Apprehendes enim, non niſi in modum Thau hoc genus ferulæ efformari, neque aliter in hac forma abire poſſe, niſi lignulo ſuperioris partis (de quo Cardinalis egit) tranſverſo.

XXI. Nono, triumphas num. 241. quod me, ut putas, in manifeſto & gravi errore circa ſucceſſionem Romanorum Pontificum deprehenderis, ſcilicet quod Innocentium IV. dixerim immediatum Gregorii IX. ſucceſſorem; deinde injurioſo, ſed parum idoneo hæc exaggeras exemplo Diaboli Evam decipientis, prolatis & accommodatis ex Auguſtino & Bellarmino, verbis vehementer offenſivis. Si pacifice & amice, uti libri tui præfert inſcriptio, mecum velles agere, facile potuiſſes typographi, aut amanuenſis vitium animadvertere, non me temere incuſare, quem aliunde tibi manifeſte conſtabat, in his non erraſſe. Diligentiſſime ſingulos Apologetici apices examinaſti, & vidiſti etiam in limine, me ante hoc Opuſculum, Annalium Minorum volumen primum edidiſſe; imo & ad calcem ejuſdem Tomi tractatulum iſtum ſubjunxiſe. At in primo illo Tomo, quem te legiſſe probas, exſcriptis exinde aliquot fragmentis, videre potuiſti, me chronologiam Romanorum Pontificum exacte obſervaſſe, & ad finem anni MCCXLI. electionem & mortem brevi ſequutam Cœleſtini ſcripſiſſe. Quomodo ergo adeo oſcitanter hic dicerem, Innocentium immediate Gregorio ſucceſſiſſe, qui diligenter pro Annaliſtæ munere adnotaveram interveniſſe Cœleſtinum? In meo autographo, quod penes me, uti & reliquorum operum, conſervo, doctiſque & religioſis viris oſtendi, habetur illa vocula *pene*, quod amanuenſis, vel typographus omiſit; ita dicebam: *Ab Innocentio IV. pene immediato Gregorii ſucceſſore*; licet enim Cœleſtinus Gregorium ſecutus fuerit, ejus Pontificatus adeo brevis fuit, ut pene non ſediſſe videretur.

Quod

Digitized by Google

Quod enim parum eſt, tamquam nihil diſtare videtur. Ipſe hic dicis, quod & in Annalibus Pontificem egiſse ſeptemdecim dumtaxat diebus, & in reſponſ. 3. num.113., ais adeo brevem duxiſse Pontificatum, ut nullum Auguſtinianis indulſerit privilegium. *Ariſtot. 2. Phyſ. &c. c.5. in fine.*

XXII. Reliqua, quæ affers de habitu Auguſtiniano & partibus ejuſdem, leviora ſunt, quam quæ refelli oporteat, & ſatis de his tum in iis, quæ ſupra dicta ſunt, tum in ipſo Apologetico pertractavimus. Subſiſto parumper ad illa verba, quæ pro ſancta Clara Monte-falcenſe omnino tuo adſcribenda Inſtituto protuliſti, ſcilicet Julium Cardinalem Sacchettum, dum in Hiſpania Nuncium ageret Apoſtolicum ex meo Apologetico integrum numerum 30. §. quinti deleri præcepiſse, nimirum quia dixi, Magiſtrum Marquez aliquas quæſtiones in aliorum commotionem excitaſse, atque inter illas voluiſse ſuo Ordini omnino D. Claram hanc adſcribere. Neſcio quid hic tanti mali, ut totum illum copioſum numerum rebus variis, & a cauſa beatæ Claræ longe alienis, conſtantem, Nuncius deleri præceperit. Et ſcio non præcepiſse, neque tale quidpiam ei in mentem veniſſe, ut hic ipſe Romæ præſens, mihi colendiſſimus, non ſemel teſtatus eſt. Quid hic in pauculis verbis tanti fermenti, ut totam illam maſſam corrumperet? Quantumvis Claræ veſtro ſub mortem adjudicetur Ordini, vel ſub veſtro Inſtituto deceſſiſſe decernatur; nonne potuerat etiam aliquando ſub Franciſcano militare? Veſtram fuiſſe penitus non nego, neque noſtris Laribus penitus abdico; non ita omnino fuit veſtra, ut noſtra etiam fuiſſe aliquando non potuerit. Id tibi ipſi hic, amice nobiſcum commoranti, ita manifeſtis perſuaſi rationibus, ut etiam ipſe publico id ſyngrapho approbaveris, & Tomo *Ann.1308. n.67.* tertio noſtrorum Annalium, in quo hæc diſcutio, libenter ſubſcripſeris. Videat lector, ſi placuerit, quæ ille in limine voluminis præmittit, & quæ ego diffuſe de hujus Divæ vita & geſtis conſcripſi.

§. III.

Quam vim habeant conjecturæ a Magiſtro Marquez excogitatæ.

I. RAtionibus, quas hucuſque refellimus, conjecturas aliquot Marquez accumulavit, adeo meo judicio exiles, ut præcipuo argumento nullum robur adjecerint, ſed potius ademerint. Qualis enim illa a *converſionis* vocabulo deſumpta, ut propterea Franciſcus Auguſtinianus Monachus aſſeratur, quia biennio ante inſtitutum Ordinem Minorum converſum aliqui dixerunt? Oſtendi latiorem ſortiri ſenſum *converſionis* verbum, quam ut ad ſolam ſuſceptionem vitæ Monaſticæ poſſet adſtringi. Id tu admittis, & tres diſtinguis *converſionis* ſpecies; ab infidelitate ad fidem; a peccato ad juſtitiam; a ſeculo ad Religionem; & cum in primo, vel ſecundo ſenſu ſanctus Franciſcus tunc non judicetur converſus, fidelis quippe erat & pius; conſequens erat, ut tertio modo dicatur converſus. Addis deinde de hac tertia converſione, tamquam potiori, antonomaſtice Marquez fuiſſe locutum. Jam itaque tu plures adhibes converſiones, quam ille ex forma ſui argumenti viſus eſt admiſiſſe, & ego adhuc ampliorem eſſe converſionem, quam ut ad illas tres a te aſſignatas redigatur, oſtendo.

II. Qui licitas thori voluptates, ſeculi illecebras, familiæ ſplendorem, rerum principatum, nullo irretitus peccato, libens pro Dei amore contemnit, & ſub pœnitenti veſte macerandæ carni, vitæque ſanctæ tranſigendæ totus intendit, an non hunc communi voce, proprioque ſenſu ad Deum dicimus converſum, etſi nulla ei unquam fuerit cogitatio

Digitized by Google

Religionis ſubeundæ ? Qui e ſtatu laicali, quantumvis juſto, ad Clericalem, & perfectum ſe transfert, ad Deum dicitur converti. Quot viri pii, etiam ab ineunte ætate Dei amici, mundum relinquentes, & ſolitaria loca petentes, Anachoretarum more viventes, nullo adſtricti Religionis voto tibi occurrent in hiſtoriis Eccleſiaſticis, quorum mutatio a Scriptoribus *converſio* propriiſſime nuncupatur? Plures ex his ego enumerare poſſem, quam tu ex iis, qui ad Religionem ſunt converſi.

III. *Converſos* etiam dici poſſe eos, qui in domibus remanent propriis, & ſuas ſibi reſervant facultates, dummodo ſe offerant Deo, docent juris interpretes; & converſorum genus unum aſtruunt, quod privilegiis gaudeat Clericorum & exemptorum; aliud quod ſubditur ſtatutis Civitatum.

Vide Abb. in c. Tantum *n. 4. c.* ut privilegia *n. 3. c.* Quidam *num. 1. de privil. c.* Non dubiũ *de ſent. excom. n. 4. ubi Hoſtien. & gloſſa.*

IV. Deinde duas ſtatuunt communiter Auctores ſancti Franciſci converſiones, primam poſt redditas genitori veſtes, ſecundam proprio inſtituto Sodalitio. Bis ergo Franciſcum a ſeculo Religionem tranſiiſſe ex tuo ſequeretur aſſerto, qui non niſi in hoc ſenſu vis dici, Franciſcum fuiſſe converſum.

V. Poſtremo ſanctus Bonaventura, etſi capiti ſecundo Legendæ ſancti Franciſci præfigat illum titulum *de perfecta ejus converſione ad Deum*, nihil refert, poſt exuta veſtimenta, niſi receſſum in ſecretum ſolitudinis, latronum inſultus, acceptam a Monachis eleemoſynam, tranſitum ad Eugubium, leproſorum obſequium, peregrinationem Romanam, trium Eccleſiarum reparationem, nihil omnino de Religione. Qui generoſe mundo libellum miſit repudii, ſpemque omnem in Deo repoſuit, ad Deum verſus, a ſeculo averſus, etſi numquam de Religione ſomniaret, nonne propriiſſime, abſque ulla latinæ vocis injuria *converſus* aſſeretur?

VI. Secundo conjectavit Marquez, Auguſtinianum fuiſſe, quia coronam clericalem habuiſſe eo tempore, quo ad Innocentium III. cum ſociis acceſſit: inde deduxit, quod Pontifex *Laicis Fratribus omnibus, qui ſervum Dei fuerant comitati, fecit coronas parvulas fieri &c.* Si enim Franciſcus hoc modo tonſus non eſſet, juberet Innocentius eidem etiam ſimiliter radi cæſariem. Non autem alibi, quam in Sodalitio illo Auguſtiniano, ſub quo prius verſabatur, tonſuram hanc potuit adipiſci. Si enim dicatur, ipſum in limine ſui Ordinis ſibi coronam efformaſſe, minus id modeſtum, minuſque humile aſſeris videri, ut inſigne aliquot vitæ religioſæ ſibi arroget, quod ſociis denegavit.

Bonav. cap. 3.

VII. Huic conjecturæ ea oppoſui, quæ plene ſatisfeciſſe putavi. Oſtendi enim ex privilegio Ordinis a ſe inchoati, licuiſſe ſibi aperire coronam. Hoc ipſum tu admittis num. 414. aſſerens, *ex privilegio generali vitæ Monaſticæ ſibi, & ſuis coronam potuiſſe aſſumere*. Aſſumpſit quidem ſibi, & iis, qui erant ex genere ſacerdotali, vel officiis & laudibus divinis pſallendis deputati; uti etiam in tua Religione, aliiſque abiit in conſuetudinem, ut ſtatim vel a ſuſcepto habitu, aut emiſſa profeſſione, qui clericatui deſtinantur, tondeantur in orbem; qui vero laicali & ſervili adjudicantur miniſterio, remaneant intonſi. Ita Religioſo more, & abſque omni modeſtiæ, vel humilitatis injuria Franciſcus, Ordinis inſtitutor, clericali hoc indicio cum reliquis incedebat Clericis, quod laicis denegavit. Accedens autem ad Innocentium cum ſociis undecim, expoſita vitæ norma, Regulæ impetravit confirmationem, tantamque adepti ſunt omnes apud Pontificem opinionem, ut etiam laicis collatam voluerit prædicandi poteſtatem, quam ut decentius exequerentur, coronulis parvis, a clericali diverſis, voluit inſignitos. Ipſa verba Bonaventuræ utrumque hoc diſcrimen tibi manifeſte exponunt, duplexque Fratrum genus

Digitized by Google

genus tibi diſtinguendum inſinuabunt; quippe non coronas clericales, & uſuales, ſed *parvulas*, non Fratribus univerſim, ſed *Laicis* dumtaxat, fieri præcepit. Quid hic dubii occurrere potuit, quodve fundamentum ſubeſſe aſſerendi Monachatus Auguſtiniani? Vide, ſi placet, quæ de hac ipſa re diligenter alibi pertractavimus. *Tom. I. Annal. an. 1210. n. 15. & 16.*

VIII. Reliquæ conjecturæ adeo levis ſunt ponderis, ut ipſe etiam ſentias potius indicia, veſtigia, aut congruentias potius vocandas. In ea ergo perſiſto ſententia, ut neque hæc ipſa nomina mereantur, neque ullam advehant ſententiæ veſtræ probabilitatem. Ex præmiſſis etenim, totoque hoc diſcurſu adductis rationibus, evidenter convincitur, nihil potuiſſe Franciſcum a Joanne Bono accepiſſe, ſed ſi quæ erat veſtis, morum, ſtatutorum ſimilitudo, totam a Franciſco ad Joannem Bonum, non ab iſto ad illum derivatam. Neque admitto illam tui diſcurſus clauſulam ex Auguſtino num.421. exſcriptam: *Porro utriſque auditis, qui ſine ſtudio partium judicat, videt profecto ſententiam neutram in principali puncto falſitatis convinci, utramque probabilibus fundamentis inniti.* *Aug. de anima & ejus orig. l. 1. c. 14.* Ut enim omittam male conſarcinari auctoritatem hanc ex pauculis Auguſtini verbis, & reliquis tuis, quæ te ſtatim mihi ſubindicarunt, & taceam alteram hoc loco ejuſdem Doctoris ſententiam a te cap. 11. citatam haberi cap. 14. addo, perſpicaciſſimum Doctorem obſcuriſſimam agitaſſe quæſtionem, ſuo tempore difficultatum maximarum involucris obvolutam, an ſcilicet animæ ex propagine fierent, an vero novæ ſingulis inſufflarentur, doctiſſimoſque viros pro utraque parte acriter decertaſſe, dextreque ex adverſo, prolatis Scripturæ Sacræ locis, reſpondiſſe. At hic non æqua ſors, neque utrumque placitum, uti tu reputas, probabile, ſed adeo temporis ratio, & rationum pondus ex hac parte præponderant, ut ex tua, neque ipſa probabilitatis ſpecies ſuperſit.

SECTIO VIII.

Refelluntur ea quæ in Reſponſione V. adducuntur contra §. V.

§. I.

Examinatur teſtimonium Henrici de Urimaria.

I. PRæcipuam vim ſtatuerunt ſemper adverſæ partis tutelares in multitudine teſtium, partim exterorum, partim domeſticorum, quam ingenti ſtudio conſtiparunt. Singulos ego duxeram judicandos, & æqua ſtatera librandos, ut unicuique ſuum pondus tribueretur. Incœpi ab Auguſtinianis, & ab Henrico de Urimaria, quem hujus aciei Anteſignanum conſtituunt, & adverſus ejus teſtimonium ex bibliotheca ſancti Victoris Pariſienſis extractum, objeci illud ſub diverſis formulis ab Auguſtinianis recitari, quædam illic contorta ſubſiſtere non poſſe, teſtimonium ipſum in codice Pariſienſi haberi in margine recentiori charactere ſcriptum, & cancellatum; atque id ipſum in quibuſdam claudicare.

II. Duobus modis, diverſiſque temporibus ad hæc reſpondiſti; primo diffuſe & laborioſe ſatis in Hiſpania; ſecundo brevius, & magis appoſite in Urbe, poſtquam vidiſti in Bibliotheca Angelica exemplar tractatuli Henriciani, ibique teſtimonium haberi ſub his verbis: *Tempore Innocentii III. fuit frater Joannes dictus de Cella, circa quod tempus beatus Franciſcus cum dictis Fratribus habitavit, & quidam aſſerunt, quod fuerit Frater dicti Ordinis in loco ſancti Jacobi de Aquaviva juxta Piſas. Tamdem pe-*

Digitized by Google

petita licentia, & obtenta a Priore dicti loci, ut arctiorem vitam aſſumeret, dimiſſa zona, & ſubtelaribus, ad nemus ſe ſolum tranſtulit. Dimiſſa nunc prima reſponſione, ego adhæreo ſecundæ, per quam faciliori via, dicis, patere aditum reſponſioni. Admittis, teſtimonium aliter citari a tuis Conſodalibus, quam habeatur apud Henricum, incuſaſque Marquez, quod aliqua ademerit, & Critanam, quod alia adjunxerit. Secundo admittis, in illis verbis non tradi Monachatum ſancti Franciſci, dum Henricus tantum aſſerat, eum aliquando habitaſſe cum Fratribus ſancti Auguſtini. Aliud enim, recte aſſeris, eſſe cum dictis Fratribus habitare, aliud eorum profiteri Religionem. Tertio, dicis, eum non affirmare, quod fuerit ſanctus Franciſcus frater Ordinis ſancti Auguſtini in Monaſterio ſancti Jacobi de Aquaviva, ſed nude referre aſſertionem aliorum, ac proinde non debere opinionem hanc Monachatus ſancti Franciſci tribui Henrico ut aſſerenti, ſed ut referenti. Inſers demum, quod licet Henricus non fuerit opinionis aſsertor, nec Bergomenſem in aſserendo præierit, fuiſse tamen, Henrico teſte, alios qui præirent.

III. At mihi valde ſuſpectum eſt quidquid in hoc teſtimonio aſseritur & refertur; neque enim mihi evacuatur dubium illud circa ipſum Auctorem. Primo hæc verba deprompta & citata ſunt ex codice Pariſienſis Bibliothecæ. Dum hunc conſulo, & expendo, invenio corruptam lectorum fidem, & verba non tam ab Henrico in textu ſcripta, quam ab impoſtore, recenti charactere in margine adjecta; & proinde ab alio æquiori cenſore cancellata. Dum ad alios conſodales recurro, video non eſse convenientia teſtimonia: hic auget, ille diminuit, variiſque modis unam referunt Henrici ſententiam. Si demum ad tuum deveniamus codicem Romanum Bibliothecæ Angelicæ, tractatulum dicis papyro inſcriptum charactere nec valde antiquo, nec valde recenti. Etſi non valde recens ſit, adeo tamen recentem puto, ut ab illo autographo Pariſienſi potuerit hoc exemplar tranſcribi, & quod in margine erat, in textum transfundi. Suſpicionem hanc fortaſſis non infirmis firmarem adminiculis, ſi liceret tractatulum ipſum aſpicere; atque vel inde certe augetur, quod non liceat. Quoties Bibliothecarium rogavi? Quot adhibui interceſſores? quales ſubmiſi exploratores? quibus artibus & precibus cum precipuis Cœnobii Patribus egi, ut vel perfunctorie tractatulum aſpicerem, vel ipſa illa paucula folia, quibus contineri aſſerebant, ictu oculi delibarem? Nec quidquam profeci. Quænam hæc trepidatio; aut quæ occultandi codicis occaſio, prorſus neſcio; latet anguis in herba. Domeſticis tantum patet, exteris latebit.

IV. Ex ipſo tuo Marquez ſuſpicionem adaugeo, & ex temetipſo confirmo. Terque quaterque, ex tuo Magiſtro, teſtimonium Urimarii tranſcribis, primo reſponſ.3. num. 96. ſecundo, tertio, & quarto in reſponſione 5., numeris videlicet 418.483. & 606. idque habet Marquez c.13. §. 19. additque in fine teſtimonium hoc verbatim ex ipſo autographo exſcripſiſſe Ludovicum ab Angelis, Confeſſarium Illuſtriſs. fratris Alexii Maneſii, Archiepiſcopi Braccarenſis, a quo ſe illud accepiſſe teſtatur, eoque modo, quo accepit, juxta ſingulos apices citato loco retuliſſe. Ecce ipſa verba. *A tempore ſancti Patris Auguſtini multi fuerunt Paſtores dicti Ordinis; ſed ex negligentia ſcribentium, & diuturnitate temporum ignorantur. De quibus tamen, & ex ſcriptis antiquis, & ex antiquis Patribus hæc habere potui. Circa annos Domini* MCX. *electus eſt Generalis beatus Joannes de Spelunca, qui etiam præfuit tempore Alexandri Papæ III. Item Joannes dictus de Cella, tempore Innocentii III. Item Avitus de Craſſano tempore Gregorii IX. Item Philippus Dexterampuæ, quo tempore facta eſt unio. Poſt unionem primus fuit frater Lamphrancus de Mediolano.*

V.Nul-

Digitized by Google

V. Nullum hic verbum de ſancto Franciſco, neque ullum ejus Monachatus veſtigium. Quod ſi hic non occurrat, vel huic teſtimonio non inſeras, nihil in toto tractatulo Urimarii de re iſta reperies. Ex hoc enim teſtimonio, eoque dumtaxat loco, ubi agitur de Joanne de Cella, objiciuntur nobis illa de ſancti Franciſci Monachatu. At in codice Pariſienſi, quem originarium, ſeu autographum vocat Marquez, nihil tale habetur, neque exſcripſit Ludovicus ab Angelis hujus teſtimonii delator. Unde manifeſte conſtat, quod a Marquez de ſancto Franciſco objectum eſt, non in textu, aut ſerie orationis, ſed in margine haberi, atque hinc mihi omnino confirmatur relatio R.P.Bardæi, quam in Apologetico exſcripſi, teſtificantis, ſe illud in margine recenti charactere ſcriptum, atque cancellatum deprehendiſſe. 65. n.1.

VI. Quid ad hæc, mi Pater? In promptu eſt reſponſio, aliter te legiſſe anno MDCXXX. in codice illo tuæ Romanæ Bibliothecæ, quem n.25. dicis, nec valde antiquo, nec valde recenti charactere ſcriptum, & n.483. non ita antiquis characteribus exaratum, & proinde totum, uti habet ille codex, ita ſcribis: *Septima veritas eſt, videre qualiter illa ſancta propago prædictorum Patrum ante unionem, quam etiam ab illo tempore, quo per S. R. E. pro ædificatione fidei & morum Fratres noſtræ Religionis ſunt deſtinati, uſque ad hæc noſtra tempora ſit deducta. Qui vero a tempore beati Auguſtini, hoc eſt ab anno Domini* CCCCXLII. *fuerunt Paſtores dicti Ordinis ex negligentia ſcribentium, & diuturnitate temporis ignoratur. De quibus tamen ſic ex ſcriptis antiquis, & relatione antiquorum Patrum compertum habere potui. Hoc ſciendum eſt, quod tempore Alexandri Papæ III. circa annos Domini* MCXX. *Joannes de Spelunca fuit Prior generalis. Tempore Innocentii Papæ III. fuit frater Joannes dictus de Cella; circa quod tempus beatus Franciſcus &c. Tempore autem Innocentii IV. Prior generalis fuit frater Adjutus de Guaffragnano. Tempore vero Alexandri IV. frater Philippus de Pramia, quo tempore beatus Auguſtinus, ut ſupra viſum eſt, Papæ Alexandro in viſione apparuit, grandis quidem capite, ſed membris exilis*. Unde quæſo in hunc codicem non adeo vetuſtum, ſed aliquanto recentem, irrepſerunt illa verba: *Circa quod tempus beatus Franciſcus &c.* quæ *in originali*, uti loquitur Marquez, non habentur, nec invenire potuit Ludovicus ab Angelis, avidus harum rerum collector, quæ tranſcriberet?

VII. Ipſum adhuc teſtimonium expendo. Unde, quæſo, tantum & tale diſcrimen inter vetuſtum Henricum Pariſienſem, & recentem Henricum Romanum? Vel inde ſane quod ille vetus, hic neotericus; ille exaratus ante exortam hanc controverſiam, hic efformatus poſt ſparſum hoc commentum? At quid mirum ſi circa Monachatum ſancti Franciſci rem exteram diſcrepent; ſi etiam circa ipſos ſuos, quos ſe habuiſſe Primicerios contendunt, nomine, tempore, & Pontificum coexiſtentia diſcordant? Circa verba & periodos nulla cohærentia. Pariſienſis *Beati* nota affecit Joannem de Spelunca, Romanus nullam apponit. Pariſienſis circa annos Domini MCX. electum aſſerit; Romanus circa annos MCXX. rexiſſe, idque tempore Alexandri III. qui non niſi anno MCLIX. electus eſt. Hæc adeo monſtruoſa diſſimilitudo unius, ejuſdemque Auctoris etiam tibi eam excuſſit confeſſionem, ſcilicet neque pauca, neque exigua diſcrimina inter teſtimonium a te, atque illud a Marquez prolatum reperiri.

VIII. Deſcendo adhuc ad illud tuum, vel tui Henrici Romani additamentum, ſcilicet *Circa quod tempus*, Innocentii III., *beatus Franciſcus cum dictis Fratribus habitavit, & quidam aſſerunt, quod fuit frater dicti Ordinis in loco ſancti Jacobi de Aquaviva juxta Piſas. Tandem petita licen-*

centia & obtenta a Priore dicti loci, ut arctiorem vitam aſſumeret, dimiſſa zona, & ſubtelaribus, ad nemus ſe ſolum tranſtulit. Qui ſunt, quæſo, illi Fratres jam dicti, aut antecedenter in diſcurſu orationis nominati, cum quibus habitavit? an illi duo Joannes de Spelunca, & Joannes de Cella Priores generales? At cum Spelunca habitare non potuit, qui longe ante converſionem beati Franciſci deceſſit; quippe electus generalis Prior circa annos MCX. ut habet Henricus in codice Pariſienſi; neque cum Joanne de Cella; etenim, ut probe ipſe Marquez contra hujuſmodi cohabitationis aſſertores advertit, Joannes de Cella non fuit Generalis Congregationis Joan-Bonitarum, in qua contenditur, ſub diſciplina Joannis Boni initiatum fuiſse Franciſcum, ſed Congregationis, ut ait, ſeparatæ, ſpecialiter nuncupatæ ſancti Auguſtini; ad quam etiam illa Joan-Bonitarum reducta eſt in unione generali ſub Alexandro IV. Si ſuperius adhuc aſcendendum ſit, & altius regrediendum ad priores periodos narrationis, & pro dictis Fratribus intelligendi ſint illi Patres antiqui, a quibus Henricus ait, ſe accepiſſe relationem, vel ſeriem Generalium: an non hi, cum quibus habitavit, & rem ſibi notam, & in ſuo conturbernio tranſactam diſtincte & conſtanter narrare poterant Henrico, & dicere, qualis fuit illa cohabitatio, an ſcilicet apud ſe initiati, an hoſpitio recepti? Itane ſuſpenſum, dubium, & ancipitem Henricum, illos relatores reliquiſſe credibile eſt, ut ad ambiguum aliorum rumorem recurrendum ei fuerit per illa verba, *& quidam aſſerunt*, pro ſtabiliendo Monachatu ſancti Franciſci? Contextus profecto orationis non admittit verba illa *cum dictis Fratribus* vel ad antiquos Patres relatores, vel ad duos illos Generales diſtinctæ Congregationis referri. Qui ſunt ergo dicti Fratres, *cum quibus habitavit*?

Marq. c. 33. §. 19.

IX. Qui etiam illi *quidam*, qui ſub illud tempus aſſerebant, eum fuiſſe Auguſtinianum in Cœnobio ſancti Jacobi de Aquaviva juxta Piſas? Nulli profecto; præterquam enim quod nullum ante hunc excogitatum Henricum legamus ita dixiſſe, valde dubium eſt, an dixiſſe potuerit. Qui enim potuit fieri, ut in Cœnobio illo Aquavivano habitaſſe dixerit, aut Monachum egiſſe Auguſtinianum, ſi nondum ſub illud tempus tirocinio ſancti Franciſci deſignatum, hoc Cœnobium extiterit, vel ſaltem Auguſtinianum non fuerit, uti alias notavi, & amplius hic confirmabo? Joſephus Pamphilus in obſervationibus de Ordinis antiquitate, dum antiquos Conventus commemorat, qui in Italia præceſſerant Concilium Lateranenſe, nullam facit mentionem hujus Conventus de Aquaviva, neque Primati Auguſtiniani Auctor, qui eoſdem ex Pamphilo tranſcribit.

In Apolog. 4. 5. n. 3.
Pamph. in Chron. fol. 28.
Primat. Aug. l. 5. cap. 4.

X. At te dicturum novi adeo vetuſtum hoc eſſe Cœnobium, ut ei multa indulſerit Gregorius VIII. privilegia. Sed nihil mihi magis dubium hac tua confirmatione. Primus omnium poſt annos a Gregorii morte ferme tercentos, hoc ita retulit Ambroſius Coriolanus (cujus in re hiſtorica majorem fidem, & in propugnandis adverſariis minorem acrimoniam cordati quique deſiderant) ut ipſa ſua narratione teſtimonium infirmet. Quis enim adeo facile credat, Gregorium breviſſimi temporis, quippe quinquaginta ſeptem dierum, vel ipſo Coriolano teſte, Pontificem, totum Cruci Dominicæ, & Hieroſolymorum urbi recuperandæ, paulo ante ſub Urbano prædeceſsore captæ, intentum, Urbanique doloris de tanta jactura ſucceſsorem, ut loquitur Baronius, & calamitatis hæredem, neque certo loco conſiſtentem, his rebus ſe applicuiſse, præſertim ſub initium ſui Pontificatus, uti peculiariter ſcribit Cruſenius in ſuo Monaſtico.

Baron. an. 1187.
Cruſen. p. 2. c. 24.
Coriolan. in Chronicis.

XI. Deinde abhorret a Curiæ ſtylo, ut indultorum communium, uni-

univerſo Ordini conceſſorum, uti ille aſſerit, ſcilicet confirmationis privilegiorum, indulgentiarum, licentiæ ſepulturæ, prædicandi, confeſſiones excipiendi, Diploma dirigeretur Priori peculiaris Conventus Aquavivani, qui in univerſum Ordinem nullam habebat auctoritatem. *Conceſſit*, inquit, *Fratribus dicti Ordinis auctoritatem audiendi confeſſiones, prædicandi, & cœmeteria conſtruendi, ac eos ſepeliendi, qui in eorum cœmeteriis, atque Eccleſiis eligerent ſepulturam; & privilegium directum fuit Priori ſancti Jacobi de Aquaviva Lucanæ diœceſis.*

XII. Tertio, Conventum hunc in Lucana diœceſi conſtituunt Coriolanus, & Cruſenius; in Piſana Primas Auguſtinianus, & Empolus in fine ſui Bullarii, & Seripandus in commentar. ad ann. MCXXXII. Prope Piſas ſitum dicit Henricus de Urimaria, & qui ejus proferunt teſtimonium; prope Liburnum Empolus citatus. Amplius, addit Cruſenius, hujus Bullæ adeo mihi ſuſpectæ exemplar authenticum extare in Monaſterio Lucenſi. Ut dubium omne removerem, & Coriolani aſſertioni ſecurius accederem, curavi ſolerter indagari per viros induſtrios & doctos, ut ſi quod in illo Cœnobio hujus rei veſtigium foret, explorarent, & reſcriberent. Poſt ſolertem indagationem reſponderunt, nihil penitus ſe ibidem reperire potuiſſe, neque ullam aliquando extitiſſe penes incolas hujus rei notitiam.

XIII. Poſtremo, ſi quod ante ſancti Franciſci converſionem hujuſmodi extabat Monaſterium, mihi probabiliſſimum eſt, ſub Regula ſancti Benedicti, vel alterius militaſſe. Etenim nullum veſtigium Eremitarum ſancti Auguſtini in Tuſcia apud probatos Auctores, neque in Archivo Vaticano in Pontificum Regeſtis invenire potui ante Innocentium IV. qui Tuſciæ Eremitas univerſos partim vagos, partim Benedictinos, partim alterius Inſtituti, ſub ſancti Auguſtini Regulam counivit. Anno I. Pontificatus XVII. *Kalendas Januarii* univerſos Eremitas Tuſciæ, exceptis Guillelmitis, juſſit ut in unum ſe regulare conformantes propoſitum, Regulam ſancti Auguſtini, & Ordinem aſſumerent. Bulla incipit: *Incumbit nobis*. Habetur in Regeſto Innocentii num. 333. apud Marquez cap. 3. §. 3. & cap. 16. §. 11. in Bullario Auguſtiniano conſtit. I. Innocentii IV. ubi fœde erravit collector in Bullæ ſummario, & in nota marginali. Eodem anno v. Kalendas Aprilis commemorat, ſe eamdem illis Regulam dediſſe obſervandam, & Richardum Cardinalem ejus ſpeciali mandato eos abſoluiſſe a promiſſione, ſeu vinculo Ordinis ſancti Benedicti, vel cujuſcumque alterius. Bullam *Cum a nobis*, ex Regeſto Pontificio dedimus in Apologetico §. 5. num. 4. Secundo Kalendas ejuſdem menſis, refert, ſe dictam Regulam eis conceſſiſſe, eoſque ſub eadem Domino famulari, & divinum Officium, ſecundum Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem, celebrare elegiſſe. Habetur Bulla *Pia deſideria* in ſupradicto Bullario conſtit. 2. extracta ex ipſo autographo, ſub plumbeo ſigillo, aſſervato in Archivo Romano Auguſtiniano. Septimo Kalendas ejuſdem menſis declarat, Fratres de Murceto, Piſanæ diœceſis non teneri ad obſervationem Regulæ ſancti Benedicti, quam in ſua eremo erant profeſſi, *quia*, inquit, *ex mandato Sedis Apoſtolicæ, non ſolum illi, ſed alii Eremitæ per Tuſciam conſtituti, Regulam ſancti Auguſtini duxerunt aſſumendam*. Ex hac Bulla, quam in Apologetico citato num. 5. huic confirmando argumento adduxi, liquet non ſolum Murcetanos Monachos in Auguſtinianos abiiſſe, verum etiam & reliquos Eremitas Tuſciæ idem Inſtitutum ſubiiſſe; & proinde non adeo inepte, aut imbelle, ut tu jocaris, me probaſſe ex hoc Diplomate, Etruſcos Eremitas primitus non fuiſſe, ſed poſtea evaſiſſe Auguſtinianos. In Regeſto ejuſdem Pontificis anno XI. num. 448. ad Generalem, & Fratres Eremitas Ordinis ſancti Au-

guſtini, narrat, ſe dediſſe univerſis Eremitis Tuſciæ Regulam ejuſdem ſancti Auguſtini. Demum Alexander IV. anno 1. Pontificatus, Idibus Julii, ſuis litteris inſerit alias ſui Prædeceſſoris Innocentii, directas Priori Generali, & univerſis Fratribus Eremitis de Tuſcia Ordinis ſancti Auguſtini, in quibus ait, ſe illis conceſſiſſe Regulam ſancti Auguſtini. Diploma hoc Alexandri habes apud Empolum conſtit. 9. Alia pleraque inſtrumenta, quæ peculiaria Monaſteria Etruriæ ab Ordine ſancti Benedicti ad Auguſtinianum tranſlata concernunt, adduxiſſem, niſi ſuperflua judicaſſem, ubi tam aperta habentur Pontificum teſtimonia, quæ omnes Etruſcos Eremitas diverſam ab Auguſtiniana Regulam obſervaſſe confirmant.

XIV. Hinc etiam obiter nullo negotio rejicitur commentum illud Critanæ, Nicolai ab Alexandria, & aliorum aſſerentium, licentiam hanc, quam alii ex Pſeudo-Henrico dicunt, Franciſcum petiiſſe a Priore Aquavivano, ut arctiorem ſubiret normam vivendi impetraſſe a fratre Bandino Priore Monaſterii ſancti Salvatoris de Silva-lacus Ordinis ſancti Auguſtini prope Senas. Etenim præterquam quod ex jam dictis appareat, nullum tunc in tractu Senenſi, in Tuſcia notiſſimo, fuiſse Cœnobium Auguſtinianum, hoc ipſum, de quo agitur, manifeſte conſtat hujus Inſtituti tunc minime fuiſse; quippe poſt plures annos ab Epiſcopo Senenſi Regulam accepit ſancti Auguſtini, ex Gregorii IX. indulto. Diploma ipſe exſcripſiſti ex Empolo num. 212. & præclarum effugium excogitaſti ex alia Bulla Alexandri IV. dicendo, Monaſterium de Silva-lacus, cui Gregorius ex approbatis Regulis unam juſſit præſcribi, non illud fuiſse ſancti Salvatoris, de quo Critana & Morigia, ſed aliud ſancti Leonardi huic per prædictum Alexandrum unitum, quod *de Silva-lacus* dicebatur; & poſt incorporationem adhæſiſse denominationem *Silvæ-lacus* Monaſterio ſancti Salvatoris.

XV. Mirum certe quam facile hæc adinvenias, & inanibus conjecturis clariſſima Pontificum teſtimonia coneris eludere. An ipſi tuo credes Morigiæ? Audi quid dicat de varia hac appellatione unius ejuſdemque Monaſterii: *Locus hic*, inquit, *ubi Congregatio cœpit Ilicetana prope urbem Senarum, a ſitu vocatur* de Fultignano; *poſtea nuncupatus eſt* Eremitorium Silvæ Fultignani ſancti Salvatoris; *deinde* ſancti Salvatoris de Iliceto ad Silvam-lacus; *& nunc vocatur* Sancti Salvatoris de Iliceto, *propter ilicum abundatiam*. Ulterius, quot, quæſo, elapſi anni poſt hanc tuam incorporationem, uſque ad Innocentii VIII. Pontificatum, & tamen ille diſtinctim & ſeparatim, enumerato Monaſterio ſancti Leonardi retulit etiam illud ſancti Salvatoris, ſub illo appellativo *Silvæ-lacus*. Recenſens etenim domos ſocietatis, ſeu Congregationis Ilicetanæ, ita ait: *Pro parte dilectorum filiorum Priorum & Fratrum ſancti Salvatoris Silvæ-lacus de Iliceto, & ſancti Leonardi, ac ſanctæ Mariæ de Monte Spechio, necnon ſancti Antonii ſupra balneum Petrioli, domorum Societatis* de Iliceto *nuncupatæ, Ordinis Fratrum Eremitarum ſancti Auguſtini Senenſis, & Groſſetanæ diœceſis*. Innocentii litteras lege in tuo Bullario Auguſtiniano, conſtit. 2. eodemque etiam modo loqui comperies Eugenium IV. conſtit. 3. & 4.

Morig. de orig. relig. c. 53.

XVI. Aliquid hujuſmodi difficultatis, ſeu contradictionis, ipſe ſubodoraſti, cum num. 22. recitatis verbis Ambroſii Landuccii aſſerentis, prædictum Bandinum fuiſse Priorem Cœnobii Ilicetani (hujus ſcilicet ſancti Salvatoris, quod caput evaſit Congregationis Ilicetanæ, & ab Innocentio VIII. citato vocatur *Cœnobium ſancti Salvatoris Silvæ-lacus de Iliceto*) anno MCCXX. ſubjunxiſti, non apparere convenientia teſtimonia, ad id determinate aſſerendum, neque immerito; quomodo enim

enim tunc Prior potuit eſse Auguſtinianus in Cœnobio Ilicetano, in quo ſub illud tempus adhuc inſtitutum non erat Auguſtinianum, introducta ibidem ſancti Doctoris Regula non niſi poſt annum MCCXXXI. Congregatio autem Ilicetana ab hac domo exordium & denominationem accepit ſub Priore Generali Tolomæo Veneto circa annum MCCCLXXXV. Ita veſtri Pamphilus, Cruſenius, & alii ſub prædictum annum: unde rejiciendus venit Myræus a te num. 225. citatus, qui anno ML. inſtitutam aſſeruit.

XVII. Sed ingenti ſtudio, collectiſque undique teſtimoniis, probare conaris, ante illud tempus prætenſæ initiationis ſancti Franciſci fuiſse in Tuſcia Cœnobia Auguſtiniana. At vero omnia, eaque a recentioribus, & domeſticis Auctoribus accepta, id unum ferme inculcant, Auguſtinum per Tuſciam in Africam abeuntem, multa inveniſse ibidem ſanctorum Virorum habitacula, & cum eiſdem converſatum fuiſse. Monaſteria autem Auguſtiniana fuiſse, aut poſtea, ante ſancti Franciſci ætatem, talia evaſiſse, nullus clare probat; neque aliquem mihi dabis vetuſtum & exterum Auctorem, qui id vel leviter inſinuet. Jordanus tuus refert, ſanctum Auguſtinum *Fratres Eremitas in Tuſcia & Centum cellis viſitaſſe, velut in quodam tranſitu; non enim diu cum eis manere potuit.* Et Franciſcus Suarez diffuſe probat, nullos habuiſse, aut fundaſse Auguſtinum Monachos Eremitas, neque Regulam dediſse, antequam in Africam transfretaret, imo & donec rediret in patriam, diſtuliſse executionem propoſiti vitæ Monaſticæ, quod habebat. Et licet multi fuerint graves Scriptores Etruſci ante Innocentium III., da mihi unum, qui vel ſemel meminerit Eremitarum Auguſtinianorum in Tuſcia.

Jordan. l. 1. c. 7.

Suarez tom. 4. de relig. lib. 1. c. 8.

XVIII. Demum ad ſacram (uti loqueris) anchoram confugis, teſtimonium ſcilicet Jordani de Saxonia, dicentis, ſe vidiſse formam privilegii Innocentii III. quo confirmatum voluit Cœnobium veſtrum ſancti Antonii in Ardigneta Provinciæ Senenſis. Anchoram hanc ſacram pluribus alligas retinaculis, adductis aliorum teſtimoniis, qui id ipſum affirment. Sed neque anchora tam ſacra, cui navigii ſalus committi poſſit, neque rudentes tam firmi, ut ſecure ſubſiſtat. Primus id obtrudit Jordanus; ſecuti ſunt alii. Ille aſserit, Innocentium hunc omnium Pontificum primum fuiſse, a quo hic Ordo privilegium aliquod ſcriptum receperit: & licet quantum potuerit, indagarit, & proximo Innocentii ſeculo floruerit, nihil potuit ab aliis Pontificibus conceſsum videre. Ambroſius Coriolanus, duobus ſeculis Innocentio poſterior, tot invenit, & refert, ut continua ferme ſerie ab Innocentio I. & Zoſimo miram texuerit hiſtoriam indulgentiarum, privilegiorum, confirmationum, aliarumque conceſſionum Pontificalium, quæ omnem Jordani ſolertiam ſubterfugerunt. Deinde Jordanus uno dumtaxat Diplomate Cœnobium illud Innocentium confirmaſse ait, & Compendium rerum Ordinis ſancti Auguſtini, quod citas num. 231. pluribus id Bullis feciſse pulchro incremento confirmat, & aliam ſimilem confirmationem Cœnobii Lucenſis ab eodem Innocentio factam producit. His abunde accedit Hieronymus Romanus, & quod Jordanus dixit, ſe vidiſse privilegium confirmationis prædicti Cœnobii, hic ait, illi Conventui directum, in eoque confirmari ab Innocentio privilegia ſuorum Prædeceſſorum, idque ipſum Pontificem præſtitiſſe Conventui Lucenſi. Demum ais, te habere ex relatione MS. Conventus Ilicetani, ibidem in Archivo regiſtratum hoc Innocentii privilegium, cujus initium: *Solet annuere*; & finis. *Datum Laterani* XII. *Kalendas Junii anno* MCXCVIII. Omnia hæc mihi valde ſuſpecta: ultra enim tot incrementa, additamenta, & contradictiones teſtium, ille finis principium, & proceſſum omnem evertit. Ubi enim aliquando

in Bullis Pontificum ante tempus Martini V. vidiſti apponi ad Kalendas, vel computum dierum annos Chriſti, ſed annos Pontificatus? Breve etiam, non Bullam vocat Romanus; & tamen in fine ait, ſubſcriptum illud ſignum: *Fac mecum ſignum in bonum*. Ubi, quæſo, aliquando vidit ille hujuſmodi tenorem Brevium? Non Brevi, ſed Bullæ hæc ſignorum verba in Pontificii nominis orbem adjiciuntur. Poſtremo ut rem concludam, omnia Innocentiani Regeſti volumina ego diligentiſſime percurri, & neque iſtud, quod ſolum potuit invenire Jordanus, privilegium, neque ullam ex pluribus Bullis, quas Compendium Auguſtinianum, & Romanus, Innocentium largitum fuiſſe referunt, ne verbum ullum de Ordine Eremitico Auguſtiniano potui reperire. Potiſſima pars hujus Regeſti jam communis facta eſt, juris præli beneficio; ipſe experire.

XIX. Quod vero de petita licentia ab iſtis Prioribus, ut arctiorem vitam aſſumeret Franciſcus, & de nemorum receſſu poſt mutatas veſtes dicitur, plene ex Bonaventura in Apologetico refellimus; nec quidquam ex utraque tua reſponſione elicere potui, quod amplius improbare oporteat.

XX. Claudo tamdem totum hunc de Henrici teſtimonio diſcurſum, objecto tibi ſcrupulo uno circa tractatum, ex quo deſumptum eſt, altero circa Auctorem. Mirum eſt, Jordanum de Saxonia, Henrico familiarem, omnino hunc tractatum ignoraſſe, præſertim ſuo libro de Vitis Fratrum concinnando ſumme opportunum; neque inter alia ejus opera iſtud retuliſſe, neque verbum ullum de eo feciſſe; etſi ſæpiſſime & paſſim de Henrico loquatur. Secundo, qui hunc ei librum tribuunt, ſcriptum ajunt anno MCCCXXXIV. & Auctorem perveniſſe ad annum MCCCXL. & ultra ex variis ipſe probas Auctoribus num. 13. & tamen ex initio ipſius tractatus dicis num. 11. eum cognoviſſe Generalem Lanfrancum Mediolanenſem, qui electus eſt anno MCCLII. eumque unionem ſub Innocentio IV factam præceſſiſſe, non ſemel teſtatur Laurentius Empolinus ad finem ſui Bullarii. Expende, quæſo, an qui unionem jam in Ordine Auguſtiniano præceſſit, & in unione electum Lanfrancum, ſe ipſo teſte, cognovit, potuerit anno MCCCXXXIV. hunc ſcribere tractatum. Nihil mirum ſi Jordanus eum inter Henrici opera non recitarit.

§. II.

Expenditur Jordanus de Saxonia.

I. AUctoritatem Jordani de Saxonia libravi, eamque minoris ponderis deprehendi, quam quod propter illam admitti poſſit hic Monachatus, aut illius aſſerendi primatus negari Bergomenſi. Suſpicionem objeci corrupti textus, & dubia produxi circa ipſius operis Auctorem. Talia ea ſuſpicor, ut quibuſcumque Viris doctis, etiam in hac arte verſatis, negotium faceſſant, eamque tibi moleſtiam advexerunt, ut multis paginis fuerint diſſolvenda. Sed neque adhuc, tota hac tua induſtria omnino eſſe ſoluta, ſtatim perſpicies; neque te adeo apposite in me illa verba ſancti Bonaventuræ: *Pravus eſt auditor, qui manifeſta vult obſcure intelligi*, contorſiſſe.

II. Haud exiguo labore decurris in probando libri, de quo agitur, auctorem virum fuiſse doctum, gravem, ſanctum, Saxonem, ſive Germanum, quæ, abſque tanti operis impendio, tibi facile conceſserim. At quod floruerit tercentis annis ante Magiſtri Marquez ſcriptionem, & quod Auctor fuerit Jordanus, hic paululum hærebo, & oſtendam, non adeo

Digitized by Google

adeo manifeſtum hoc eſse, ut qui obſcurum putet, *pravus* ſit cenſendus *auditor*. Primum ex ipſo libro, probatiſque Auctoribus temporum intervalla diſtribuam; deinde ex annorum computo, quod ſit judicium ferendum circa opus ipſum, operiſque Auctorem, tibi ultro ſubjiciam.

III. Porro hic Auctor lib. 2. cap. 8. ait, ſe interfuiſse Capitulo Generali, in quo beatus Simon Tudertinus indigne accuſatus eſt. Hic vero deceſſit Bononiæ anno MCCCXXII. Indict. 5. die XX. Aprilis, uti ipſe num. 703. ex proceſsu authentico refers, & narrat Joannes Baptiſta Poſsevinus, libro de ſanctis Tudertinis. Probabile autem judicas, Capitulum illud Ariminenſe fuiſse, quod anno MCCCXVIII. celebratum eſt, & neceſsario fatendum judicas, illum tamquam Capituli membrum interfuiſse. Fuit itaque aliquot antea annis initiatus; neque enim e Saxonia in Italiam ad Comitia generalia deſtinaretur tiro juvenculus. Unde oportet annos ad minimum natum viginti, & ortum ante annum tercenteſimum ſupra milleſimum.

IV. Deinde num. 702. aſseris, ei factam revelationem de ſtatuendo veſtro Sodalitio in loco, quo ſancti Auguſtini, corpus requieſcit; eamque ex ipſo lib. 1. cap. 18. aliiſque Auctoribus probas, contigiſse menſibus duobus ante conſtitutionem Joannis XXII. de hac re anno MCCCXXVII.

V. Tertio, ex eodem lib. 2. cap. 8. probas num. 703. circa eumdem annum MCCCXXVII. illum Bononiæ ſtuduiſse ſub Priore Joanne de Lana, Magiſtro Proſpero Rhegino. Sed expende eumdem ibidem cap. 8. aſserentem toto infirmitatis tempore inſerviiſse Hermanno de Allis fere per annum ægrotantem. Atqui hunc in Germania obiiſse circa annum MCCCXXIX. ſcribunt Pamphilus, & Cruſenius.

VI. Quarto, narras num. 703. eum legationem obiiſse ad Clementem VI. nomine Capituli Generalis Mediolanenſis, celebrati anno MCCCXLIII. quod & ipſe recenſet lib. 2. cap. 14. addiſque, non committendam ei tam inſignem functionem, niſi poſt XIII. vel XVI. annos ab expletis ſtudiis, quibus incubuiſse aſseruiſti circa annum MCCCXXVII. vel MCCCXXX. Agebat ergo ultra annos XL.

VII. Quinto familiarem fuiſse Henrico Urimario, ſive Alemanno, admittis, num. 704. quippe ipſe lib. 2. cap. 22. ait, ſe eumdem ſæpius aliqua narrantem audiviſse. At hic non exceſſit annum MCCCXL. unde infers, floruiſse hunc Auctorem annis a tua ſcriptione tercentum, aut amplius.

VIII. Verum Jordanus a Saxonia, vel te ipſo relatore, prætergreſsus eſt annum MCCCC. quippe Philippus Bergomenſis eum circa annum MCCCCVI. Joſephus Pamphilus, Hieronymus Romanus, Nicolaus Cruſenius ſub annum MCCCCVIII. Guillelmus Eyſengrenius, & Compendium rerum Ordinis Auguſtiniani ſub annum MCCCCIX. Joannes Trithemius, Sixtus Senenſis, Thomas Gratianus, & Conradus Geſnerus ſub annum MCCCCX. Alphonſus Ciaconus ſub annum MCCCCXI. floruiſse teſtantur. Perpende, quæſo, an quem omnes, qui de ſcriptoribus agunt, (præter unum Poſsevinum, etiam circa annum MCCCLXXXIX. vixiſse aſserentem) concorditer poſt annum MCCCC. floruiſse conſcribunt, nullo aſſignato mortis tempore, quæ in poſteriores annos tranſmittenda eſt, potuerit tamquam Generalis Capituli membrum, ut ipſe loqueris, & ex ejus libro bene deducis, Ariminenſi anno MCCCVIII. intereſse, & conſequenter naſci ante annum milleſimum tercenteſimum.

IX. His facile occurris, dicendo num. 724. probabilius tibi videri non adeo longo tempore vixiſse, imo diem obiiſse ſine dubio ſub annum

num MCCCLXXX. affirmas num 706. inde ductus, quod in Regeſto Bartholomæi Veneti Prioris Generalis ab anno MCCCLXXXVII. uſque ad annum MCCCXCIII. nulla Jordani habeatur mentio, etſi paſſim occurrat aliorum Patrum Germanorum.

X. Leve hoc ego puto fundamentum, ut tot Auctorum ſumma concordia conteſtantium poſt annum quadringenteſimum floruiſse, fidem infringas. Quod annis ſex in illo Regeſto nulla fuerit Jordano commiſsa Provincia, neque quidquam ille petierit a Priore Generali, quid hoc mirum? aut unde locus, ut in rerum natura tunc eſse deſierit? Quid ſi Bartholomæus, Jordano parum propitius, illius opera uti noluerit? quid ſi Jordanus ſibi ſoli vacaverit? quid ſi ſcribæ incuria ſcribenda exciderint? Quoties, quæſo, per totum tuum opus potioris fundamenti ab auctoritate negativa, vel ab Auctorum ſilentio deducta argumenta refellis? & ſexennalis Regeſti (quid ſi mutili, aut imperfecti) taciturnitas eam tibi ingeret fiduciam, ut quem non legis ibi Jordanum, ſine dubio contra tot Auctorum fidem tunc aſseras defunctum?

XI. Sed quid, ſi ego abſque dubio poſt annum MCCCLXXX. vixiſse demonſtrem? Ipſo illo opere, cujus hunc vis auctorem, lib. 2. cap. 22. agit de Bonaventura Patavino Cardinali jam defuncto, quem tamen e vivis proditorie ſublatum anno MCCCLXXXIX. ſcribunt Onuphrius Panvinus, Ciaconus, Bzovius, Scardeonius, Portenarius. Hoc argumentum in eas te reduxit anguſtias, ut vel hanc de Bonaventura narrationem ab alio poſteriore adjectam, vel duas editiones feciſse Jordanum, unam circa annum MCCCLVI. aliam circa annum MCCCLXXX. & exemplar MS. a te in Bibliotheca Angelica repertum, in quo ſimiliter de hoc Bonaventura agitur, poſt annum MCCCXC. ſcriptum exiſtimes. Vide quæ circa hæc num. 705. 706. & 718. varie ſcripſiſti. Quod autem num. 681. de morte Bonaventuræ reducenda ad annum MCCCLXXIX. ex inſcriptione ſepulcri deduxiſti (etſi tui immemor, num. 718. ſcripſeris, obiiſse anno MCCCLXXXIX.) ſubſiſtere non poteſt; etenim in duabus Bullis Antipapæ Clementis VII. vidi connumeratum Bonaventuram inter Cardinales viventes anno MCCCLXXIX. & MCCCLXXX. & cum aliis Cardinalibus ſcripſit anno MCCCLXXXI. die 1. Junii inveſtituræ Regni Neapolitani conceſsæ ab Urbano Carolo Regi. Unde omnino enunciatus eſt Cardinalis non in creatione quarta Urbani VI. uti imaginantur Panvinus, & Ciaconus, ſed in prima anno MCCCLXXVIII. XXIX. Septembris facta, uti certiſſimum habeo ex ſupradictis, & ex actis conſiſtorialibus.

Panv. Ciac. in Urban. VI. Bzov. an. 1389. Scar. de reb. Patav. l. 2. claſſ. 7. Porten. de felic. Pat. lib. 9. cap. 7.

XII. Sed quid dices de Joanne de Lana, quem ſe habuiſſe Bononiæ Priorem, & ſe præſente mirum exhibuiſſe patientiæ exemplum, refert lib. 2. cap. 8. quem etiam in bona ſenectute Bononiæ ex hac vita emigraſſe ibidem recenſet? At eum deceſſiſſe anno MCCCXCVIII. habet catalogus Beatorum Bononienſium apud Cardinalem Paleottum, libro de regimine Eccleſiæ Bononienſis, & Hieronymus Romanus, centuria 11.; eumque proinde ſub annum MCCCC. enumerant Pamphilus & Cruſenius, quibus lectores firmius adhærebunt, quam leviuſculæ tuæ conjecturæ, & ſuppoſitioni a te factæ nu. 708. propter quam, eum obiiſſe ante annum MCCCLVI. imaginaris.

XIII. Quid etiam dices de Ludolfo Camoslario, quem ad annum MCCCC. deducunt Joſephus Pamphilus, & Nicolaus Cruſenius, & de quo tuus Jordanus agit lib. 2. cap. 18. Nullæ hic notæ M. Antonii Maſſæ circa codicum varietatem, uti appoſuit ad cap. 22. in quo tractatum eſt de Bonaventura Patavino.

XIV. Quid etiam de illa peſte, & anno Jubilæi, de quibus ſcribit eodem libro cap. 20. quæque in annum MCCCC. probabilius rejicienda viden-

dentur, quam in annum MCCCL. ut tu num. 705. contendis. Etenim, peſtis illa ſub Clemente VI. anni MCCCL. fuit triennalis, incœpitque MCCCXLVIII. ut communiter omnes illius temporis teſtantur Auctores: hanc vero ſub Bonifacio IX. incœpiſſe ipſo anno Jubilæi anno MCCCC. ſcribunt Antoninus: *Peſtis ſigna quædam* (inquit) *ab initio hujus anni* MCCCC. *terrere homines inceperant, quæ mox per æſtatem plurimum deſævit.* *Anton. tit. 22. c. 3. §. 33.* Auctor vitæ ſancti Bernardini. *Sæviente illa peſte terribili & generali anno ſalutis* MCCCC. *in quem incidit Jubilæus.* *Vita S. Bernard. c. 10.* Jacobus Meyerus *Romam propter Jubilæum multi currebant &c. graſſata eſt lues hoc anno per totum fere orbem*, *Meyer. l. 14. Annal. Flan.* His conſonant verba hujus noſtri codicis. *Nuper* (inquit) *in anno Jubilæi pervadente peſtilentia per mundum*, additque paulo infra, tranſacto Jubilæo, ſedatam fuiſſe peſtilentiam; quod & illius temporis concordat hiſtoriis. Habemus ergo ſive Jordanum, ſive alium hujus libri Auctorem milleſimum quadringenteſimum exceſſiſſe.

XV. Ego ſi quid, poſt exactam libri diſcuſſionem, in hac re ſapio, dixerim, non unius viri opus eſſe; neque enim qui Comitiis Ariminenſibus anno MCCCXVIII. tamquam vir Capitularis, aut Capituli membrum uti loqueris, interfuit, potuit de rebus ſub annum MCCCC. tranſactis hiſtoriam contexere. Atque id ipſum tu mecum ſentis, dum aliqua a poſteriore quopiam fateris adjuncta. Operis corpus, & in quatuor illas communiones diſtributionem variis rationibus, multorumque teſtimoniis Jordano Saxoni tribuendam exiſtimaverim, non tamen univerſa exempla in confirmationem adducta. Potuit hunc laborem ante annum MCCCL. ſubire; quippe ex Chronicis Magdeburgenſibus, & Notis ad illius urbis Præſules, mihi conſtat, ſub annum MCCCXXX. virum fuiſſe gravem & doctum. Etenim anno MCCCXXXI. lector erat Erfordienſis, & Magdeburgum a cenſuris abſolvit; & anno MCCCXXXVI. Tangermundæ oppidum diœceſis Brandeburgenſis a Luciferiana hæreſi, ſimul cum Nicolao Minorum Guardiano, purgavit. Liber per aliorum manus tranſivit, & augmentum accepit, iiſque crevit annorum geſtis, ut nihil mirum ſit, qui de ſcriptoribus egerunt Eccleſiaſticis, Jordanum, libri inſcriptum auctorem, ultra annos MCCCC. tranſuexiſſe. Hinc corrupta, contorta, & depravata exemplaria, uti dixiſſe Fivizanium in Apologetico adnotavi: ſeu corrupta, contorta, & depravata multa in exemplaribus, quod in idem recidit; etſi tu num. 716. valde putas diverſa. Neque poſt tot additamenta; integrum adhuc habemus librum; etenim lib. 2. cap. 11. in fine aſſerit, ad libri finem tractatum ſpecialem haberi de quibuſdam miraculis beati Nicolai Tolentini, quem tamen deſiderari adnotavit Fivizanius, ita ut auctus, diminutus, depravatus fuerit hic liber, & corruptus.

XVI. Quid igitur? qui tot adſueverunt ſua, nonne & hoc de Franciſci Monachatu, adeo præpropere, & inconcinne affixum, contexere potuerunt? Qui multa Jordano, viro ſane docto, indigna, & quædam non adeo probabilia miſcuerunt, nonne & hanc ipſo contextu male cohærentem aſſertiunculam compinxerunt? Admittis ipſe num. 713. ſuſpicionem hic eſſe corrupti textus, levem tamen & voluntariam. At vide, quæſo, an ea tam levia, quæ objiciuntur, ut hærere volentem amplius non retardent. Dicis num. 716. animadverſurum Fivizanium, aut Maſſam in Notis, ſi quid circa veritatem hujus loci ambiguitatis occurreret, ſicuti ad caput 18. & 22. aliqua, quæ in quibuſdam exemplaribus deerant, adnotarunt. An notarunt quæ objecimus, & annis MCCCC. poſteriora produximus; cum tamen circa Argentinatem, Bonaventuram Cardinalem, & alios illo tempore priores notas addiderunt, & tu ipſe circa iſta n. 705. & 706. hæſitaveris?

XVII. Om-

XVII. Omnes quos illi viderunt, & habuerunt codices, nunc aſſervantur in bibliotheca veſtra Romana, accepitque Angelus a Rocca, ſacrario Apoſtolico Præfectus, & Bibliothecæ auctor, & inſtructor a Fivizanio ſuo in eodem munere prædeceſſore, cui etiam per ſexennium fuerat a ſecretis. Inter hos nullus eſt, qui Philippi Bergomenſis ætatem præcedat. Omnium primus, & qui tempus referat, quo exaratus eſt, ſolus ille eſt, quem tu num. 719. a Sanguino Pergamenſi de Vavaſoribus dicis anno MCCCCLVIII. ſcriptum; unde & triumphas te inveniſſe codicem ætate Bergomenſis priorem, idque probas, quia Bergomenſis ſuum opus primo edidit anno MCCCCLXXXVI. annis ſcilicet viginti octo poſt codicem iſtum exaratum. Sed præterquam quod ante annum MCCCCLXXXVI. Bergomenſis liber prodierit, ut infra narrabo; conſiderandum erat, me notanter non de libro, aut opere Bergomenſis, ſed de ætate loquutum, & ſignanter dixiſſe, non adeo facile proferri poſſe codices ſcriptos ante ætatem Bergomenſis. Opinionem hanc etenim potuit voce transfundere, & amicis ante librorum editionem communicare, atque hi ſuis, vel alienis lucubrationibus committere. Sed nec, uti putas, ille Chriſti annus prædicto codici ſuffigitur, ſed potius MCCCCXCVIII. adeo enim nota arithmetica exarata eſt, ut qui tuo apparuit conſpectui numerus quintus, vere ſit nonus, ut ſcriptores periti, quos adhibui huic conſpiciendo codici teſtes, condixerunt.

Vide Rocc. in nomencl. de ſacrar. Apo.

§. 7. n. 5.

1458. G. G.

XVIII. Obiter hic animadverto, tria illic me vidiſſe exemplaria hujus Jordani, neque aliquem reperire potui, in quo habeatur, quod tu reſponſ. IV. num. 360. affirmas de correcto illo errore capitis 15. libri primi, ubi beato Gregorio Papæ tribuitur origo deferendi baculi, quod Gregorio IX. attribuendum eſt. Ais in uno ita haberi: *Unde etiam olim per Gregorium Papam IX. &c.* ego in omnibus ita reperi *per beatum Gregorium Papam ſtatutum fuerat &c.*

XIX. Jam tamdem ex toto hoc de Jordano diſcurſu patet, quod in Apologetico notavi, non ſcripſiſſe Jordanum ante Marquez annis tercentum; quod ex ejus verbis eum voluiſſe mihi videbatur nimis manifeſtum. Illum hic defendis num. 725. & aliter locutum dicis, dum bis ſcribit, Auctorem fuiſſe tercentum annorum; & alibi aſſerat, Jordanum præceſſiſſe illud tempus, quo ipſe ſcribebat, ſcilicet annum MDCXVIII. per annos tercentos. Sed ego percipere non poſſum, quomodo poſſit eſſe auctor tercentum annorum, ſi ante totidem annos nihil ſcripſit. Licet enim ſexaginta quis vixerit annis, ſi toto illo tempore nihil ſcripſerit, auctor ſcriptæ opinionis, ſententiæ, aut libri ante annos ſexaginta non dicetur. Idiotiſmus ille Hiſpanicus, *es author de trecientos años*, nihil aliud vult innuere, quam ante, vel ſub illam annorum menſuram ſcripſiſſe. Qui autem de Jordano dicit *a que paſſo* CCC. *años*, aſſerit, poſt ejus mortem elapſos annos tercentos. Adde his Fivizanium, qui primus librum edidit, in impreſſione Italica, & epiſtola nuncupatoria ad Auguſtinenſes dixiſſe, librum hunc compoſitum circa annum MCCCLXXX. & in editione Latina, & epiſtola ad Sixtum V. ſcripſiſſe, librum a primo ſuo ortu ſepultum jacuiſſe per annos ducentos. Ille autem publici juris fecit non niſi anno MCCCCLXXXVIII. Inter hunc annum & MDCXVIII. quo Marquez ſcripſit, elapſi ſunt anni triginta. Confer hæc cum aliis, quæ ſupra diximus, & expende, an abſque ſufficienti cauſa in hac re Magiſtrum tuum ſugillavi?

Marq. c. 8. §. 5.

Sect. 4. n. 6.

§. III.

Digitized by Google

§. III.

Quid ſentiendum de conſtitutionibus Patavinis.

I. ETſi conſtitutiones Patavinas, quibus ſancto Franciſco in ordine Auguſtiniano anno MCCCXV. indictus eſt cultus, parum, aut nihil huic conducere argumento oſtenderim, adhuc perſiſtis in confirmanda tui Magiſtri ſententia. Licet enim, inquis, ſummi Pontifices in Apotheoſi Sanctorum hortentur fideles ad eorum venerationem, laudeſque divino Officio celebrandas; non tamen cogunt præceptive: unde liberum erit cuique Eccleſiæ, vel Sodalitati eorum cultum admittere, vel negligere. Ut itaque huic, vel illi præ aliis cultus adhibeatur, movere debent vel vinculum aliquod, vel affinitas, vel peculiaris devotio. Credi proinde poteſt, in cultu ſancti Franciſci indicendo, interveniſſe vinculi, aut affinitatis cum ſancto Auguſtino rationem.

II. Ut quid non adjungis tertium membrum a te antea num. 731. & 734. productum *ſpecialis devotionis*; atque ex hoc capite non potuerit religio Auguſtiniana ſanctum Franciſcum ſuis libris Ritualibus adſcribere? Nonne adeo excellenti virtute & heroica pietate meruit ſanctus Franciſcus apud inſignem, ſanctamque ſodalitatem ſpeciali diligi affectu, & devotione celebrari? Talem eum Dominus formavit, ut *ei quilibet Chriſti ſervus omni eſſe teneatur affectione devotus*: Si veſter erat, & titulo hoc veſtri conſodalis eum ad cultum admiſiſtis, ut quid tam præclaro veſtro Confratri honorem hunc per integram ferme annorum centuriam denegaſtis? In catalogum Sanctorum relatus eſt a Gregorio IX. anno MCCXXVIII. tanta ſolemnitate, quanta forte nullus, aut pauciſſimi fuerunt canonizati; & Auguſtiniani Patres, apud quos initiatus, educatus, profeſſus, & ex quibus ad immenſam conſtituendam Rempublicam prodierat, dignos & meritos honores a Pontificibus ſummopere omnibus commendatos, ad annum MCCCXV. diſtulerunt? Potiori exemplo Canonici regulares Conimbricenſes, ſtatim ut ſanctum Antonium Ulyſſiponenſem, olim ſuum Conſodalem, audierunt inter ſanctos relatum, divinis laudibus ſunt proſecuti.

Bonav. in Legen. S. Franc. ca. 13.

Vide Annal. Minor. an. 1228.

III. Aliæ Religiones, quæ nullum jus in ſanctiſſimum hunc Heroem prætendebant, honorificentius & liberalius cum eo egerunt; pleræque enim, Ciſtercienſis, Benedictina, & Dominicana, paulo poſt apotheoſim, divinis honoribus coluerunt. Profecto excellentius ſortitus eſt nomen, quam ut a vobis potuerit ignorari, iiſque meruit apud vos titulis Minorum Sodalitium, ut ſuum Inſtitutorem veſtrum alumnum citius decuerit in veſtris dypticis reponi. Ad menſuram auctoritatis Protectoris Ordinis Minorum, ab Alexandro IV. taxatur veſtri poteſtas. Ritus divini Officii conceſſus eſt ab Innocentio IV. Tuſciæ Eremitis Auguſtinianis ſecundum ordinem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, excepto pſalterio, ex ſtatuto ſuæ Regulæ, uti ſimiliter ſub iiſdem verbis in Regula Minorum continetur. Ad urbes ex ſolitudine per eumdem Pontificem redacti ſunt Auguſtiniani, ut ipſi, inquit tuus Jordanus, ſicut Prædicatores & Minores, finem ſalubrem & fructum in Eccleſia Dei producere poſſent. Fluctuante per triennium inter multiplices contentiones & diſcordias Congregatione beati Joannis Boni, ſciſſæque in duas partes ſub bino capite, pacem & unitatem advexerunt..... Electus tunc Paduanus Epiſcopus, & Simon Minorita lector Mediolanenſis, Pontificis Innocentii ſocii & Cappellani, quorum prudenti directione eo res devenit; ut extincto ſchiſmate, Lanfrancus Mediolanenſis Prior Generalis crearetur, qui poſtmodum totius

Bullar. Aug. conſtit. 21.
Ibid. conſt. 9.

Jord. l. 1. c. 14.

Digitized by Google

Ordinis in unione magna ſub Alexandro gubernacula ſuſcepit. Admiror, quod neque Inſtituti merita, neque Inſtitutoris affinitas, aut ejuſdem, quam prætenditis, Religionis profeſſio maturiorem potuerint Franciſco conciliare cultus honorem. Tamquam exterum ſane, & alienum uſque ad illud tempus neglexiſtis: neque enim adhuc ſub illam ætatem quidquam circa hujuſmodi profeſſionem ſomniatum eſt.

§. IV.

Quid de Ambroſio Coriolano.

Marq. c. 21. §. 2. Coriol. in defenſ. verit. ad arg. 9.

I. QUando Magiſtri Marquez libro reſpondebam, Coriolani opus, utpote ſub Sixto IV. in ipſa Typographiæ infantia editum, & juſte quidem, vel propter ſolam virulentiam præceptis Apoſtolicis ſuppreſſum, non potui reperire. Legi apud Marquez Coriolani verba, ex quibus ſuum dupliciter comprobatum voluit intentum. Ea ſunt: *Secunda cauſa fuit, quia, ut dicit Jordanus, talem formam accepit beatus Franciſcus in quodam noſtro eremitorio, apud Saxetum, prope Lavernas, ubi ſanctus Franciſcus fecit pœnitentiam, nec voluit diſcrepare, a nobis niſi in cingulo.* Explicat Marquez illa verba *talem formam accepit*, de vera ſuſceptione habitus in illo eremitorio; & propterea noluiſſe Franciſcum in inſtitutione ſui Ordinis omnino variare formam habitus ab Auguſtinianis ſuſcepti, ſed cingulum dumtaxat. Secundo, illa verba huic ſuo prætenſo Monachatui adſtipulari judicavit, quia referunt, eum pœnitentiam feciſſe in illo eremitorio, inſtar ſui magiſtri Joannis Boni, quem regularem vitam in aſperrima pœnitentia tranſegiſſe teſtantur Jordanus & Antoninus.

II. Nolui hæc tunc impugnare; neque enim auſus ſum temere auctorem interpretari, quem non legeram, neque quidquam his verbis objicere, quod fortaſſis poſſet ex ipſo contextu retorqueri. Solum quod ex verbis Marquez, ejuſque aſſertione videbatur manifeſte deduci, ſcilicet Coriolanum voluiſſe ſanctum Franciſcum initiatum fuiſſe, vel tirocinium egiſſe apud Saxetum, objeci contra aſſertores hujus Monachatus, qui mirum in modum inter ſe diſſidebant circa locum novitiatus, aut ſuſcepti Inſtituti. Tamdem reperto libro Coriolani, dum ad prædicta verba pervenio, & ſenſum expendo, longe alienum comperio ab illo, quem Marquez obtrudit. Atque ut aperte conſtet quid iis verbis voluerit, ſcribendi cauſam aperiam, totumque contextum ſcribam.

§. 4. n. 3. & ſeqq.

III. Objecerunt Canonici Regulares Congregationis Friſonariæ Gregorii IX. & Alexandri IV. Diplomata, quæ nos in Apologetico produximus, & per quæ identitatem, aut ſimilitudinem veſtium utriuſque Religionis Minorum, & Eremitarum Pontifices tolli voluerunt. Ne ex his Bullis Coriolanus cogeretur admittere Auguſtinianum Inſtitutum recens eſſe, & Minoritano, quod prætendebant Canonici, poſterius, aliam excogitavit cauſam identitatis, aut ſimilitudinis veſtium, dixitque Minoritas potius ab Eremitis formam & paritatem habitus, quam iſtos ab illis accepiſſe. Adducta itaque clauſula Bullæ Gregorianæ, qua jubentur Eremitæ nigras veſtes, protenſas manicas & corrigiam deferre, rudi ſubdit ſtylo: *Pro cujus textus declaratione eſt primo notandum, quod iſta diſſenſio de iſta uniformitate veſtimentorum erat inter Fratres Minores, & Fratres ſancti Auguſtini, & cauſata fuit ex duabus cauſis; primo, quia illi pauperes Eremitani faciebant veſtimenta de bixo nigro, quod bixum nigrum tenebant, tum propter paupertatem, tum propter contemptum mundi, quia ſolum in eremis manebant, nihil penitus de gloria mundi curantes. Secunda cauſa fuit*

Digitized by Google

fuit, quia, ut dicit Jordanus, talem formam accepit beat. Franc. in quodam noſtro eremitorio apud Saxetum prope Lavernas, ubi ſanctus Franciſcus fecit pœnitentiam, nec voluit diſcrepare a nobis, niſi in cingulo. Ita quod quantum ad modum veſtiendi adhuc tenemus uniformitatem: ſolum eſt diſcrepantia in cingulo, quia Minores portant chordonem, & nos corrigiam: diſcrepantia autem in colore non erat tunc temporis; ſed Gregorius Pontifex pro quiete & ſtatu utriuſque Ordinis voluit quod illa nigredo noſtrorum veſtimentorum non eſſet tantum naturalis, quæ tendit ad bixum, ſed etiam accidentalis, ut expreſſe appareret diſtinctio ex intenſiore nigredine.

IV. Admitto, quod tu longiſſimo diſcurſu contra me probatum volebas reſp. 3. num. 85. uſque ad 95. nihil hic agi de loco tirocinii, neque id voluiſſe Coriolanum, ut contendit Marquez, Franciſcum ſuſcepiſſe habitum Auguſtinianum in eremitorio Saxeti, quaſi illic fuerit initiatus, etſi tui immemor reſponſ. v. *n. 757.* coneris confirmare ſententiam Marquez, & ex his verbis Coriolani probare Monachatum Auguſtinianum ſancti Franciſci, in eoque aſſerendo Coriolanum Bergomenſi fuiſſe priorem. Id ſolum intendebat Coriolanus, ſanctum Franciſcum accepiſſe, vel deſumpſiſſe formam habitus ab Auguſtinianis in illo loco Saxeti; quaſi diceret: dum ſanctus Franciſcus a monte Lavernarum, ſeu Alvernæ, deſcenderet, & ad noſtros Eremitas digrederetur apud Saxetum, ei placuit forma, ſeu modus noſtræ veſtis, eumque accepit, ſeu imitari voluit, & ſuis Fratribus præſcripſit: atque hinc orta illa ſimilitudo, ſeu uniformitas veſtium a Pontifice interdicta, non quod nos a Franciſcanis, ſed Franciſcani a nobis hanc formam mutuarint; atque adeo liquet, nos eſſe priores Franciſco, ejuſque Inſtituto. Ecce genuinum tibi Coriolani diſcurſum, neque alium quis effingere ſenſum, etſi velit, poſſet. Ait enim, hanc formam accepiſſe in Eremitorio Saxeti prope Lavernas, ubi fecit pœnitentiam. Sed neque in Tuſciam, ubi Lavernæ, profectus eſt Franciſcus; neque in montem aſcendit uſque ad annum MCCXV. inſtitutæ ab eo Religionis octavum; neque tunc ibi ſubſtitit pœnitentiam acturus. Propagato Sodalitio, frequenter illuc abiit, longas moras illic traxit, miroſque ſubivit corporis cruciatus. Non id dixit Coriolanus, quod Marquez perperam intellexit, ut apud Saxetum Franciſcus fecerit pœnitentiam, ſed in Lavernis, atque inde duplex Magiſtri tui error, unde duplicem ſumebat ſui aſſerti confirmationem; putavit ſcilicet, quod apud Saxetum Franciſcus initiatus ſit, aut habitus formam, ut ille ait, induerit, & quod apud Saxetum egerit pœnitentiam.

V. Quod autem ad ipſam Coriolani aſſertionem attinet, quocumque ſenſu intelligatur, contraria eſt præcipuis hujus Monachatus aſſertoribus, qui ante inſtitutum Ordinem Minorum formam hanc veſtis accepiſſe Franciſcum, non in Tuſcia, ſed in Romandiola; non apud Saxetum, ſed prope Cæſenam, ſub magiſterio Joannis Boni contendunt. Hujus ſententiæ eſt potiſſimum Jordanus, quem ille citat in libro, quem ei tribuunt de Vitis Fratrum, ubi nihil omnino habet de eremitorio apud Saxetum: ſed neque in Ordinis Apologia, quam tu hic ſuggeris, ut Coriolano via pateat evadendi. En conſpicis, neque Coriolanum hunc Monachatum tradidiſſe, neque in hac ſententia Bergomenſi fuiſſe priorem.

Digitized by Google

§. V.

Quid de M. Antonio Coccio Sabellico.

I. INgenue fateris, Bergomenſem præceſſiſſe Sabellicum in aſſerendo Monachatum ſancti Franciſci, & Marquez, qui ex adverſo Sabellicum Bergomenſi priorem fuiſſe magnopere contendebat, dupliciter erraſſe. Attamen licet me rem clare confeciſſe concedas, dicis nihilominus, quod volebam me diminute probaſſe, quippe tempus, quo Sabellicus Enneades ſuas abſolvit, non oſtendi. Eas ſub annum MDIV. terminaſſe recte probas; & proinde ſaltem quoad ſecundum Tomum poſteriores eſſe opere Bergomenſis, quod ego anno MDII. vel MDIII. editum affirmabam. Infers ergo, non potuiſſe Bergomenſem vices rependere Sabellico, eumve laudare propter aſſertum ab eo Monachatum ſancti Franciſci, quem adhuc non prodiderat, ſed producturus erat anno poſt editionem Bergomenſis ſequenti, ſed aliunde vel ob aliam cauſam digno cohoneſtaſſe elogio.

II. Diligentiam laudo tuam in perſcrutando tempore, quo Sabellicus ſuam clauſit Rapſodiam, & probo: ſed inanem in hac re operam te poſuiſſe exiſtimo. Ego ſatis ſuperque probatum putavi, totum hoc Sabellici opus præceſſiſſe ultimum illud auctarium Bergomenſis, dum illud ipſum a Sabellico plurimis voluminibus ſcriptum enarrat Bergomenſis, divinumque opus, & omni admiratione dignum pronunciat. Non ergo unum volumen, ſed plura, neque primum dumtaxat Tomum, ſed & ſecundum etiam perſpexerat, idque facile potuiſſe manifeſtum eſt. Uterque erat ſtatus Veneti, in eademque Venetiarum urbe concurrerunt, ediditque, uti tu aſſeris, Sabellicus volumen ſecundum anno MDIV. ſuumque ſupplementum ſupplementi Bergomenſis anno MDVI., uti expreſſe habetur his verbis ad operis calcem. *Explicit ſupplementum ſupplementi Chronicarum, diligenter & accurate reviſum, atque correctum, Venetiis impreſſum opera & impenſa Georgii de Ruſconibus, anno a nativitate Chriſti* MDVI. *die* IV. *Maii, regnante Leonardo Loredano Venetiarum Principe.* Quod autem dicis num. 741. me aſſeruiſſe hoc opus editum fuiſſe anno MDII. aut MDIII. neſcio unde illud deſumpſeris. Dixi Bergomenſem uſque ad illum annum deduxiſſe ſuam hiſtoriam, quod in ipſa licet aſpicere. Eam ipſe his concluſit. *Iterato perfectum hoc opus, imo caſtigatius repercuſſum per me fuit* IX. *Kalendas Aprilis anno a Natali Chriſtiano tertio ſupra milleſimum quingenteſimum, in conventu noſtro ſancti Auguſtini Bergomi, mihi vero a nativitate ſexageſimo nono.* Subjecit deinde anno MDV. epiſtolam ad Aloyſium Taſſum Epiſcopum Parentinum, Cardinalis Antonioti, cui opus dedicaverat, alumnum & familiarem. Deinde anno ſequenti MDVI. fuit opus impreſſum. Vide, quæſo, an Bergomenſis potuerit videre totum opus Enneadum Sabellici anno MDIV. editum, vel etiam ante editionem apud ipſum Auctorem conſpicere, & perfunctorie percurrere, vel per litteras moneri de operis progreſſu, & aſſerto Monachatu ſancti Franciſci. Illud tamdem liquet, quod ego conabar oſtendere, in adſtruendo hoc Monachatu Bergomenſem facem prætuliſſe.

§.VI. Quid

Digitized by Google

§. VI.

Quid de Polydoro Vergilio.

I. UTi ægre tulit Marquez Sabellicum dici Bergomenſi poſteriorem, illumque ab iſto hanc accepiſſe opinionem Monachatus, ita voluit Polydorum non a Bergomenſi, ſed a Sabellico, ut qui prius ſcripſerat, eamdem mutuaſſe. Huc tendit diſcurſus diſſertatoris, hoc lectori conatur perſuadere. Id ego intellexi, id ſcripſi, produxiſſe ſcilicet Marquez alium teſtem, Polydorum Vergilium Bergomenſi priorem) nimirum in ſcribendo & teſtificando hoc Monachatu) ætate, vel tempore non ſeniorem, ſed æqualem; etſi videantur Paulus Jovius, & Jacobus Gualterius aliquanto anteriorem Bergomenſi conſtituiſſe. His verbis declaravi mentem Marquez, ſed tibi non videor aſſecutus, etſi adhuc me putem attigiſſe. Qui totus in eo erat, ut probaret neque Sabellicum, neque Polydorum ex Bergomenſi rem hanc accepiſſe, priores & anteriores ſaltem in ſcribendo contendebat. Quantumvis ex illius ſententia fuerint Polydorus & Bergomenſis tempore æquales, dum tamen Polydorum prius ſcripſiſſe vult, conſequenter in hac opinione teſtem vult priorem, & in aſſerendo anteriorem.

II. Quid hic tantopere tibi diſplicuit, ut me non leviter in pluribus erraſſe, & infideliter Marquez explicaſſe longa verborum ſerie diſſerueris? Tu Bergomenſem & Polydorum tempore vis æquales; tales conſtitui, ſed adjeciſſe dicis *ætate*, ut uberius convincerem Marquez, dum facile fuit oſtendere, Polydorum annis fuiſſe juniorem. Ego idem reputavi, & ætate & tempore fuiſſe æquales, atque *ætatis* nomen pro tempore ſumpſi ea ratione, qua dicimus, aliquid hac noſtra ætate, ſeu tempore contigiſſe. Hoc eſt quærere nodum in ſcirpo, & ad ſingula verba ſcabiem ſcalpere, & ad jurgia provocare. Iſta deſpicio, licet ea tu tantopere cures, ut minimum cures tui Magiſtri errores prodere, dum me in aliquo errorculo liceat ſuggillare. Cape hic exemplum. Refero Marquez citaſſe hunc, de quo agimus Polydorum l. 7. de Inventoribus rerum c. 4. & tu ſtatim carpis, notaſque non citaſſe hic Marquez caput 4. ſed 14. Verum eſt, idque ego tacui, judicans potius errorem eſſe, ſive amanuenſis, ſive Typographi, quam tui Magiſtri, quem adeo deſipuiſſe non ſuſpicor, ut neſciret in lib. 7. Polydori pauciora eſſe capita, quam quod ille poſſit citare quartumdecimum; totum enim illum librum Polydorus octo capitibus abſolvit. Ego errorem occulueram & obtexeram, tu prodis & detegis; atque ut aliquis meus vel etiam in citando appareat, inſcitiam tui prodis Magiſtri. Ego bene Polydorum citavi, ſciant tamen omnes Marquez male citaſſe, ut & ego nota aliqua laborem, dum malam citationem male non recitavi. Toto hoc tuo labore id non es aſſecutus, ut Bergomenſis cadat primatu, ille prior eſt Sabellico, & Vergilio in hac aſſertione, & Polydorus ab ipſo, Sabellicus ab iſto, vel a Bergomenſi eamdem derivavit.

§. VII.

De Jacobo Philippo Bergomenſi judicium.

I. HIc paulo amplius immorandum, & confirmandus in prioratu Bergomenſis, qui omnem huic controverſiæ anſam miniſtravit. Henricum, Jordanum, Coriolanum, quos priores voluiſti, poſteriores ut

Digitized by Google

ut eſſent, effeci. Hunc poſtremum aliud egiſse, alios duos de hoc non egiſse monſtravi. Præceſserunt illi quidem Bergomenſem, non opinione, ſed tempore: ille opinione præivit, tempore ſubſecutus. Ut in hac re ſententiam dixit, non defuerunt qui rem novam vetuſtam facerent, adſcitis & protractis in teſtimonium priſcis Auctoribus. Sed dum alienum advehitur, & ſpurium affigitur, vitium in ipſo ſe prodit contextu; nec enim bene cohærent propria & adulterina. Genuinus hic partus ſolius fuit Bergomenſis, Henrico & Jordano plane adventitius. Abunde ita me docuiſse putavi, tum æqualium Auctorum Mariani Florentini, & Ludovici Pruteni teſtimoniis; tum ingenti pondere rationum. Hæc tu flocci pendis, & injurioſam cenſes Mariani, aut appendiciarii narrationem; minuſque ſuccenſes ad mitiorem Ludovici Pruteni cenſuram. Ille plane aſseruit, Bergomenſem hæc primum excogitaſse, & chirographum obtruſiſse: iſte Bergomenſem veluti primum aggreſsus eſt aſsertorem, & circa chirographum putat ab aliis eluſum. Hoc tibi magis placet, & ſi cupis, mihi magis placebit; neque enim valde curo an ille fefellerit, ſive ipſe falſus ſit: ſolum id mihi curæ, falſum inanis opinionis evertere fundamentum, quod nec Auctor aſpexit, nec prodit a quibus accepit. Per tres ferme annorum centurias omnino delituit, nec fuit qui luce donaret; & qui primus producit, aliquando viſum enarrat.

II. Valde doles confictæ, ſive adinventæ inſimulari Bergomenſem aſſertionis, & calumniam putas aſſerere eum voluiſſe *cucullam cucullæ, moderatorem moderatori, & diſcipulatum ſancti Franciſci magiſterio opponere Bonaventuræ*. Ne impune dixerit Bernardinus Tomitanus, ſanctum Bonaventuram veſtis formam Auguſtinianis præſcripſiſſe, prodiiſſe dicitur Bergomenſis, qui Monachatum ſancti Franciſci adſtruat Auguſtinianum. Sed ſi hæc fers impatienter, ut quid in idem cum tuo magiſtro crimen incidiſti? Propterea aſſeritis, R. P. Antonium Daza adinveniſſe præſidentiam ſancti Bonaventuræ in Capitulo generali Auguſtiniano, traditamque ab eo formam habitus, & normam vivendi, quia legerat apud Hieronymum Romanum hunc diſcipulatum ſancti Franciſci *ut injuriæ*, inquit Marquez, *injuriam rependeret, hanc adinvenit, fabulamque retexuit*. Nonne hoc idem crimen, quod tu in me condemnas? Ego retuli quod Auctor Appendicis Bergomenſis coævus enarravit. Marquez nullum habuit ſuæ increpationis ducem, habuit tamen Daza ſuæ aſſertionis. Volaterranus præivit, ſequutus eſt Daza. In quo peccavit? in eo fortaſſe, quod rei pondus non libraverit, & veritatem diligentius non indagarit? Non tamen ille fabulam adinvenit, neque primus injuriam advexit. Quod ego etiam Bergomenſi objeci, fuit qui prædoceret; eumque tamquam unicum ſub illud tempus Monachatus auctorem Ludovicus Prutenus ſuſcepit refellendum. Eodem tempore floruerunt, eodem ſcripſerunt, & quod ille paulo ante recudit, hic tamquam novum quid & ab unica prodiens Bergomenſis officina ſolerter impugnavit. Neque tamen Bergomenſis in poſtrema ſua editione, aut additione ſupplementi, hac ſe novitate purgavit, aut in alium ſe priorem ſententiam rejecit. Pruteni opus editum eſt anno MCCCCXCVIII. Bergomenſis ſuum opus correxit & auxit anno MDIII. & luce donavit anno MDVI. nec tamen in ſui defenſionem, aut in admirandæ aſſertionis confirmationem alios teſtes, ſeu priores Auctores adduxit.

Marq. c. 1. Herr. reſp. 5. n. 804.

III. Dicis num. 761. hominem fuiſſe veridicum, & ſi quæ deprehendit ſe minus vere, aut recte in prima editione ſcripſiſſe, in poſtrema correxiſſe, uti exemplo eſt, quod ſe retractavit in iis, quæ dixit circa originem Canonicorum regularium ſancti Auguſtini. Illud mihi retractationis loco eſt, quod in aliis editionibus deeſt, & in poſtrema ad annum

Digitized by Google

num MCCIX. adjunxit. *Teneat*, inquit, *unuſquiſque in hoc, quod ſibi placuerit*, (*nam & ipſe me vera dixiſſe in hoc exiſtimo*) *cum non ſit de articulis fidei*. Neque enim facile crediderim, eum in poſtrema editione, & ultima ſenectute liberam facturum optionem, quam vellet in hac re ſententiam ſequendi, ſi ipſe in illa perſiſteret, Franciſcum Monachum fuiſse Auguſtinianum, idque comprobari chirographo authentico Tabellarii. Quod authentico Tabellarii teſtimonio comprobatur legaliter certum eſt; qua de cauſa ipſe dixit anno MCXCIX. id conſtare, & veriſſimo comprobari teſtimonio. Olim Senatus Romanus cenſuit monumenta publica teſtibus eſse potiora. Unde ergo motus Bergomenſis, ut diceret: *Teneat unuſquiſque in hoc, quod ſibi placuerit*? Inde tu dicis reſp. I. num. II. quia ſuam ſententiam non credebat eſse certam; quare non putabat certum, quod certiſſimo probabatur fundamento? Quid ſi ſtimulante fortaſſis ex una parte conſcientia, ex altera retardante erubeſcentia, quæ alias dixit, noluit palam retractare, ſed ſuſpenſum dimiſit auctorem? Vel forte ſuaviori excuſandus eſt modo, dicendo, illum non adeo facile crediciſse rem, quæ ipſa novitate aliis, ut ipſe ait, *execranda* poterat apparere, illuſumque ab iis, qui retulerunt, extitiſse aliquando illud chirographum, dubia fide fluctuaſse. Totum ſui aſserti fundamentum illud unum eſt chirographum, quod nec ipſe vidit, nec coævi conſpexerunt, ſed aliquando viſum eſse alii fortaſſis minus vere dixerunt, & incautum deceperunt. *Marcel. l. 2. hiſt.*

IV. Quod ita judicavit Ludovicus Prutenus, commendas, & laudas num. 762. virumque vocas modeſtum & prudentem; quia potius credidit, Bergomenſem ex relatu aliorum deceptum, quam ex propria perverſitate decepiſſe. Id ego etiam laudo; & ſi hac confeſſione tibi ſufficienter ſatisfactum iri admittas, in ejus abibo ſententiam. Sed vide ne dum unum excuſas Confodalem, plures condemnes. Quod enim uni vitio vertitur in plures refunditur; & dum unum fefelliſſe negamus, plures admittimus deceptores. Id tu ſcilicet parvipendes, qui ſalvam vis veritatem, & ſartam tectamque Bergomenſis æſtimationem. Eodem etiam veritatis & integritatis intuitu num. 803. condemnas alios poſteriores, domeſticos & externos, qui ſcripſerunt, Bergomenſem dixiſſe ſe chirographum illud vidiſſe. *Certiſſimum*, dicis, *non vidiſſe*; idque tantum noviſſe ex relatione aliorum. At unde mihi dabis hos infideliores fuiſſe in aſſerendo Bergomenſem illud chirographum vidiſſe, quam illos in affirmando aliquando extitiſſe? Similium ſimilis eſt conditio; quid ſi omnes arrectis auribus facile exceperunt, quod avide cupierunt, & amplius audierunt, quam factum ſit? Sonore quibuſdam tinniunt aures, & alii prurientes auribus a veritate quidem auditum avertunt, ad fabulas autem convertuntur. Cervi cum aures arrigunt, acerrimi ſunt auditus; cum remittunt, obtuſi. Plurimi ita ſunt: quod placet, id procul etiam percipiunt: ſi quid ſecus, quantumvis clames, non intelligunt. Debuiſſet ſane Bergomenſis plus inhærere Bonaventuræ (quem ipſe hoc loco vocat doctiſſimum, refertque in ſcribenda vita ſancti Franciſci omnimodam adhibuiſſe inveſtigationem, & inquiſitionem, quem etiam, fatetur, nullam de hoc Monachatu feciſse mentionem) quam incerto aliorum rumori.

Non laudandus eſt, qui plus credit, quæ audit, quam quæ videt. *Plaut. in Trucul.*

Recte ille interrogatus quantum veritas diſtaret a mendacio? reſpondit: quantum oculi diſtant ab auribus. Proinde *auris bona diligenter diſcernit audita*. *Thales apud Max. ſer. 35.* *Bern. epiſt. 137.*

V. Circa editiones varias operum Bergomenſis ſæpiſſime me taxas, præ-

præſertim n. 753. quod inſinuaverim, primam prodiiſse anno MCCCCXC. & tu factam tradis anno MCCCCLXXXVI. Neſcio profecto ubi illud innuerim: loco enim a te citato dixi, ante illum tuum annum, Bergomenſem ſemel & iterum opus ſuum terminaſse, & tum tertio perfeciſse, idque impreſsum fuiſse Venetiis anno MCCCCXC. Non negavi, imo inſinuavi primas impreſſiones: certe te in prima, quam prætendis, impreſſione lapſum probat alia facta Bergomi III. Kalendas Julii anno MCCCCLXXXIII. anno Auctoris quadrageſimo nono.

VI. Quod autem Auctorem carminum a Bergomenſi relatorum, quibus volebat tres reliquos Ordines Mendicantium ab Auguſtiniano prodiiſſe, & Carmelitas ſub Auguſtini Regula militare, inde num. 774. excuſes, quod cum aliis erraverit, neque ſolus ita ſenſerit, iſtud mitigatio eſt erroris, non plena defenſio. Plures tutius peccant, tamen peccant; errorem diffundunt, non tollunt. Audacius in ſocietate malum committetur, ſed committitur. Errarunt illi, & cum illis Bergomenſis. Bonus hiſtoricus non quot, ſed quales, & quid ſcribunt, diligenter advertit.

ſ. VIII.

Breviter expenduntur reliqui Auctores Auguſtiniani.

I. POtiſſima teſtium pars ex Patribus conſtat Auguſtinianis, quorum fides in cauſa propria, abſque ulla injuria, dicetur claudicare. *Etenim in jure civili domeſtici teſtimonii fides improbatur*; imo & in jure naturali notat gloſsa repellendam. Etſi vero num. 809. ab hac lege excipias caſum, in quo illud, de quo agitur, alias conſtare non poſſit; vel per domeſticos melius poſſit, adhuc tuorum fidem in hac cauſa dico ſublеſtam. Etenim & hoc, de quo dubitatur, omnino ſciri potuit, & debuit melius per Franciſci ſocios, quam per tuos, quos producis, teſtes, qui neque rei geſtæ interfuerunt, neque a quibus rem ante plures annos tranſactam exceperant, enarrarunt. Bene dicis ex cap. *Super prudentia* 14. quæſt. 2. *In cauſis poſſeſſionum, vel hujuſmodi negotiis eos potiſſimum aſſumi debere, qui eadem negotia tractaverunt, de quorum auditu & viſu hæſitatio eſſe non poſſit*. Da mihi tales, & admittam; profers tempore poſteriores, qui videre non poterant, & de quorum auditu hæſitandum ſit; imo qui nec ſe audiiſse teſtantur. Ego tibi produco ipſos Franciſci diſcipulos, & ſocios, qui omnem vitæ rationem optime norant, præcipuas vitæ periodos adnotarunt, ſingulas actiones ſcitu dignas, & ſtatuum mutationes ad poſteros tranſmiſerunt, nec quidquam de hac protulerunt.

l. Etiam l. de Teſt.

II. Eamdem militare dices rationem contra noſtros etiam Auctores, aſserentes vobis præſediſse D. Bonaventuram, veſtem, ſtatumque ſtabiliiſse. Ita plane mihi ſemper viſum, & in limine Apologetici inſinuavi. Eamdem fidem veſtri, noſtrique merentur: utrumque aſsertum eodem vitio laborat. Tam certam puto noſtram Præſidentiam, quam verum veſtrum Monachatum. Juvit, fovit, defendit Ordines Mendicantes in Concilio Lugdunenſi Bonaventura, ut ipſe num. 772. ex probatis narras Auctoribus. Quid ſi tuum paulo antea ex variis Congregationibus collectum, nec toto forte ſuo pondere firmatum, neque perfecta unitate concordem ſuo conſilio direxerit, vel auctoritate ſolidaverit, vel ſanctitate perſuaſerit approbari? Hæc obſequia in veſtrum Sodalitium fortaſſis præſtita eo in Concilio, cui præſediſse Bonaventuram communiter affimatur, huic aſsertioni de Præſidentia ſanctiſſimi Viri, de fun-

fundata, & ſtabilita veſtra Religione, habituque præſcripto, cauſam potuerunt miniſtrare, uti ipſe tuus Magiſter non improbabiliter ſuſpicatur. *Marq. c. 5. §. 11* Aliquid hujuſmodi e roſtris protulit Bernardinus Feltrenſis, id male habuit Bergomenſem auditorem, & ne admitteret, Bonaventuram habitum dediſse, placuit ei teſtimonium Vincentii Belluacenſis delati per biennium a Franciſco habitus Eremitani. Sed ne nimia latitudo veſtis Eremiticæ, Anachoretis, ſolivagis, & cœnobitis æqualis, parum probaſse videretur, uti ipſe eodem loco prævidit, arctiori utendum erat probatione chirographi, quo & Joannis Boni diſcipulus diceretur Franciſcus, & veſtis Auguſtiniana. Hoc argumentandi genere tantum aberat, ut Bonaventura Auguſtinianis veſtem dederit, ut potius ejus Inſtitutor ab eiſdem acceperit.

III. Hæc ſunt illa exordia contentionum, hæc initia fabularum: his gradibus hæc crevit. Ut approbaretur in prædicto Concilio Ordo Eremiticus, Præſidis, ſive Legati auctoritate forte prævaluit Bonaventura: hinc inſipienter dictum ab eo initium, ſtatum, aut habitum accepiſſe. Ut nova & ingrata refelleretur aſſertio, apparenti veſtis Eremiticæ argumento, & chirographo Mantuano uſus eſt Bergomenſis, ita ut veſtem veſti, moderatorem moderatori oppoſuerit. Integro jam elapſo ſeculo Bergomenſi ampliſſime adſtipulatus eſt Hieronymus Romanus veſter Eremita, haud uno in loco multis pro Monachatu Franciſci congeſtis. Occurrit Antonius Daza, & Franciſci diſcipulum Bonaventuram, veſtrum retulit Inſtitutorem, multaque addidit, quæ conſultius ſileret. Tota hæc tædioſa & inutilis controverſia iis dumtaxat ſtruitur fundamentis, quæ commotarum mentium dictavit ægritudo, aut æmula ſuggeſſit contentio. Deliniendi jam tamdem animi, utrimque demum paſſio mitiganda, detectiſque poſt longas concertationes inanibus fabularum fundamentis, ſincere confitendum, neque Bonaventuram Auguſtinianis habitum dediſſe, neque Franciſcum ab eiſdem accepiſſe. Miſſas itaque faciat has fabulas, & mendaces picturas utrumque Sodalitium.

IV. Romanum quædam minus vere in rem hanc congeſſiſſe ipſe num. 818. fateris, & certe rem controverſam argumentis abſque controverſia falſis comprobavit. *De Hieronymo Romano.* Dixerunt alii, Franciſcum Cæſenæ initiatum, ille ibi ultra biennium hæſiſse adjunxit, quo tamen tempore Aſſiſii Eccleſias tres conſecutive, non ſimultaneo opere, emendicato ſumptu, inſtauraſſe, omnes narrant vitæ Scriptores. Neque illud valet effugium, ut dicatur, Cæſenæ manſiſse, etſi Aſſiſii fabricarit; quantumvis enim ex Prælati, ut excogitas, abfuerit licentia, vere toto illo tempore abfuit, neque quiſquam proprie dicet tunc Cæſenæ conſtitiſse. Secundo, dixit, contra eorumdem Scriptorum, baculum ſemper retinuiſse. Tertio, eamdem aſserit fuiſse Congregationem Pœnitentiæ Jeſu Chriſti cum illa, quæ dicebatur Joannis Boni. Sed illa ſemper remanſit ſeparata, iſta autem in unione comprehenſa. Ita ipſe cum tuo probas Magiſtro, etſi errori Romani quædam adinvenias effugia, & comites velis adſciſcere. Quarto, ſcribit, Minores ex præcepto Honorii fuiſse vocatos *Fratres de Pœnitentia Jeſu Chriſti*, ut ſcilicet facilius diceretur Franciſcus Joannis Boni, prædictæ Congregationis Inſtitutoris, diſcipulus. Etſi vero tu contendis, aliquando appellatos Minores *viros pœnitentiales*, & *Fratres de pœnitentia*, eiſque dediſse Innocentium III. de prædicanda pœnitentia mandatum, numquam tamen hoc nomine audierunt *Pœnitentiæ Jeſu Chriſti*, illi Congregationi proprio & peculiari. Id Hieronymus Zurita, vel alius quiſpiam dixerit, errore præivit. Quinto refert, Bergomenſem vidiſse chirographum illud profeſſionis ſancti Franciſci apud quemdam Notarium publicum Mantuanum, in quo erraſse conſentis

tis num.803. fateriſque, Bergomenſem tantum aſseruiſse illud aliquando viſum inter antiquiſſimas Monaſterii ſcripturas.

De Ægidio viterbienſi.

V. Ægidius Cardinalis Viterbienſis ea etiam addidit, quæ neque ab ullo accepit, neque ullus admittet. Primus & ſolus dixit Joannem Bonum eremum Brictinenſem incoluiſse. Et licet tu num. 839. interpreteris Cæſenæ permanenter, & longo tempore, ac Brictinis per modum tranſeuntis & parvo tempore habitaſse: ſenſum hunc ipſius verba non admittunt. Manifeſto namque errore, ut ipſe num.842. adnotaſti, confudit Congregationem Joan-Bonitarum cum Brictinenſi, aſseritque uti Fratres, ſeu diſcipuli ab Inſtitutore Joanne Bono Joan-Bonitæ, ita a loco incolatus nominati ſunt Brictinenſes: colorem veſtis, ex quo orta inter utrumque Ordinem controverſia, Brictinum dixit vocari ab illo Brictinenſi loco, quem Joannes (inquit) incoluerat; nimirum quia locum hunc judicavit ſemper incoluiſse, ejuſque Congregationem inde exordium ſumpſiſse. Atque ita intelligendum docuit Marquez, ipſeque prorſus intellexit, dum ex ejus teſtimonio & verbis deducit, eum voluiſse, ut in Conventu Brictinenſi Joannes Bonus habitum Brictinum ſuſceperit, & ſancto Franciſco dederit: *diziendo* (inquit) *que el color del habito Franciſcano haſta el dia de oy ſe llama en Italia* Beretino *por el Convento de* Brictinis, *en que le veſtio S. Juan Bueno, y de quien le tomo S. Franciſco*. Brictinenſes autem non fuerunt Auguſtiniani ante annum MCCXXVIII. quo a Gregorio abſoluti fuerunt ab obſervantia Ordinis non approbati, & Regulam ſancti Auguſtini conceſſit obſervandam. Anno præcedenti MCCXXVII. ad eos Diploma direxit, a tuo Empolo ex autographo tranſcriptum, & neque in ſuperſcriptione, neque in Bullæ contextu ullius Religionis, aut Regulæ profeſsores nominavit; quod tamen fit in Bullis ad Religiones, ſub Regulis approbatis viventes, tranſmiſſis. Exordium etiam hujus Congregationis poſterius fuit illa Joannis Boni; quippe ex illa, aut ex diſcipulis ſancti Viri acceptum. Tu hic, uti alibi paſſim, omnia ad tuum placitum miris componis conjecturis.

Marq. c.21.§.5.

VI. Præterea, dicit Viterbienſis, ſe habere auctores, qui ſcribant, ſanctum Franciſcum habitum induiſse, baculum geſtaſse, Eremitam egiſſe, ligneis calceis uſum eſse. Cetera teſtatos aliquos Auctores non inficior, at qui ligneis calceis, aut calepodiis uſum dicat Franciſcum, nullum inveniet: uti nullas etiam dabit Bullas Pontificias, in quibus Pontifex jubeat, quod ille affirmet juſſiſse, ſcilicet: *Eremitarum veſtitum in atrum declinare, Minorum vero in ſubalbidum: dat præterea illis calceos, his adimit: illos zona, hos fune cingi jubet*. Vere Gregorius & Alexander Auguſtinianis habitum, calceos, zonam præſcribunt, ſed de ſubalbida veſte Minorum, de mittendis calceis, aut cingendo fune, ne verbum quidem dixerunt.

De Critana, & Cruſenio.

VII. De Critana non eſt cur quidquam adjiciam; quippe turpiſſime in pleriſque erraſse ipſe fateris, talemque dicis auctorem, qualem non fuiſse in tuo Sodalitio malles, eumque, uti refers, veſter Provinciæ Caſtellæ Primicerius juſſit obtenebrari. Nicolaum Cruſenium in multis ipſe paſſim improbas, & quæ ego in hac re objeci, recte dicis objecta. His claudo claſsem Auguſtinianorum.

Reſp.3. n.83. & reſponſ.5. 845.

De Sampſone Hajo.

VIII. Supereſt, unus a te productus, Sampſon Hajus, etſi Auguſtinianus, Guillelmita tamen, vobis totus adverſus. Hæc ex illo num.758. tranſcribis. *Et D. Franciſcum Aſſiſiatem, Minoritani Inſtituti auctorem, cum Auguſtinianis aliquando vixiſſe, imo & ab Joanne Bono habitum ſuſcepiſſe, atque eo Antiſtite ſacra vota juraſſe, in Chronico Martiniano teſtatum habeo*. Quæ ſequuntur cur omiſeris neſcio: integrum exhibeo teſtimo-

Hujus de verit. vita & Ord. S. Guil. pag.21.

Digitized by Google

monium; hæc conjunguntur: *Quod & ab ipſo Bono memoriæ proditum audio (nec dum enim copiam ejus habere mihi licuit) nemo tamen, ut arbitror, eum Auguſtiniani Ordinis eſſe affirmaverit, niſi qui omnes Franciſcanos ſibi infenſos optaverit*. Etſi tuus Magiſter hæc protulerit verba, judicavit tamen non ſibi ſuffragari, dixitque, ſe auctorem hunc nolle inter ſuæ opinionis aſsertores, quos undique colligebat, recenſere. Tu etiam dicis, teſtimonium hoc te omittere, quia quod ſit hoc Chronicum Martinianum, & quam antiquum ſit, ignoras, nec eo proinde velle te uti ad probandum alios præceſſiſse Bergomenſem in aſserendo hoc Monachatu. Mirum eſt, quale hoc ſit Chronicon, te neſcire, qui illud te vidiſse alibi aſseris, multoſque congeſſiſse errores teſtaris. Nonne præ manibus habebas in noſtra Bibliotheca, in qua repetitis vicibus per menſes integros, noctes, atque dies ſedulo ſtudebas, omneſque codices, & codicum repertorium Indicem diligentiſſime revolvebas? Inter reliquos & hoc proſtabat Martini Poloni Archiepiſcopi Coſentini Chronicon, non tam hiſtoriæ dignitate, quam impudenti illo mendacio Papiſsæ Joannæ ubique notiſſimum. Hoc etſi volveres, & revolveres, neque verbum quidem, aut umbram invenires hujus Auguſtiniani Monachatus; etſi de ſancto Auguſtino agat, & tribus, vel quatuor locis, de ſancto Franciſco ſermonem inſtituat. Edidit hunc librum Suffridus Petrus Leovardienſis in officina Plantiniana anno MDLXXIV. & notas adjunxit, præfaturque in MSS. Codicibus tantam fuiſse varietatem, ut difficulter definiri potuerit quid Martinus ipſe ſcripſerit. Plures etiam ego vidi mire diſcrepantes. Quid ſi Hajus aliquem inciderit, cui adulterinus hic intruderetur Monachatus? Quem tamen uti ſpurium reputavit; quippe neque ex illo, neque ex ſcripto, aut memoriali Joannis Boni, quod referebatur, aſserendum judicavit hunc Franciſci ſub Joanne Bono diſcipulatum. Imo hæc adduxit in confirmationem eorum, quæ probabat, non adſcribendum ſcilicet beatum Guillelmum Aquitanum ſuum Inſtitutorem Ordini Eremitarum ſancti Auguſtini, quia aliquando convixit, aut cum eis, aut in eorum Monaſteriis familiariter converſatus fuiſse diceretur, niſi velis, inquit, etiam aliorum Ordinum ſectatorem dicere, quia cum diverſis frequenter egit religioſis; atque ita inquit: *Etſi cum Eremitis D. Patris Auguſtini ad tempus poſtea commoratus eſt, nullo tamen argumento cum illis ſenſiſſe, ejuſdem habitus, ejuſdem Ordinis convinces. Nam & hodie Monachi cum Monachis, Cluniacenſes cum Ciſtercienſibus, Franciſcani cum Dominicanis, alii cum aliis converſantur, & pares cum paribus, communi proverbio, facillime congregantur; nec tamen alii veſtem, vel Ordinem aliorum induunt*, ut uva

——Conſpecta livorem ducit ab uva.

Si ſingulorum, quibuſcum verſatus eſt, Ordinem profeſſus fuiſſet, vel toties veſtem mutaſſet, quoties hujus, aut illius hoſpitio, vel familiaritate uſus eſt, (nam præter Auguſtinianos, ut jam dictum eſt, & alios ſui obſervantiſſimos habuit) quis non merito eum rideret tamquam polypum, aut Proteum ſe in varias formas pro tempore mutantem? Et ſtatim ſubjungit exemplum de Divo Franciſco, quem non adeo facile licere Auguſtinianum aſſerere putat, quamvis Chronicon illud Martinianum, aut prætenſa ſcriptura, ita voluerit teſtatum.

Marq. c.21. §.1.

Reſp.1. n.32.

Digitized by Google

§. IX.

Exteri diſcutiuntur Auctores.

De Morigia. I. PRimi ducunt hanc aciem Sabellicus & Vergilius, de quibus jam actum eſt: ſequitur Paulus Morigia duobus innixus Auctoribus, quorum utrumque corrumpit. Vincentium Belluacenſem, quem male citaſſe notavi, refert ſcripſiſſe, ſanctum Franciſcum ab initio fuiſſe Ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini. Bergomenſem item aſſerit, affirmaſſe, ſe vidiſſe quaſdam ſcripturas de profeſſione ſancti Franciſci emiſſa in manibus Joannis Boni, & habitu prædicto ſancti Auguſtini. Sed neque Belluacenſis verbum eo loco habet de Religione Eremitarum ſancti Auguſtini, neque Bergomenſis dicit, ſe vidiſſe illas ſcripturas, ſed tantum aliquando extitiſſe. Alibi etiam dicit, ſanctum Franciſcum in Cœnobio Ilicetano Eremitarum ſancti Auguſtini aliquoto tempore habitaſſe, in hoc, uti exiſtimo, ſequutus Ægidium Viterbienſem, quem tu refers num. 868. dixiſſe in epiſtola ad Patres ſuos conſodales Ilicetanos. *Scriptum reliquere etiam D. Franciſcum moram traxiſſe, ac cum veſtris ſub veſtrarum arborum umbra diu commoratum.*

Morig. de relig. cap. 22.

Ibid. cap. 53.

II. Incolatum hunc Ilicetanum cum tuis Eremitis Conſodalibus ſufficienter refelli exiſtimem per ea, quæ dixi de tempore conceſsæ Regulæ Auguſtinianæ illius Cœnobii Eremitis, eamque recepiſse non niſi poſt obitum ſancti Franciſci. Quæ vero Morigia circa Monachatum utrique ſuæ aſsertionis Auctori Belluacenſi & Bergomenſi adſuerat, illius fidem protinus infirmant. Qui enim aliorum inquinaverat teſtimonia, proculdubio ſuis verbis fidem detraxit. Ut quid ego credam poſteriori priorem ſecuto, qui neque prioris verba mihi integra fide recenſet? Qui ab aliis quidquam accipiunt, debent bona fide narrare, iiſdem ipſorum verbis quoad liceat, recitare. Non utique requiro Scriptores adeo ſuperſtitioſos, ut non aliis, atque aliis verbis rem eamdem liceat efferre, illuſtrare, amplificare, ut tamen fiat ſalva, & integra rerum veritate contendo. Novi quidem olim non temere laudatos Romanorum Legatos, quod Tarentinis legationem, quibus acceperant, verbis peregerint. Certe in recitatione alieni teſtimonii bonæ fidei eſſe debemus, neque quidquam ſive noſtris, ſive alienis verbis rebus ipſis addere, vel adimere.

Sect. 8. §. 1. n. 14.

Liv. lib. 25.

De Illeſcas. III. Gondiſalvum de Illeſcas, & Alphonſum de Villegas Hiſpanos, materni idiomatis ſcriptores, etiam res clariſſimas nec vulgari trutina libraſſe aperte probant, quæ produxi figmenta. Ea ipſe num. 877. condemnas, & veritate deſtitui, quæ contra Illeſcas produxi, ultro confirmas. Excuſas tamen quod in his cum aliis erraverit, errorumque productis ſociis n. 879. ſubjungis. *Quid ergo mirum, quod ubi tot Auctores decepti ſunt, Illeſcas erraverit?* Nihil mirum, quod is qui perfecti hiſtorici partes non expleverit, neque debitam in veritate perſcrutanda diligentiam poſuerit, prævios ſequatur errantes. At illud mihi mirum, quod hiſtoriam Pontificiam, omnium graviſſimam, ſpecioſo nomine ſcribere aggreſſus, tam brevi narrationis intervallo in tot labatur errores. Illud etiam magis mirum, quod in tot rebus, ſcitu obviis, circa unum Franciſcum ita cæcutienti, velis me clauſis oculis in re obſuriſſima, & maxime ſuſpecta fidem præſtare. In reliquis erravit, circa rem hanc omnino aſſecutus eſt veritatem? Diligentius fortaſſis iſtam, quam reliquas examinavit, vel an ea maniſeſtior erat, quam ut ille potuerit errare? Tot errores conſtipanti non adeo fido, quin iſtum etiam conglomeret. Uti non laudo nimis moroſos, importunos, & intemperantes cenſores, qui ſtatim

tim atque quippe falſi in aliquo ſcriptore notare poſſunt, totum opus ſuperbe ac faſtidioſe abjiciunt, vel contumelioſe lacerant; ita prorſus condemno molles quoſdam lectores, quibus fatua quædam, temerariaque ineſt credulitas, atque ſæpe errantes cœco greſſu ſequuntur Auctores.

IV. Villegas in veſtra acie conſtitutus in adverſam tranſilivit: etſi enim quoad habitum vobiſcum abunde conſpiraverit quoad profeſſionem aperte diſſenſit. *Habitum*, inquit, *per aliquot dies geſtavit, etſi profeſſionem non emiſerit*. Qui pro vobis incœpit, contra vos teſtimonium abſolvit. Voluit utrinque placere, vobis quoad habitum, nobis quoad profeſſionem conſenſit. Parum ei viſum eſt, habitum concedere, dummodo profeſſionem denegaret. Vidit graves & probatos Auctores dixiſſe habitum geſtaſſe Eremiticum, & quam illi lato ſignificarunt nomine, ille ad Auguſtinianum reſtrinxit. Narrationem etiam ſuſceptæ veſtis ita peculiaribus notis diſtinxit, ut interfuiſſe putares; *Acceſſit*, inquit, *ad quoddam Monaſterium Auguſtinianorum, apud eos rogavit admitti, admiſerunt: habitum ille induit ſancti Auguſtini ex ſago nigro, & ex corio cingulum, & per dies aliquot geſtavit* Si unde hæc tam diſtincte norit, interrogemus, *Auctores nobis obtrudet* Antoninum, Sabellicum, Egnatium. Sed Antoninus, etſi de habitu locutus ſit Eremitico, nihil de Auguſtiniano. Sabellicus refert *quoſdam dixiſſe* Franciſcum *Aurelii Auguſtini ſacris fuiſſe initiatum*. Egnatius ait, Joannis Boni auctoritatem ſequutum, ab eo unam paupertatem amplecti edoctum. — De Villegas. — Vide Her. reſp. 5. n. 881.

V. Mirum eſt qualibus hæc opinio aucta eſt incrementis; Bonaventura, Vincentius, & alii habitu Eremitico per biennium inceſſiſſe dixerunt: Bergomenſis, relato Vincentii teſtimonio, veſtem Eremiticam fecit Auguſtinianam, magiſtrum præſcripſit Joannem Bonum, tirocinii locum Cæſenæ eremum: & ne circa hæc dubitari poſſet, tabellarii chirographum ait aliquando viſum inter antiquiſſimas Monaſterii Mantuani ſcripturas. Paulus Morigia ait, Bergomenſem affirmare ſe illud vidiſſe. Hieronymus Romanus ſcribit, Bergomenſem illud conſpexiſſe apud quemdam Notarium publicum Mantuanum. Villegas modum petiti & obtenti habitus deſcripſit. Omitto varia illa loca incolatus, petitam a Priore Bandino abeundi licentiam, umbroſam illam moram in Conventu Ilicetano, coloris beretini pulchram originem, aliaſque hujuſmodi additamenta paulo ante a nobis exploſa. Parva metu primum opinio has vires acquiſivit eundo, & per varias ætates præclaris his crevit augmentis. Atque ſane vitium hoc quidquam veterum dictis adſuendi, compingendi, affigendi, ita nunc apud recentiores inolevit, ut plerumque quo poſterior, & magis nova eſt rei antiquæ narratio, eo mendoſiorem eſſe conſpicias. Nam & ut vinum quo magis transfunditur, evaneſcit magis, tamdemque fit vappa; utque fama ipſa, quo longius progreditur, longius recedit a vero, pluſque colligit vanitatis; ſic & perſæpe hiſtoria, quæ a pluribus repetita varie jactatur, & aliis atque aliis verbis recitata ſpargitur, tamdem contaminatur, & in fabulam degenerat. — Qualibus hæc opinio crevit augmentis.

VI. Carolus de Tapia Juriſconſultus hoc iter ingreſſus, ducem ſibi ſtatuit Illeſcas, cujus tamen fidem in alium tranſmittit: *affirmat*, inquit, *ex Sabellico Illeſcas*. Sed & fidei hujus fundamentum neque in ipſo Sabellico ſubſiſtit, aliunde, altiuſque petendum eſt. Si ſcientiæ cauſam, vel opinionis originem a Sabellico requiramus; eam accipiemus, *ut ſcribunt quidam*: ſi iſtos *quoſdam* ulterius perſcrutemur, occurrent Polydorus fortaſſe Vergilius, qui ad alios quoſdam lectorem remittit, tamdemque deveniendum erit ad Bergomenſem, qui ad *aliquando viſum chirographum* rem omnem reducit. Ad nullum tamdem devenies, qui viderit, vel ab — De Tapia.

eo,

eo, qui interfuerit, acceperit. Hiſtoriam græce ſignificare cognitionem præſentium ex Verrio Flacco refert Aulus Gellus, eamque ſcribi debere ab iis, qui rebus gerendis interfuerint. Verum ſi ii Auctores non occurrant, qui teſtes oculati ſint, proximum eſt ut eos, qui quod ab aliis acceperunt, bona fide narrant, admittamus, præſertim ſi eis antiquitas & virtus fidem, atque auctoritatem conciliarunt. Tametſi Seneca hos, qui ſe non vidiſſe fatentur, ſed ab aliis audiiſſe affirmant, *ſecundæ notæ teſtes* appellet. Sed neque hi a Juriſconſultis omnino rejiciuntur; ad probandam enim operis facti memoriam quærendos eſſe dixerunt, qui vel viderint, vel audierint opus fieri, vel ab iis acceperint qui vidiſſent, aut audiiſſent. Hic iſtorum nihil, neque teſtes oculati, nec ſecundæ notæ teſtes, neque qui a ſpectatoribus, aut auditoribus acceperunt. Ceterum illud ſaltem noſtro Juriſconſulto curandum erat, ut & optimum, qui haberi poterat, teſtem allegaret, neque nobis rei graviſſimæ probandæ talem objiceret, qualem nec ipſe leviori convincendo crimini in ſuo foro approbaret. *Affirmat*, inquit, *ex Sabellico Illeſcas*; Illeſcas ait, *ut affirmat Sabellicus*; Sabellicus *ut ſcribunt quidam*, ita ut nihil hic præter inanes, & incompertos invenias Auctores. Hiſtoricæ artis periti eas ægerrime probant narrationes, qui nihil aliud habent, quam quod ab aliis audierunt, aut acceperunt ἐκ τῶν ἄλλων ἀκουσμάτων, ut loquitur Polybius.

Flacc. l. 4. de ſig. verborum. Gell. l. 5. c. 18. noct. Atticar.

Senec. 4. natural. cap. 3.

l. 28. ff. de Teſtib.

Polyb. l. 1. hiſt.

VII. Joannes Baptiſta Egnatius conſultius duxit nullum citare, quam tales teſtes prudentum judicio ſubjicere. Debuiſſet tamen vetuſtiſſimi facti tempore recentiori fidem quoquo modo adſtruere, nec precariam facere, dum eadem facilitate lector negabit, qua ille conſcripſit. Unde huic Auctoris antiquæ rei tam firma ſcientia? trium ſeculorum Monachatus tanta certitudo? non aliunde quidem incerti facti fallax opinio, quam ab iis Auctoribus, quos timuit adnotare. *Ideo omiſit*, inquis, num. 883. *quia forte auctores citare neceſſarium non eſſe judicavit*. Adeone ſuperfluum, ſive minus neceſſarium duxit gravis aſſerti prodere fundamentum, vel tantum ſibi tribuit auctoritatis, ut Pythagorico more ſufficeret *ipſum dixiſſe*?

ſ. X.

Æquivalentia teſtimonia expenduntur.

I. CUm relatis hucuſque Auctoribus idem ſenſiſſe, ſeu ſub æquivalenti forma verborum Monachatum hunc tradidiſſe Bonaventuram, Vincentium Belluacenſem, & Antoninum Florentinum contendebat Marquez, quia ſub habitu Eremitico, cum baculo, corrigia, & calceis inceſſiſſe ſcripſerunt. His objeci, infirmum hinc duci argumentum, tum quia ex veſte multis diverſi generis hominibus communi male inferebatur peculiaris vitæ inſtitutio; tum quia religioſam, quæ nunc obtenditur, Eremiticam veſtem Franciſco probavi poſteriorem; idque ipſum intellexiſſe Bergomenſem, qui teſtimonium Vincentii omiſit, quia licet Eremitam efformarit Franciſcum, non tamen Joannis Boni dixerat diſcipulum; & proinde ex illius verbis male probari putavit Monachatum Auguſtinianum.

De Vincentii & Antonini teſtibus.

II. Ad veſtis qualitatem & poſterioritatem te ſufficienter ſuis locis reſpondiſſe commemoras: ſed & meas ego etiam rationes objeci, tuaſque opportune refelli. Vincentii autem verba prætermiſiſſe aſſeris Bergomenſem, non quia inefficacia judicavit ad probandum Monachatum Auguſtinianum, ſed aſſerendo diſcipulatui ſub Joannne Bono Mantuano. At ego miror, ſi efficacia erant, ut probaretur, Franciſcum Monachum fuiſſe

Digitized by Google

fuiſse Auguſtinianum, cur ea omiteret? Præcipuum enim, quod ab Auguſtinianis intenditur, & expetitur, eſt ſuum dicere, & probare Franciſcum, ejuſdemque profeſſionis oſtendere, neque adeo curant Joannis Boni efformare diſcipulum, quam Fratrem probare Auguſtinianum. Hoc unum volebant, & ſummis viribus contendebant, qui aliis in locis extra Cæſenam dixerunt, Auguſtinianum ſubiiſſe Inſtitutum. Præterea facilius ad diſcipulatum Joannis Boni ſtrueretur via, ſi aliorum teſtimonio prius probaretur fuiſſe Auguſtinianum; præſertim cum ſub Regula Auguſtini profeſſionem emiſiſſe in manibus Joannis Boni illo ſuo chirographo teſtificatum diceret Bergomenſis.

III. Deinde idem erat dicere Joannis Boni diſcipulum ſub Regula ſancti Auguſtini; ac Monachum affirmare Auguſtinianum: & tamen licet ſanctus Bonaventura in vita ſancti Franciſci has exteriores veſtis Eremiticæ notas præſcripſerit, & in Franciſco admiſerit, admittit tamen Bergomenſis nullam de hujuſmodi re Bonaventuram feciſſe mentionem, *licet*, inquit, *doctiſſimus fuerit, & omnimodam adhibuerit inveſtigationem in ſanctiſſimi Viri factis inquirendis*. Objecit quidem Bergomenſis in ultima editione hoc ſibi argumentum de Bonaventuræ ſilentio circa diſcipulatum hunc & Monachatum ſancti Franciſci, quod omnino ille non concederet, ſi videret quoquo modo ſibi ſuffragari veſtem Eremiticam, quam palam Bonaventura ſcribit, Franciſcum uſque ad ſui Ordinis inſtitutionem geſtaſſe. Omiſit itaque Vincentii teſtimonium, tamquam ſuo argumento inutile, & omnino ſiluiſſe circa hæc Bonaventuram admiſit, quamvis eaſdem veſtes, quibus Vincentius Franciſcum inceſſiſſe dixerat, diſtincte recenſeat. *Berg. lib. 13. anno 1203.*

IV. Amplius objeci, in eiſdem locis, formuliſque loquendi Bonaventuræ, Vincentii, & Antonini, ultra habitum Eremiticum, corrigiam, calceos, & baculum, ex quibus Marquez Monachatum deducebat Auguſtinianum, contineri etiam peram, ſacculum, & pecuniam, & æque hæc cum præcedentibus a prædictis Auctoribus enarrari. Ut quid, interrogaveram, non æque hæc etiam inculcabat Marquez, & ſicuti illa priora, volebat cenſeri ſigna Monachatus Auguſtiniani, & proinde a prædictis Auctoribus minutim relata: non utique & iſta poſteriora, prioribus eodem orationis contextu intermixta ſigna, notaſque dicere placebat, eademque cauſa ab iiſdem Scriptoribus adnotata.

V. Reſpondes num.888. ea minus inculcaſſe Marquez, quia non attinebant ad cauſam neque ſuſpicari potuit a quopiam de his interrogandum. Neſcio unde hæc a cauſa hac noſtra velis ablegare. Si, quos adhibui, Auctores referunt duplicia veſtimenta depoſuiſſe, ſolviſſe calceamenta de pedibus, baculum dimiſiſſe, peram, & ſacculum rejeciſſe, pecuniamque execratum, rejecta corrigia, funem pro cingulo ſumpſiſſe, quare veſtis, cingulum, calcei, & baculus, ad cauſam ſpectabunt, & reliqua non attinebunt? Omnia hæc æquo orationis diſcurſu referuntur, & tamen illa, quæ cauſam tuam juvant, inſignia ſunt hominis religioſi, reliqua erunt impertinentia. Totum hominem hi Auctores diſtinctis explicant notis, & quæ hominem circumdant, per partes enarrant: & ubi nihil eſt religioſis peculiare, partes inveniuntur, quæ Monachum conſtituant, & partes, quæ a Monachis ſunt alienæ. Per illas partes a vobis ſelectas, affirmare vultis Eremitam, Cœnobitam, aut Regularem: hæ aliæ partes, quales illæ fuerint, oſtendunt, & Eremitam probant ſolitarium, vel Anachoretam.

VI. Tamdem dicis, Marquez hæc etiam retuliſſe, eaque inculcaſſe. Retulit ſane auctoritates, quibus hæc numerantur, ex eiſque delegit, quæ ſuæ cauſæ erant propitia, reliqua neglexit, & prorſus reticuit. Illa ſæpiſſi-

Digitized by Google

piſſime inculcavit, & qua potuit, in ſuum favorem ponderavit, de iſtis nihil egit. Sola illa verba *pecuniam execratur* eo ſine expendit, ut probet, ſanctum Franciſcum non depoſuiſſe habitum, & calceamenta ſtatim ut audierat Evangelii conſilia in Eccleſia Portiunculæ; non enim inquit, conſtat tunc habuiſſe pecuniam, & proinde referendam vult illam execrationem ad novæ Religionis inſtitutionem, cujus profeſſoribus pecuniæ uſum & tactum interdixit.

VII. Poſtremo dicis num. 889. quod fortaſſis Franciſcus habuerit ſacculum & pecuniam, quamvis non eſſent inſignia Religionis Auguſtinianæ. Ad *fortaſsis* reducis, quod eadem firmitate & claritate ſermonis cum tuis inſignibus Auguſtinianis hi referunt Auctores. Eadem licentia dicet alius *fortaſsis* gerebat habitum Eremiticum, calceos, baculum, & corrigiam, & totum tuum Monachatum ad fortuitum caſum, & incertam referet narrationem. Quod ſubjungis: iſta non erant inſignia Religionis Auguſtinianæ: ita etiam ego contendo, neque prorſus illa a te prolata talia fuiſſe, quas hi retulerunt Auctores, compingi poſſe Fratrem, aut Eremitam Auguſtinianum.

VIII. Aliorum pergis urgere teſtimonia, quæ ego relatore potius quam impugnatore dixeram indigere. Illa breviter perſtringam. Primum Breviarii Bracarenſis dicentis, quod *Franciſcus ab anno* XXV. *terrena omnia deſpiciens Chriſtum in omni vita ſecutus eſt*. Et infra: *novum mox Ordinem inſtituit*. Inde contendis, ſumendam horum vim verborum, quod Franciſcus ab illo tempore terrena omnia deſpiciens, Chriſtum in omni vita ſecutus ſit, ſcilicet in eo Religionis ſtatu, quem tunc ſuſcepit: & proinde proprie dici quod *novum Ordinem inſtituerit*; quia eo uſque ſub alio militavit. Huc reducitur totius tui pondus diſcurſus. Ad hæc illud ſolum interrogaverim, an non Franciſcum, ſive alium quempiam, qui paternas opes, terrena omnia, imo & proprias veſtes deſpiceret, & in ſolitudinem ſe reciperet, vel etiam alibi ſe pietati ſacraret, etſi nulli ſe Religioni dicaret, ſi in illo ſtatu recte vivendo uſque ad mortem perſeveraret, proprie & vere diceretur Chriſtum in omni vita fuiſſe ſecutum? Quid ergo impedit quominus Franciſcus, qui ut nudum in cruce Chriſtum nudus ſequeretur, *admirando fervore ſpiritu ebrius, rejectis etiam femoralibus, totum ſe coram omnibus denudavit, & oblatum ſibi mantellum pauperem & vilem cujuſdam agricolæ, ſervientis Epiſcopo, in crucis modum conſignavit, operimentum ſibi formans crucifixi hominis, & pauperis ſeminudi*. Non dicetur omnia deſpexiſſe, & per illud biennium, quo ſub Eremitico & pœnitentis habitu ſui juris & ſolitarius inceſſit, Chriſtum fuiſſe ſequutum; deinde inſtituto novo Ordine arctiori & perfectiori vinculo, eamdem Chriſti continuaſſe ſequelam? Conjuncto illo ſtatu Anachoretico cum Minoritico, inter quos nullum temporis ſpatium interceſſit, a prima illa converſione, & rerum abdicatione Chriſtum deinceps per omnem vitam eſt perfecte ſequutus.

De Breviario Bracar.

Bon. in leg. c. 2.

IX. Secundum Petrarchæ, & tertium Volaterrani ipſe ingenue fateris parum huic Monachatui ſuffragari. Neque efficacius certe reputandum eſt quartum ex Breviario Romano teſtimonium, etiamſi adminicula adhibeantur ex verbis Antonini & Fernandi Perezii. Quid enim ex Breviario objicitur, quam quod *in caritatis officiis tantum profecerit, ut Evangelicæ perfectionis cupidus, quidquid haberet pauperibus largiretur*. Totum hoc libenter admitto, quid inde? Antoninus addit, quod *depoſuit mundum totaliter contemnere*; id etiam libenter concedo: imo addo quod de facto generoſiſſime contempſit, quid tum? Fernandus adjungit, quod *ſe omnino elongavit a ſeculo, Eremitæ vitam ſuſcepit, ſicque cœpit eſſe perfectus in ſtadio Domini*. Atque hæc etiam veriſſima: elongavit fugiens

De Brev. Romano.

De Fernando Perez.

Digitized by Google

giens, & manſit in ſolitudine. Quid ex tota hac teſtium mixtura, quam quod perfectionis Evangelicæ cupidus, quæ habebat pauperibus ſit largitus, decreverit mundum totaliter relinquere, ab eo ſe omnino elongaverit, Eremitam egerit, & cœperit eſſe perfectus? Omnia hæc etiam nos aſſerimus, & prædicamus, atque verificari contendimus in perfecta illa bonorum renunciatione, & biennali vita Eremitæ; neque ad illa verificanda opus eſſe putamus comminiſci ſtatum Religioſum.

X. Sed urget Marquez, ſubjunxiſſe Perezium, *Franciſci exemplo multos provocatos, & animatos, mundum reliquiſſe, & convolaſſe ad ſtatum pœnitentiæ*. Ubi infert Marquez; ergo erat tunc Franciſcus in ſtatu perfectionis, & pœnitentiæ: hujuſmodi autem ſtatus, ex ſententia ſancti Thomæ, dari non poteſt ſine obligatione trium votorum ſubſtantialium. Erat vere tunc in ſtatu perfectionis Franciſcus; quippe jam inchoaverat ſuam Religionem, & qui ad eum acceſſerant, ejus exemplo commoti, Minoritæ fuerunt, non Auguſtiniani. *Thom. 2. 2. qu. 186. ar. 6. in cor.*

XI. Quintum ex Joanne Pineda, & Marco Ulyſſiponenſi, a me alias rejectum, reproducis, eaque de cauſa a Marquez allatum dicis, quia neuter opinionem Bergomenſis ab ipſis relatam, refellit. Unde infers num. 913. quod illi adhæſerunt, & ad minus probabilem eſſe exiſtimarunt. Sufficienter rejectam uterque putavit, fragili & futili ejus explicato fundamento. Qua enim ulteriori indiget impugnatione, quod nec ſuo fundamento ſubſiſtit? Abunde refellitur, dum oſtenditur, quod nec ipſum, quo ſtat, ſtare poſſit. Mos hic apud auctores inolevit, inanes quaſdam opiniones retecto imaginario, & falſo fundamento exſufflandi. Quia rem aliquam quis ex alio refert, non propterea ei aſſentiri dicetur. Herodotus inſignis hiſtoricus, quem hiſtoriarum patrem Cicero appellat, non uno in loco proteſtatur, ſeſe quædam, ut ab aliis accepit, recitare, licet fidem illis ſuam non aſtringat. Pineda refert, *Epiſcopum Aſſiſiatem nudo Franciſco ſagum injeciſſe paſtoritium, a quo originem accepit habitus Religionis ab ipſo inſtitutæ, atque ita veſtitum prodiiſſe in campos, cœleſtique ardore exæſtuantem divinas laudes Gallice decantaſſe. Magiſter Piſanus ait, eum per biennium ſolitarium inceſſiſſe, inſtar Eremitæ veſtitum; atque hinc Philippus Bergomenſis dixit, eum fuiſſe ſui Ordinis Eremitici ſancti Auguſtini, & profeſſionem emiſiſſe in manibus religioſiſſimi viri Joannis Boni Mantuani, ſeque ita habere in ſuo Ordine ſcriptum ſub ſyngrapha publici Notarii &c.* Mox narrat, cum duodecim ſociis ad Innocentium III. perrexiſſe, ut Regulæ confirmationem acciperet. Quænam hic neceſſitas impugnandi opinionem adeo facile & leviter exortam? Ita refert: dixit Piſanus, inſtar Eremitæ ſolitarium biennio inceſſiſſe: hinc nata Monachatus opinio. Si Pineda aſſerit, ſub ipſa illa paſtoritia veſte ab Epiſcopo accepta inceſſiſſe, & ab hac originatum habitum Religionis Minorum, quomodo potuit ſuſpicari, multo minus admittere ſub aliena & diſſimili inceſſiſſe veſte Auguſtiniana? Si ab hac habitus Minoritici originaria veſte tranſiit ad ipſius Ordinis inſtitutionem, & Regulæ confirmationem, quomodo potuit cenſere interfluxiſſe alienæ profeſſionis biennium, & ab illa ad novæ vitæ tranſiiſſe Inſtitutum? Plane intellexit, inter Antiſtitis brachia inchoatam novam illam vitæ Minoriticæ normam, cujus habitus formam refert ab Epiſcopo tunc acceptam; & proinde dixit, anno MCCVI. primo Franciſcum converſum per vitam religioſam; idque ex revelatione divina. *De Joann. Pineda.* *Herod. lib. 1. Cicero 1. de leg.*

XII. Marci teſtimonium huic ſimile, ſed infirmius eſt, dum veſtram opinionem, data opera, & peculiari impugnat tractatu. *Inceſſit*, inquit, *biennio in habitu talari paupere, & honeſto, baculum manu geſtabat, inſtar Eremitæ, calceatus pedibus, cinctus corrigia: atque hinc deſumpta* *De Marco Ulyſſiponenſi.*

occaſio aſſerendi Monachum fuiſſe Auguſtinianum. At habitum hunc talarem, ſeu longum ipſe Marcus retulit, ab Augubino amico accepiſſe, & tamquam rem ridiculam refert, hinc natam illam opinionem, quam etiam, uti dixi, proprio refellit Opuſculo. Tacuiſſe autem utrumque dum opinionem referebat, propter conſcientiæ ſtimulum, ſed & Pinedam Bergomenſis opinionem non amplius probaſſe, ac Marcum improbaſſe, ne ſuæ Religionis offenſionem incurreret, gratis nimis ac libere a vobis dictum ex utriuſque diſcurſu quiſque conjiciet.

De Sedulio & Yepes.

XIII. Sextum ex Henrico Sedulio Minorita, & Antonio Yepes Benedictino proinde repuli, quia Sedulius omnino hanc veſtram impugnat opinionem, & Yepes de ea conditionate tantum loquitur, neque quidquam aſſerit, neminemque citat, præter ſolum Romanum in margine. At tu interminatim contra me quereris, quod dixerim, hos a Marquez adduci pro hac veſtra opinione, contendiſque, hos ab eo non vocari in teſtes Monachatus, ſed probabilitatis opinionis, quæ adſtruit Monachatum. Neſcio quam hic excogitas Metaphyſicam diſtinctionem, quam neque tuus Magiſter ſomniavit: producta enim ingenti ſuorum teſtium claſſe, viginti Scriptorum pro hoc Monachatu aciem claudit his duobus, quaſi coaſſertoribus, dicitque Yepes, cenſere hanc opinionem probabilem. Unde quæſo? his ſolis nudiſque verbis: *Nihil amittit Ordo Prædicatorum, propterea quod ſanctus Dominicus fuerit prius Canonicus regularis, neque Religio ſancti Franciſci, ſi ille fuerit prius Ordinis ſancti Auguſtini, uti aliqui opinantur*. Dicis, *opinionem* vocaſſe, & Sedulium dixiſſe *hinc nata opinio*; & proinde utrumque eam judicaſſe probabilem. At Yepes non dixit, ſe ita opinari, ſed veſtrum aliquos, & Sedulius ſedulo hanc opinionem veſtram impugnat. Subjungis: etſi vero judicaverint falſam, tamen dum *opinionem* vocant, cenſent probabilem. Si tibi ſufficit, ut vocetur *opinio*, ego per totum hunc tractatum eo ſæpiſſime nomine appello, ſed falſam cenſeo, & tamquam talem cum Sedulio impugno. Si hac externa & larvali probabilitate verbalis opinionis tibi ſatisfactum admittas, facile conveniemus, ego opinionem vocabo & revocabo, ſed falſam reputabo, tu tua tibi probabilitate lætus applaude.

De S. Antonio de Padua.

XIV. Septimum ex ſancto Antonio Patavino, quod ego obſcuriſſimum, & longe alienum ab iſto veſtro Monachatu reputavi, denuo eodem modo, quo tuus Magiſter, expendis. Vim ponis in illis verbis, quod Matathias, qui fugerat in deſertum, *ſignificat virum juſtum, & religioſum, ſpecialiter tamen Religionis fundatorem, ut beatus Franciſcus*. Notas, ſanctum Franciſcum prius hic vocari religioſum, deinde Ordinis inſtitutorem, quaſi prius ſub veſtra Religione militaverit, deinde ſuam inſtituerit. Deinde ponderas, infra iterum dici, quod per eumdem Matathiam ſignificatur *vir religioſus, qui filios quinque, id eſt, ſenſus, mundum fugiens, ad montem perfectionis Evangelicæ ſecum ducit*; quem poſtea alii multi tamquam ducem & paſtorem ſequuntur. Comparat, inquis, virum Religioſum D. Franciſcum Matathiæ, qui *duplicem ſtatum habuit in deſerto, nempe privati militis, & communis ducis*. Utrumque ergo ſtatum habuit Franciſcus, & militis, & ducis.

XV. Heu, quam facile vehemens quiſque hominem ducit & circumducit affectus! Propoſuiſtis vobis Franciſcum omnino efformare Auguſtinianum. Omnia in hunc finem conducunt, ſive clara, ſive obſcura; ſive recta, ſive diſtorta. Ubicumque *Franciſci* & *Religioſi* voces occurrunt, a vobis ſtatim combinantur, & in rem veſtram adaptantur. Non hic inſtitutus peculiaris de Franciſco diſcurſus, ſed potius adductus eſt in exemplum particulare generalis ſermonis. Dixerat Auctor per Matathiam,

Digitized by Google

thiam, duplici ſtatu militiæ & Principatus inſignem, denotari *virum Religioſum, ſpecialiter tamen Religionis fundatorem*. De omnibus Religionum Fundatoribus indeterminatim locutus eſt; propoſuitque Franciſcum tamquam exemplum, quod ſimiliter de Auguſtino, Benedicto, Joanne Bono, aliiſque Religionum Fundatoribus eadem proprietate verborum, & ſimilitudinis adæquatione feciſſet. Quis etenim horum non prius duxerit ſecum in deſertum ſuos quinque filios, id eſt, ſenſus, & aſcenderit in montem perfectionis Evangelicæ, quam ad eum deſcenderint alii *quærentes judicium & juſtitiam*? Quis eorum non prius in ſe Religionis normam efformavit, quam in alios tranſmiſit? Quis non prius Religioſus, quam Religionem inſtituit? Nonne eodem itaque tenore verborum, & exempli veritate potuiſſet dicere Antonius, Matathias ſignificat virum Religioſum, ſpecialiter tamen Religionis fundatorem, ut beatum Baſilium, Auguſtinum, Joannem Bonum, qui tamen a ſua diſtinctam non ſunt profeſſi Religionem?

XVI. Devenimus tamdem ad ultimum, Franciſcum Maurum Hiſpellatem, cujus carmina inde tibi arrident, quod putes in eis deſcribi exordia novæ vitæ, quam ſibi propoſuit ſectandam, poſtquam in eremum ſeceſſit, ubi *religione ſacra acres ſibi fecerat hoſtes Erebi colonos*; & proinde in deſerto conſtitutum, ex hoc loco vis dicendum religioſum. Plane mihi conſtat, te Vatem non conſuluiſſe, neque a longe ſalutaſſe. Si enim propius acceſſiſſes, aut legiſſes, primo ictu oculi conſpiceres omnia hæc bella, firmataque inter Franciſcum & inferorum furias odia aſpera, animumque adoleſcentis intrepidum a Poeta deſcribi, ſtatim a decuſſis veſtibus, & patri reſtitutis, antequam Aſſiſio excederet, aut quidquam de Religione vel ſubeunda, vel fundanda poſſet cogitare. Idque amplius confirmat, quod poſt hæc carmina, & alia, quæ interjacent, ejus ſeceſſum in Eremum, & loca deſerta ita diſerte deſcribat. De Franciſco Mauro. *Maur. lib. 5. Franc. v.197.*

Tantum autem ſepar, Divum ſacra limina viſit;
Perque urbem, lucoſque ſacros, locaque horrida dumis
Sicubi Templa jacent magnis everſa ruinis,
Mox adit, & gemitu nemorum alta cacumina quaſſat.
Præcipue vero flavi ſub vertice montis; *Subaſii montis prope Aſſiſium, ubi frequens ſuit ejus ſeceſſus.*
Sive antrum horrificum, nigræ ſive ilicis umbram
Nactus: ſaxa piis, & duras vocibus ornos
Mulcet, & alituum genus ad nova carmina ſiſtit.

TOTIUS DISCURSUS EPITOME.

Obfirmatæ inter duo nobiliſſima Sodalitia controverſiæ tenuem originem, ancipitem progreſſum, & præſentem ſtatum hic ad compendium placuit redigere. Joannes Bonus Mantuanus prope Cæſenam, nobilem Romandiolæ Civitatem, Congregationem inchoavit Eremitarum. Per diverſas Provincias aucto numero impetrarunt a Sede Apoſtolica Regulam ſancti Auguſtini. Fluctuante deinde Sodalitio gravi ſchiſmate, rebus componendis præfecit Innocentius IV. Electum Patavinum, & Simonem Minoritam, lectorem Mediolanenſem, qui prudenti moderamine, diſcordantes ferme per triennium, ad pacem reduxerunt, conſtituto univerſo Ordine ſub uno capite in Capitulo Bononienſi. Poſthæc ſanctus Bonaventura Cardinalis, qua pollebat in Concilio Lugdunenſi auctoritate, impenſe huic favit Sodalitio. Non defuere Minoritæ, qui vel magnificandis rebus propriis, vel attenuandis alienis, dixerunt, Bonaventuram in Comitiis Auguſtinenſium Præſidem egiſſe, & vivendi normam præſcripſiſſe. Hiſtoriæ imperiti Simonis & Bonaventuræ

acta confuderunt, & huic, quem in Concilio Præſidem audierunt, Auguſtinianis faviſſe, tribuerunt, quæ obſcuro rumore Minoritam, ignoti forte nominis, in pacificanda & ſtabilienda ſub uno capite Religione præſtitiſſe præceperunt. Hinc Bonaventura Præſes, fautor, & inſtaurator Auguſtinianorum prædicatur. Non id placide auditum. Philippus Bergomenſis Eremita, ne Bonaventuram rectorem, aut directorem admitteret, D. Franciſcum Bonaventuræ magiſtrum, Joannis Boni ſcripſit diſcipulum. Novæ rei ſumpta antiqua probatio, ex vetuſto ſcilicet chirographo, quod *aliquando*, inquit, *viſum eſt*. Placuit Auguſtinianis iſtud honoris incrementum, facileque ſequuti ſunt tantæ aſſertionis Auctorem. His acceſſerunt alii, crevitque miris auctariis opinio. Demum Hieronymus Romanus Eremita plus ceteris in hac re ſe diffudit, eaque Franciſci Monachatui comprobando, advexit, quæ cordati quique repellant. Inſurrexit acriter Antonius Daza Minorita, veteremque reſumpſit cantilenam de præſidentia Bonaventuræ. Alia inſuper addidit, quæ virum doctum, & gravem Joannem Marquez ad ſcribendum impulerunt, & integro compingendo volumini materiam miniſtrarunt. Ponderoſe & docte diſputationem aggreſſus, tota Auguſtinianorum acie, copiiſque auxiliaribus decertavit. Viribus impar, & virtute inferior juſſus ego reſpondere, probare ſtudui, quod volebant, velle non potuiſſe. Joannem Bonum, quem Franciſci dicebant Magiſtrum, converſione oſtendi poſteriorem, & toto illo biennio, quod magiſterio præſcribunt, adhuc in ſeculo vixiſſe. Deinde Bergomenſem primum hujus docui Monachatus Auctorem; quos priores Marquez dicebat, in Ordinem reduxi; quos poſteriores conſtituit, ſingulatim enervavi. Diſplicuere hæc R. Adm. Patri Thomæ de Herrera, ſacræ Theologiæ Magiſtro, virtute, litteris, religioſis moribus inſigni, meoque libello magnum oppoſuit volumen, atque ita creſcere oportuit, dum ſingula verba vellicabat, nihilque me dixiſſe prætendit, quod abunde non potuerit reprobare. In Auguſtini verſatus operibus in me tota convertit; paſſim, ubique ad ſingulas periodos ſancti Viri verbis, ſive in hæreticos emiſſis, ſive in alios aſpere prolatis, in me vel opportune, vel importune retortis. Pacatum tamen hæc animum non perturbarunt, neque ab amiciſſimo viro divellunt, cui me arctiſſimo amicitiæ fœdere connecti, & intima communione ſpiritus conjungi, palam profiteor. Corpore, non animo dividimur, hominis virtutem veneror; merita, quibus egregie antecellit, ſuſpicio. Ejus tamen volumini reſpondi, ſed uti reor, abſque amici offenſione, quem lædi non putem, etſi ego ſenſerim contraria. Quantum ego virum diligam, inde quiſquam perſpiciet, quod neque provocatus, gravius quidquam protulerim; neque punctus, aculeum ex adverſo emiſerim. Jam hic ſiſtendum puto, & ſodales utrimque exhortandos, ut inanes controverſias miſſas faciant, & alternas fabulas paci & fraternæ concordiæ poſtponant.

Silius Ital. l. 11. ſub finem.

—— Pax optima rerum
Quas homines noviſſe datum eſt: pax una triumphis
Innumeris potior: pax cuſtodire ſalutem,
Et fratres æquare potens.

FINIS.

RE-

REGESTUM
PONTIFICIUM.

Digitized by Google

Digitized by Google

REGESTUM PONTIFICIUM.

OMnium *Bullarum, ſeu Litterarum Apoſtolicarum, quæ res Minorum quoquo modo concernunt, & quarum in Annalibus mentionem facimus. Omnes, quas reperire potuimus, per ſuos annos diſtribuimus, aliquas integras Annalibus inſeruimus, ceteras hic tranſcribi curavimus. Eccleſiæ multæ, Provinciæ plurimæ, Regiones non paucæ habebunt hic, unde nobis gratias reddant, ſaltim debeant, ob res ſuas in apertum productas. Unde & a quibus ſingulas litteras accepimus, ad unamquamque ſimul cum ſummario præmittimus. Eſt quod moneamus, in plurimis bullis non exſcribi integre clauſulas communes & ordinarias, quæ facile reſumi poſſunt ex bullariis impreſſis. Nos eo modo tranſcripſimus, quo habentur in regeſto Vaticano.*

HONORIUS III.

Electus eſt die XVIII. *Julii, anno* MCCXVI.

HONORIUS III.

ANNO CHRISTI 1224. PONTIF. ANNO 9.

BULLA I.

Dat licentiam Fratribus celebrandi in altari viatico, in ſuis oratoriis & locis. Habetur in Speculo tract. 1. fol. 2. par. 1. & in lib. Firmamenti 2. par. tract. 1. fol. 11.

HONORIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI &c.

Fratribus Minorum Ordinis &c.

§. I. QUia populares tumultus tamquam qui veſtro adverſantur propoſito fugientes, ſecretos receſſus libenter appetitis, ut in ſancta quiete liberius orationi vacare poſſitis; nos attendentes orationum veſtrarum ſuffragia plurimum opportuna, quoniam eo efficacior eſſe debet veſtra interceſſio apud Deum, quo perfecte viventes, ejus digni eſtis gratia potiori. *Hujus Privilegii motivum.*

§. II. Conſiderantes, vobis negandum non eſſe unde nemini derogatur dum vera expoſcit religio, ut quæ ſunt etiam de gratia ſpeciali vobis

Digitized by Google

vobis concedere debeamus. Devotioni veſtræ cum profeſſi paupertatem ſitis pariter, & amplexi, non temporale commodum, ſed ſpirituale quærentes, auctoritate præſentium veſtris inclinati precibus, indulgemus, ut in locis & Oratoriis veſtris cum viatico altari poſſitis Miſſarum ſolemnia, & alia divina Officia celebrare, omni parochiali jure parochialibus Eccleſiis reſervato.

Nulli &c. Datum III. Nonas Decembris Pontificatus anno IX.

Anno Christi 1225. Pontif. Honorii III. anno 10.

II.

Jubetur Epiſcopus Pariſienſis, ut liberet Minores a variis gravaminibus Prælatorum in Gallia. Ex Reg. Vaticano num. 180.

Episcopo Parisiensi.

Quomodo ſe debeant gerere erga Religioſos Prælati.

§. I. NOn deberent Eccleſiarum Prælati, quibus religionem plantare convenit & fovere, viros religioſos perſequi, & eis ſuper his, maxime quæ ad divinum cultum pertinent, obviare. Accepimus ſane conquerentibus dilectis filiis Miniſtris Ordinis Fratrum Minorum Franciæ, quod quidam Prælatorum regionis illius occaſione privilegiorum, quæ habere proponunt, aliqui vero ſuo dumtaxat arbitrio prædictis Fratribus inhibere præſumunt, ne ubi degunt, valeant ſecundum noſtram indulgentiam cum altari viatico ſolemnia celebrare Miſſarum, in eos & hoſpites ſuos, in majorem Apoſtolicæ Sedis injuriam & contemptum, excommunicationis ſententiam promulgantes, quamquam præfati Fratres ab omni jure parochiali contineant manus ſuas.

Minores a quibuſdam ſuis uti privilegiis impediuntur.

§. II. Quia vero debemus religioſas fovere partes, & maxime dicti Ordinis Fratres, qui relictis omnibus, Chriſtum ſequuntur, pro eo pauperes, & in paupertate vivere continua eligentes, ac decet nos Apoſtolicas indulgentias conſervare, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus auctoritate noſtra inhibeas generaliter Prælatis regionis ejuſdem, ne de cetero ſic excommunicent dictos Fratres, & hoſpites eorumdem; nec aliquo modo impediant, quominus Fratres ipſi dicta Indulgentia poſſint uti, quia non impune deinceps talia facerent, cum non poſſimus injuriam pauperum Chriſti, & ſervorum ejus inquietudinem æquanimiter ſuſtinere.

Datum Reate XIV. Kalendas Octobris Pontificatus anno X.

III.

Mandat Archiepiſcopo Rhemenſi, ut ſiniſtram interpretationem dictæ decretalis a quibuſdam inventam auctoritate Apoſtolica compeſcat, & Fratres in exercitio privilegii conceſſi conſervet. Auctor Firmamenti 2. tract. 2. part. fol. 105.

HONORIUS EPISCOPUS &c.

Venerabili Fratri Archiepiſcopo Rhemenſi, ſalutem &c.

Qua Pontificis litterarum interpretatio in caſu adhibenda.

IN his quæ ad cultum divinum facere dignoſcuntur, non maligna, ſed benigna potius eſſet interpretatio facienda. Unde mirari compellimur, quod cum Fratribus Minoribus duxerimus indulgendum, ut ubicum-

Digitized by Google

cumque fuerint, ſine parochialis juris præjudicio, cum altari valeant viatico celebrare; quidam, ſicut nuper fuit propoſitum nobis, ſtricte nimis interpretando indulgentiam noſtram, nituntur aſſerere, quod per eam prædicti Fratres, præter Epiſcoporum, Abbatum, & aliorum Prælatorum aſſenſum, facere hoc non poſſunt; propter quod eos celebrare juxta indulgentiam Apoſtolicam non permittunt. Cum autem, ſi res taliter ſe habeat nihil, eis conferret indulgentia memorata, ſine qua id, Epiſcopis, & aliis Prælatis annuentibus, liceret eiſdem; fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, interpretatione hujuſmodi reprobata, dum tamen ab aliis quæ jure parochiali proveniunt, ſe prorſus abſtineant, datam eis ſic licentiam celebrandi auctoritate noſtra non differas publicare: ita quod dicti Fratres aliquam ex Indulgentia noſtra videantur in hoc gratiam conſecuti. *Certa privilegiorũ interpretatio reprobatur.*

Datum Reate III. Kalendas Septembris Pontificatus noſtri anno x.

GREGORIUS IX.

Electus eſt XIII. *Kalendas Aprilis anno* MCCXXVII.

Anno Christi 1227. Gregorii IX. Pontif. anno I.

BULLA I.

Concedit ut nullus Fratres de Pœnitentia exactionibus, publicis officiis, vel juramentis poſſit gravare. Habetur in ſpecul. Minorum, in regeſto noſtro veteri MS. in regeſto Vaticano (ſed ſub anno v. *Nonis Aprilis, quia iterum ſub illo anno conceſſa eſt) apud beatum Joannem Capiſtranum in defenſorio tertii Ordinis, & apud Antonium de Sillis inter privilegia ejuſdem Ordinis.*

Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, et Episcopis per Italiam constitutis.

§. I. NImis patenter patientiæ divinæ probatur abuſor, qui ad Dominum converti volentibus obicem interjicit tarditatis, eique inexcuſabiliter convincitur adverſari, qui converſos ad Dominum Epiſcoporum auctoritate geſtiens, eis laqueum injicit captionis vel perſecutionis, vel ipſos moleſtiis inquietat, tamquam Pharaonis imitatus veſtigia, qui corde indurato, nonniſi plagis percuſſus, filios Iſrael exire permiſit Ægyptum, & egreſſos tamdem ſæva tyrannide perſequi non ceſſavit, donec ipſe cum ſuis in aquis validis meruit ſuffocari, poſteris relinquens exemplum, ut ex ſimili culpa, ſimilis deberet formidari vindicta. *Quinam divinæ patientiæ abutũtur. Exod. 13. Ibidem 14.*

§. II. Sane ad audientiam bonæ memoriæ Honorii prædeceſſoris noſtri noveritis perveniſſe, quod nonnulli de partibus noſtris noviſſima ſua provide memorantes, derelictis ſeculi vanitatibus, pœnitentiam in corde contrito, & humiliato ſpiritu agere in domibus propriis, vel alibi ſtatuere. Et ut retribuentes miſeræ filiæ Babylonis retributionem, quam retribuit ipſa eis, promiſſæ beatitudinis præmium facilius & felicius aſſequantur, caſtigare corpus proprium, & in ſervitutem redigere concupiſcunt. *Fratrum de Pœnitentia quæ vita. Pſal. 136. 8. Cant. 5. 3. 2. Tim. 2. 1.*

§. III. Sed Poteſtates & Rectores Civitatum, vel locorum, in qui-

Digitized by Google

bus tales ſervi Domini degunt, non attendentes, quod nemo militans Deo, implicat ſe negotiis ſecularibus, & ſponſa lotos pedes abnuit inquinare ab eis, ut ipſos ſequantur & exerceantur in armis, juramento extorquere contendunt, & ad recipienda & exequenda publica officia compellere moliuntur, quin etiam illos, qui ad agendam pœnitentiam, ſecretos petiere receſſus ad propria revocantes, ipſis plura onera & exactiones imponunt, alias inhonorando ipſos, quos tamquam Dei amicos, deberent modis omnibus honorare.

Ad publica exequenda Officia compelluntur.

§. IV. Quia igitur intereſt noſtra, Dei viros in religionis propoſito confovere, ad exemplar prædicti Prædeceſſoris noſtri, fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus hujuſmodi Pœnitentes, dum tamen onera in quibus ratione bonorum ſuorum tenentur, agnoſcant, a prænotatis gravaminibus ſervantes immunes, ipſos, eorum occaſione, non permittatis in his vel aliis temere moleſtari, quibus poſſit eorum pium propoſitum impediri, moleſtatores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcentes.

Sed ab onere liberantur.

Datum Laterani VII. Kalendas Junii, Pontificatus noſtri anno I.

Anno Christi 1228. Gregorii IX. Pontif. anno 2.

II.

Prohibet inferri gravamina quædam Fratribus de Pœnitentia. Speculum tract. 1. fol. 2. pag. 1.

GREGORIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei, &c.

Univerſis Fratribus de Pœnitentia per Italiam conſtitutis &c.

§. I. DEteſtanda humani generis hoſtis invidia tanto pertinacius perſequitur ſervos Chriſti, & armans ſuos ſatellites contra ipſos ab ejus ſervitio doloſis illos adinventionibus nititur amovere, quanto perſpicacius intuetur ipſos, hujus mundi vanitatibus derelictis, adhuc exiſtentes in corpore in terrenis, jam mente in cœleſtibus habitare, ac abnegantes ſecularia deſideria propter Deum, jam frui non perituris, ſed æternis deliciis, & gaudiis ſempiternis: unde ſecundum Evangelicam veritatem, cum immundus ſpiritus exiret ab homine ipſum in exeundo plus ſolito diſcerpebat, & exeuntem Dei populum de Ægypto, non prius Ægyptii perſequi deſierunt, quam omnes nutu divino uno genere mortis extincti dignum ſuis actionibus meruerunt interitum invenire.

Callidi hoſtis erga Dei Servos invidia.

§. II. Ipſum omnium Redemptorem cum, etiam poſt Baptiſmi lavacrum, in deſerto quadraginta diebus, & totidem noctibus jejunaſſet, idem malignus ſpiritus aggredi non expavit. Propter quod quicumque ad Dei ſervitutem accedit, juxta ſententiam veram Sapientis, in juſtitia, & timore debet ad tentationem animum præparare.

Exod. 14. Matth. 4.

Eccleſiaſtici 2.

§. III. Sane fel. rec. Honorius Papa Prædeceſsor noſter attendens, vos fructus pœnitentiæ facientes, ab hujus ſeculi filiis, anguſtiis inexquiſitis affligi per hoc fovendos eſſe; laudabili actione religionem veſtram amplexans in viſceribus Jeſu Chriſti proſecutus eſt gratia ſpeciali, mandans univerſis Archiepiſcopis & Epiſcopis per Italiam conſtitutis, ut vos ſervaret a juramentis, quæ Civitatum, & locorum Rectores ſuper eorum ſequela extorquere a vobis illicite contendebant, defendentes vos,

Nequeunt Tertiarii cogi ad juramenta.

Digitized by Google

vos, ne officia publica recipere, vel nova exactionum vel alterius gravaminis ſubire onera contingeret vos compelli.

§. IV. Sed filii tenebrarum, qui humana ſapientes tenebras lucem, & lucem tenebras ponere didicerunt, per malignæ interpretationis calumniam ſic veſtram indulgentiam vacuant, ut gravioribus injuriis affligamini nunc, quam prius, cum non eratis tali privilegio communiti. Nam cum dicti Rectores a vobis non poſſint ſuper ſequela exigere juramentum, innumeros quaſi caſus excogitant, quibus vos jurare compellant, graviora onera vobis, quam aliis ſuis Civibus imponentes. Nec fructus bonorum veſtrorum vos permittunt pauperibus erogare; licet debitis oneribus, quæ ſubire tenemini, nihil deperire contingat, alias vos plus debito, & amplius ſolito moleſtantes. Eis Rectores gravia onera imponunt.

§.V. Unde nobis humiliter ſupplicaſtis, ut vobis indulgere miſericorditer dignaremur, ne aliquod juramentum, niſi forſan pacis, & fidei, calumniæ, vel teſtimonii facere teneamini, & ne pluſquam veſtri Cives impoſitione onerum aggravari poſſitis, & ut fructus bonorum veſtrorum cauſa pietatis impendere valeatis perſonis, quibus expedire videritis, elargiri, & ut injuriam non patiamini propter veſtrorum Civium debita vel delicta nec teneamini, cum ſuper his culpabiles non ſitis, debita ſolvere aliorum.

§. VI. Nos igitur attendentes, vos viam perfectionis ingreſſos tanto a ſectatoribus hujus mundi vehementius impugnari, quanto magis iidem diſſimiles veſtris actibus comprobantur, ac per hoc, ut veritatis integritas obumbretur, ſiniſtræ interpretationis calumniam machinari univerſitati veſtræ, quorum religione plene confidimus, licentiam ſuper prædictis omnibus, auctoritate præſentium indulgemus, & concedimus poſtulatam, diſtrictius injungentes, ut conceſſa vobis gratia ſic uti laudabiliter ſtudeatis, ne ab aliquo veſtrum convertatur forſitan in abuſum, quia privilegio vobis conceſſo contingeret vos privari ſi ejus inveniremini abuſores. Liberantur tamen.

Nulli ergo &c. Datum Laterani III. Kalendas Aprilis Pontificatus anno II.

III.

Concedit licentiam habendi altaria viatica, & Oratorium in locis Fratrum.
Ex bulla originali Archivi Aracœlitani num.92.

GREGORIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Dilectis filiis Fratribus Minoribus, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

§. I. NOs attendentes veſtrarum orationum ſuffragia plurimum opportuna, quoniam eo efficacior eſſe debet veſtra interceſſio apud Deum, quo perfecte viventes, ejus digni eſtis gratia potiori. Conſiderantes quoque, vobis negandum non eſſe, unde nemini derogatur, dum veſtra expoſcit religio, ut quæ ſunt, etiam de gratia ſpeciali vobis concedere debeamus. Devotioni veſtræ auctoritate præſentium veſtris inclinati precibus, indulgemus, ut in locis veſtris liceat vobis habere Oratoria, in quibus cum viatico altari poſſitis Miſſarum ſolemnia & alia divina Officia celebrare, omni parochiali jure parochialibus Eccleſiis reſervato. Pontifex Tertiarios commendat. Eis Oratoria cōcedit.

Digitized by Google

§. II. Et ne de hoc jure poſſit quæſtio ſuboriri, illud circa oblationes, decimas, & primitias intelligimus, quæ a laicis ſolent clericis exhiberi, quibus defraudari nolumus parochiales Eccleſias, occaſione indulgentiæ ſupradictæ.

Eccleſiis Parochialibus non vult derogare.

§. III. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Aſsiſii Nonis Junii Pontificatus noſtri anno II.

IV.

Suſcipit ſub ſpeciali Apoſtolicæ Sedis tutela, & libertate ampla donat Eccleſiam conſtruendam in honorem ſancti Franciſci Aſſiſii. Habetur autographum in ſacrario Min.Conv. Aſsiſ. ex quo exſcripſit Rodulphus fol. 250.

Dilectis Filiis Miniſtro Generali & Fratribus Ordinis Minorum.

§. I. Recolentes qualiter ſancta plantatio veſtri Ordinis ſub beatæ memoriæ Patre Franciſco incœpit, & mirabiliter profecit per gratiam Jeſu Chriſti flores ſanctæ converſationis longe, lateque proferens & odores, ita quod in deſerto hujus mundi ſacræ Religionis honeſtas ab eodem Ordine procedere videatur; dignum eſse prævidimus, & conveniens, ut pro ipſius Patris reverentia Eccleſia in qua recondendum eſt corpus ejuſdem, ſpeciali prærogativa gaudeat libertatis, ut idem Pater, per quem tantus fructus proveniſse dignoſcitur, honorificetur etiam in hoc, quod eadem Eccleſia libertati donata, nulli alii, quam Romano Pontifici ſit ſubjecta. Quare ſub ſpeciali Apoſtolicæ Sedis tutela conſiſtens affici non poſsit injuriis, ſed quiete, ſicut libertate, plenius perfruatur.

Elogium Ordinis.

Eccleſia Aſſiſ. ſoli ſubjecta Romano Pontifici.

§. II. Ea propter fundum, pietatis obtentu, nobis oblatum pro Eccleſia ac ædificiis conſtruendis, ubi recondi debeat corpus Patris prædicti, in jus & proprietatem Sedis Apoſtolicæ recipimus, de ſpeciali gratia ſtatuentes, ut prædicta Eccleſia ſit omnino libera, & nulli alii, quam Apoſtolicæ Sedi ſubſit. Ad indicium autem hujus libertatis ab Eccleſia Romana perceptæ, unius libræ ceræ cenſum perſolvat Eccleſia nobis, & noſtris Succeſſoribus annuatim.

Nulli ergo &c. Datum Reate XI. Kalendas Novembris Pontificatus noſtri anno II.

Anno Christi 1229. Gregorii IX. Pontif. anno 3.

V.

Jubet ut admittantur Fratres Tertii Ordinis ad Officia divina, ad ſacramenta, & ſepulturam Eccleſiaſticam tempore interdicti. Habetur in noſtro regeſto veteri MS. & in ſummario Pontificali, in monumentis, & ſpeculo Ordinis.

Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Eccleſiarum Prælatis per Italiam conſtitutis.

§. I. Cum illorum, qui ſua noviſſima memorando non poſt vanitates ſeculi, ſed poſt Chriſtum euntes, pœnitentiam in humilitatis ſpiritu agunt, & corde contrito caſtigando, & in ſervitutem ſuum corpus redigendo, tota videatur intentio circa ſervitium Creatoris, indignum

Digitized by Google

gnum forſitan crederetur, ſi pro aliena culpa, a divinis obſequiis & Sacramentis Eccleſiaſticis contingeret hos excludi, cum in his & aliis, quæ ad ſervitium Dei pertinent, favorem mereantur Sedis Apoſtolicæ ſpecialem.

§. II. Cum igitur per Italiam tales eſſe nonnulli dicantur, a quibuſdam Fratres de Pœnitentia nuncupati; diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos eos in Eccleſiis veſtris, in quibus a Sede Apoſtolica eſt conceſſum, generaliter tempore interdicti hujuſmodi, dummodo ipſi cauſam interdicto non dederint, ad divina Officia, quæ ſuppreſſa voce, interdictis & excommunicatis excluſis, non pulſatis campanis, & clauſis januis celebrantur, & ad alia Eccleſiaſtica Sacramenta, nec non ſepulturam Eccleſiaſticam admittatis. Tertiariorum Italiæ quæ prærogativæ. Tempore interdicti divina poſſunt abſolvere.

Datum Peruſii x. Kalendas Septembris Pontificatus noſtri anno III.

Anno Christi 1230. Gregorii IX. Pontif. anno 4.

VI.

Jubet ne moleſtentur Fratres Tertii Ordinis ſuper recipiendis officiis &c. Habetur in Reg. Vat. epiſt. 32.

Archiepiſcopis & Epiſcopis per Italiam conſtitutis.

CUm dilecti filii Fratres Tertii Ordinis ſancti Franciſci ſeculum quodammodo reliquerint, ut poſſint Domino in contemplationis arce placere; univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eos ſuper recipiendis & exequendis publicis officiis, pædagiis colligendis, vel etiam mutuis communitatibus faciendis, non permittatis ab aliquibus moleſtari. Contradictores per cenſuras Eccleſiaſticas, appellatione poſtpoſita, compeſcendo.

Datum Laterani II. Nonas Junii anno IV.

Anno Christi 1232. Gregorii IX. Pontif. anno 6.

VII.

Largitur Indulgentias viſitantibus Eccleſias Monialium ſanctæ Mariæ Magdalenæ in Alemannia, in anniverſariis dedicationum ipſarum. Reg. Vat. epiſt. 111.

Univerſis Chriſti fidelibus ad quos litteræ iſtæ pervenerint.

QUoniam, ut ait Apoſtolus, omnes ſtabimus ante Tribunal Chriſti, recepturi prout in corpore geſſimus, ſive bonum fuerit, ſive malum, oportet nos diem meſſionis extremæ miſericordiæ operibus prævenire, ac æternorum intuitu ſeminare in terris, quod reddente Domino cum multiplicato fructu recolligere debeamus in cœlis, firmam ſpem, fiduciamque tenentes; quoniam qui parce ſeminat parce & metet vitam æternam. Hinc eſt quod univerſitatem veſtram rogamus, & hortamur attentius in remiſſionem veſtrorum peccatorum injungentes, quatenus cum Eccleſias Dei in earum dedicationibus debeant viſitare fideles, ut ideo in cujus memoria ſunt conſtructæ memor ipſorum exiſtat, ad Eccleſias pauperum Monialium ſanctæ Mariæ Magdalenæ in Alemannia in anniverſariis dedicationum earum, & in ipſis dedicationibus petituri miſericordiæ Dominicæ ſuffragium accedatis, ut per hæc & alia bona, quæ, Domino inſpirante, feceritis, ad æternæ felicitatis gaudia pervenire poſſitis. Nos enim de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri

& Pau-

Digitized by Google

Indulgentia centum dierum hác Eccleſiam viſitantibus.

& Pauli Apoſtolorum ejus, ac ea, quam nobis conceſsit auctoritate confiſi, omnibus ad præfatas Eccleſias in dedicationibus & anniverſariis dedicationum ipſarum acceſſuris centum dies de injuncta ſibi pœnitentia relaxamus.

Datum Anagniæ v. Idus Octobris anno vi.

VIII.

Mandat M. Conrado Marpurgenſi, ut protegat hoſpitale ſancti Franciſci extructum a ſancta Eliſabetha. Reg. Vatic. epiſt. 125.

Magiſtro Conrado de Marpurch Prædicatori verbi Dei in Alemannia.

HOſpitale in Marpurch favore benevolo quantum cum Deo poſſumus proſequentes, ac ad defenſionem ipſius intendentes ſollicite, ut valeat a malefactorum oppreſsionibus reſpirare, diſcretioni tuæ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus hoſpitale ipſum manuteneas, protegas, & defendas, non permittens illud, & degentes in ipſo, ab aliquibus indebite moleſtari; moleſtatores hujuſmodi per cenſuras, appellatione poſtpoſita, compeſcendo.

Datum Anagniæ II. Idus Octobris anno vi.

IX.

Præcipit certum numerum perſonarum in Monaſterio ſanctæ Mariæ de Roſario conſtitui. Reg. Vatic. epiſt. 102.

Abbatiſſæ, ac Conventui Monialium incluſarum Monaſterii ſanctæ Mariæ de Roſario.

VOlentes ut Monaſterium veſtrum certo gaudeat numero perſonarum, ne ibidem multitudine nimia excreſcente, Monaſterium ipſum in ſuſtentatione degentium in eodem in omni partis injuriam ad impotentiam deveniret, quod duodecim relatarum Monialium, & ſex ſervientium vobis numerum non excedatis: de cetero, vobis auctoritate præſentium diſtrictius inhibemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc noſtram paginam noſtræ inhibitionis voluntatis, mandati, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Anagniæ Nonas Octobris anno vi.

X.

Ut ſeries teſtimonii & verba teſtium de miraculis E. Lantgraviæ redigantur in ſcriptis. Reg. Vatic. epiſt. 124.

TEſtes legitimi qui ſuper vita, converſatione, ac miraculis quondam E. Lantgraviæ, Thuringiæ ſunt recipiendi prius ab eis præſtito juramento, diligenter examinentur, & interrogentur de omnibus quæ dixerint, quomodo ſciunt, quo tempore, quo menſe, quo die, quibus præſentibus, quo loco, ad cujus invocationem, & quibus verbis in-

Digitized by Google

interpoſitis, & de nominibus illorum, circa quos miracula facta dicuntur, & ſi eos ante cognoſcebant, & quot dies ante viderunt eos infirmos, & quanto tempore fuerunt infirmi, & de qua civitate ſunt oriundi; & interrogentur de omnibus circumſtantiis diligenter; & circa ſingula capita fiant, ut expedit, quæſtiones præmiſſæ. Et ſeries teſtimonii & verba teſtium fideliter redigantur in ſcriptis.

Anno Christi 1233. Gregorii IX. Pontif. anno 7.

XI.

Concedit facultatem Archiepiſcopis, & Epiſcopis abſolvendi Fratres a caſibus reſervatis, idque fieri mandat. In Archivo Aracœlitano ſub plumbo habetur num. 95. Speculum Ord. fol. 113. pag. 2.

GREGORIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei,

Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis ad quos litteræ iſtæ pervenerint, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

§. I. Quia proni ſunt ab adoleſcentia hominis ſenſus ad malum, & caro ſemper vergit in culpam, quantumcumque Fratres Ordinis Minorum pro ſuæ ſanctæ Religionis obſervantia in Eccleſia Dei ſplendere noſcantur, ex humana tamen fragilitate contingit, quod interdum quidam eorum excedunt in caſibus, in quibus excommunicationis ſententiam & notam irregularitatis incurrunt. Quare nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut cum omnino non expediat, talibus pro abſolutionis beneficio, & diſpenſationis gratia obtinendis diſcurrere, ne vel eis detur vagandi materia, vel aliis contra ipſos occaſio murmurandi, providere ſuper hoc miſericorditer dignaremur. *Gen. 8. 21.* Fratribus vagandi motivum aufert.

§. II. Nos igitur de diſcretione veſtra plenam in Domino fiduciam obtinentes, fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſinguli veſtrum in propriis diœceſibus Fratribus Ordinis ſupradicti conſtitutis, ibidem abſolutione, ac diſpenſatione indigentibus, ſive antequam ad Religionem hujuſmodi convolarint, ſive poſtea exceſſerint in caſibus ſupradictis, cum ab eis fueritis requiſiti, auctoritate noſtra impendatis abſolutionis beneficium, & prout ſecundum Deum expedire videritis, diſpenſetis, niſi adeo eſſet difficilis & enormis exceſſus, quod merito pro iis deberent ad Sedem Apoſtolicam deſtinari.

Datum Anagniæ xvi. Kalendas Martii, Pontificatus noſtri anno vi.

XII.

Monaſterio Monialium Mediolanen. concedit hoſpitale ſancti Blaſii Modoetien. Reg. Vatic. epiſt. 301.

Abbatiſſæ, ac Monialibus Monaſterii ſanctæ Mariæ Pauperum incluſarum Mediolan.

Licet ex ſuſceptæ ſervitutis officio univerſorum cura nobis immineat generalis, de illarum tamen proviſione ſollicite cogitare debemus, quæ, ſeculi vanitatibus abnegatis, ſibi crucifixerunt mundum cum vitiis & concupiſcentiis, & ſe mundo. Inde eſt quod nos de ſtatu veſtro ſol- Pontificis erga Moniales cura potiſſima. *Gal. 5. 24.*

Digitized by Google

Ad eorum uſum bona hoſpitalis convertit.

Matt. 24. 12.

ſolliciti, conſiderato nihilominus fore conſultius, quod bona hoſpitalis ſancti Blaſii Modoetien. ad Rom. Eccleſ. nullo modo pertinentis in quo hoſpitalitas debita, ſicut accepimus, non ſervatur, in pios uſus, in ſuſtentationem veſtram videlicet, convertantur, quæ pauperes Chriſtum ſequi pauperem elegiſtis, illud ne abundante iniquitate, & refrigeſcente caritate multorum neceſſitas nimia (quod abſit) retro reſpicere vos compellat, cum omnibus bonis & pertinentiis ſuis Monaſterio veſtro concedimus intuitu pietatis, perpetuo poſſidenda, ita tamen quod per aliquos viros Religioſos divina ibidem Officia celebrentur..

Nulli ergo noſtræ conceſſionis &c. ſi quis &c. Datum XII. Kalendas Martii anno VI.

ADDITIO Ex Firmamento trium Ordinum.

XIII.

Concedit Fratribus liberam ſepulturam in ſuis Eccleſiis pro ſeipſis. Ex Firm. 3. Ord. par. 2. tract. 2. fol. 53.

Dilectis filii Miniſtro, & Fratribus Ordinis Minorum.

ITa vobis, & Ordini veſtro &c. deferre volentes, ut non detrahatur juſtitiis aliorum, devotionis veſtræ precibus inclinati, auctoritate vobis præſentium indulgemus, ut in locis, in quibus degitis, & celebratis divina, ad opus Fratrum veſtrorum dumtaxat habeatis liberam ſepulturam.

Nulli ergo &c. Datum Anagniæ VII. Idus Martii Pontificatus noſtri anno VI.

XIV.

Concedit licentiam celebrandi januis clauſis tempore interdicti. Speculum tract. 2. fol. 114.

GREGORIUS EPISCOPUS &c.

Dilectis filiis, & Fratribus Ordinis Minorum, ſalutem &c.

DEvotionis veſtræ precibus inclinati, ut tempore generalis interdicti non pulſatis campanis, excommunicatis, & interdictis excluſis, clauſis januis, & ſubmiſſa voce in Eccleſiis veſtris divina poſſitis Officia celebrare, auctoritate vobis præſentium indulgemus.

Nulli ergo &c. Datum Anagniæ VI. Idus Martii Pontificatus anno VI.

XV.

Prohibet bona a quadam Moniali ingrediente Ordinem conceſſa, & liberaliter donata Monaſterio Eſculano ab ipſo auferri. Reg. Vatic. epiſt. 15.

EPISCOPO ESCULAN.

Hujus conſtitutionis motiva.

PRo Monaſterio dilectarum in Chriſto Filiarum Sororum incluſarum Monaſterii de Eſculo, fuit coram nobis querela propoſita, quod cum olim dilecta in Chriſto filia Cicilia ejuſdem Monaſterii Monialis, filiaque A. civis Eſculani, patre ſuo defuncto, eidem Monaſterio tradidit ſe, ac ſua quæ idem pater ſuus in ſuo ſibi reliquerat teſtamento, G. & qui-

& quidam alii Cives Eſculani quibus dictus A. quondam de bonis ſuis, ſi hæredes ſui, quos ſibi inſtituit, decederent abſque hæredibus, in eodem teſtamento legarat, aſſerentes, eamdem Monialem in ingreſſu Monaſterii mortuam eſſe mundo, ac per hoc hæredes aliquos non habere, bona ipſa diſtrahi, & conferri pretium eorumdem præfato Monaſterio non permittunt. Cum igitur non decedat ſine hærede, quæ Monaſterio non ſolum ſua, ſed etiam tradidit ſemetipſam, mandamus quatenus, ſi eſt ita, Monaſterium ipſum non permittas a prædictis, ſuper eiſdem bonis, occaſione hujuſmodi, aliquatenus moleſtari, moleſtatores ipſos per cenſuras Eccleſiaſticas, appellatione remota, compeſcendo.

Datum Laterani v. Kalendas Aprilis anno VII.

XVI.

Concedit proficiſcentibus in terras Paganorum, & infidelium, ut ibidem Chriſtianos commorantes abſolvant etiam ab excommunicatione. Ex Arch. Aracœlitano num. 114. Speculum facit mentionem in ſummario ſub eodem anno.

GREGORIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI.

Dilectis filiis Fratribus Ordinis Fratrum Minorum presbyteris in terra Saracenorum, & Paganorum proficiſcentibus, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

ANimarum ſalutem deſiderio ferventi quærentes, auctoritate vobis præſentium indulgemus, ut cum in Saracenorum, & Paganorum terra fueritis, liceat vobis Chriſtianis ibidem morantibus, confeſſione peccatorum ſuorum audita, pœnitentiam ſalutarem injungere, ac ipſis, ſi aliquibus excommunicationis ſententiis ſint aſtricti, juxta formam Eccleſiæ, abſolutionis beneficium exhibere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Laterani II. Nonas Maii Pontificatus noſtri anno VII.

XVII.

Concedit euntes inter infideles poſſe excommunicatis ibidem communicare in iis, quæ ſunt ad ſalutem, eos ab excommunicatione abſolvere, dummodo Latini ſint, & obediant Sedi Apoſtolicæ. Ex Arch. Aracœlitano num. 114. Spec. fol. 3. par. 2. Rodrig. bulla 6.

GREGORIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI.

Dilectis filiis Fratribus Ordinis Fratrum Minorum in terras Georgianorum, Saracenorum, & Paganorum proficiſcentibus, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

§. I. CUm meſſis multa ſit, operarii vero pauci, Evangelicus ille paterfamilias adhuc mittit operarios in meſſem ſuam, & in hac *Luc. 10. 2.* quaſi undecima hora vineæ ſuæ novos deputat vinitores, quorum labores pari cum primis denario recompenſet.

Luc. 10. 2. *Matth.* 20. 9. 10. 13. *Matth.* 3. 9. §. II. Cum igitur in terris Georgianorum, Saracenorum, aliorumque infidelium nobis ſit animarum ſollicitudo commiſſa, ut illius operante clementia, qui de lapidibus poteſt Abrahæ filios ſuſcitare, verbo & exemplo proficiatis ibidem, & exiſtentes in invio reducatis ad viam; nos conſiderantes, quod miniſterium veſtrum diligenter implentes, vos operarios inconfuſibiles exhibens, vitiorum ſentes extirpare de agro *Gal.* 5. 25. Domini ſatagendo: propter quod indubitatam de vobis fiduciam obtinemus, ut qui ſpiritu vivitis ſpiritu ambuletis, & de doctrina & converſatione veſtra flores, & fructus proveniant gratiores, devotioni veſtræ præſentium auctoritate concedimus, ut in terris illis vobis ſit licitum excommunicatis communicare in iis, quæ ad ſalutem pertinent animarum, quibus etiam (dummodo Latini ſint, & Apoſtolicæ Sedi obediant) Fratres veſtri Presbyteri valeant, congrua ſatisfactione præmiſſa,ſecundum formam Eccleſiæ, abſolutionis beneficium impertiri, eorumque confeſſione audita, pœnitentiam ſalutarem injungere,& cum Ordinis veſtri Fratribus ſuper levi irregularitatis nota provide diſpenſare.

Nulli ergo &c. ſi quis &c. Datum Laterani XVI. Kalendas Junii, Pontificatus noſtri anno VII.

XVIII.

Excommunicationem latam in favorem Fratrum Minorum contra Abbatem Vitziliacenſem, facta compoſitione, revocaſſe ſe teſtatur, ut volens quæ Monaſterio jam dicti Abbatis ante conceſſerat, rata permaneant. Reg. Vat. ep. 186.

Abbati Viteiliacen.

§. I. Ex parte tua fuit nobis humiliter ſupplicatum,ut cum Ven. F. noſter Pariſien. Epiſcopus, & Collegæ ipſius in perſonam tuam propter injurias, quæ a te,ac quibuſdam Monachis tuis, Fratribus Minoribus dicuntur illatæ, auctoritate Apoſtolica duxerint excommunicationis ſententiam proferendam, & ſuper his inter Simonem, & Magiſtrum Thomam procuratores tuos ex parte una, & nominatos Fratres ex altera, de mandato noſtro, amicabilis compoſitio inita fuerit coram nobis; ne occaſione excommunicationis hujuſmodi in te, ac tuos Monachos promulgatæ, quam mandavimus relaxari, litteræ pro Monaſterio veſtro medio tempore a nobis obtentæ reddantur invalidæ, providere miſericorditer dignaremur.

§. II. Ne igitur delictum perſonæ in damnum redundet Eccleſiæ, volumus & mandamus, ut excommunicatione prædicta nequaquam obſtante, litteræ ipſæ in ſua remaneant firmitate.

Datum Laterani VI. Idus Junii anno VII.

XIX.

ADDITIO Waddingi ex Appendice Regeſti. *Confirmat concordiam initam inter Monachos, & Minoritas Virgiliacenſes*. Ex Reg. Vat. ep. 142.

Turonen. & Rothomagen. Archiepiſcopis, & Epiſcopis.

§. I. Gratum gerimus, & acceptum, prudentiam veſtram dignis in Domino laudibus commendantes, quod ſicut dilecti filii Fratres Minores noſtris auribus inſinuarunt, vos tamquam Catholicæ fidei, & bo-

Digitized by Google

& bonorum operum zelatores, juxta ſpem & fiduciam noſtram, mandatis Apoſtolicis obſequentes humiliter, Ordinem Fratrum Minorum, qui Deo placidus, & acceptus hominibus, flores, & fructus proferens honeſtatis, gratis ubique proficit incrementis, adverſus perverſorum impetus, & iniquorum inſultus viriliter defenſatis: ex quo quidem eo plus retributionis, & gratiæ, meremini apud Dominum, quo facilius temeritatis incurſus eos a propoſito revocaret, aut robur ſacræ Religionis infringeret, niſi refrænaretur in improbis nocendi temeritas, & innocentium ſimplicitas tuta inter verſutias nocentium remaneret.

Minores a Prælatis defenduntur.

§. II. Sane ſuper injuriis, quas quidam de Monachis Virgiliacen. Monaſterii dictis Fratribus, non ſine derogatione divini nominis, irrogarunt, inter fratrem Simonem Monachum, & Magiſtrum Thomam procuratores ipſorum Monachorum apud Sedem Apoſtolicam conſtitutos ex parte una, & Fratres prædictos ex altera, amicabilis compoſitio intervenit, quam noſtris duximus litteris exprimendam: videlicet quod Abbas, & Conventus prædicti, de loco quem Fratres inhabitant in Virgiliaco, per Monachos, vel eorum occaſione per alios aſportata, ibidem faciant ſine moræ diſpendio reportari, ac in ſtatum reduci priſtinum ſingula inibi deſtructa per ipſos: ſententias quoque, & prohibitiones, quas in locum, benefactores, & adjutores Fratrum per ſe, vel per alios promulgarunt, publice revocantes, ob hoc in nullo benefactores eorum, præſertim qui eis locum & domum conceſſerant, moleſtabunt, ipſos Fratres in dicto loco celebrare divina, & pacifice commorari, prout eſt eis ab Apoſtolica Sede conceſſum, libere permiſſuri, donec ſibi infra villam, vel exterius prope muros ad arbitrium tuum, frater Epiſcope, vel alterius boni viri, ad hoc de tuo conſilio eligendi de loco eorum habitationi æque congruo duxerint providendum, ac domus æquivalens ei, quæ fuit per Monachos diruta, fuerit, in loco ipſis aſſignato, conſtructa.

Sed eis Monachi noxii.

Componuntur tamdem.

Æmuli ad damna reſarcienda coguntur.

Debet eis conſtrui nova domus.

§. III. Quæ quidem cum ſingula debito fuerint effectui mancipata, ipſi, priori loco dimiſſo, tranſibunt ad ſecundum inhabitandum pacifice, ſacrificium laudis ibidem, & hoſtiam in odorem ſuavitatis Domino oblaturi. In quo loco Fratres prædicti oblationes in Miſſa non recipient ad altare, nec decimas, nec primitias ibidem percipient; nec habebunt, niſi tantum pro ſuis Fratribus, Eccleſiaſticam ſepulturam.

Nec oblationes, nec decimas poſſunt Fratres recipere,

Neque Sæculares ſepelire.

§. IV. Porro prænominati Abbas, & Conventus Fratres exinde non expellent ſine Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali. Licet autem dicti Procuratores ad ineundam compoſitionem hujuſmodi ab Abbate, & Conventu mandatum non receperint ſpeciale, Nos, qui licet indigni, locum ejus tenemus in terris, qui juxta propheticum ſermonem *liberavit pauperem a potente, & inopem, cui non erat adjutor*, paterno affectu memoratum Ordinem proſequentes, cujus inviolata Religio tamquam vitis abundans, palmites ſuos latius propagavit, & velut lucerna non abſcondita ſub modio, ſed in candelabro poſita, perlucidos radios claritatis oſtendit; defectum, qui eſt ex eo, quod conſenſus Abbatis, & Conventus ad compoſitionem hujuſmodi non acceſſit, ſupplemus de plenitudine poteſtatis, diſtricte præſentibus mandantes, quatenus ſæpe dictos Abbatem, & Conventum ad ſingula obſervanda, quæ ſuperius ſunt expreſſa, ſublato cujuslibet privilegii, ſeu reſcripti contra Fratres obtenti, vel alterius defenſionis obſtaculo appellatione remota, cenſura, qua convenit, compellatis.

Fratres nequeunt ex loco expelli.

Pſalm. 71. 12.

Matth. 5. 15.

Pontifex ſupplet compoſitionis defectus.

Fratribus moleſti poſſunt per cenſuras compelli.

§. V. Ceterum vobis illos, in quos, ob præmiſſas injurias, excom-

municationis ſententias promulgaſtis, in forma Eccleſiæ abſolvendi, & injungendi eis, quod de jure fuerit injungendum, ac diſpenſandi, ſi neceſſe fuerit, cum eiſdem, auctoritate præſentium, concedimus facultatem, excepta perſona Abbatis, cujus abſolutionem & diſpenſationem Arnulpho Archidiacono ſanctæ Margaritæ in Eccleſia Trecen. duximus committendam. Quod ſi non omnes &c.

Datum Laterani III. Nonas Junii anno VII.

XX.

Mandat, proventus obvenientes Monaſterio ſanctæ Petronillæ pauperum Sororum ex liberalitate Donati civis Senen. eidem fideliter miniſtrari. Reg. Vatic. epiſt. 321.

Conſulibus Pizzicarolis Mercatorum Senen.

§. I. Significante dilecto filio Vitali de Donato cive Senen. nos noveritis accepiſſe, quod cum ipſe zelo devotionis accenſus Monaſterio Monialium pauperum incluſarum de ſancta Petronilla obtulerit bona ſua, ut ex eorum redditibus eædem ſuſtentarentur in terris, & ipſe ſibi theſaurizaret in cœlis, præfatæ Moniales ne curis rerum temporalium impeditæ minus contemplationi vacarent, & ſic partem optimam negligere viderentur, bona ipſa recipere noluerunt.

§. II. Quia vero ſaluti veſtræ credimus expedire, ut per vos ad opus ipſarum bona eadem procurentur, univerſitatem veſtram rogandam duximus, & monemus per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus recipientes ad manus veſtras bona prædicta, proventus eorum colligi, & in uſus ipſarum converti fideliter pro noſtra & Apoſtolicæ Sedis reverentia faciatis, ſtatuentes ut hoc idem in poſterum veſtri faciant ſucceſſores; ita quod vobis exinde retributionis æternæ præmium, & a nobis condigna rependatur actio gratiarum.

Datum Anagniæ XI. Kalendas Octobris anno VII.

Anno Christi 1234. Gregorii IX. Pontif. anno 8.

XXI.

Concedit Monialibus Burgenſibus Regulam, & licentiam eligendi Abbatiſſam. Reg. Vatic. epiſt. 29.

Conventui Sororum incluſarum de Burgis Ordinis ſancti Damiani.

§. I. Ille dulciſſimus ſpiritus veritatis qui a Patre, Filioque procedens, replet orbem terrarum ſuæ amplitudine caritatis, corda veſtra miſericorditer inflammavit, ut mundo, & quæ in mundo ſunt ſalubriter abnegatis vos in caſtris clauſtralibus receptando, Sponſum veſtrum incorrupto amplexantes amore, curratis in odorem unguentorum ipſius, donec vos in genitricis ſuæ theſaurum introducat, amoris ſui dulcedine perpetuo recreandas, propter quod veſtra converſatio, quæ jam quaſi converſatur in cœleſtibus, exigit ut veſtris poſtulationibus aſſenſum benevolum impendamus.

Cantic. 1.

§. II. Cum igitur ex parte veſtra fuerit nobis humiliter ſupplicatum, ut concedentes vobis Regulam, ſecundum quam vivere debeatis, faceremus vobis in Abbatiſſam, cui tamquam capiti pronis mentibus obſequa-

Digitized by Google

quamini, de perſona idonea provideri: Nos veſtris ſupplicationibus inclinati, per dilectas in Chriſto filias Mariſanxem, Mariam Mingis, Julianam, & Toddam ſorores veſtras ſub bulla noſtra eamdem vobis Regulam tranſmittentes V.F. noſtrum Epiſcopum Burgen. rogamus, & monemus in Domino, noſtris tibi dantes litteris in mandatis, ut pro divina reverentia, & Apoſtolicæ Sedis, ac noſtra erga vos pia geſtans viſcera, & beneficiis foveat, & præſidiis tueatur, ac faciat vobis de perſona idonea per electionem canonicam provideri, velum conſecrationis ſeu converſionis Abbatiſſæ, & iis quæ illud ſuſcipere voluerint, cum expedire viderit, intra clauſtrum veſtrum nihilominus concedendo; ita quod exinde apud Deum, & homines ſibi comparet nomen bonum: Noſque devotionem ſuam poſſimus merito commendare. Sorores Nunciæ. Delegatur Epiſcopus Burg. Velum conceditur.

§. III. Ceterum cum Sponſum veſtrum ſuper omnia diligere teneamini, qui diligentes ſe, diligit, & ſuos efficit cohæredes, ita in eo tantum totis ſtudeatis affectibus delectari, ut nihil vos unquam penitus a caritate ipſius valeat ſeparare, fuſis lacrymis, totiſque animi medullis a Deo ſuppliciter poſtulando, ut qui cœpit in vobis perficiat opus bonum. Moniales hortantur. *Rom.* 8. 35.

Datum Laterani Idus Aprilis anno VIII.

XXII.

Concedit Monialibus Cæſarauguſtanis formulam vivendi, & ut poſſint eligere Abbatiſſam. Ex Regeſt. Vatic. epiſt. 101.

Dilectis in Chriſto filiabus religioſam vitam in Cæſarauguſtana civitate ducentibus.

§. I. ARdens & illuminans ignis ille quem Dominus Jeſus Chriſtus in terram mittens ardere voluit, ut carneos exurat affectus, juventutis, & ignorantiarum conſumat paleas, ac veternorum vepres & ſpinas devoret peccatorum, corda veſtra mirabiliter incendiſſe credendum eſt, ut mundi, & quæ mundi ſunt ſalubriter abnegatis, in odorem unguentorum ejus, qui fidelium ſponſus eſt animarum, curratis in caſtris clauſtralibus vias aſperas, donec vos in genitricis ſuæ thalamum introductas, cibet ſuæ viſione dulcedinis, & affectibus inebriet caritatis; propter quod converſationis veſtræ, quæ per exceſſum mentium in cœlis promeretur honeſtas, ut veſtris poſtulationibus aſſenſum benevolum impendamus. *Luca* 12. *Matth.* 3.

§. II. Cum igitur ex parte veſtra nobis fuerit humiliter ſupplicatum, ut vobis vivendi formulam, certam videlicet regulam, ſub qua militetis æternæ Regi gloriæ, concedentes, faceremus in Abbatiſſam, cui tamquam capiti membra pronis mentibus obſequamini, de perſona idonea provideri. Nos veſtris ſupplicationibus inclinati per dilectas in Chriſto filias R. M. V. & V. ſorores veſtras eamdem vobis ſub bulla noſtra Regulam tranſmittentes: Venerabilem fratrem noſtrum .... Cæſarauguſtanum Epiſcopum hortamur, & damus ei noſtris litteris in mandatis, ut pro divina reverentia, & Sedis Apoſtolicæ, ac noſtra, geſtans erga novitatem veſtram viſcera pietatis, foveat vos beneficiis, & præſidiis tueatur &c. *quæ ſequuntur ut ſupra epiſt.* XXI. *ad Monaſterium Burgenſe, uſque ad* merito commendare. Per Nuncias Sorores Regulam mittit. Epiſcopo Moniales commendantur.

Datum Reate VII. Idus Junii anno VIII. *In eumdem modum ſcriptum eſt ſuper hoc Epiſcopo Cæſarauguſtano.* *Vide ſup. Ep.* 25. Ille dulciſſimus.

XXIII.

Digitized by Google

XXIII.

Concedit indulgentias viſitantibus Eccleſiam ſancti Franciſci Pragenſis in feſtis Conſecrationis ejuſdem. Regeſt. Vatic. epiſt. 210.

Univerſis Chriſti fidelibus per Boemiam, & Poloniam conſtitutis.

Gen. 8. 21. Humanæ naturæ infirmitas.

§. I. QUia ſenſus hominis proni ab adoleſcentia ſunt ad malum, & a primis naturæ veſtigiis omnis ætas vitia imitatur, ſicut ex ſenſualitate caro vergit in culpam, ita vigore ſpiritus præcedente, & gratia ſubſequente divina, animus niti debet ad veniam, & remedia ſemper inquirere, quibus mortis occaſiones innumeras valeat declinare.

§. II. Cum igitur non ſit facile habitantibus ſuper terram incurſus evadere delictorum, propter quod divina ſuffragia ſunt plurimum opportuna, per quæ, ſi digne petantur, noſtrorum corruptela criminum aboletur. Univerſitatem veſtram rogamus, & hortamur in Domino, ac in remiſſionem vobis injungimus peccatorum, quatenus ad Monaſterium ſancti Franciſci Pragenſis imploraturi a Domino veniam delictorum, in humilitate ſpiritus accedatis.

§. III. Nos enim de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, univerſis cum debita reverentia & devotione illuc accedentibus in ejus conſecratione annum unum, ac anniverſario die conſecrationis ipſius XL. dies, & totidem in feſto Confeſſoris ejuſdem, uſque ad octavas, de injuncta ſibi pœnitentia relaxamus.

Datum Spoleti II. Kalendas Septembris anno VIII.

XXIV.

Commendat Epiſcopo Pragenſi, ut non permittat a quoquam Monaſterium pauperum Monialium ſancti Franciſci Pragenſe moleſtari. Regeſt. Vatic. epiſt. 209.

Episcopo Pragen.

Matt. 24. 12. Horum temporum mores exaggerat.

§. I. QUoniam diebus his malis, in quibus, refrigeſcente caritate, abundavit iniquitas plurimorum, ea nonnulli malignitate deſæviunt, ut Eccleſias, quas debent propter Deum habere in reverentia & honore, multipliciter opprimant, & hoſtiliter proſequantur, neceſſario expedit, ut nos qui ex officio noſtro tenemur in juribus & libertatibus ſuis Eccleſias conſervare, paterna pietate ſuccurramus eiſdem, & hujuſmodi viros noxios, ut ſaluti provideatur eorum, a præſumptione tam damnabili retrahamus, qui utique, ut videtur, Dominicæ patientiæ abuſores, quia cito contra malos non fertur ſententia, licenter præſumunt talia perpetrare.

Monaſteriũ Pragenſe ſub tutela Pontificis.

§. II. Cum igitur Monaſterium ſancti Franciſci Pragenſis, quod novella plantatio videlicet pauperum Monialium incluſarum, & juris & proprietatis Apoſtolicæ Sedis exiſtit, Eccleſiæ R. tutelam, & ſpecialis favoris mereatur præſidium obtinere: nos ei contra prædictos providere volentes, quibus cum ſint perverſi, bona placere vix poſſunt, in rebus peſſimis exultando, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus Monaſterium ipſum, cum perſonis & rebus ſuis, non permittas a quo-

Digitized by Google

a quoquam moleſtari, moleſtatores hujuſmodi, monitione præmiſſa per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo; præſentibus poſt decennium minime valituris.

Datum Spoleti II. Nonas Septembris anno VIII.

Ejuſdem Monaſterii etiam Rex Bohemiæ protectionem ſuſcipit, cujus regales litteras Ex Reg. Vatic. epiſt. 240. hic libet ſubnectere.

IN NOMINE SANCTÆ TRINITATIS, ET INDIVIDUÆ UNITATIS. AMEN.

„ §. I. NOs Wenceslaus Dei gratia IV. Rex Boemorum univerſis „ fide Chriſtiana præditis in perpetuum.

„ §. II. Actiones humanæ quæ ſub tempore ſolemniter celebrantur, „ cum tempore defluere minime tardant, & ſæpius propter meritos re„ rum eventus, caſſantur, ita quod nullam efficaciam ſortiuntur: præ„ cavendum eſt itaque, ut ea quæ per longævum curſum temporis poſ„ ſunt a memoria decidere, & faciliime annullari, neceſſe eſt, quod „ teſtimonio & litteris perennentur.

„ §. III. Ad abſtergenda igitur totius ambiguitatis veſtigia, noſcat „ tam præſens hominum ætas, quam in Chriſto ſucceſſura poſteritas, „ quod nos clauſtrum Pragæ in honorem ſancti Franciſci conſtructum, „ & hoſpitale ad id pertinens ſuum, apud ſanctum Caſtulum, & omnia, „ quæ ad ipſa nunc pertinent, vel in poſterum juſto ſunt titulo habitura, „ in regiam protectionem ſuſcipimus, concedentes eis pleniſſimam li„ bertatem, & etiam omnem exemptionem, cunctaque privilegia quæ a „ nobis, vel ab anteceſſoribus noſtris data ſunt Eccleſiæ Wiſegraden. „ Addentes etiam quod quicumque aliquam rebus, perſonis, ubicum„ que fuerint ad clauſtrum, vel ad hoſpitale pertinentibus, violentiam, „ vel jacturam intulerit, in bannum regium cadat pariter & offenſam. Privilegia concedit.

„ §. IV. Inſuper quicumque reus, ſive homicida, aut qualiſcumque „ flagitioſus infra terminos curiæ clauſtri, vel hoſpitalis prædicti con„ fugerit, nullam calumniam penitus patiatur; & quicumque ibidem vio„ lentiam inferre præſumpſerit, indignationem, & bannum regale ſe no„ verit incurſurum.

„ §. V. Teſtes autem hujuſmodi ſunt venerabiles Pragen. Eccleſiæ „ Joannes Epiſcopus, & Peregrinus quondam ejuſdem Eccleſiæ Epiſco„ pus. Arnoldus Præpoſitus Wiſegraden. & Cancellarius aulæ regiæ. „ Epiſcopus Pragen. Præpoſitus, & ejuſdem Eccleſiæ totus Conventus. „ Hermannus Præpoſitus Luthomericon. Bohuto Boleglavien. Præpoſi„ tus. Laici, Sdemlaus Camerarius Hromnata, Henricus filius Vitho„ nes, Budiglaus, & Taromlaus Fratres Mentidrich: Caſtellanus Pra„ gen. urbis, Ypoch. Caſtellanus Wiſegraden. & Lauriz Caſtellanus „ Nomtup. Præfectus de Prunda, Gebbardus frater ejus, Zaviſe ſubca„ merarius, & fere omnes Boemi. Teſtes harũ litterarum.

„ §. VI. Cum autem hoc ſtatutum cum noſtro conſenſu, & favore ſit „ ſolemniter celebratum, volentes, ipſum perpetuæ firmitatis vigore „ roborari, præſentis ſeriem ſcripturæ conſcribi fecimus, & ſigillo no„ ſtræ ſublimitatis juſſimus inſigniri.

„ §. VII. Acta ſunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MCCXXXIV. „ Indict. VII. regni noſtri anno VI.

„ Datum apud Pragam per manus Notarii Wilhelmi XII. Kalen„ das Aprilis.

XXV. *Com-*

XXV.

Commendat Fratres Minores Epiſcopis Italiæ, monens ut eis benignos ſe exhibentes, nullis eos ſinant adverſitatibus, vel preſſuris moleſtari. Regeſt. Vatican. epiſt. 328.

Archiepiſcopis, & Epiſcopis per Italiam conſtitutis.

Exod. 15. §. I. Ut cum majori libertate Dominica poſſet Iſrael adimplere præcepta, in exitum de Ægypto ei Dominus affuit, & perſequentem Pharaonis exercitum unda demerſit: de facili enim ſacræ robur religionis infringitur, quæ adverſæ malignitatis flatibus conquaſſatur.

§. II. Cum igitur dilecti filii Fratres de Pœnitentia mundi delicias aſpernentur, & eorum Religio Deo & hominibus ſit accepta, per Apoſtolica vobis ſcripta mandamus, quatenus ad viſitationem & correctionem eorum quilibet in ſua diœceſi ſollicitę intendentes, & habentes ipſos ob reverentiam Apoſtolicæ Sedis, & noſtram, propenſius commendatos, nec moleſtetis, nec permittatis eoſdem, quantum in vobis fuerit, moleſtari indebite, ita quod eorum Ordine in vigore debito permanente, vos retributionem divinam poſſitis exinde promereri, & nos devotionem veſtram non immerito commendemus.

Datum Peruſii xi. Kalendas Decembris Pontificatus noſtri anno viii.

XXVI.

Quod Moniales ſancti Damiani non poſſint conveniri a quoquam per litteras Apoſtolicas. Reg. Vat. epiſt. 361.

Abbatiſſæ, & Monialibus incluſis Ordinis ſancti Damiani de Aſſiſio.

Cœleſtia quærentibus, terrenis contemptui derelictis, libenter illud ſpéciale favoris præſidium impendimus, quod eis pacis & quietis producere gratiam ſentiamus. Ea propter dilectis in Chriſto filiabus præſentium vobis auctoritate concedimus, ut a quoquam conveniri per litteras Apoſtolicas non poſſitis, niſi de indulgentia hujuſmodi, & Ordine noſtro expreſſam fecerint mentionem.

Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis &c. Si quis &c. Datum Peruſii vi. Nonas Decembris anno viii.

Anno Christi 1235. Gregorii IX. Pontif. anno 8.

XXVII.

Confirmat conceſſionem Eccleſiæ ſancti Laurentii pertinentis ad Epiſcopatum Averſanum factam ab Epiſcopo, & Capitulo ejuſdem Civitatis Fratribus Minoribus. Regeſt. Vatic. epiſt. 433.

Miniſtro, & Fratribus Minoribus apud Neapolim commorantibus.

§. I. Juſtis petentium &c. uſque *complere*: veſtra ſiquidem nobis eſt inſinuatione ſuggeſtum, quod venerabilis Frater noſter Epiſcopus, & Capitulum Averſan. Eccleſiam ſancti Laurentii Neapolitan. ſpectan-

ſtantem ad Averſan. Eccleſiam, cum pertinentiis ſuis, Ordini veſtro, ut eam tenere & poſſidere poſſitis, pia deliberatione, ac provida conceſſerunt, proprietate ipſius præfatæ Averſan. Eccleſiæ reſervata, ſicut in inſtrumento inde confecto plenius continetur. Veſtris igitur precibus inclinati, quod ſuper hoc a prædictis Epiſcopo, & Capitulo pie & provide factum eſſe dignoſcitur, auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Ad perpetuam vero hujus rei memoriam, inſtrumentum ipſum de verbo ad verbum iis duximus litteris inſerendum; cujus tenor talis eſt.

In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei æterni. Anno ab Incarnatione ejuſdem MCCXXXIV. *menſe Novembris* VIII. *Indictione.* Donationis Inſtrumentum.

„ §. II. Nos Joannes, miſeratione divina, humilis Averſan. Epiſcopus, cum conſenſu & voluntate totius Capituli Averſan. divinæ pietatis intuitu, & ad petitionem fratris Nicolai de Terraci, Regulæ Fratrum Minorum Miniſtri, pro parte tamen, & vice totius Religionis ejuſdem exigentis, concedimus in perpetuum domo & Religioni prædictæ Fratrum Minorum, ſcilicet Eccleſiam noſtram ſancti Laurentii ſitam intra Neapolitanam Civitatem noſtræ Averſan. Eccleſiæ pertinentem, nec non hortum, curtem, & domos eidem Eccleſiæ ſancti Laurentii pertinentes; exceptis tamen apothecis, redditibus, & terris, quas de prædicta noſtra conceſſione excepimus, ad eamdem Eccleſiam ſancti Laurentii pertinentes, ita tamen quod Fratres Religionis prædictæ ſupradictam Eccleſiam ſancti Laurentii, cum prædictis horto, curte, & domibus a præſenti teneant & poſſideant, ad honorem Dei, & Religionis præfatæ, & in eis ædificent, & eorum pro ſalute animarum ſuarum, prout melius voluerint, faciant utilitatem: reſervata tamen proprietate dictæ Eccleſiæ ſancti Laurentii, & omnium prædictorum jam dictæ Eccleſiæ noſtræ Averſan. Quædam excipiuntur.

„ §. III. Si vero contigerit quoquo tempore venienti, prædictos Fratres de præfata Eccleſia, & loco prædicto recedere, vel aliquatenus amoveri; jam dicta Eccleſia ſancti Laurentii, cum pertinentiis ſuis, & omni melioratione ibi facta, ad jus & proprietatem noſtræ Averſan. Eccleſiæ libere debeat remanere: & ſi poſt eorum receſſum aliquo tempore, vel quotieſcumque de prædictis Fratribus Religionis ipſius ad eamdem Eccleſiam ſancti Laurentii velle redire contigerit, liceat eis illuc, tamquam ad locum ſuum, poſſe redire libere, & reverti; poſſeſſionem jam dictæ Eccleſiæ ſancti Laurentii, & prædictorum horti, curtis, & domorum, ſecundum quod neceſſe habent, ſine impedimento aliquo nanciſcendo.

„ §. IV. Ut autem de prædicta noſtra conceſſione fides plenior habeatur, hoc præſens ſcriptum, per manus Joannis publici Averſæ Notarii, eidem Miniſtro, pro parte & vice Religionis prædictæ exinde fieri fecimus, quod eſt ſigno ipſius Notarii ſignatum, ſigillo noſtro munitum, & ſubſcriptionibus ſubſcriptorum Fratrum noſtrorum ſubſignatum. Scripſi ego Joannes publicus Averſæ Notarius, qui interfui, & ſigno meo ſignavi Averſæ. Ego Nicolaus Decanus Averſanus conſenſi, & propria manu ſubſcripſi. Ego Robertus de Catit Averſanus Succentor conſenſi & ſubſcripſi. Signum propriæ manus Simonis Averſan. Præcentoris. Ego Andreas Archid. Averſan. conſenſi & propria manu ſubſcripſi. Signum manus propriæ Huafridi Canonici Averſan. Ego Paſchaſius Canonicus Averſan. conſenſi & ſubſcripſi.

„ Ego Bain Averſanus Canonicus conſenſi, & ſubſcripſi ſignum manus
„ propriæ Jacobi Villani Canonici Averſan.

Nulli ergo &c. noſtræ confirmationis &c. Si quis autem &c. Datum Peruſii xiv. Kalendas Februarii anno viii.

XXVIII.

Conſules Senenſes ſpiritualibus afficit gratiis pro diſpoſitione, & miniſtratione bonorum Monaſterii Monialium ſancti Franciſci Senenſis. Regeſt. Vatic. epiſt. 428.

Conſulibus Mercatorum Senenſium.

Nolunt Moniales temporalia bona recipere.

§. I. EI qui eſt cogitationum ſalubrium inſpirator, actiones referimus gratiarum, quod per inſpirantem ejus gratiam ad ea vos ſtudia pietatis induxit, ut ſerviendi ei neceſſitatem ſponte vobis duxeritis imponendam. Significante ſane dilecto filio Vitali cive Senenſi, nobis innotuit, quod cum ipſe, fundato apud Senas ſuis ſumptibus Monaſterio recluſarum ſancti Damiani, bona ſua ipſarum Monialium neceſſitatibus duxerit deputanda; quæ cum nolint temporalia poſſidere, recipere denegarunt. Aldebrandinus, Vivianus, Bonoincontrus, & Accatapan. anteceſſores veſtri, Deo in hoc intendentes gratum obſequium exhibere, pro ſua, & ſuorum ſucceſſorum ſalute, de voluntate V. prædicti, nullum quærendo exinde temporale commodum, ſed æternum, bona ipſa diſpenſanda perpetuo per ſe, ac ſucceſſores ſuos, ad manus receperunt ipſorum, obligantes ſeipſos, ac ſuccedentes eiſdem per publica inſtrumenta, de convertendis integre annuatim fructibus eorumdem bonorum in alimenta, & neceſſitates alias Monialium prædictarum.

Gratiam Apoſtolicam exhibet, & remiſſionem peccatorum.

§. II. Ut ergo vos, & ſucceſſores veſtri plenius ex hoc poſſitis divinam gratiam obtinere, de hoc vos monentes & hortantes attentius, vobis & ſucceſſoribus veſtris, qui pro tempore fuerint in officio conſulatus, in remiſſionem omnium peccatorum, de quibus corde contriti, & ore confeſſi fueritis, nihilominus injungentes, quamdiu propoſitum vobis divinitus inſpiratum ejus intuitu, pro cujus amore illud aſſumere ſtuduiſtis, laudabiliter proſequi procuretis; ita quod præter ſperatæ retributionis æternæ profectum, benedictionem Apoſtolicæ Sedis, & noſtram poſſitis abundantius promereri, noſque vobis conſtituere debeatis in veſtris opportunitatibus debitores.

§. III. Volumus quoque, ut prædictis prædeceſſoribus veſtris, & aliis, qui ad hoc dederunt auxilium, conſilium, vel favorem hæc quæ per nos facta ſunt intuitu pietatis in remiſſionem proficiant peccatorum.

Datum Peruſii vi. Kalendas Februarii Pontificatus noſtri anno viii.

XXIX. *Exem-*

Digitized by Google

XXIX.

Exemptionem Conventus pauperum Monialium ſancti Damiani Faventinenſis diœceſ. ab omni Epiſcopali jure, factam ab Epiſcopo Faventino, confirmat. Regeſt. Vatican. epiſt. 17.

Abbatiſſæ, & Conventui Pauperum Monialium recluſarum Monaſterii ſanctæ Mariæ de Virginibus Ordinis ſancti Damiani Faventinæ diœceſis.

§. I. SOlet annuere Sedes Apoſtolica piis votis, & honeſtis petentium precibus favorem benevolum impartiri. In litteris ſiquidem venerabilis fratris noſtri Faventini Epiſcopi perſpeximus contineri, quod ipſe, divinæ pietatis obtentu, Monaſterium veſtrum, cum perſonis, & poſſeſsionibus ab omni Epiſcopali jure, tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus duxerit perpetuo eximendum, nihil ſibi, præter ſacramenta Eccleſiaſtica, & unam libram ceræ annis ſingulis, reſervando. Epiſcopus a juribus Moniales eximit. Sed renuunt Canonici.

§. II. Verum, cum Faventini Canonici moniti & rogati, ſuum ſuper hoc noluerunt præſtare conſenſum; nos de poteſtatis plenitudine, illorum ſupplentes in hac parte defectum, veſtris piis precibus inclinati, quod ſuper hoc factum eſt ab Epiſcopo memorato, auctoritate Apoſtolica, confirmamus &c. uſque *communimus*, non obſtante, ſi libertatis indulta, quæ ab Epiſcopo ſimul, & Capitulo prius conceſſa ſunt vobis, his contradicere in aliquo videantur.

Nulli ergo noſtræ confirmationis &c. Si quis autem &c. Datum Peruſii XI. Kalendas Aprilis anno IX.

XXX.

Concedit, quod beneficia Eccleſiæ ſancti Apollinaris mortuis Clericis ea poſſidentibus, ad ſuſtentationem tranſeant pauperum Monialium ibidem incluſarum. Reg. Vatic. epiſt. 18.

Abbatiſſæ, ac Monialibus recluſis ſancti Apollinaris Ordinis ſancti Damiani.

CUm olim bon. mem. Mediolanen. Archiepiſcopus Eccleſiam ſancti Apollinaris, in qua vos perpetuo clauſtro clauſiſtis, pia vobis liberalitate duxerit concedendam, ſibi ejus poſſeſſionibus reſervatis; proinde nihilominus ſtatuit, ut Clerici ejuſdem ad Eccleſiam ſancti Joannis in Brolio Mediolanenſi transferrent ſeipſos, ſua ibi beneficia de dictis poſſeſſionibus percepturi: quia vero nondum illuc tranſeuntibus Clericis memoratis, plurimum timetur, ne cum vacaverint dicta beneficia, inter Clericos, quos aſſumi ad illa contingeret, ſcandalum orietur, aliis ab Eccleſia veſtra, aliis vero a prædicta Eccleſia ſancti Joannis petentibus inveſtiri, ex quo ſequeretur periculum animarum: nos veſtræ conſulentes inopiæ, & futuris malis occurrere cupientes, præſentium auctoritate ſtatuimus, ut decedentibus Clericis, qui beneficia ipſa nunc obtinere noſcuntur, poſſeſſiones hujuſmodi, cujuſmodi fuerant, revertantur ad eamdem Eccleſiam veſtram, ut ex earum fructibus in ſuſtentationis veſtræ ſubſidium convertendis, veſtra poſſit indigentia ſublevari. Scandalum intendit elidere.

Nulli ergo noſtræ conceſſionis &c. Si quis autem &c. Datum Peruſii V. Kalendas Aprilis anno IX.

XXXI.

Mandat inviolabiliter obſervari ſtatutum factum ab Epiſcopo Mediolanenſi in conceſsione Eccleſiæ ſancti Apollinaris facta Monialibus ſancti Damiani. Reg. Vatic. epiſt. 19.

Archiepiscopo Mediolanen.

Superiorem huic proximam expende Epiſtolam *num. 29. uſq. ad* ſublevari.

CUm olim bon. mem. Mediolanenſis Archiepiſcopus prædeceſſor dilectæ in Chriſto filiæ Abbatiſſæ, & Monialibus recluſis Eccleſiæ ſancti Apollinaris Ordinis ſancti Damiani Eccleſiam ipſam ſancti Apollinaris, &c. *In eumdem ferme modum uſque ad* ſublevari. Quocirca mandamus, quatenus ſtatutum hujuſmodi facias per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione remota, inviolabiliter obſervari. Contradictores &c. Datum ut ſupra.

XXXII.

Confirmat Monialibus ſancti Damiani conceſsionem Monaſterii ſancti Apollinaris juxta Mediolanum, & omnes immunitates, & libertates ab Archiepiſcopo Mediolanenſi ipſis conceſſas: inſuper iis concedit, ut, negante Ordinario, poſsint oleum ſanctum, vel aliud Sacramentum a quovis Epiſcopo Catholico recipere, quodque cenſuræ in eas ab Epiſcopis latæ, tamquam contra indulta Apoſtolica fulminatæ, pro nullis habeantur. Regeſt. Vatic. epiſt. 44.

Abbatiſſæ Monaſterii ſanctæ Mariæ, & ſancti Apollinaris extra Portam Romanam Mediolanenſem, ejuſque Sororibus, tam præſentibus, quam futuris Religionem ingreſſuris, profeſsis in perpetuum.

§. I. REligioſam vitam &c. uſque *ſacræ Religionis enervet*. Eapropter dilectæ in Chriſto filiæ &c. uſque *annuimus*, & Monaſterium ſacræ Dei genitricis & virginis Mariæ, & beati Apollinaris extra portam Romanam juxta foſſatum Civitatis Mediolanenſis conſtructum, in quo divino eſtis obſequio mancipatæ ſub beati &c. uſque *communimus*. In primis ſiquidem ſtatuentes, ut Ordo Monaſticus, qui ſecundum Deum & beati Benedicti Regulam, atque inſtitutionem Monialium incluſarum ſancti Damiani Aſſiſinatis in eodem loco inſtitutus eſſe dignoſcitur &c. uſque *obſervetur*. Liceat quoque vobis perſonas liberas &c. uſque *retinere*. Prohibemus inſuper, ut nulli Sororum veſtrarum, poſt factam in Monaſterio profeſſionem, fas ſit aliquatenus de eodem loco diſcedere, diſcedentem vero a veſtro Collegio, nullus prorſus audeat retinere. A præſtatione vero decimarum clauſuræ veſtræ ſive pro Oleo ſancto, vel alio Eccleſiaſtico Sacramento &c. Vobis Epiſcopus diœceſanus impendat. Alioquin liceat vobis hac auctoritate noſtra recipere a quocumque malueritis Catholico Antiſtite gratiam & communionem Sedis Apoſtolicæ obtinente. Quod ſi ſedes Diœceſani Epiſcopi &c. uſque *diœceſano Epiſcopo nullum præjudicium generetur*. Quia vero inter diœceſani Epiſcopi &c. uſque *recipere valeatis*.

Non licet Monialibus de Monaſterio diſcedere.

Decimas non tenentur impendere.

Neque Diœceſani cenſuris ſubjacent.

§. II. Porro ſi Epiſcopi, vel alii Eccleſiarum Rectores in Monaſterium veſtrum, vel perſonas inibi conſtitutas ſuſpenſionis, excommunicationis, vel interdicti ſententiam promulgaverint, ipſam tamquam contra Sedis Apoſtolicæ indulta prolatam, decernimus, non tenere. Preterea

rea cum commune interdictum terræ fuerit &c. uſque *celebrare*. Obeunte vero te &c. *Providerint eligendam*: paci quoque & tranquillitati veſtræ &c. *Audeat exercere*. Præterea omnes libertates & immunitates, quas Monaſterio veſtro Fratri noſtro Archiepiſcopo Mediolanenſi, Capituli ſui accedente conſenſu, indulſiſſe dignoſcitur, ſicut in ejus litteris plenius continetur, auctoritate Apoſtolica confirmamus &c. uſque *communimus*. Tenorem autem litterarum ipſius Archiepiſcopi ad cautelam duximus præſenti privilegio inſerendum, qui talis exiſtit.

Privilegia cetera confirmantur.

,, §. III. Guillelmus, divina miſeratione, ſanctæ Mediolanenſis Ec-
,, cleſiæ Archiepiſcopus. Dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſæ, & So-
,, roribus Monaſterii beatæ Mariæ, & beati Apollinaris conſtructi extra
,, portam Romanam, juxta foſſatum Civitatis, ſalutem & benedictionem.
,, Cum Monaſterium in honore beatæ & glorioſæ, ſemperque Virginis
,, Mariæ, & beati Apollinaris in loco memorato conſtrui feciſſetis, ut
,, ibidem devote Domino famulantes, pro nobis & aliis peccatoribus
,, orare poſſitis, humiliter poſtulatis, ut Monaſterium, & perſonas ibi-
,, dem Domino ſervientes, intuitu pietatis, & pro redemptione pecca-
,, torum noſtrorum, a jure Epiſcopali, ſeu alterius conditionis gravami-
,, ne, tam in temporalibus, quam in ſpiritualibus pleno jure eximere
,, deberemus.

Finis constructæ domus.

,, §. IV. Eapropter, veſtræ piæ & humili petitioni pro concurrente
,, aſſenſu, præfatum Monaſterium, & perſonas illic nunc, & in futurum
,, commorantes, cum omnibus bonis ſuis, conſenſu & voluntate Capitu-
,, li, ab omni jure Epiſcopali, & cujuslibet conditionis obligatione tam
,, in temporalibus, quam in ſpiritualibus pleno jure liberamus, & exi-
,, mimus, nihil aliud nobis, & Eccleſiæ Mediolanenſis in eiſdem reſer-
,, vantes, niſi conſecrationem Eccleſiæ, & altarium, cum fuerimus re-
,, quiſiti, ſi tum nos, & ſucceſſores noſtri gratis, & ſine pravitate ali-
,, qua voluerimus conſecrare.

Moniales ab epiſcopalibus juribus liberantur.

,, §. V. Reſervamus etiam nobis unam libram ceræ in feſto beati Apol-
,, linaris octo diebus ante, vel octo diebus poſt, pro cenſu nobis ſingulis
,, annis perſolvendam. Dat.

Quædã ſibi Ordinarius reſervat.

,, §. VI. Ego Wilhelmus de Rizolio Mediolan. Archiepiſcopus ſub-
,, ſcripſi. Ego Albertus Amiconus Mediolan. Eccleſiæ Archipresbyter
,, ſubſcripſi. Ego Stephanus Mediolan. Eccleſiæ Archidiaconus ſubſcri-
,, pſi. Ego Magiſter Stephanardus Balbus Mediolan. Eccleſiæ Ordina-
,, rius, & presbyter ſubſcripſi. Ego Ambroſius qui dicor Præcoſſus,
,, Notarius iſtius Domini Ribaldi Burc Mediolan. Diac. ſubſcripſi. Ego
,, Gerardus de Baſagapede presbyter, & Vicedominus ſubſcripſi. Ego
,, Alcherius de Ternazo Mediolan. Eccleſiæ Ordinarius, & Primicerius
,, ferulæ ſubſcripſi. Ego Rogerius de Turre Mediolan. Ordinarius ſub-
,, ſcripſi. Ego Fulco de Dervio Mediolan. Eccleſiæ presbyter ordina-
,, rius ſubſcripſi. Ego Ambroſius de Puteo Bonello ordinarius ſubſcri-
,, pſi. Ego Arnaldus de Maudellis Mediolan. ordinarius ſubſcripſi. Ego
,, Hugo de Setar. Mediolan. Eccleſiæ ordinarius, & domini Papæ Sub-
,, diacon. ſubſcripſi. Ego Guillelmus de Puſterl. Mediolan. ordinarius,
,, & Subdiacon. ſubſcripſi. Ego Etzo Vicecomes Mediolan. Eccleſiæ, &
,, ordinarius, & Domini Papæ Subdiac. ſubſcripſi. Ego Conradus de
,, Setara ordinarius Mediolan. Eccleſiæ, & Subdiac. Domini Papæ. Ad
,, indicium autem hujus perceptæ a Sede Apoſtolica libertatis, unam
,, libram ceræ nobis, noſtriſque ſucceſſoribus annis ſingulis perſolvetis.
,, Decernimus ergo &c. uſque profutura: ſalva Sedis Apoſtolicæ aucto-
rita-

Cleri ſubſcriptio.

Digitized by Google

„ ritate. Si qua igitur &c. uſque *ultum*. Cunctis autem &c. uſque *in-*
„ *veniant*. Amen. Amen. Amen.
„ Datum Peruſii per manus Fratris Joſephi Ord. Floren. Domini
„ Gregorii Papæ IX. Notarii iii. Nonas Maii. Indictione viii. Incar-
„ nationis Dominicæ anno mccxxxv. Pontificatus vero ejuſdem Do-
„ mini Gregorii Papæ anno ix.

XXXIII.

Confirmat donationem Marchionis Moraviæ factam Fratribus Minoribus hoſpitalis ſancti Franciſci Pragen. citatis ipſius conceſſionis, & Regiæ etiam confirmationis litteris. Archiv. Vatic. epiſt. 88.

Rectori & Fratribus Hoſpitalis S. Franciſci Pragen.

§. I. Filius ſummi Regis qui habet in ſuis manibus corda Regum, dilecto filio nobili viro Marchioni Moraviæ, nato claræ memoriæ Regis Boemiæ, inſpiravit, & prudenter attendens & humiliter recognoſcens, quod etſi dives in omnibus Dominus, non niſi pro nobis egeat bonis noſtris; acceptum tamen eſt ei, ut creatura, non ſolum ſua, ſed etiam ſemetipſam impendat beneplacito Creatoris, ut de perceptis beneficiis gratias exhibens, potiora percipere mereatur; ſecus agentibus reputatis ingratis, quorum ſpes evaneſcit, ut ſpuma gracilis, quæ dejicitur a procella, illi voluit dare quædam quæ ſibi contulit univerſa, & pro tranſitoriis reciperet ſine fine manſura, & terrena pro cœleſtibus felici commercio commutaret.

Marchionis Encomium.

§. II. Sicut enim ipſius Marchionis exhibitæ nobis litteræ continebant, idem ad petitionem dilectæ in Chriſto filiæ Agnetis Virginis ſororis ſuæ, de aſſenſu cariſſimi in Chriſto filii noſtri W. Illuſtris Regis Boemiæ fratris tui, villam, quæ dicitur Rakſcice, in ſuo Marchionatu ſitam, cum pratis, paſcuis, ſilvis, agris, aquis, & omnibus pertinentiis ſuis hoſpitali ſancti Franciſci veſtro, quod ad Romanam Eccleſiam, nullo mediante, pertinet, liberalitate, pia & libera contulit pietate, prout in prædictis expreſſius & plenius continetur; quia fuit ex parte veſtra nobis humiliter ſupplicatum, ut donationem hujuſmodi Apoſtolico dignaremur munimine roborare.

Donationem confirmat.

§. III. Nos igitur veſtris ſupplicationibus benignum impertientes aſſenſum, donationem eamdem, ſicut pie ac provide facta eſt, auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus, tenorem litterarum ipſarum præſentibus de verbo ad verbum inſeri facientes, qui talis eſt:

In nomine sanctæ Trinitatis et individuæ unitatis. Amen.

Donantis Diploma.

„ §. IV. Ego Premizhl Dei gratia Marchio Moraviæ hoſpitali ſancti
„ Franciſci & pauperibus in eo commorantibus in perpetuum. Cum
„ deceat principalem munificentiam large pluere beneficia, quibus non
„ tantum ſuppleatur pauperum inopia, ſed etiam quibus religioſorum
„ propulſetur neceſſitas, viſum fuit noſtræ benignitati, quamdam villam
„ Rakſcice nomine in noſtro Marchionatu ſitam, cum omnibus appen-
„ ditiis ſuis, pratis, paſcuis, ſilvis, agris, aquis, tempe, & omnibus
„ hujuſmodi pertinentiis, quæ retroactis temporibus dederamus Illuſtri
„ ſorori noſtræ Agneti virgini, quæ ſe Deo ſtatuit dicare, ex ejus pe-
„ titione, contulimus hoſpitali ab ea fundato Pragæ, ad uſus pauperum
„ ibi commorantium neceſſarios. Abſolvimus autem villam illam ab

omni

„ omni jure quod ſpectat ad uſus principum, ſive in jure quod datur de „ capite vel Erood, vel pro fure, vel quocumque modo ſpectat ad uti- „ litatem Principum & aliorum, qui caſtri tenent beneficia. Exemptio ab omni jure.

„ §. V. Nullus autem inquietet eam pro caſtrorum ædificatione, vel „ imminenti expeditione: & ſi de Nurok fiet quæſtio, illa cauſa tracte- „ tur coram illius villæ procuratore, quem procurator hoſpitalis ibi „ conſtituerit. Inſuper ſi fur fuerit convictus de furto, & adjudicatus „ morti, vel aliquis de homicidio debeat capite truncari de hominibus „ villæ illius, vel inciderit in aliam aliquam cauſam, in qua deberet ſa- „ tisfacere adverſario, ſemper bona furis, & bona capite truncati, & „ culpæ ſatisfactio remanent apud hoſpitale ad uſus ipſius, ut villa illa „ mera gaudeat libertate. Et quia hæc omnia non poterant plenarie „ confirmari ſine auctoritate Sereniſſimi fratris noſtri Winceslai IV. „ Regis Boemorum, rogavimus eum, quod ſicut nos villam illam præ- „ fato hoſpitali liberaliter contulimus, ita ipſe eam eidem hoſpitali „ cum omni jure præſcripto, ſub munimine ſigilli ſui, benigne roboraret, „ quod & fecit; unde verba ejus ſunt hæc. Ea, quæ hoſpitali debentur.

„ §. VI. Ego Winceslaus Dei gratia IV. Rex Boemorum. Ad ab- „ ſtergenda veſtigia totius hæſitationis per præſens ſcriptum ad notitiam „ omnium cupio pervenire, quod villam Raſceſce nomine, quam inclytus „ frater noſter Marchio Moraviæ Premizhl nomine, prius cum omnibus „ appendiciis ſuis Sorori ſuæ virgini contulerat, & poſtea ex petitione „ ejuſdem Sororis ſuæ donavit hoſpitali beati Franciſci, quod ipſa funda- „ vit Pragæ, perpetuo poſſidendam, confirmavi cum omni jure in privile- „ gio Fratris noſtri præſcripto. Ut autem hæc omnia perpetua firmitate „ roborarentur, in hujus rei teſtimonium ſigillum ſerenitatis meæ huic „ paginæ feci apponi. Ego autem Premizhl Dei gratia Marchio Moraviæ „ hanc ſchedulam mei principatus ſigillo in ipſius rei teſtimonio munivi. Regis Winceslai confirmatio.

„ §. VII. Teſtes autem hujus rei ſunt hi, Venerabiles DD. Joannes „ Pragen. Eccleſiæ Epiſcopus. Robertus Olomucenſis Eccleſiæ Epiſcopus. „ Peregrinus Epiſcopus quondam Pragenſis Eccleſiæ, & honeſti viri Ep- „ po Præpoſitus Pragenſis, & Arnoldus Vicegradenſis Eccleſiæ Præpoſi- „ tus. Vitto ſenior. Henricus frater ejus, Sedezlaus Camerarius, Breſchiz- „ laus Staztoloſi, cum fratre ſuo Henrico præfecti Budiſnenſi, Hroznata „ filius Petri, Budizlaus, cum fratre ſuo Jarozlao filio Jarozlai. Jarozlaus, „ cumfratre ſuo Gallo filio Mar, Vocco, cum fratre ſuo Duſizlao filii Be- „ neſde Beneſoa. Bouzlaus, cum fratre ſuo. Neroſlas filii Radim. Watto „ cum fratre ſuo Bouzlao, Zauviſſe ſubcamerario, Wilzo junior filius „ Henrici. Albertus, cum fratre ſuo Rodulfo. Miles, cum fratribus „ Zkamborio, & Ægidio. Fridericus & alii fere omnes Boemi. Ex „ Moravis Ben. Burgravius Znoim, Pribizlaus filius Pircos, Burgravius „ Graden, Stibonus præfectus de Weveri, Gyrbo dapifer, cum fratre „ ſuo Schaſtolau, Ratisborius, Wierto, Vocco filius Bonit, Wilielmus „ Camerarius, Bechouven. cum fratribus ſuis Lupoldo Pincerna, & „ Wolframo, Ardebus, Albertus præfectus de Wranou, Beneda ſub- „ mareſcalcus & fere omnes Moravi. In cujus rei evidentiam, & perpe- „ tuam firmitatem, ne in poſterum ſuper ipſa donatione, & confirma- „ tione aliqua calumnia poſſit ſuboriri, præſentem paginam conſcribi „ fecimus, & ſigillorum noſtrorum characteribus communiri. Acta ſunt „ hæc anno Dominicæ Incarnationis MCCXXXIV. Indict. VII. Datum „ apud Pragam per manum Willielmi Not. VI. Non. Octobris. Teſtes firmati.

Nulli ergo noſtræ confirmationis &c. Datum Peruſii XV. Kalendas Junii anno IX.

XXXIV.

Digitized by Google

XXXIV.

Confirmatio donationis factæ a Conſtantia Regina Bohemorm hoſpitali ſancti Franciſci Pragen. Reg. Vatic. epiſt. 88.

Rectori & Fratribus hoſpitalis S. Franciſci Pragen.

Lege in huic proxima ſuperiori Epiſtola num. 32. uſque ad *felici commercio*.

§. I. FIlius ſummi Regis, qui habet in ſuis manibus corda Regum, cariſſimæ in Chriſto filiæ noſtræ Conſtantiæ Illuſtris Reginæ Boemiæ inſpiravit ut prudenter attendens &c. ut ſupra uſque, *felici commercio commutaret*.

§. II. Sicut enim ejuſdem Reginæ litteræ nobis exhibitæ continebant, ipſa pro animæ ſuæ remedio poſſeſſiones, & res alias quas emit a Magiſtro, & Fratribus Hoſpitalis ſanctæ Mariæ Teutonicorum, hoſpitali veſtro, quod dilecta in Chriſto filia Agnes virgo, nata Reginæ prædictæ ad honorem beati Franciſci conſtruxerat, quodque ad Romanam Eccleſiam nullo pertinet mediante,liberalitate pia & liberali contulit pietate, prout in eiſdem litteris expreſſius & plenius continetur. Quare fuit &c. ut ſupra uſque *qui talis eſt*.

Reginæ Diploma.

„ §. III. Conſtantia Dei gratia Boemorum Regina, omnibus Chriſti „ fidelibus præſens ſcriptum inſpecturis, in vero ſalutari ſalutem. No„ verit tam præſens hominum ætas, quam in Chriſto ſucceſſura poſteri„ tas, quod nos hoſpitali clauſtri ſancti Franciſci in Praga Dominæ „ Agnetis dilectæ filiæ noſtræ illuſtris, pro remedio animæ noſtræ, om„ nem hæreditatem, quam emimus a Fratribus hoſpitalis ſanctæ Mariæ „ domus Teutonicorum contulimus, videlicet villas Glupetim, cum „ omnibus villulis ad eam pertinentibus, ſcilicet Humenche, Ridoſcitz, „ necnon & villam Borotiz, cum omnibus villulis ad eam pertinenti„ bus, ſcilicet Supernonizt, Brahteſuz, & Eccleſiam ſancti Petri cum „ curia, & villa Ribunc cum ſuis pertinentiis. Supradictas villas tradi„ mus hoſpitali prædicto, cum omnibus agris, ſilvis, aquis, hæreditati„ bus, hominibus, & omnibus aliis rebus ad ipſas pertinentibus, jure „ perpetuo poſſidendas, hoc ſalvo,quod Domina fructuum eſſe volumus, „ uſque ad terminum vitæ noſtræ, ut poſſimus de iis facere, quod nobis „ ſecundum Deum videbitur expedire. Ut autem hæc donatio in per„ petuum hoſpitali rata, ac firma, inconcuſſaque permaneat, noſtri „ ſigilli munimine fecimus roborari. Hujus rei teſtes ſunt Stephanus „ Kerſiz, Sluna Judex Berezlanen. Nimirus de Poſna, Jeſuthbos Wi„ tomiz, Bundizlaſiz Ninco Mariſcalius, Wicceto Judex Presbizlaven. „ Wſeborius de Loſonizotz, & alii quamplures. Datum Brunnæ anno „ Domini MCCXXXV. II. Idus Februarii. Nos autem Wentizlaus „ Rex IV. Boemorum omnia prædicta, quæ contulit mater noſtra hoſpi„ tali ſancti Franciſci dilectæ ſororis noſtræ Agnetis ſigillo noſtræ Cel„ ſitudinis fecimus inſigniri, confirmantes & roborantes donationem „ prædictam.

Donationis Teſtes.

Regia confirmatio.

Nulli ergo noſtræ confirmationis &c. Datum Peruſii XV. Kalendas Junii anno IX.

XXXV.

Digitized by Google

XXXV.

Concedit Sororibus ſanctæ Claræ hoſpitale quoddam, juxta Abbatiam quamdam in fundo Eccleſiæ Romanæ ſitam, conſtructum. Reg. Vatic. epiſt. 161.

Agneti Abbatiſſæ Monaſterii Pragenſis ſancti Franciſci, ejuſque Sororibus incluſis.

CUm relicta ſeculi vanitate, fragilitatem veſtram in ſtabilitatem perpetuam voluntarie convertentes, ſpretis mundanis illecebris, iter perfectionis & religioſæ vitæ propoſitum, providentia ſitis divinæ pietatis, ingreſſæ, ac pauperes eligentes pauperem ſequi Chriſtum, in ſuprema paupertate deſideretis Domino famulari; nos pium & ſanctum veſtrum propoſitum, inſpiratum vobis divinitus dignis in Domino laudibus extollentes, ac proſequentes actionibus gratiarum, veſtris ſupplicationibus inclinati, hoſpitale ſancti Franciſci, juxta Monaſterium veſtrum ſitum, quod tu filia Abbatiſſa in fundo Romanæ Eccleſiæ conſtruxiſti, cum pertinentiis ſuis eidem Monaſterio perpetuo duximus concedendum: Nihilominus ſtatuentes, ut idem hoſpitale, cum omnibus bonis ſuis, a Monaſterio ipſo nullo modo, vel ingenio valeat ſeparari: Sed proventus poſſeſſionum illius, uſibus veſtris, & earum quæ ſucceſſerint vobis cedant, auctoritate Sedis Apoſtolicæ ſemper ſalva.

Moniales laudat.

Monaſterium ab Agnete conſtructum.

Nulli ergo noſtræ conſtitutionis & conceſſionis &c. Si quis autem &c. Datum Peruſii XV. Kalendas Junii anno IX.

XXXVI.

Prohibet Ciſtercien. receptionem Fratrum Minorum ad habitum Monaſticum ſine licentia ſummi Pontificis, aut Generalis Miniſtri, & mandat remittendos eos, quos jam receperunt. Ex Archivo Aracœlitano num. 67. ex Vatic. num. 66.

GREGORIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Dilectis filiis univerſis Abbatibus Ordinis Ciſtercien. ad quos litteræ iſtæ pervenerint, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

§. I. QUo vos in Chriſto ſinceriori caritate diligimus, eo plenius ut in cunctis providi ſitis & vigiles, affectamus, turbationis non modicæ ſpiritum aſſumentes, ſi de vobis quandoque contrarium ad nos relatu perveniat aliquorum. Sane mirantes accepimus, quod cum a bonæ memoriæ Honorio Papa prædeceſſore noſtro fuerit demandatum, ut nullus de Ordine Fratrum Minorum in veſtrum, aut ex vobis aliquis in eorum collegium, ſine ſpeciali mandato ſummi Pontificis, admittatur; vos, qui quanto cariores eſtis Eccleſiæ, tanto quod ipſa pie providiſſe dignoſcitur, tenemini propenſius obſervare, contra mandatum hujuſmodi venientes, non abſque offenſa rectitudinis, quæ in veſtris debet actibus haberi continue ſpecialis, quoſdam ex ipſis Fratribus ad veſtrum Ordinem admiſiſtis.

Pontificiis mandatis Monachi nō obtemperant.

§. II. Verum cum ex hoc turbationis & ſcandali poſſit exoriri materia, quæ ſolatium pacis æternæ quærentibus debet omnimodis conſtitui peregrina; Univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta, in virtute obe-

Digitized by Google

Ad primum ſuum habitum aſſumendum Minoribus mandat.

obedientiæ præcipiendo, mandamus, quatenus Fratres eoſdem ad ſui reſumptionem habitus, ſublato cujuslibet difficultatis obſtaculo, remittentes, de cetero nullum ex ipſis, prætextu indulgentiæ alicujus, niſi prius Sedis Apoſtolicæ, vel Miniſtri Ordinis memorati petita fuerit & obtenta licentia, recipere præſumatis: alioquin quantumcumque in his deferre vobis quæ ſunt ad Redemptoris gloriam cupiamus, cogemur ſuper hoc illud ſtudium proviſionis apponere, per quod contemptum obedientiæ pateat nobis vel Deo potius multipliciter diſplicere.

Datum Peruſii XIV. Kalendas Junii, Pontificatus noſtri anno IX.

XXXVII.

Confirmat conceſſionem Monaſterii ſancti Laurentii de Collazon Monialibus ſancti Damiani, cum aliis omnibus immunitatibus, & libertatibus conceſſis iiſdem ab Epiſcopo Tudertino, infra in ipſius litteris contentis. Archiv. Vatic. epiſt. 80.

Abbatiſſæ & Conv. S. Laurentii de Collazon S. Damiani Tudertinæ diœceſis.

§. I. JUſtis petentium &c. uſque *complere*. Ex parte ſiquidem veſtra fuit expoſitum coram nobis, quod Ven. Fr. noſter Epiſcopus Tudertinus, Monaſterium veſtrum, & Eccleſiam ſancti Joannis, quam vobis, cum omnibus pertinentiis ſuis, pleno jure conceſſit, ab omni juriſdictione Epiſcopali, Capituli ſui accedente conſenſu, eximens, nihil ſibi & ſuis ſucceſſoribus in eis præter unam libram ceræ pro temporalibus, & Sacramentorum Eccleſiaſticorum collationem, dedicationem Eccleſiæ, conſecrationes altarium, & benedictiones Monialium, pro ſpiritualibus reſervavit; ſtatuens vos, Monaſterium, & Eccleſiam prædictam de cetero ea libertate gaudere, qua gaudent perſonæ & Eccleſiæ, quæ pleno jure noſcuntur ad Romanam Eccleſiam pertinere, ſicut in inſtrumento publico inde confecto plenius continetur.

Donationem confirmat.

§. II. Veſtris igitur precibus grato concurrentes aſſenſu, quod ſuper hoc a præfato Epiſcopo pie ac provide actum eſſe dignoſcitur, auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus, prædictum inſtrumentum de verbo ad verbum præſentibus inſerentes, cujus tenor talis eſt.

In nomine Domini, ab ejus nativitate ſunt anni MCCXXXV. *tempore Domini Papæ Gregorii IX.* XI. *Kalendas Maii Indictione* VIII.

Epiſcopi, & Capituli donatio.

„ §. II. Nos Bonifacius Tudertinus Epiſcopus gratia Jeſu Chriſti, de „ conſcientia & voluntate Domini Gregorii Papæ IX. patris noſtri, præ„ ſentibus & conſentientibus Ruſtico priore, Donno Angulario Pre„ sbyteris, Bonifacio, & Alberico Donno, Paulo Boniſidantia in Capi„ tulo Tudertinenſi nomine Epiſcopatus, & Canonicæ Tudertinenſis, „ divino intuitu, beatæ Mariæ Virginis, & ſancti Laurentii, ac Religionis „ obtentu, non vi aliqua vel dolo ducti, ſed libera & ſpontanea vo„ luntate donamus, concedimus, & largimur tibi fratri Forti Rainaldi „ Ormanolli Ordinis Minorum, Fratrum vice, & nomine recipienti Ro„ manæ Eccleſiæ matris noſtræ Monaſterium ſancti Laurentii de Colla„ zon, poſitum, ſive ſitum prope caſtrum ipſum Collazon, cum omnibus „ ſuis poſſeſſionibus, & pertinentiis, univerſis juribus, & actionibus „ habitis & habendis, ut in eo Virgines devotæ Deo, & aliæ ancillæ „ Chriſti viventes, juxta beati Regulam Benedicti, recluſæ & honeſtæ Do-

„ Domino famulentur: & ipſis Dominabus, & eis ſuccedentibus in perpetuum, immunitatem plenam concedimus, & libertatem. Volentes ut idem Monaſterium, Abbatiſſa, Moniales & aliæ perſonæ inibi conſtitutæ, & quæ poſtea illuc futuris temporibus ſunt venturæ, plena & perpetua gaudeant libertate, qua gaudent Monaſteria, quæ pleno jure noſcuntur ad Romanam Eccleſiam pertinere.

„ IV. Concedimus inſuper & donamus perpetuo pleno jure (ſicut ad nos pertinet) Eccleſiam ſancti Joannis de Monte, cum omnibus pertinentiis & bonis ſuis, Monaſterio & domibus prædictis, quibus propter vicinitatem, erat eadem Eccleſia opportuna; ceteras vero ipſius Monaſterii capellas juriſdictioni Epiſcopali reſervantes, ipſum quoque Monaſterium cum capella prædicta, Abbatiſſam, Sorores, ac perſonas commorantes in ipſis ab omni Epiſcopali juriſdictione, tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus prorſus eximimus, & duximus eximendum, nihil nobis, & ſucceſſoribus noſtris in iis omnibus reſervantes, niſi Eccleſiaſticorum ſacramentorum collationem, dedicationem Eccleſiæ, conſecrationes altarium, benedictiones Monialium, cum ab Abbatiſſa & Sororibus fuerimus requiſiti; dum tamen ea gratis, & ſine pravitate qualibet ipſis exhibere velimus, & unam libram ceræ, quæ nobis & ſucceſſoribus noſtris annuatim, in feſto ſancti Laurentii cenſus nomine, perſolvetur.

Etiam S. Joannis Eccleſiam donant.

Eximunt Sorores ab Epiſcopali juriſdictione.

„ V. Præmiſſa quoque fecimus abſolute, libere, ac præciſe, nullius conventionis, ſive pactionis, aut venditionis tacitæ, vel expreſſæ, generalis vel ſpecialis nobis commodo reſervato, ſed ſalvo nobis & ſucceſſoribus tantummodo, quod de ſacramentis, & libra ceræ ſuperius eſt expreſſum. Renunciamus etiam in præmiſſis omnibus, ac univerſis chartis, & quibuſcumque rationibus, vel conditionibus (ſi quæ in hoc contrariæ apparerent) quas, ſi contingeret inveniri, nolumus in aliquo prodeſſe nobis, vel ſucceſſoribus noſtris ullo modo, ſed eas omnino caſſas eſſe volumus, & inanes. In cujus rei teſtimonium ſupradicta conſcribi manu publica fecimus, ac etiam annotari, ſigillorum noſtrorum munimine roborantes, ad ipſius rei perpetuam perhabendam memoriam, univerſa & ſingula ſupradicta conceſſa ſunt, ſicut ſuperius eſt præmiſſum.

Cenſus ſolvendus.

Contrariis renunciant juribus.

„ §. VI. Tuderti acta ſunt & firmata in Palatio Epiſcopatus, coram fratribus Simone & Raynerio de Ordine Minorum Fratrum, Magiſtro Palmerio & Ph. Notar. Tudertin. Tudino Aſtuldi, Paganutio Epiſcopi, Aldrovanducio Gilii univerſis Presbyteris, Petro ſancti Angeli ſupra murum, & Joanne ſanctæ Praxedis Tudertin. teſtibus ad hoc rogatis præſentibus, & vocatis, & me Notario infraſcripto anno, die & Indictione ſuperius appoſitis & conſcriptis. Ego Salomon Not. Eccleſiæ Romanæ ſanctæ, cuncta conſcripta ſuperius & narrata, quibus interfui univerſis rogatus conſcribere & publicare ſcripſi & in publicam reduxi formam, ſigno meo proprio conſignando. Ego Ruſticus Prior Tudertinus ſubſ. Ego presbyter Albericus Canonicus Tudertin. ſubſ. Ego presbyter Paulus Canonicus Tudertin. ſubſ. Ego Bonifidantia Canonicus Tudertin. ſubſ.

Teſtes.

Subſcriptiones.

Nulli ergo noſtræ confirmationis &c. Si quis autem &c. Datum Peruſii XI. Kalendas Junii anno IX.

Digitized by Google

XXXVIII.

Prohibet infra ſcriptis procedere contra Regem Hungariæ, ſine ſpeciali ſanctæ Sedis mandato. Reg. Vatic. 220.

Epiſcopo Boſnen. & Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Minorum Prioribus Strigonen.

Cum Ven. Fr. noſter Prænestinus Epiſcopus, tunc Apoſtolicæ Sedis Legatus, diſcretioni veſtræ commiſerit denunciationem ſententiarum ſuarum, quas in cariſſimum in Chriſto filium noſtrum Andream illuſtrem Regem Ungariæ duxerat promulgandas, prædicta vobis auctoritate mandamus, quatenus, ſine ſpeciali mandato noſtro, ſuper hoc nullatenus procedatis.

Datum VII. Idus Junii Pontificatus noſtri anno IX.

XXXIX.

Præcipit Prælatis, ut caritative recipiant Fratres ad prædicandum miſſos. Ex noſtro Archivo Rodriguez bulla 10.

GREGORIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI.

Venerabilibus fratribus Archiepiſcopis & Epiſcopis, & dilectis filiis Abbatibus, & aliis Eccleſiarum Prælatis, ad quos litteræ iſtæ pervenerint, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Matt. 10. 41. Minores Prophetis comparat.

§. I. Cum qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ mercedem Prophetæ recipere mereatur: dilectos filios Fratres Minores, qui more Apoſtolorum, ferendo ſemina verbi Dei, diverſas circumeunt regiones, & devotioni veſtræ fiducialius commendamus, quo ſalutem fidelium propenſius affectantes, ardenter cupimus, ut vobis apud Deum exinde augeatis cumulum meritorum.

§. II. Quocirca univerſitatem veſtram rogamus, & hortamur accurate, per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus dictos Fratres ad vos accedentes, ut circa lucrum animarum, & evangelizationem verbi Dei ſuum miniſterium exequantur, habentes ejus intuitu commendatos, cujus iidem obſequiis ſunt adſcripti, benigne & caritative recipiatis eoſdem, utpote Catholicos & fideles, eiſque favorabiles & propitii in ſuis neceſſitatibus exiſtatis credendo firmiter, & certo de ipſis habendo fiduciam, quod cum ſpiritu vivant, ſpiritu & ambulent, ſe operarios in vinea Domini debeant inconfuſibiles exhibere.

Datum Peruſii VIII. Kalendas Julii, Pontificatus noſtri anno IX.

XL.

Confirmat donationem Epiſcopi, & Capituli Tudertini factam Abbatiſſæ pauperum Sororum ſancti Laurentii de Collazono, alias inſuper immunitates eiſdem ſuperaddens. Reg. Vatic. epiſt. 158.

Abbatiſſæ ſancti Laurentii de Collazono, ejuſque Sororibus incluſis tam præſentibus, quam futuris.

Religioſam vitam &c. uſque *enervet*. Eapropter &c. uſque *communimus*. In primis ſiquidem &c. uſque *obſervetur*. Præterea quaſcumque poſſeſſiones &c. uſque *permaneant*, in quibus hæc duximus propriis

Digitized by Google

priis vocabulis exprimenda, locum ipſum, in quo præfatum Monaſterium ſitum eſt, cum omnibus pertinentiis ſuis Eccleſiam ſancti Joannis de Monte, cum pertinentiis ſuis a Ven. fratre noſtro B. Tudertino Epiſcopo, Capituli ſui accedente conſenſu, pleno jure vobis conceſſam, prout in litteris inde confectis plenius continetur. Liceat quoque vobis perſonas liberas &c. uſque *retinere*. Prohibemus inſuper, ut nulli Sororum veſtrarum &c. uſque *retinere*. Pro conſecrationibus vero altarium, ſive pro oleo ſancto, vel alio Eccleſiaſtico ſacramento nullus a vobis ſub obtentu conſuetudinis, vel alio modo, quidquam audeat extorquere, ſed hæc omnia gratis vobis Epiſcopus diœceſanus impendat. Alioquin liceat vobis hæc, auctoritate noſtra, recipere a quocumque malueritis Catholico Antiſtite, gratiam & communionem Sedis Apoſtolicæ obtinente. Quia vero interdum &c. uſque *valeatis*. Cum autem generale interdictum &c. uſque *celebrare*. Obeunte vero &c. uſque *eligendam*. Porro ſi Epiſcopi &c. uſque *non tenere*. Paci quoque &c. uſque *exercere*. Præterea omnes libertates & immunitates, quas Monaſterio veſtro prædictus Tudertinus Epiſcopus, de Capituli ſui aſſenſu, indulſiſſe dignoſcetur, ſicut in ejus litteris plenius continetur, auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti privilegio communimus. Tenorem autem litterarum ipſius Epiſcopi & Capituli ad cautelam duximus præſenti privilegio inſerendum. Qui talis eſt: *In nomine Domini. Amen* &c. habentur epiſtola LXXX. *Decernimus ergo* &c. uſque *Salva Sedis Apoſtolicæ auctoritate*. Ad indicium autem &c. uſque in finem. Sacramentalia gratis ab Epiſcopo impendenda.

Datum Peruſii x. Kalendas Auguſti anno IX.

XLI.

Confirmat donationem, & immunitates factas ab Archiepiſcopo Piſano Monaſterii Omnium Sanctorum in diœceſi Piſana, nova inſuper iiſdem privilegia adjiciens. Regeſt. Vatic. epiſt. 157.

Abbatiſſæ Monaſterio Omnium Sanctorum de Ripa Arni Piſani, ejuſque Sororibus incluſis, tam præſentibus quam futuris.

§. I. REligioſam vitam &c. uſque *enervet*. Eapropter &c. uſque *communimus*. Imprimis ſiquidem ſtatuentes, ut Ordo monaſticus, qui ſecundum Deum, & beati Benedicti Regulam, atque Inſtitutionem Monialium incluſarum ſancti Damiani Aſſiſinatis in eodem loco &c. uſque *obſervetur*. Liceat quoque vobis per ſanctas &c. uſque *retinere*. Prohibemus inſuper, ut nulli Sororum veſtrarum, poſt factam in Monaſterio veſtro profeſſionem, fas ſit de eodem loco diſcedere, diſcedentem vero nullus audeat retinere. A præſtatione vero decimarum clauſuræ veſtræ, & de hortorum fructibus, & pomorum vos eſſe decernimus liberas & immunes. Pro conſecrationibus vero altarium, vel Eccleſiæ veſtræ, ſive pro Oleo ſancto, vel alio Eccleſiaſtico Sacramento, nullus a vobis ſub obtentu conſuetudinis, vel alio modo, quidquam audeat extorquere. Sed hæc omnia gratis vobis, auctoritate noſtra, Epiſcopus diœceſanus impendat. Alioquin liceat vobis hæc, eadem auctoritate recipere a quocumque malueritis Catholico Antiſtite, gratiam, & communionem Sedis Apoſtolicæ obtinente. Quia vero interdum &c. uſque *valeatis*. Cum autem generale interdictum &c. uſque *celebrare*. Obeunte vero te &c. uſque *eligendam*. Porro ſi Epiſcopi, vel alii Eccleſia- De Monaſterio non licet diſcedere profeſſis. Gratis Epiſcopus Sacramentalia impendat.

Nequeunt aliorum ſubeſſe cenſuris.

ſiarum Rectores in Monaſterium veſtrum, & perſonas regulares inibi Domino famulantes, ſuſpenſionis, excommunicationis, vel interdicti ſententiam promulgaverint, ipſam, tamquam contra Sedis Apoſtolicæ indulta prolatam, decernimus non tenere. Paci quoque &c. uſque *exercere*. Præterea, omnes libertates, & immunitates, quas Monaſterio veſtro Venerabilis Frater noſter Archiepiſcopus Piſanus indulſiſſe dignoſcitur, quas nos ſupplentes, de plenitudine poteſtatis, defectum, ſi quis ex eo fuerat, quod Capitulum Piſanum ſuper hoc noluit conſentire, olim duximus confirmandas, & quibus poſtmodum idem Capitulum ſalubriori conſilio præſtiterunt aſſenſum, ratas habentes eaſdem, ſicut in prædictorum Archiepiſcopi, & Capituli litteris plenius continetur, auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti privilegio communimus. Tenores autem litterarum ipſarum ad cautelam duximus præſenti privilegio inſerendas, qui tales exiſtunt.

Omnes Pontifex defectus ſupplet.

Litteræ Piſani Epiſcopi.

„ §. II. Vitalis Dei gratia Piſanus Archiepiſcopus, totius Sardiniæ „ Primas, & Apoſtolicæ Sedis Legatus, dilectis in Chriſto filiabus Ab„ batiſſæ, ejuſque Sororibus Monialibus Monaſterii Omnium Sanctorum „ in Ripa Arni æternam in Domino ſalutem. Poſtulatis a nobis humili„ ter, ut dictam Eccleſiam Omnium Sanctorum, quam pro honore Dei „ omnipotentis, & beatiſſimæ Virginis Mariæ Dominæ noſtræ, atque „ aliorum Sanctorum Omnium, & pro reverentia ſummi Pontificis, „ ejuſque mandato veſtræ conceſſimus caritati, ut ſaluti veſtræ, aliorum„ que fidelium ibidem aſſidue libere intendere valeatis, pietatis intuitu, „ & pro remedio animæ noſtræ, a jure Archiepiſcopali, ſeu alterius „ conditionis gravamine eximere deberemus.

„ §. III. Ideoque in Chriſto filiæ humili petitioni veſtræ pio con„ currentes aſſenſu, pro reverentia ejuſdem ſummi Pontificis, ejuſque „ mandato, præfatum Monaſterium, & perſonas ibidem cum hortis, & „ adjacentiis ſuis ab omni jure Archiepiſcopali, & cujuslibet conditionis „ obligatione eximimus, & liberamus, excepto quod unam libram ceræ „ nobis, & ſucceſſoribus noſtris annis ſingulis, in feſto Omnium Sancto„ rum, apud Archiepiſcopalem Curiam pro cenſu vos, & quæ vobis „ ſuccedunt, perpetuo ſolvere teneamini pro Monaſterio ſupradicto. „ Datum apud Calcem anno Domini MCCXXXIII. Indictione VI. Kalen„ dis Novembris. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. „ Amen.

Capituli proteſtationes.

„ §. IV. Ex hujus publici inſtrumenti clareat lectione, quod nos „ Bartholomæus Archipresbyter Piſanus pro Piſano Capitulo, & ipſum „ Capitulum videlicet DD. Robertus, Ventura, Ramerius, Vaporlo„ tus, Fridericus de Burti, Marignanus, Gartanus, & Piſanus Cano„ nici, dicimus, reſpondemus, & proteſtamur, quod exemptionem, „ & libertatem factam, & conceſſam Eccleſiæ Omnium Sanctorum a „ Domino Vitali, Dei gratia Archiepiſcopo Piſano, Eccleſiæ & Monaſte„ rio, quæ ſita eſt in diœceſi Piſana, & Plebatu noſtro, licet nos a prædi„ cto Domino Archiepiſcopo non fuerimus requiſiti; ad honorem tamen „ Dei, & omnium Sanctorum, pro Domini Papæ reverentia, & ad opus „ Sororum ibidem incluſarum ratam & firmam habemus, & eam appro„ bamus, præſentibus Domino Raynerio de Curte Judice, & Maymardo „ quomdam Riccobaldi, & Juncta Clerico Domini Archiepiſcopi Piſa„ ni, teſtibus ad hoc rogatis anno Dominicæ Incarnationis MCCXXXVI. „ Indict. VIII. XIII. Kalendas Julii. Et ego Joannes Filius quomdam „ Boyacciani de Urio Domini Friderici Romanorum Imperatoris

Ju-

Digitized by Google

„ Judex, & Notarius ſupradictis interfui, & rogatu dictorum Archiepi-
„ ſcopi, & Capituli Piſani ſcripſi & firmavi.
„ §. V. Decernimus ergo &c. uſque *ſalva Sedis Apoſtolicæ auctori-*
„ *tate*: ad indicium autem perceptæ a Sede Apoſtolica libertatis, unam
„ libram ceræ perſolvetis nobis, noſtriſque ſucceſſoribus annuatim. Si
„ qua igitur in futurum &c. uſque *ultioni*. Cunctis autem &c. uſque *in*
„ *finem*.

Datum Peruſii x. Kalendas Auguſti anno ix.

XLII.

Confirmat exemptiones, & immunitates factas Sororibus ſancti Laurentii inter Vineas Urbevetan. ab ejuſdem Civitatis Epiſcopo. Regeſt. Vatic. epiſt. 159.

Abbatiſſæ ſancti Laurentii inter Vineas Urbevetan. ejuſque Sororibus incluſis, tam præſentibus quam futuris.

§. I. RElIgioſam vitam &c. uſque *enervet*. Eapropter &c. uſque *communimus*. In primis ſiquidem &c. uſque *obſervetur*. Preterea quaſcumque poſſeſſiones &c. uſque *permaneant*. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipſum, in quo præfatum Monaſterium ſitum eſt, cum omnibus pertinentiis ſuis. Liceat quoque vobis perſonas &c. uſque *retinere*. Pro conſecrationibus vero &c. uſque *obtinere*. Quia vero interdum diœceſani Epiſcopi &c. uſque *valeatis*. Cum autem generale Interdictum &c. uſque *celebrare*. Obeunte vero te &c. uſque *eligendam*. Porro ſi Epiſcopi &c. uſque *non tenere*, paci quoque &c. uſque *exercere*. Præterea omnes libertates, & immunitates, quas Monaſterio veſtro Venerabilis Frater noſter Urbevetanus Epiſcopus, de Capituli ſui aſſenſu vobis, indulſiſſe dignoſcitur, ſicut in ejus litteris plenius continetur, auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſenti privilegio communimus. Tenorem autem litterarum ipſius Epiſcopi ad cautelam duximus præſenti privilegio inſerendum, qui talis eſt. *Privilegia confirmat.*

„ §. II. In nomine Domini. Amen. Anno ejus MCCXXXII. die I. menſis
„ Octobris intrante, temporibus Domini Gregorii Papæ IX. regnante *Epiſcopales litteræ.*
„ etiam Friderico Romanorum Imperatore II. & ſemper Auguſto, Indi-
„ ctione v. Raii: permiſſione divina Urbevetanus Epiſcopus, dilectis ſibi
„ in Chriſto Venerabil. Abbatiſſæ, & Sororibus Monialibus Monaſterii
„ Eccleſiæ ſancti Laurentii inter Vineas Urbevetan. ſalutem & benedi-
„ ctionem. Cum ſanctiſſimus in Chriſto Pater noſter Dominus Grego-
„ rius Papa IX. divina gratia inſpirante, Monaſterium veſtrum prænomi- *Monaſteriũ juſſu Papæ conſtructum.*
„ natum, in honorem beati Laurentii, in memorato loco de veſtris, &
„ aliorum fidelium eleemoſynis, conſtrui fecerit, ut ibidem Domino
„ devote famulantes, pro nobis, & aliis peccatoribus poſſitis orare ad
„ Dominum, a nobis humiliter poſtulaſtis, ut Monaſterium, & perſonas
„ ibidem Domino ſervientes, intuitu pietatis, & pro redemptione pec-
„ catorum noſtrorum, a jure Epiſcopali, ſeu alterius conditionis grava-
„ mine eximere deberemus. Eapropter, veſtræ piæ, ac humili petitioni
„ pio concurrentes aſſenſu, præfatum Monaſterium, & perſonas illic
„ morantes, cum horto, clauſtro, & circuitu exteriori, ab omni jure
„ Epiſcopali, & cujuslibet conditionis obligatione liberamus, & exi-
„ mimus, nihil aliud nobis, & noſtris ſucceſſoribus in iiſdem, niſi unam
li-

Digitized by Google

Annuus cenſus.

„ libram ceræ pro cenſu reſervantes nobis, annis ſingulis, & noſtris ſucceſſoribus perſolvendam, in vigilia beatæ Virginis Mariæ Aſſumptionis. Decernimus ergo &c. uſque *ſalva Sedis Apoſtolicæ auctoritate*. Ad indicium autem &c. uſque *annuatim*. Si qua igitur &c. uſque *ultioni*. Cunctis autem &c. uſque *in finem*.

„ Datum Peruſii x. Kalendas Auguſti anno IX.

XLIII.

De donationibus, & immunitatibus factis Monaſterio pauperum Sororum ſancti Franciſci Pragenſis, quas jubet divinum Officium celebrare juxta morem Romanum. Regeſt. Vatican. epiſt. 160.

Agneti Abbatiſſæ Monaſterii ſancti Franciſci Pragenſis, ejuſque Sororibus incluſis.

Romanæ Eccleſiæ Rex hoſpitalem donavit.

Et hoſpitali libertatem Epiſcopus.

Privilegia conceſſa.

Divinum Officium quomodo celebrandum.

PRudentibus virginibus &c. uſque *enervet*. Eapropter, dilectæ in Domino filiæ, veſtris juſtis precibus poſtulantibus favorabiliter annuentes, Monaſterium ſancti Franciſci Pragenſis, in quo divino eſtis obſequio mancipatæ, cum hoſpitali veſtro apud Pragam ſitum in fundo, quem cariſſimus in Chriſto frater noſter Wenceslaus Illuſtris Rex Boemiæ Eccleſiæ Romanæ conceſſit, & tam idem Rex, quam Venerabilis Frater noſter Joannes Pragenſis Epiſcopus, de aſſenſu Capituli ſui, utrumque locum, pietatis intuitu, plenariæ libertati donavit, ſicut in eorum litteris ad nos tranſmiſsis perſpeximus plenius contineri; in jus & proprietatem beati Petri, ac ſub noſtra, & Apoſtolicæ Sedis protectione ſuſcepimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus. In primis ſiquidem &c. uſque *obſervetur*. Præterea, quaſcumque poſſeſſiones &c. uſque *permaneat*, in quibus &c. uſque *vocabulis*. Locum ipſum in quo præfatum Monaſterium ſitum eſt, cum eodem hoſpitali, & omnibus pertinentiis ſuis, villam Glupetin, cum omnibus villulis ad eam pertinentibus, videlicet Humenche & Nidoſcizt, villam Borrotiz, cum omnibus villulis ad ipſam pertinentibus, ſcilicet Supinuvitz & Drahteſicz; villam Ridinic, cum ſuis pertinentiis, villam Rokſciſe, cum omnibus pertinentiis ſuis, & alias poſſeſſiones veſtras, cum pratis, vineis, terris, nemoribus, uſagiis, & paſcuis, in boſco, & plano, in aquis, & molendinis, in viis, & ſemitis, & omnibus aliis libertatibus, & immunitatibus ſuis. Sane novalium veſtrorum &c. uſque *præſumat*. Liceat quoque vobis perſonas liberas &c. uſque *retinere*. Prohibemus inſuper, ut nulli Sororum veſtrarum &c. uſque *retinere*. Pro conſecrationibus vero altarium &c. in prædicto Capitulo &c. uſque *obtinente*. Quia vero interdum diœceſani Epiſcopi &c. uſque *valeatis*. Cum autem generale interdictum &c. uſque *celebrare*. Obeunte vero te &c. uſque *eligendam*. Libertates præterea, & immunitates conceſſas vobis a Rege, Epiſcopo, & Capitulo ſupradictis, auctoritate Apoſtolica confirmantes. Nihilominus inhibemus, ne quis Archiepiſcopus, Epiſcopus, vel Prælatus alius in Monaſterium, & hoſpitale prædicta, vel perſonas regulares inibi Domino famulantes, excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti ſententiam audeat promulgare, quam contra prohibitionem hujuſmodi prolatam decernimus non tenere. Paci quoque &c. uſque *exercere*. Statuimus inſuper, ut, juxta morem Romanæ Eccleſiæ, divinum ibi Officium celebretur, excepto pſalterio, quod ſecundum conſuetudinem poſſitis dicere Gallicanam. Decernimus igitur &c. uſque *ſalva Sedis Apo-*

Digitized by Google

Apoſtolicæ auctoritate. Ad indicium autem hujus perceptæ a Sede Apoſtolica libertatis unum Bizantium perſolvetis nobis, noſtriſque ſucceſſoribus annuatim. Si qua igitur &c. uſque *ultioni*. Cunctis autem &c. uſque *in finem*. Cenſus ſolvendus.

Datum Peruſii VIII. Kalendas Auguſti anno IX.

XLIV.

Varia privilegia concedit Monialibus Monaſterii ſanctæ Mariæ Eſculanen. & donationes iiſdem factas ab Epiſcopo Eſculano confirmat. Reg. Vatic. Epiſt. 248.

Abbatiſſæ Monaſterii ſanctæ Mariæ, & ſancti Georgii Eſculanen. ejuſque Sororibus incluſis.

§. I. Religioſam vitam eligentibus &c. uſque *enervet*. Eapropter, dilectæ in Chriſto filiæ, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & Monaſterium ſanctæ Dei genitricis, & Virginis Mariæ Eſculanen. in quo divino eſtis obſequio mancipatæ ſub beati Petri &c. uſque *ſuſcipimus*, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. In primis ſiquidem ſtatuentes, ut Ordo monaſticus, qui ſecundum Deum, & beati Benedicti Regulam, atque Inſtitutionem Monialium incluſarum ſancti Damiani Aſſiſinatis, in eodem loco inſtitutus eſſe dignoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur. Præterea, quaſcumque poſſeſſiones &c. uſque *illibata permaneant*. In quibus hæc duximus propriis vocabulis exprimenda, locum ipſum, in quo præfatum Monaſterium ſitum eſt, cum omnibus pertinentiis ſuis, viginti modiolos terræ eidem Monaſterio adjacentes, & viginti modiolos ſilvæ. Licet quoque vobis perſonas liberas &c. uſque *retinere*. Prohibemus inſuper, ut nulli Sororum, poſt factam in Monaſterio veſtro profeſſionem fas ſit, de eodem diſcedere; diſcedentem vero nullus audeat retinere. Pro conſecrationibus vero altarium, ſive pro Oleo ſancto &c. uſque *audeat extorquere*: ſed hæc omnia gratis vobis Epiſcopus diœceſanus impendat: alioquin liceat vobis hæc, auctoritate noſtra, recipere a quocumque malueritis Catholico Antiſtite, gratiam & communionem Sedis Apoſtolicæ obtinente. Quia vero interdum diœceſani Epiſcopi copiam non habetis, ſi quem Epiſcopum Romanæ &c. uſque *recipere valeatis*. Cum autem generale interdictum terræ fuerit &c. uſque *divina Officia celebrare*. Obeunte vero te &c. uſque *providerint eligendam*. Porro ſi Epiſcopi, vel alii Eccleſiarum Rectores in Monaſterium veſtrum, vel perſonas regulares inibi Domino famulantes ſuſpenſionis, excommunicationis, vel interdicti ſententiam promulgaverint, ipſam, tamquam contra Sedis Apoſtolicæ indulta prolatam, decernimus non tenere, paci quoque &c. uſque *audeat exercere*. Præterea omnes libertates, & immunitates, quas Monaſterio veſtro Venerabilis Frater noſter M. Eſculanus Epiſcopus de Capituli ſui aſſenſu indulſiſſe dignoſcitur, ſicut in ejus litteris plenius continetur, auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus.

Ordo Monaſticus ſervandus. — Nequeunt Profeſſæ de Monaſterio diſcedere. — Exemptiones, & Privilegia. — Omnes alias gratias confirmat.

§. II. Tenorem autem litterarum ipſius Epiſcopi, ad cautelam, duximus præſenti privilegio inſerendum, qui talis eſt. Epiſcopales litteræ.

„ §. III. Marcellinus miſeratione divina Eſculanus Epiſcopus, dile-
„ ctis in Chriſto filiabus Abbatiſſæ, ac Monialibus incluſis de Ordine
„ ſancti Damiani Monaſterii glorioſæ Virginis Mariæ, & ſancti Georgii

Digitized by Google

„ Eſculani, ſalutem & benedictionem. Cum vos, divina gratia inſpirante, Monaſterium in honorem glorioſæ Virginis Mariæ extra Civitatem Eſculanam, in loco qui dicitur Plana de ſancto Pamphilo, conſtruxeritis, ut ibidem Domino famulantes, devote pro nobis, & aliis peccatoribus poſſitis orare, a nobis humiliter poſtulaſtis, ut Monaſterium prædictum, cum viginti modiolis terræ, juxta ſe poſitis, & viginti modiolis ſilvæ, quos nunc habent, vel in futuro acquirent, & perſonas omnes ibidem Domino ſervientes intuitu pietatis, & pro redemptione peccatorum noſtrorum a jure Epiſcopali, & cujuslibet alterius conditionis obligatione, tam in ſpiritualibus, quam temporalibus pleno jure eximere deberemus. Eapropter, dilectæ in Chriſto filiæ, veſtræ piæ, ac humili petitioni, pio & benevolo concurrentes aſſenſu, de conſenſu Capituli noſtri, præfatum Monaſterium, cum viginti modiolis terræ juxta ſe poſitis, & viginti modiolis ſilvæ, quos nunc habetis, & aliis poſſeſſionibus, quas in futurum, auxiliante Domino, acquiretis, & perſonas ibidem nunc, vel in futurum perpetuo commorantes pro Deo, & ob reverentiam Apoſtolicæ Sedis, cujus vos ſcimus filias ſpirituales, ab omni Epiſcopali jure, & cujuslibet conditionis obligatione, tam in ſpiritualibus, quam temporalibus eximimus, pleno jure nihil nobis, & Eccleſiæ Eſculanenſi aliud in eiſdem, niſi unam libram ceræ reſervantes, & noſtris ſucceſſoribus in Aſſumptione beatæ Mariæ Virginis annis ſingulis perſolvendam, & dedicationem Eccleſiæ, & altarium conſecrationes, benedictionem Abbatiſſæ, & Monialium, & cetera Eccleſiaſtica Sacramenta. Si tamen nos, & ſucceſſores noſtri, cum a vobis fuerimus requiſiti ea gratis, & ſine pravitate aliqua vobis, & ſucceſſoribus veſtris voluerimus exhibere. Relinquimus etiam vobis poteſtatem mortuariorum, ſeu vobis relictorum nobis jure aliquo competentem in noſtrarum, & ſucceſſorum noſtrorum remedio animarum. Supradictis omnibus interfuerunt Capitulum Eſculanum, & omnibus conſenſerunt, & eadem approbarunt.

Cenſus ſolvendus.

„ §. IV. Ego Gaufredus Archipresbyter Eſculanus concedo, & confirmo. Ego presbyter Paulus Canonicus ſubſcripſi. Ego presbyter ....Canonic. ſubſcripſi. Ego Magiſter Gentilis Canonicus ſubſcripſi. Ego presbyter Andronicus ſubſcripſi. Ego Rainerius Canonicus ſubſcripſi. Ego presbyter Giſo Canonicus ſubſcripſi. Decernimus ergo &c. uſque *profutura ſalva Sedis Apoſtolicæ auctoritate*. Ad indicium perceptæ a Sede Apoſtolica libertatis unam libram ceræ perſolvetis nobis, noſtriſque ſucceſſoribus annuatim. Amen. Amen. Amen.

Subſcriptiones Capituli.

Datum Peruſii per manum Magiſtri Guillelmi S. R. E. Vice-Cancellarii VII. Kalendas Septembris Indictione VIII. Incarnationis Dominicæ anno MCCXXXV. Pontificatus vero Domini Gregorii Papæ IX. anno IX.

XLV. De

Digitized by Google

XLV.

De donationibus, & exemptionibus Monaſterii ſanctæ Mariæ de Campo Martio confirmatis Veronen. Regeſt. Vatic. epiſt.221.

Abbatiſſæ Monaſterii ſanctæ Mariæ de Campo Martio Veronenſis, ejuſque incluſis.

§. I. Religioſam vitam &c. uſque *enervet*. Eapropter, dilectæ in Domino filiæ, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & Monaſterio ſanctæ Mariæ de Campo Martio, in quo &c. uſque *communimus*. In primis ſiquidem ſtatuentes, ut Ordo Monaſticus, qui ſecundum Deum, & beati Benedicti Regulam, atque Inſtitutionem Monialium incluſarum ſancti Damiani Aſſiſinatis in eodem loco &c. uſque *obſervetur*. Præterea, quaſcumque poſſeſſiones &c. uſque *permaneant*. In quibus &c. uſque *exprimenda*. Locum ipſum &c. uſque *pertinentiis ſuis*. Liceat quoque vobis perſonas liberas uſque *retinere*. Pro conſecrationibus vero altarium, ſive pro Oleo ſancto, vel alio Eccleſiaſtico Sacramento nullus a vobis ſub obtentu conſuetudinis, vel alio modo, quidquam audeat extorquere, ſed hæc omnia gratis vobis Epiſcopus diœceſanus impendat. Alioquin liceat vobis hæc, auctoritate noſtra, recipere a quocumque malueritis Catholico Antiſtite, gratiam & communionem Sedis Apoſtolicæ obtinente. Quia vero interdum diœceſani Epiſcopi copiam &c. uſque *valeatis*. Cum autem generale interdictum &c. uſque *celebrare*. Obeunte vero te &c. uſque *eligendam*. Porro, ſi Epiſcopi, vel alii Eccleſiarum Rectores in Monaſterium veſtrum, vel perſonas regulares inibi Domino famulantes, ſuſpenſionis, excommunicationis, vel interdicti ſententiam promulgaverint, ipſam tamquam contra Sedis Apoſtolicæ indulta prolatam, decernimus, non tenere. Paci quoque &c. uſque *exercere*. Præterea, omnes libertates, & immunitates, quas Monaſterio veſtro Venerabilis Frater noſter Veronenſis Epiſcopus, de Capituli ſui aſſenſu, indulſiſſe dignoſcitur, ſicut in ejus litteris plenius continetur, auctoritate Apoſtolica, confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Tenorem autem litterarum ipſius Epiſcopi, ad cautelam, duximus, præſenti privilegio inſerendum, qui talis eſt.

Gratis Ordinarius miniſtret Sacramentalia.

Privilegia, & exemptiones.

Papalis confirmatio.

„ §. II. Die Martis XVIII. Novembris in caſtro montis Forti, ſuper „ domo Domini Epiſcopi, in præſentia Domini presbyteri Henrici Ca„pellani dicti Domini Epiſcopi fratris Petri, fratris David de Fratribus „ Minoribus, atque Bonaccurriti de Braganzo teſtium rogatorum, ibi„que Jacobus divina miſeratione S. Veronenſis Eccleſiæ Epiſcopus „ dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſæ, & Sororibus Monaſterii beatæ „ Mariæ Virginis conſtructi, in loco, ubi dicitur in campo Martio, ab „ uno latere Campo martii, ab alio latere muri dicti Campi martii ab „ uno capite jura Eccleſiæ ſanctæ Mariæ Magdalenæ, ab alio redditus „ Campi martii, & prædictus Campus martius; ſalutem & benedictio„nem. Cum Monaſterium in honorem beatæ & glorioſæ, ſemperque „ Virginis Mariæ in loco memorato conſtrui feciſſetis, & ibidem Do„mino famulantes, pro nobis, & aliis peccatoribus orare poſſitis, „ humiliter poſtulaſtis, ut Monaſterium, & perſonas ibidem Domino „ ſervientes, intuitu pietatis, & pro redemptione peccatorum noſtro„rum, a jure Epiſcopali, ſeu alterius conditionis gravamine, tam in

Diœceſani litteræ.

Gratiæ conceſſæ.

Digitized by Google

„ temporalibus, quam ſpiritualibus, pleno jure eximere deberemus.
„ Ea propter, veſtræ piæ, ac humili petitioni pio concurrentes aſſenſu,
„ præfatum Monaſterium, & perſonas, illic nunc, vel in futurum commorantes, cum omnibus bonis ſuis, conſenſu, & voluntate Capituli,
„ ab omni jure Epiſcopali, & cujuslibet conditionis obligatione, tam
„ in ſpiritualibus, quam in temporalibus, pleno jure liberamus, & eximimus, nihil aliud nobis, & Eccleſiæ Veronenſi in iiſdem reſervantes,
„ niſi conſecrationem Eccleſiæ, & altarium, cum fuerimus requiſiti; ſi
„ tamen nos, & ſucceſſores noſtri gratis, & ſine pravitate aliqua voluerimus conſecrare. Reſervamus etiam nobis unam libram ceræ in aſ-
Annuus cenſus. „ ſumptione beatæ Mariæ, octo diebus ante, vel octo diebus poſt, pro
„ cenſu nobis ſingulis annis perſolvendam.

Capituli ſubſcriptiones. „ §. III. Ego Jacobus Dei gratia, Veronen. Epiſcopus me ſubſcripſi.
„ Ego Stephanus Veronen. Archipresbyter me ſubſcripſi. Ego presbyter Nobilis Eccleſiæ Veronen. me ſubſcripſi. Ego Vivianus Diaconus
„ Veronen. Eccleſiæ me ſubſcripſi. Ego Theodoſius Veronen. Eccleſiæ
„ Canonicus, & Arcarius me ſubſcripſi. Anno Domini MCCXXXIV.
„ Indict. VII. Ego Novius de Hora ſancti Quincii, Domini Ricardi Comitis ſancti Bonifacii Notarius, & a Domino Friderico II. Rege confirmatus interfui, ℞. & ſcripſi.

§. IV. Decernimus ergo &c. uſque *ſalva Sedis Apoſtolicæ auctoritate*: Ad indicium autem perceptæ a Sede Apoſtolica libertatis unam libram ceræ perſolvetis nobis, noſtriſque ſucceſſoribus annuatim. Si qua igitur &c. uſque *ultioni*. Cunctis autem &c. uſque *in finem*.

Datum Peruſii III. Kalendas Septembris anno IX.

Anno Christi 1236. Gregorii IX. Pontif. anno 9.

XLVI.

Quod conveniri non poſſint Fratres per litteras Apoſtolicas, quæ non faciunt mentionem de indulto. Ex noſtro Archivo. Speculum fol. 114. Firm. 2. part. tract. 19.

GREGORIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei,

Dilectis filiis Generali Miniſtro, & univerſis Fratribus Ordinis Fratrum Minorum, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Cum jam per ejus gratiam, qui quæ mundus abominatur, aſſumit, veſtri titulus Ordinis a Deo ſit inſignis, quod vix creditur ab iis, qui contra vos litteras impetrant, ſine malitia ſubticeri, nos, & illorum obviare fraudibus, & veſtram innocentiam favorabiliter confovere volentes, auctoritate vobis præſentium indulgemus, ut nequeatis per litteras Apoſtolicas conveniri, quæ de hac indulgentia, & veſtro non fecerunt Ordine mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire: ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Viterbii IX. Kalendas Martii, Pontificatus noſtri anno IX.

XLVII.

Digitized by Google

XLVII.

Concedit ne Fratres Minores teneantur recipere commiſſiones cauſarum, niſi de hoc indulto fiat mentio ſpecialis. Ex ſpeculo Minorum tract. 2. fol. 114.

Generali Miniſtro, & univerſis Fratribus Ordinis Fratrum Minorum.

QUieti veſtræ providere volentes, auctoritate vobis præſentium indulgemus, ut commiſſiones cauſarum, vel ſententiarum executiones a Sede Apoſtolica, vel delegatis ejus, ſeu a quibuslibet aliis factas vobis, ſine veſtra non teneamini recipere voluntate, niſi in litteris Apoſtolicis de conceſſione hujuſmodi mentio habeatur ſpecialis.

Nulli ergo &c. Datum Viterbii v. Kalendas Martii, Pontificatus noſtri anno IX.

XLVIII.

Prohibet ne intra probationis annum quemquam ad profeſſionem inducant, aut recipiant, aut prohibeant: ut ad aliam Religionem tranſeat, aut inducant, aut neceſſitent ad profeſſionem, aut ſeculi renunciationem. Ex Vaticano Regeſt. num. 109. & Archivo Aracœlitano num. 87. & 38. ejus mentionem facit Speculum ſub anno 4. in ſummario.

GREGORIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Dilectis filiis Miniſtro & Fratribus Ordinis Minorum ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

§. I. NOn ſolum in favorem Converſi, ſed etiam Monaſterii, probationis tempus a ſanctis Patribus eſt inſtitutum, ut ille aſperitates iſtius, & iſtud mores illius valeat experiri. In Regula quoque beati Benedicti præcipitur, ut ad converſionem noviter venienti non facilis tribuatur ingreſſus, ſed, ſicut docet Apoſtolus, an ſit ex Deo ſpiritus comprobetur, & dura & aſpera, per quæ itur ad Dominum, exponantur. *Joan. 4. 1.*

Reciproca Monaſterii, & Novitii experientia.

Quid Novitiis primo dicendũ.

§. II. Præterea in eadem Regula ſubjungitur, ut dicatur: *Ecce lex, ſub qua militare deſideras; ſi eam obſervare potes, ingredere, alioquin liber veniſti, liber diſcede.* Inſuper nos ipſi ſtatuimus, ut poſiti in probatione novitii, ante ſuſceptum Religionis habitum, qui dari profitentibus conſuevit, ſeu ante profeſſionem emiſſam, ad ſtatum priſtinum redire poſſint libere, infra annum: & ad omnem ambiguitatem penitus amovendam, cum in quibuſdam locis religioſis novitiorum habitus non diſtinguatur ab habitu profeſſorum, profeſſionis tempore benedicantur veſtes, quæ profitentibus conceduntur, ut novitiorum ac profeſſorum habitus diſcernatur.

Novitiorum infra annum libertas.

Habitus Profeſſorum, & Novitiorum diſcernitur.

§. III. Licet igitur zelum animarum habentes, eas lucrari Domino ſollicite cupiatis; quia tamen decet & expedit, ut conſcientiæ puritati non deſit judicium rationis, ne unde ſpiritalis profectus quæritur, inde ſalutis diſpendium ſubſequatur; præſentium vobis auctoritate diſtrictius inhibemus, ne ad ſuſceptionem veſtri Ordinis, ante profeſſionem, aliquem obligare, vel infra probationis ſpatium (quod eſt maxime in ſubſidium fra-

Nullus arctetur.

Digitized by Google

fragilitatis humanæ regulariter inſtitutum) quemquam facto, vel verbo ad profitendum, ſeu ad renunciandum de neceſſitate ſeculo inducere præſumatis: nec conſtitutum in probatione novitium aliquatenus impedire, quominus infra tempus probationis ad aliam Religionem, quam maluerit, tranſeat, ſicut de ſua proceſſerit libera voluntate: non obſtantibus ſtatuto contrario, ſi quod a vobis eſt editum, quod tamquam in eluſionem conſtitutionis noſtræ præſumptum, irritum, decernimus & inane; vel aliquibus litteris a Sede Apoſtolica impetratis.

Contrariis derogatur Conſtitutionibus.

§. IV. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ inhibitionis, & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Reate III. Idus Julii Pontificatus noſtri anno x.

XLIX.

Confirmat Monaſterio ſancti Franciſci Cremonen. donationem ipſi factam ab Epiſcopo Cremonen. Reg. Vatic. epiſt. 164.

Abbatiſſæ Monaſterii S. Franciſci in Clauſis Cremonen. ejuſque Sororibus incluſis, tam præſentibus, quam futuris.

§. I. RElIgioſam vitam eligentibus &c. uſque *enervet*. Eapropter, dilectæ in Domino filiæ, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & Monaſterium ſancti Franciſci in Clauſis Cremonen. in quo divino eſtis obſequio mancipatæ, ſub beati Petri &c. uſque *communimus*. In primis ſiquidem ſtatuentes, quod Ordo monaſticus, qui ſecundum Deum, & beati Benedicti Regulam, atque inſtitutionem Monialium incluſarum ſancti Damiani Aſſiſinatis, in eodem loco conſtitutus eſſe dignoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur. Præterea, quaſcumque portiones &c. uſque *illibata permaneant*, in quibus hæc propriis &c. locum ipſum &c. Liceat quoque vobis &c. Prohibemus inſuper, ut nulli Sororum veſtrarum, poſt factam in Monaſterio profeſſionem, fas ſit de eodem loco diſcedere, diſcedentem nullus audeat retinere. Pro conſecrationibus vero altarium &c. uſque *Epiſcopus diœceſanus impendat* &c. uſque ad *communimus*. Tenorem autem ipſius Epiſcopi litterarum, ad cautelam, duximus præſenti privilegio inſerendum, qui talis eſt.

Perpetua injungitur Monaſtica obſervantia.

Diſceſſus interdictus profeſſis. Privilegia.

„ II. Homobonus miſeratione divina, Epiſcopus Cremonen. dilectis „ in Chriſto filiabus Abbatiſſæ, & Sororibus pauperibus Monialibus in„ cluſis Monaſterii ſancti Franciſci in Clauſis Cremonen. ædificati, ſalu„ tem in perpetuum. Cum, divina gratia favente, Monaſterium in „ honorem glorioſæ Dei genitricis, ſemperque Virginis Mariæ, & „ ſancti Franciſci in Clauſis Cremonen. inter lectum vetus fluminis Cre„ monelle & aquam navigii conſtruxeritis, ut ibidem Domino famulan„ tes, pro nobis & aliis peccatoribus poſſitis orare, ac a nobis humiliter „ poſtulaſtis, ut Monaſterium veſtrum, cum poſſeſſionibus ſuis circum„ poſitis, uſque ad viginti tornaturas terræ, & perſonas ibidem omnes „ Domino ſervientes &c. uſque ad *aſſenſu*, præfatum Monaſterium, cum „ pertinentiis ſuis, uſque ad 20. *tornaturas terræ*, ac perſonas &c. uſque „ *reſervantes nobis annis ſingulis perſolvendam*, & Eccleſiaſtica ſacramen„ ta dumtaxat, cum a vobis fuerimus requiſiti, nos & noſtri ſucceſſores „ vobis & veſtris ſucceſſoribus gratis & ſine pravitate aliqua impendemus.

Epiſcopales litteræ.

Digitized by Google

„ mus. Datum Cremonæ anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu „ Chriſti MCCXXXIII. Ind. VI. die XIII. ex Madio.

„ §. III. Ego Homobonus miſeratione divina, Cremonen. Epiſcopus „ hanc exemptionem ſive privilegium feci & ſubſcripſi. Ego Niger Cre- „ monen. Eccleſiæ Archidiaconus interfui & ſubſ. Ego Nicolaus Cre- „ monen. Eccleſiæ Archipresbyter interfui & ſubſ. Ego Joannes ſacer- „ dos Canonicus Cremonen. Eccleſiæ interfui & ſubſ. Ego Martinus „ presbyter & Canonicus Cremonen. conſenſi & ſubſ. Ego Paganus Do- „ mini Papæ ſubdiac. & Can. Cremonen. conſenſi & ſubſ. Ego Hugo „ Domini Papæ ſubdiac. & Can. Cremonen. conſenſi & ſubſ. Ego Guil- „ lelmus advocatus Domini Papæ ſubdiac. & Can. Cremonen. conſenſi „ & ſubſ. Ego Orlandus ſubdiac. & Can. Cremonen. conſenſi & ſubſ. „ Ego Bonapax Domini Papæ ſubdiac. & Can. Cremonen. conſenſi & ſubſ. „ Ego Albertus acolythus Can. Cremonen. conſenſi & ſubſ. Ego Ayme- „ ricus acolythus Can. Cremonen. conſenſi & ſubſ. Ego Homobonus de „ Paſcharolo ſacri Imperii legati Notarius, juſſu ſupradicti Domini Ho- „ moboni Dei gratia Epiſcopi Cremonen. hoc privilegium ſcripſi, & me „ ſubſcripſi. *Epiſcopi, & Capituli ſubſcriptiones.*

§. IV. Decernimus ergo &c. uſque *uſibus omnimodis profutura. Salva Sedis Apoſtolicæ auctoritate*. Ad indicium autem perceptæ a Sede Apoſtolica libertatis unam libram ceræ perſolvetis nobis, noſtriſque ſucceſſoribus annuatim. Si qua igitur &c. ſubjaceat ultioni. Cunctis autem &c. Præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

Datum Reate per manum Magiſtri Guillelmi S. R. E. Vicecancellarii IV. Kalen. Aug. Indict. VIII. Incarnationis Dominicæ anno MCCXXXVI. Pontificatus vero Domini Gregorii Papæ IX. anno X.

L.

Confirmat donationem Monaſterii ſanctæ Mariæ de Spello ab Epiſcopo Spoletano. Reg. Vatic. epiſt. 170.

Abbatiſſæ Monaſterii ſanctæ Mariæ Vallis Gloriæ de Spello, ejuſque Sororibus incluſis tam præſentibus, quam futuris.

§. I. Religioſam vitam eligentibus &c. ut communiter in aliis epiſtolis uſque *Nicolaus Dei gratia Spoletanæ Sedis Epiſcopus*.

„ §. II. Dilectis in Chriſto filiabus Balvinæ Abbatiſſæ, & Sororibus „ Monialibus Monaſterii ſanctæ Mariæ Vallis Gloriæ de Spello, ſalutem „ & benedictionem. Cum vos divina gratia inſpirante, Monaſterium in „ honore beatæ ac glorioſæ ſemperque virginis Mariæ in loco, qui di- „ citur Vallis Gloriæ conſtruxeritis, ut ibidem Domino devote famu- „ lantes, pro nobis &c. uſque *aſſenſu*. Præfatum Monaſterium, & per- „ ſonas illic commorantes ab omni jure Epiſcopali &c. uſque *duodecim* „ Lucan. pro Synodo reſervantes annis nobis ſingulis perſolvendas. „ Datum Spoleti apud Eccleſiam S. Joannis anno MCCXXXI. Indict. IV. „ die VII. intrante Martio. *Exemptiones & cenſus.*

„ §. III. Ad hæc Magiſter Nicolaus Prior majoris Eccleſiæ Spoleta- „ næ, Joannes Archidiaconus, Raymundus prior ſancti Felicis, Gilius „ prior ſancti Savini, Ceconia, Dominus Raynerius, & Dominus Janua- „ rius Canonici Spoletan. conſenſerunt. *Canonicorum conſenſus.*

Decernimus ergo &c. uſque in finem. Datum Reate IV. Non. Aug. Pontif. noſtri anno X.

LI.

Digitized by Google

LI.

Confirmat Monialibus Monaſterii Spoletani donationes, & exemptiones ipſis factas ab Epiſcopo Spoletano. Reg. Vatic. epiſt. 169.

Abbatiſſæ Monaſterii ſanctæ Mariæ inter Angulos Spoletanos, ejuſque Sororibus incluſis &c.

§. I. REligioſam vitam eligentibus &c. uſque *præterea omnes* libertates & immunitates, quas Monaſterio veſtro Ven. Fr. noſter Spoletanus Epiſcopus, de Capituli ſui aſſenſu, indulſiſſe dignoſcitur, ſicut in eorumdem litteris plenius continetur, auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus.

§. II. Tenorem autem litterarum ipſorum Epiſcopi, & Capituli, ad cautelam, duximus præſenti privilegio inſerendum: qui talis eſt.

Epiſcopi littera. „ Nicolaus Dei gratia Epiſcopus & Capitulum Spoletan. Dilectis „ ſibi in Chriſto Anneſſæ Abbatiſſæ, & Sororibus Monialibus Monaſterii „ ſanctæ Mariæ inter Angulos de Spoleto ſalutem & ben. Cum ſan„ ctiſſimus in Chriſto Pater noſter Dominus Gregorius Papa IX. divi„ na gratia inſpirante, Monaſterium in honore beatæ ac glorioſæ, ſem„ perque virginis Mariæ, in loco, qui dicitur Coſta de Cizan. de pecu„ nia ſua conſtrui fecerit, ut ibidem Domino devote famulantes, pro „ nobis & aliis peccatoribus poſſitis orare, a nobis humiliter poſtulaſtis, „ ut Monaſterium, & perſonas ibidem Domino ſervientes, intuitu pie„ tatis, & pro redemptione peccatorum noſtrorum a jure Epiſcopali, ſeu „ alterius conditionis gravamine, eximere deberemus. Eapropter ve„ ſtræ piæ ac humili petitioni pio concurrentes aſſenſu, præfatum Mo„ naſterium, & perſonas illic commorantes, cum horto, vineis, & aliis „ adjacentiis ſuis, ab omni jure Epiſcopali, & cujuslibet conditionis „ obligatione liberamus, eximimus, nihil nobis aliud, & Eccleſiæ Spole„ tanæ, niſi unam libram de cera pro cenſu, reſervantes, nobis annis ſin„ gulis perſolvendam. Datum Spoleti anno Domini MCCXXXII. tem„ pore Gregorii Papæ IX. & Friderici Imperatoris II. XVI. Kalendas „ Auguſti Indict. V.

Exemptio Jurium. Solvendus cenſus.

Diœceſani & Capitulum ſubſcribunt. „ III. Ego Nicolaus Epiſcopus Spoletanus ſubſcripſi. Ego Joannes „ Archidiaconus Sol. manu propria ſubſ. Ego Nicolaus Prior Spolet. „ ſubſ. Ego Raynerus Prior S. Felicis Canonicus Spol. ſubſ. Ego pre„ sbyter Matthæus Can. Spol. ſubſ. Ego Joannes Canonicus Spol. Ec„ cleſiæ ſubſ. Presbyter Leonardus Can. ſubſ. Joannes Diaconus Cano„ nicus Spol. ſubſ. Jacobus Canon. Spoletan. Eccleſ. ſubſ.

Decernimus ergo &c. ut ſupra uſque in finem. Datum ut ſupra.

LII.

Indulget, ne Fratres Minores ad Ordinem Ciſtercienſium tranſeuntes, poſt emiſſam ibi profeſſionem, denuo ad ſuos remittantur: quod & Fratribus Minoribus ſimiliter conceditur. Reg. Vatic. epiſt. 180.

Univerſis Abbatibus, & Conventibus Ciſtercienſis Ordinis.

LIcet quibuſdam ex Fratribus veſtris ad Fratrum Minorum, & aliquibus ex iis ad veſtrum Ordinem tranſeuntibus, utroſque ſuo reſtitui Ordini mandaſſemus; quia tamen prolixitas, & profeſſionis vinculum expu-

expugnare videntur, quo minus, abſque utriuſque Ordinis ſcandalo, poſſit mandatum Apoſtolicum adimpleri, nos & animarum ſaluti providere volentes, & diſſidiis obviare, ita duximus providendum, ut jam profeſſi in Ordinibus memoratis, non obſtante mandato prædicto, in eis libere debeant remanere, auctoritate præſentium, ne hac occaſione inter vos & illos ſcandalum oriatur, id de cetero fieri diſtrictim inhibentes.

Nulli ergo noſtræ proviſionis, & inhibitionis &c. Si quis autem &c. Datum Reate II. Non. Auguſti anno X.

In eumdem modum *Miniſtro & Fratribus Ordinis Minorum*.
In eumdem modum *Miniſtro & Fratribus Ordinis Prædicatorum*.

LIII.

Mittit fratrem Wilhelmum Ordinis ſancti Franciſci ad conciliandum pacem & concordiam inter Regem Galliæ, & Eccleſiam Belluacenſem. Regeſt. Vatic. epiſt. 222.

Fratri Wilhelmo de Ordine Fratrum Minorum Pœnitentiario noſtro.

§. I. RECeptis affectione paterna litteris, quas nobis ſuper negotio Belluacenſis Eccleſiæ tua devotio deſtinavit, & quæ continebantur in eis intellectis, prout convenit, diligenter, licet olim ad juſtitiam Eccleſiæ Belluacen. de qua nobis conſtitit evidenter &c. *ut continetur fere litteris directis Regi* uſque *merito debitores*: quocirca mandamus, quatenus perſonaliter ad eumdem Regem accedens, ad reformationem pacis, atque concordiæ, ſecundum datam tibi a Deo prudentiam, ſalva Eccleſiæ libertate, omnem quam potes, opem & operam efficacem adhibeas eumdem Regem ad hoc ſedulis monitionibus, & crebris exhortationibus efficaciter inducendo. **Dexteritatem, ſollicitudinemque pro concordia commendat.**

§. II. Ceterum ille clericus uxoratus, quem idem Rex, cum aliis nunciis ſuis ad noſtram præſentiam deſtinavit, non ſatis habuit labia circumciſa, ſed in aſperitate verborum, quæ protulit coram nobis, non conſideravit prudenter quid mittenti, & cui miſſus fuerat, conveniret; quamquam in excuſationem prætenderet, ſe ad ea, quæ propoſuit, proponenda mandantis juſſione coactum. Datum Reate VIII. Kalendas Octobris anno X. *Ad intellectionem hujus epiſtolæ nota ſequentia ex alia miſſa ad Regem in eadem cauſa, quæ eſt 220. in Regeſto.* **Clerici cujuſdam temeritas.**

§. III. Sane litteris, quas nobis Celſitudo Regia deſtinavit, ſolita benignitate receptis, & tam ipſorum tenorem, quam his, quæ dilectus filius frater Robertus cellarius Longipontis nuntius tuus ex parte tua nobis expoſuit, intellectis, prout convenit, diligenter. Licet olim ad juſtitiam Eccleſiæ Belluacen. de qua nobis conſtitit evidenter, debitum reſpectum habentes, interdictum poſitum per Ven. Fr. noſtrum Archiepiſcopum Rhemen. & Suffraganeos ſuos in Rhemen. Provincia, quod poſt appellationem ad nos legitime interjectam, fuerat relaxatum neceſſitate juris, cui ſalva conſcientia deeſſe nequivimus, mandaverimus obſervare: quia tamen, ſicut eædem litteræ continebant, nimis præpropere, & ex abrupto fuit hujuſmodi repoſitum interdictum, præſertim cum, ad bonum pacis, te ſatis benignum & facilem exhibens, quibuſdam viris diſcretis & Dominum timentibus, ac circumſpectis in pacis conſiliis & concordiæ zelatoribus, de quibus non præſumitur, quod in eorum manibus jura deberent Eccleſiæ deperire, ad hoc ſpecialiter convocatis &c. **Ex Epiſtola ad Regem miſſa. Fr. Robertus Nuncius. Epiſcoporum Interdictum.**

Digitized by Google

Rogat ut ſatisfactio impendatur.

§. IV. *Et infra*. Serenitatem tuam rogamus, monemus & hortamur in Domino, ac in remiſſionem peccatorum obſecrantes, per viſcera miſericordiæ Dei noſtri &c. Quatenus ſic ſuper reſtitutione jurium & libertatum Ven. Fr. noſtro Epiſcopo, & Belluacen. Eccleſiæ facienda; necnon de illatis damnis, de irrogatis injuriis ſatisfactionem debitam impendendam eiſdem, tam noſtræ, quam tuæ famæ conſulas. Datum, ut ſupra.

Ejuſdem interdicti ſuſpenſio.

§. V. *Suſpendit Pontifex interdictum ad octo menſes, pro fine pacis, & concordiæ ineundæ, quæ niſi ſequeretur infra præfatum terminum, voluit reincidere, ut conſtat ex epiſtola 221. ad Epiſcopum & Capitulum Belluacenſem, quæ hoc ſignificat.*

LIV.

Confirmat Conventui ſanctæ Mariæ Fulginat. donationem ipſi factam ab Abbate ſancti Paſtoris Ordinis Ciſtercienſis. Reg. Vat. epiſt. 233.

Abbatiſſæ & Conventui Monaſterii ſanctæ Mariæ Fulginat.

Ea, quæ annuatim debentur.

§. I. UT intemerata conſiſtant opera pietatis, ſi Apoſtolico fuerint præſidio communita, volentes, ut quod pro ſuſtentatione veſtra de annuo viginti quinque ſaumarum frumenti, & quinque fabarum redditu vobis a monaſterio ſancti Paſtoris de Greza, Ciſtercien. Ordinis, Reatinæ diœceſis, providimus annis ſingulis perſolvendo, perpetuam obtineat firmitatem contractum initum; vos nomine Monaſterii veſtri ex parte una, & Abbatem & Conventum prædicti Monaſterii ſancti Paſtoris, nomine Monaſterii ſui ex altera, ratum habemus & gratum, eumque auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Tenorem publici inſtrumenti exinde confecti, ad majorem rei evidentiam, præſentibus de verbo ad verbum inſeri facientes: qui talis eſt.

Donationis litteræ.

„ §. II. In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti anno ejuſdem MCCXXXVI. „ Indict. IX. menſis Junii die XII. Pontific. ſancti Patris Domini Gregorii Papæ IX. anno X. in præſentia mei Conradi Scriniarii, & teſtium ſubſcriptorum ad hoc ſpecialiter rogatorum, Dominus Wilhelmus Ven. Abbas Monaſterii ſancti Paſtoris de Greza, Ciſtercien. Ordinis, Reatinæ diœceſis pro ſe, ac procuratorio nomine, pro toto „ Conventu ipſius Monaſterii, a quo ſuper hoc habebat ſpeciale mandatum, ſicut in publico inſtrumento per Matthæum de Greza S. R. E. „ Scriniarium confecto, a me viſo & lecto plenius apparebat, pro ſe, „ Monaſterio, ac toto Conventu prædictis recognoſcens, quod olim „ ſanctus Pater Dominus Gregorius, divina providentia Papa IX. Monaſterium ſancti Damiani ſitum in terra, quæ dicitur Arnulphorum, „ quod erat in ſpiritualibus & temporalibus adeo deformatum, quod de „ reformatione ipſius ſpes penitus nulla erat, cum poſſeſſionibus & pertinentiis ſuis, remotis inde peſtilentibus, per quos ad hujuſmodi deſolationem devenerat, eiſdem Abbati & Conventui, intuitu pietatis „ conceſſit, ut ibidem facerent per idoneas & honeſtas perſonas Eccleſiaſticas, Domino deſerviri, reſervato de bonis ipſius Monaſterii ſancti Damiani, pro ſuſtentatione Sororum incluſarum, quæ tunc erant in „ Monaſterio Aquævivæ: & nunc ad Monaſterium ſanctæ Mariæ de Fulgineo, auctoritate ejuſdem Domini ſunt tranſlatæ, viginti quinque „ ſaumarum frumenti, & quinque fabarum redditu, ſtatuens ut idem „ redditus in neceſſitates dictarum Sororum incluſarum, quæ fuerint

Monaſter. Arnulphorum.

pro

„ pro tempore ejuſdem Monaſterii ſanctæ Mariæ de Fulgineo, integre
„ convertatur; quod dicti Abbas & Conventus gratum & acceptum ha-
„ bentes pro ſe, ac ſucceſſoribus ſuis promiſerunt Magiſtro Bartholo-
„ mæo Domini Papæ Notario, quem adhuc Dominus Papa procurato-
„ rem conſtituit ſpecialem, recipiente vice ac nomine prædicti Monaſterii
„ de Fulgin. ſub pœna expreſſa inferius, per ſtipulationem ſolemnem, ſe
„ dictis Abbatiſſæ & Sororibus, ac eis, quæ ipſis ſucceſſerint, prædictum *Solutionis tempus.*
„ redditum de frumento & bonis fabis, in feſto Nativitatis beatæ Mariæ,
„ ſine diminutione aliqua, ſoluturos annis ſingulis in expenſis dictorum
„ Abbatis & Conv. ad dictum Monaſterium de Fulgineo deferendum;
„ ita videlicet, quod duo rubia ad menſuram Romanam pro ſumma
„ qualibet perſolvantur; & ſi contra prædicta, vel aliquid eorum fece- *Pœnæ in contrafacientes.*
„ rint, aut per biennium in ipſius ſolutione ceſſaverint, cadant ipſo
„ facto a jure conceſſionis hujuſmodi, nihil utilitatis ex ea penitus ha-
„ bituri, quin potius tam ipſe redditus, quam alii proventus, poſſeſ-
„ ſiones, & omnia bona ſancti Damaſi cedant uſibus eorumdem, & earum
„ Monaſterio perpetuo applicentur. Pro quibus omnibus & ſingulis
„ obſervandis, pro ſe ac procuratorio nomine, pro Conventu ſe & ipſum *Jurium renunciatio.*
„ Conventum, ac ſucceſſores ſuos, & Monaſterium obligavit. Abbas præ-
„ dictus, renuncians, pro ſe & pro prædictis, in his omnibus & ſingulis
„ omni juris auxilio Canonici & Civilis, conſuetudini & ſtatuto, exce-
„ ptioni reali & perſonali, & omnibus, quæ poſſent objici contra hoc
„ inſtrumentum vel factum. Et ut de his non poſſent ulterius dubitari,
„ idem Abbas ſigillo ſuo fecit præſens inſtrumentum, & ſuorum Fratrum
„ ſubſcriptionibus roborari. Actum Interamne præſentibus his teſtibus
„ ad hoc ſpecialiter vocatis, atque rogatis, ſcilicet.
„ §. III. Ego Fr. Guillelmus Abbas me ſubſcripſi, & ſignum Crucis *Monachorum ſubſcriptiones.*
„ propria manu feci. Ego Fr. Robertus me ſubſcripſi, & ſignum Crucis
„ propria manu feci. Ego Fr. Jacobus me ſubſcripſi, & ſignum Crucis pro-
„ pria manu feci. Ego Fr. Gratanus me ſubſcripſi, & ſignum Crucis pro-
„ pria manu feci. Ego Fr. Munallus me ſubſcripſi, & ſignum Crucis
„ propria manu feci. Ego Fr. Petrus me ſubſcripſi, & ſignum Crucis pro-
„ pria manu feci. Ego Fr. Joannes me ſubſcripſi, & ſignum Crucis propria
„ manu feci. Ego Fr. Petrus me ſubſcripſi, & ſignum Crucis propria
„ manu feci. Magiſtro Bartholomæo de Beneventuto, Domini PP. ſcri-
„ ptore. Landalpho Præpoſito de Repeſoholt, Canonico Bremenſi, Ma-
„ giſtro Martino clerico Aquen. Deodato clerico Lodoven. Henrico
„ clerico S. Mariæ in Tranſtyberi. de Urbe, & pluribus aliis. Et ego
„ Conradus Imperialis aulæ ſcriniarius prædictis omnibus interfui, & *Notarii validatio.*
„ hoc inſtrumentum utriuſque partis conſenſu ſcripſi, & complevi ro-
„ gatus.

Nulli ergo noſtræ confirmationis &c. Si quis autem &c. Datum Reate Kal. Octobris anno x.

LV.

Mandat obſervari quod antea ſtatuerat, circa clauſuram Monialium ſancti Damiani. Regeſt. Vatic. epiſt. 268.

Univerſis Chriſti fidelibus præſentes litteras inſpecturis.

Etſi omnium illa cura debeat nobis ineſſe fidelium, quod, favente Domino, mereantur gaudia ſupernorum, de his tamen tenemur ſollicitudinem habere præcipuam, qui cunctis poſtpoſitis, formam pau- *Erga Moniales Pontificis cura potiſſima.*

Digitized by Google

perum & humilium aſſumentes, corpus & animam perpetuo deputarunt obſequio Redemptoris. Cum ergo dilectas in Chriſto filias pauperes Moniales incluſas Ordinis ſancti Damiani, virtutum augmenta ſuſcipere, & pacem habere ſpiritus, ab omni turbatione immunes effici cupiamus, volumus ut quod a nobis olim in minori officio conſtitutis, circa ingreſſum Monaſteriorum ejuſdem Ordinis, videlicet qui, quomodo, & quando ingredi debeant in Regula dictarum Monialium, inſtitutum eſſe dignoſcitur, ab univerſis & ſingulis inviolabiliter obſervetur. Qui autem contravenire præſumpſerint, excommunicationis ſententiæ decernimus ſubjacere.

Ea, quæ alias inſtituit obſervari mandat.

Datum Interamne x. Kal. Decembris anno x.

Anno Christi 1237. Gregorii IX. Pontif. anno 10.

LVI.

Interdicit Monialibus ſancti Damiani eſum carnium in Monaſteriis. Reg. Vatic. epiſt. 357.

Univerſis Abbatiſſis & Sororibus Ordinis ſancti Damiani.

Ingens pontificia ſollicitudo erga Moniales.

§. I. Licet velut ignis impietate ſuccenſa, & intumeſcente mundi procella cogamur de multis eſſe ſolliciti, & erga plurima perturbari, quando tamen ſpecialius vos univerſas & ſingulas tamquam filias in Chriſto dilectas, in caritatis viſceribus gerimus, tanto de ſtatu Ordinis veſtri ſervando & in melius promovendo ſollicitius cogitamus. Divinæ pietatis clementiam humiliter implorantes, & in votis ſemper habentes, ut ipſius Ordinis fama illæſa ſervetur, & veſtra conſcientia non lædatur.

Intra ſepta Monaſterii non edendæ carnes.

§. II. Cum ergo in Ciſtercienſi, & quibuſdam aliis Ordinibus laudabiliter ſit ſtatutum, ut carnes infra Monaſteriorum ſuorum ſepta, exceptis (ſecundum beati Benedicti Regulam) infirmis & debilibus, non edantur. Nos famæ Ordinis veſtri, quæ per Dei gratiam obſervantiam vitæ diſtrictioris elegit, & conſcientiæ tam noſtræ, quam veſtræ volentes ſalubriter providere, prædicta auctoritate ſtatuimus, & diſtrictius inhibemus, ne ullus unquam Frater, aut Soror, præter infirmos, debiles, & puellas, quæ regularem non poſſunt, ætatis teneritudine prohibente, ſervare rigorem, infra ſepta Monaſteriorum veſtrorum de cetero carnes edat, nec etiam extra alicui miniſtretis, univerſitati veſtræ, in virtute obedientiæ, firmiter præcipiendo mandamus, ut hoc ſi animarum veſtrarum periculum non vultis incurrere, procuretis inviolabiliter obſervare.

Quarumdam exceptio.

Datum Interamne v. Idus Februarii anno x.

LVII.

Digitized by Google

LVII.

Diſpenſat cum Sororibus ſancti Franciſci Pragenſis in quibuſdam obſervantiis ſtrictioribus. Regeſt. Vatic. epiſt. 23.

Monialibus incluſis Monaſterii ſancti Franciſci Pragenſis Ordinis ſancti Damiani.

CUm ſicut propoſitum coram nobis, propter nimium frigus & aeris intemperiem, non poſſitis in omnibus aſperitates Ordinis ſuſtinere. Nos, quia rationabile decet eſſe obſequium, quod creatura debet impendere Creatori, præſentium vobis auctoritate concedimus, ut ſuper eo, quod ſecundum ſtatuta ejuſdem Ordinis, in pane, & aqua certis diebus jejunare debetis, & uſu calceamentorum, & pellium, ac propter debilitatem, relaxando continuo jejunio, ad quod tenemini juxta ſtatuta prædicta, Abbatiſſa Monaſterii veſtri, de Viſitatoris conſilio, valeat, prout expedire viderit, diſpenſare. Diſpenſatio arbitrio Abbatiſſæ.

Datum Viterbii v. Idus Aprilis anno xi.

LVIII.

Confirmat immunitates a Rege Boemiæ, & Epiſcopo Pragenſi collatas Monaſterio Monialium ſancti Franciſci Pragenſis, & nova ipſe privilegia concedit. Reg. Vat. epiſt. 24.

Abbatiſſæ Monaſterii ſancti Franciſci Pragen. & ejus Sororibus incluſis, tam præſentibus, quam futuris regularem vitam profeſſuris &c.

PRudentibus virginibus &c. uſque *ſacræ religionis enervet*. Eapropter, dilectæ in Domino filiæ, veſtris juſtis poſtulationibus favorabiliter annuentes, Monaſterium ſancti Franciſci Pragenſis, in quo divino eſtis obſequio mancipatæ, in fundo, quem cariſſimus in Chriſto filius noſter Wenceslaus illuſtris Rex Bohemiæ Eccleſiæ Romanæ conceſſit, & tam idem Rex, quam Venerabilis Frater noſter Joannes Pragen. Epiſcopus, de aſſenſu Capituli ſui, & ipſum locum, pietatis intuitu, plenariæ libertati donavit, ſicut in eorum litteris ad nos tranſmiſſis perſpeximus plenius contineri: in jus & proprietatem beati Petri, ac ſub noſtra, & Apoſtolicæ Sedis protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. In primis ſiquidem ſtatuentes &c. uſque *inſtitutionem Monialium incluſarum ſancti Damiani in eodem Monaſterio* &c. uſque *obſervetur*. Liceat quoque vobis perſonas liberas &c. uſque *retinere*. Prohibemus inſuper, ut nulli Sororum veſtrarum &c. uſque *diſcedere*. Diſcedentem vero &c. uſque *extorquere*. Sed omnia gratis auctoritate noſtra, vobis Epiſcopus diœceſanus impendat. Alioquin liceat vobis hæc, eadem auctoritate, recipere a quocumque malueritis Catholico Antiſtite, gratiam & communionem Sedis Apoſtolicæ obtinente. Quia vero interdum diœceſani Epiſcopi copiam non habetis &c. uſque *recipere valeatis*. Cum autem generale interdictum &c. uſque *divina officia celebrare*. Obeunte vero te, nec ejuſdem loci Abbatiſſa &c. uſque *providerint eligendam*. Libertates præterea, ac immunitates conceſſas vobis a Re-

Regia donatio. Privilegia, & exemptiones.

Digitized by Google

Rege, Epiſcopo, & Capitulo ſupradictis, auctoritate Apoſtolica confirmantes, nihilominus inhibemus, ne quis Archiepiſcopus, Epiſcopus, vel Prælatus alius in Monaſterium prædictum, vel perſonas regulares inibi Domino famulantes excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti ſententiam audeat promulgare, quam contra prohibitionem hujuſmodi prolatam decernimus non tenere. Paci quoque, & tranquillitate veſtræ &c. uſque *exercere*. Statuimus inſuper, ut juxta morem Romanæ Eccleſiæ, divinum ibi Officium celebretis, excepto quod pſalterium, ſecundum conſuetudinem poſſitis dicere gallicanam. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum præfatum Monaſterium liceat temere perturbare, ſeu quibuslibet vexationibus fatigare. Ad indicium autem hujuſmodi perceptæ a Sede Apoſtolica libertatis, unum obulum aureum perſolvetis nobis, noſtriſque ſucceſſoribus annuatim. Si quis igitur in futurum &c. uſque *diſtinctæ ſubjaceat ultioni*. Cunctis autem &c. uſque *inveniatis*.

Officiũ quomodo recitandum.

Datum Viterbii per manum Magiſtri Wilhelmi S. R. E. Vice-Cancellarii XVIII. Kalendas Maii, Indictione IX. Incarnationis Dominicæ anno MCCXXXVII. Pontificatus vero Domini Gregorii Papæ IX. anno XI.

LIX.

Varia concedit privilegia Fratribus ſancti Franciſci Pragen. & collata iiſdem ab aliis confirmat. Reg. Vatic. epiſt. 25.

Magiſtro Hoſpitalis ſancti Franciſci Pragenſis, ejuſque Fratribus tam præſentibus quam futuris.

B. Agnetis encomium.

OMnipotens Deus, qui alto providentiæ ſuæ conſilio cuncta diſponit, cor & animum dilectæ in Chriſto filiæ Agnetis ſororis cariſſimi in Chriſto filii noſtri Illuſtris Regis Bohemiæ, tanto caritatis igne ſuccendit, ut in Monaſterio ſancti Franciſci pauperum Monialium incluſarum Pragen. Chriſto ſeipſam in odorem ſuavitatis offerret, & pietatis ac compaſſionis intuitu, ad opus infirmorum, & pauperum hoſpitale, in quo divino eſtis obſequio mancipati, fecerit & dotarit. Nos ergo proſequentes ſanctum ejus propoſitum, & Apoſtolico patrocinio confoventes, ad preces ipſius, hoſpitale prædictum ſitum in fundo, quem præfatus Rex Eccleſiæ Romanæ conceſſit, & tam idem, quam Venerabilis Frater noſter Pragen. Epiſcopus plenariæ libertati donavit, ſicut in eorum litteris ad nos tranſmiſſis perſpeximus contineri: in jus & proprietatem beati Petri, ac ſub noſtra, & Apoſtolicæ Sedis protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus: in primis ſiquidem ſtatuentes, ut Ordo Canonicus, qui ſecundum Deum, & beati Auguſtini Regulam, in eodem hoſpitali, de mandato noſtro inſtitutus eſſe dignoſcitur, perpetuus &c. uſque *obſervetur*. Præterea, quaſcumque poſſeſs. &c. uſque *ad illibata permaneant*. In quibus &c. uſque *vocabulis*. Locum ipſum, in quo præfatum hoſpitale ſitum eſt, cum omnibus pertinentiis ſuis, villam Glupetin, cum omnibus villis ad eam pertinentibus, videlicet: Suimenele, & Nidoſcitus: Villam Borotiæ, cum omnibus villis ad eam pertinentibus, videlicet Supenec Wiet & Drachteſici: Villam Ribiniæ, cum ſuis pertinentiis: Villam Kokſchicæ, cum omnibus pertinentiis ſuis, & alias poſſeſſiones veſtras, cum prætactis vineis &c. Sane Novalium veſtrorum &c. uſque *vel extorquere præſumat*. Liceat quoque vobis perſonas liberas &c. uſque *retinere*. Prohibemus inſuper, ut nulli Fra-

Hoſpitale ſub pontificia protectione ſuſcipitur.

Locorum enumeratio.

Fratrum veſtrorum &c. uſque *niſi arctioris religionis obtentu diſcedere*. Diſcedentem vero &c. *nullus audeat retinere*. Cum autem generale interdictum &c. uſque *celebrare*. Dummodo cauſam non dederitis interdicto. Pro conſecrationibus vero altarium, ſive pro oleo ſancto, vel alio Eccleſiaſtico Sacramento &c. *gratis vobis auctoritate noſtra Epiſcopus diœceſanus impendat*: alioquin liceat vobis, hac eadem auctoritate, recipere &c. uſque *obtinente*. Quia vero interdum diœceſani Epiſcopi copiam non habetis &c. uſque *recipere valeatis*. Obeunte vero te, nec ejuſdem hoſpitalis Magiſtro, nullus ibi &c. uſque *providerint eligendum*. Libertates præterea, & immunitates conceſſas vobis a Rege, Epiſcopo & Capitulo ſupradictis, auctoritate Apoſtolica confirmantes, nihilominus inhibemus, ne quis Archiepiſcopus, Epiſcopus, vel Prælatus alius in hoſpitale prædictum, vel regulares perſonas inibi Domino famulantes, excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti ſententiam audeat promulgare, quam contra prohibitionem hujuſmodi prolatam decernimus non tenere. Paci quoque &c. uſque *audeat exercere*. Decernimus ergo &c. uſque *omnimodis profutura*. Salva Sedis Apoſtolicæ auctoritate. Ad indicium autem hujus perceptæ a Sede Apoſtolica libertatis, unum bizantium nobis, noſtriſque ſucceſſoribus annis ſingulis perſolvetis. Si qua igitur &c. uſque *ſubjaceat ultioni*. Cunctis autem &c. uſque *præmia æternæ pacis inveniant*.

Indulta conceſſa.

Annuus cenſus.

Datum Viterbii per manum Magiſtri Guillelmi S. R. E. Vice-Cancellarii XVIII. Kalendas Maii Indictione IX. Incarnationis Dominicæ anno MCCXXXVII. Pontificatus vero Domini Gregorii Papæ anno XI.

IN-

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX
RERUM NOTABILIUM

Notæ Arabicæ paginam, Romanæ marginalem paragraphum denotant.

A

ABagarus Chriſti imaginem dono recipit. 539. xv.
Adam Pariſienſis. 419. xvi.
Adam Rufus Concionator percelebris. 370. xi. Ejus Miracula. 371. xii.
Adamus de Mariſco Eliæ reſiſtit. 240. viii.
Adamus Provinciæ Marchiæ. 370. xi.
Adeleidis Ciſtercienſis Abbatiſſæ erga Minores hoſpitalitas. 407. xxxiii.
Ægidius de Ameria. 383. xxxii.
Ægidius Aſſiſias in extaſim rapitur. 430. vii. egregie Cardinalibus reſpondet. 431. viii. venam aquæ miraculoſe aperit. 431. ix. Ejus monita, & ſpiritus propheticus. 432. x.
Ægidius Viterbienſis. 490. xxii.
Agnellus de Piſis. 351. xxvi.
Agnes ſanctæ Claræ ſoror Florentiam mittitur. 15. xix. ad Sororem ſcribit. ibidem.
Agnes Bohema Clariſſarum ſuſcipit Ordinem. 365. iv. laudatur per epiſtolam a Pontifice. 366. iv. pias domos extruit. ibid. Eliſabethæ conſanguinea non fuit. 396. xvi.
Agropoli Conventus. 40. xii.
Alanquerii Conventus. 53. xli.
Albertus de Piſis fit Germaniæ Miniſter. 74. xxv. Ordinis ſub ejus regimine in Germania progreſſus. ibid. Fratres mittit Nurembergam. 104. lxi. Provincialem Synodum celebrat. 164. iv.
Alcami Conventus. 277. liv.
Aldenardi Conventus. 253. xxiv.
Alexander IV. Indulgentiam Portiunculæ confirmat. 58. iv. multa concedit privilegia Panormitano Conventui. 104. xxxix. ejus de habitu Auguſtinianorum mandatum. 467. xiv. 468. xvi. Auguſtinianos a ferendis baculis diſpenſat. 470. xx.
Alexander Alenſis initiatus Pariſiis. 46. xxvii. Qua vocatione. ibidem, & ſeq. in tirocinio tentatus B. P. Franciſci viſione confirmatur. 47. xxix. cœlitus edoctus, Joannem de Rupella Pariſienſi accademiæ laureandum offert. 47. xxx. ejus exemplo inſignes viri ad Ordinem accedunt. 419. xvi.
Alexandriæ a Palea Monaſterium. 436. xviii.
Aliſani Conventus. 40. xiii.
Alphonſus Bojanenſis vocatur ad Ordinem. 361. xlii.
Alvarus Pelagius Pariſiis floruit. 384. xxxiv.
Amalphi Conventus. 40. xii.
Ambianenſis Conventus. 306. xxxix.
Ambroſius Malaſpina habitum induit Franciſcanum. 361. xlii.
Ambroſius de Maſſa. 414. vi. ejus miracula. 415. vii.
Ex Anconitano Portu S. Franciſcus pergit in Syriam. 533. ix.
Anconitanorum Naves. 326. xiii.
Angela a Verveto. 369. viii.
Anglici Joannes & Bartholomęus in Germaniam mittuntur. 274. xlviii.
Anonymus Picenus magnæ contemplationis, & ſanctitatis vir. 369. xix.
S. Antonini de Joanne Bono teſtimonia èxpenduntur. 451. xi.
S. Antonius Patavinus Comitiis generalibus Aſſiſii intereſt. 6. x. degit in Æmilia ſolitarius. 6. xi. quo anno presbyteratu initiatus? 47. xxxi. ſtudiorum cauſa Vercellas mittitur. 48. xxxii. Abbatis Vercellenſis de ipſo teſtimonium. 49. xxxii. S. P. litteris Theologiam docere permittitur. 49. 33. non fuit primus Magiſter in Ordine. 50. xxxiv. docet apud Montem Peſſulanum, Bononiæ, aliiſque in locis. ibid. e Provincia in Siciliam trajicit. 118. xx. plura ibi extruxit Monaſteria. ibid. Vercellis, & Variſii benedicit aquæ Ciſternas. 126. vi. Romam mittitur. 170. xv. deinde in Galliam Guardianus. 171. xvii. ubi plures Conventus conſtruit. 172. xviii. fundat Conventum Glemonæ. 172. xix. Eliæ tranſgreſſori reſiſtit. 240. viii. a quo male afficitur. 241. viii. ipſum apud Papam accuſat. 241. x. ejus a Pontifice patefit innocentia. 242. xi. Romanæ Curiæ honores declinans in Alvernam ſecedit. 243. xi. Pa-

Digitized by Google

Paduam proficiſcitur. 257. I. dæmonis vexationem Deiparæ ſuffragio eludit. 258. II. honoratur a Civibus. 258. III. Puerum Jeſum in ulnas ſuſcipit. 261. XVI. Lucæ ſocii laudes. 263. XX. hæreticorum inſidiæ. 264. XXV. in Campo S. Petri ſolitudini, & contemplationi vacat. 266. XXXI. ægrotus Paduam revertitur. 266. XXXII. in Domino requieſcit. 267. XXXII. apparet eadem hora Abbati Vercellenſi. 267. XXXIII. inſcii Pueri obitum ejus conclamant. 268. XXXIV. fit de ſacri Corporis humatione contentio. 268. XXXIV. a Militibus cuſtoditur. 269. XXXVI. ſolemniter ad Eccleſiam Fratrum defertur. 269. XXXVII. ubi quinta die poſt obitum ſepelitur. ibid. pergunt Fideles diſcalceati ad ſepulcrum. 270. XXXIX. omneſque Nationes accurrunt. 270. XL. de ipſius agitur Canonizatione ante menſem ab obitu. 270. XLI. quis eam retardans quantocyus ſententiam mutat. 280. II. indicitur Spoleti canonizationis dies. 280. III. præmittitur miraculorum lectio. ibid. & ſeqq. Catalogo Sanctorum adſcribitur. 285. XIV. ſepulcrum inviſentibus indulgentia conceditur. 287. XIV. obitus dies feſtivus indicitur. ibid. eadem hora inſcii Ulyſſiponenſes exultant. 287. XV. ejus vitæ ſcriptores. 288. XVI. varii, quibus pingitur, modi, eorumque rationes. 288. XVII. S. Franciſci non aſſeruit Monachatum. 496. XXXIV. neque Auguſtinenſes Eremitas agnovit. 497. XXXV.

S. Antonii Zelus, aliæque virtutes.

Ingenti animarum lucro prædicat in Gallia. 102. XXXVI. 114. XIV. & 257. I. in partibus Toloſanis. 116. XVI. in Lombardia. ibid. Arimini. ibid. Patavii. 117. XVIII. & 164. XXVI. Romæ. 170. XV. impium redarguit Antiſtitem. 103. XXXVII. & Eccellinum Tyrannum. 265. XXVIII. quem a multis retrahit ſceleribus. ibid. eo prædicante S. Franciſcus apparet. 103. XXXVIII. Appellatur hæreticorum malleus. 115. XIV. innumeros heterodoxos convertit ad Fidem. 115. XV. 115. XVI. quemadmodum Fideles inhoneſtos, alioſque impios ad pœnitentiam. 117. XVIII. inter quos duodecim una vice latrones. 265. XXIX. quibus etiam dormientibus apparens, monet ut peccata confiteantur. 264. XXVI. ob populi confluentiam in apertis prædicat Campis. 258. III. Ejus doctrina. 47. XXXI. 48. XXXII. 114. XIV. dictus Arca Teſtamenti. 170. XV. ſacram Scripturam univerſam memoriter tenet. 171. XV. mira ipſius Patientia. 6. X. Pœnitentia. 6. XI. Obedientia. 48. XXXI. & XXXII. Humilitas. 48. XXXI. 243. II. Caſtitas. 265. XXIX. & 289. XVII. Eloquentia. 265. XXIX. Caritas, aliæque dotes. ibid.

S. Antonii Gratiarum dona, & miracula ante & poſt mortem.

Venerabile Sacramentum in ejus manibus adoratur a famelico jumento. 115. XV. prædicans perattente auſcultatur a piſcibus. 116. XVII. a variis Nationibus intelligitur. 171. XVI. auditur ab abſentibus. 262. XIX. prædicit improbo Notario Martyrium. 171. XVII. futuram prolem mulieri. 262. XVIII. illuſiones dæmonis. 260. IX. & X. auditores non madefactos iri a pluvia. 260. XI. & ſibi ipſi mortem. 266. XXX. eodem tempore in ſuggeſtu prædicat, & in Choro cantat. 259. IV. Patavii manens, Ulyſſipone innocentem patrem a falſo crimine purgat. 263. XXIII. ad vitam revocat apud Glemonam adoleſcentem defunctum. 172. XIX. alium Vercellis. 226. VI. alium item Ulyſſipone. 263. XXIII. duoſque alibi necatos infantes. 261. XV. flatu ſuo a juvene tentationes fugat. 259. V. dæmonis artes illudit. 260. IX. X. & 262. XVII. ſanat virum amentem. 261. XIII. puerum contractum. 263. XX. a morbo comitiali puellam. 263. XXI. quæ eum ſequitur mulier denſo luto non inficitur. 263. XXI. nec pluvia madefiunt, qui eum audiunt prædicantem. 260. XI. neque ancilla, quæ ſub magna pluvia olera colligit. 260. VIII. eo orante redditur a fure Pſalterium. 261. XIV. pronunciat avari demortui damnationem. 263. XXII. reſtituit avulſos crines mulieri. 259. VII. dolio vinum effuſum. 261. XII. & pedem reſectum juveni pœnitenti. 264. XXVII. tunicæ tactu Monachum tentatum liberat. 259. VI. venenata ſine leſione comedit. 264. XXV. bufonem ſigno Crucis in capum convertit. 264. XXV. Examinantur ſancti Viri miracula. 279. I. Cardinalis Canonizationi obſiſtens viſione deterretur. 280. 2. ad ejus ſepulcrum ſynthectici, curvi, contracti, aliique variis affecti morbis miraculoſe liberantur. 280. III. 281. IV. muti loquelam recipiunt. 281. IV. cæci lumen. 282. IV. ſurdi auditum. ibid. comitiali morbo laborantes ſanantur. ibid. hæretici fidei lumen acquirunt. 282. VII. vitreum vaſculum ex alto projectum non frangitur. 283. VII. uvas aridum ſarmentum producit: 283. VII. ejus irridens miracula acerbis cruciatur doloribus, ſed facti pœnitens liberatur. 283. VIII. moniali volenti immittit, & remittit infirmitatem. 284.

284. xi. mulierem undis immerſam ſervat incolumem. 283. x. plures liberat a naufragio. 283. ix. volucres infeſtas a ſegete ambigit. 284. xii. mulier voti oblita punitur. 285. xiii.
Antonius Andreas ubi floruerit. 284. xxxiv.
Antonius a Guevara: Vide *Conventus Pinciarum*.
Antonius Daza. 91. xv. in Monachatum ſancti Franciſci objecit. 444. i.
Antonius de Pulchro viſu ab hæreticis interfectus. 172. xviii.
Apocriſarii Pontificis ex Prædicatoribus, & Minoribus aſſumpti. 43. xix. 319. vii. ſeqq.
Apoſtoli miſſi pro ſalute noſtra. 314. iv.
Aquæ putridæ Conventus. 43. xix.
Arditii Verulenſis converſio mirabilis. 411. iii. ejus obitus. ibidem & 408. xxxiii.
Aretinus Conventus. 308. xlii.
Argentinenſis Conventus. 209. lxxxvii.
Armenorum Nomenclaturæ interpretatio. 336. xvii.
Aſiatica Minorum miſſio. 316. v.
Aſſiſiatis Eccleſiæ privilegia, & exemptiones. 232. ii. ſeqq. a Pontifice conſecratur. 397. xvii.
Aſſiſiatum diſſidia ſanctus Franciſcus componit. 99. xxviii.
Aſſiſii generalia Comitia celebrantur. 2. iii.
Aſſiſii Monaſterium. 232. ii.
Aſſumptionem Deiparæ ſancta Eliſabetha per viſionem intelligit. 169. xiii. *Quid probabilius* de Aſſumptionis tempore ſentiendum ſit. 170. xiv.
Atrebati Conventus initium. 76. xxix.
Auctor proprie, quis a tempore ſcriptionis dicendus. 515. vii.
Auctor ſpeculi vitæ ſancti P. Franciſci. 148. xliv. & ſpeculi Minorum. 145. xxxviii.
Auctor ſequentiæ *Sanctitatis nova ſigna*. 104. lxxviii. & alterius Defunctorum: *Dies iræ dies illa*. ibidem. item Præfationis ſancti P. Franciſci. ibidem.
Auctores Officii ſancti Franciſci. 204. lxxviii. ſeq. & Officii SS. Stigmatum. ibidem.
Audomaropolis Conventus. 360. xli.
Avellini Conventus. 43, xix.
Auguſtæ Comitia celebrantur. 5. ix.
Auguſtiniani jubentur geſtare habitum præſcriptum a Pontifice. 462. iii. ſed appellationem interponunt. 463. v. & recurſum eumd. ad Pontificem. 464. vii. a ferendis baculis diſpenſantur 470. xix. Corrigiam, & baculum ab Auguſtino non habuere. 469. xviii. qualis apud eos Profeſſorum, Converſorum, & Novitiorum habitus. 466. xii. an eis S. Auguſtinus Regulam præſcripſerit. 450. ix. Diſcrepant de tirocinio S. Franciſci. 458. x. 550. iii.
S. Auguſtinus num in corde ſtigmata habuerit impreſſa. 491. xxv.
Auguſtinus Antolinez. 511. ii.
Auſculanum Monaſterium. 359. xxxix.
Aymon Gregorii IX. Apocriſarius. 319. viii. ſeqq.
Azymo pane Chriſtus Dominus uſus eſt in ultima cœna. 236. xvii. hac de re fuſe actum apud Græcos per Apocriſarios Gregorii IX. 324. ix. & ſeqq.

B

Bajocarum Conventus. 51. lviii.
Barbarus Aſſiſias S. Franciſci ſocius. 292. xxxiii.
Barbaſtri Monaſterium. 368. viii.
Barcinonem Diſcipulæ S. Claræ petunt. 356. xxxiv. ibique Monaſterium fundant. ibidem. quod progreſſu temporis Benedictinum evaſit. 356. xxxvi.
Bartholdus Teutonicus 159. lxi.
Bartholomæus Baro Tertiarius. 44. xxiii?
Baſilius Ponce. 511. ii.
Baſtidæ Conventus. 52. xi.
Beatius eſt magis dare quam accipere, ubi inveniatur in ſcripturis. 538. viii.
Belæ Regis Ungariæ erga Minores affectus. 392. xi.
Bellaniæ Conventus. 422. xxv.
S. Benedictus quam Regulam primo profeſſus. 537. iv. ejus Corpus S. Franciſcus inviſit. 36. v.
Benedictus Aretinus. 308. xlii.
Benedictus de Piratro S. P. Franciſco in extremis poſito miniſtrat. 130. ix.
Beneficiatus Pariſienſis factus Minorita. 431. xxi.
Benevenuti Eugubini vocatio & pietas. 44. xxii. mors. 289. xviii. miracula. ibid. feſtum celebratur. 290. xix.
Benevenutus Laicus obiit Mantuæ. 249. xviii.
Bentivolus. 290. xx. ejus caritas in Leproſum. 291. xxi. & plura miracula. ibidem.
Berengaria quæ, & qualis. 173. xxi.
Bergomenſe Monaſterium, 253. xxv.
Bergomenſis Jacobus Philippus Auguſtinianus quando ſcripſerit. 483. x. Primus aſſertor prætenſi S. Franciſci Monachatus. 484. xiii. Unde occaſionem aſſumpſit. 485. x. Ejus ſectatores quam fidem mereantur. 488. xix. Aliqualiter ex-

Digitized by Google

excuſandi . 488. xx. Quinam ſint . 492, xxvii.
S. Bernardinus Senenſis . 15. xviii.
Bernardinus Pollet . 307. xxxix.
Bernardus a Beſſa S. Bonaventuræ ſocius . 453. i.
Bernardus Hallicienſis Archiepiſcopus Minores diligit . 425. iv.
Bernardus a Quintavalle a S. Patre commendatus . 141. xxx. lepide reprehendit Eliam . 241. ix.
Biſontinus Conventus . 123. xxvi.
Bituricenſis Conventus. 210. lxxxviii.
Blanchæ Reginæ in Minores Pietas . 374. xviii.
Bohemia Germaniæ regnum . 106. ii.
Boleslaus Polonus Minores vocat Cracoviam . 433. xii.
Bona-Donna B. Lucheſii uxor . 8. xiv. fit liberalis, & mitior . ibid.
Bona Virgo floret Piſis . 214. iv.
S. Bonaventura naſcitur . 30. xliv. Unde ejus Nomenclatura . 31. xliv. & Patria 34. i. quot ſcripſerit Opuſcula . 307. xxxix. eſt Auctor Officii S. Franciſci . 104. lxxviii.
Boni a malis vexantur . 353. xxxi.
Bonifacius VIII. confirmat Indulgentiam Portiunculæ . 58. iv.
Bononiæ deſcriptio . 54. i.
Bononienſis Conventus Eccleſia . 32. xlviii.
Bonus Ferrarienſis floret . 433. xii.
Boriæ Monaſterium . 368. viii.
S. Brigittæ de Indulgentia Portiunculæ teſtimonium . 60. viii.
Brivenſis Conventus . 171. xviii.
Brugenſis Conventus . 359. xl.
Bruxellarum deſcriptio . 175. iv.
Bruxellenſis Conventus . 175. iv.
Burgundus Nobilis Minorita . 421. xx.
Buſcoducenſis Conventus . 211. xc.
Bzovius 452. xii.

C

CÆſaraguſtanum Monaſterium . 367. vii.
Cæſarius de Spira Miniſter Germaniæ 3. iv. Quos adhibuerit Socios 4. v. Tridentinum pervenit 4. vi. diſtribuit Fratres per diverſas Regiones 5. vii. 5. ix. Comitia Auguſtæ celebrat . ibid. Redit Aſſiſium 45. xxv. & a Miniſteriatu Germaniæ abſolvitur 74. xxv.
Cæſena quantum ab Aſſiſio diſtet 455. iv.
Canonici Conimbricenſes Minoribus infeſti . 252. xxix.
Canonizatio SS. quæ requirat . 286. xiv.
Capitulum Aſſiſienſe . 2. iii. Numantinum Soriæ. 312. i. aliud ſub Joanne Parente 412. i. de Capitulo Pentecoſtes . 66. xiv.
Capuanus Conventus . 39. xii.
Cardinalium dignitas aucta . 301. xxxvi.
Carinulæ Conventus . 39. xi.
Carolus Volaterranus . 255. v.
Carolus de Tapia refellitur . 447. iii.
Caſimirus Biernacki de Minorum in Bohemia ingreſſu expenditur . 107. iv.
Caſtellanæ Civitatis Conventus 254. xxvi. & Monaſterium . 358. xxxviii.
Cereæ Conventus 40. xiii.
Cinguli Auguſtinianorum, & Minorum differentia . 473. xxvii ſeqq.
Circa magnam habet menſuram penes Chronologos 451. xi.
Ciſtercienſis habitum Franciſcanum ſuſcipit . 421. xx.
S. Clara a S. Patre Franciſco pio convivio ſuſcipitur . 22. xxxi. intuetur S. Patris Corpus exanime 148. xlii. quomodo ei Eccleſia S. Georgii conceſſa 132. ii. Ejus Diſcipulæ perveniunt Barcinonem . 356. xxxv. alias Sorores mittit in Alemanniam 435. xvi.
Clariſſas S. Franciſcus conſolatur ante obitum . 137. xxi. Burgenſibus datur Regula 367. vii. Romanis Monaſterium conceditur . 357. xxxvii. Eiſdem alia extruuntur Cœnobia 458. xxxix. ſeqq. Ab eis quid extra Monaſterium ſervandum 82. i. V. *Monialis*, *Damianitæ*, *Monaſterium*, *Regula*.
Clariſſimus de Cluſin . 21. xxv.
Clemens V. Indulgentiam Portiunculæ confirmat . 58. iv.
S. Clementis Monaſter. 76. xxix.
Clerici ad majora tenentur, quàm Laici . 132. xii.
Collazoni S. Laurentii Monaſterium . 409. xxxvii.
Collis Conventus . 409. xxxvi.
Colomanni Fratris S. Eliſabethæ pietas . 392. xii.
Coloniam quo anno miſſi Minores 104. xli.
Columbarii Conventus . 15. xviii.
Compoſtellanus S. Laurentii Conventus . 75. xxviii.
Conradus Lantgravius S. Eliſabethæ Sororius . 310. xlv. 396. xv. rogat Pontificem, ut hoſpitale concedat Teutonicis . 365. iii.
Conradus Marpurgenſis commendatur . 151. xlvii. Ei S. Eliſabetha promittit obedientiam . 151. xlvii. quis fuerit . 151. xlviii. in hæreticos animadvertit . 255. xxxiii. ab eiſdem occiditur . ibid.
Conradus Epiſcopus Minores diligit . 119. xxiii.

Con-

Conſiliariorum quæ utilitas. 300. XXXVI.
Conſtantius Laudenſis ſcriptor vitæ Joannis Boni 441. II.
Conventus Agropoli 40. XII. Alanquerii. 53. XLI. Alcami 277. LIV. Aldenardi. 253. XXIV. Aliſani 40. XIII. Amalphi. 40. XII. Ambianenſis 306. XXXIX. Apitii. 43. XIX. Aquæ putridæ. V. *Mirabelli infra*. Aretinus 308. XLII. Argentinenſis. 209. LXXXVII. Atrebatenſis 76. XXIX. Audomaropolis 360. XLI. Avellini. 43. XIX. Bajocarum. 51. LVIII. Baſtidæ. 52. XL. Bellaniæ. 422. XXV. Biſontii. 123. XXVI. Bituricenſis a quibus ædificatus. 210. LXXXVIII. Bononienſis S. Franciſci Eccleſia. 32. XLVIII. Brivenſis. 171. XVIII. ab hæreticis deſtruitur. 172. XVIII. Brugenſis transfertur. 359. XL. Bruxellenſis. 175. IV. 211. XC. ſeqq. Buſcoducenſis. 211. XC. Capuanus. 39. XII. Carinulæ. 39. XI. Carnotenſis. 161. LXIII. Cœnomanenſis Annuntiatæ. 172. XX. Cæphaludi, ſeu Cœphaliæ. 118. XX. Cereæ. 40. XIII. Civitatis Caſtellanæ. 254. XXVI. Collis. 409. XXXVI. Columbarii. 15. XVIII. Compoſtellanus S. Laurentii. 75. XXVIII. Convennarum. 279. LVI. Corcagienſis 149. XIX. 275. LII. Coriſopitenſis. 307. XL. Cunii. 161. LXIII. Darocenſis. 434. XIII. Diſtemienſis. 211. XC. Donzenachi. 252. XXII. Drepani. 104. XXXIX. Duacenus. 252. XXIII. Erfordienſis. 125. IV. Ejus origo. 119. XXII. Fani. 408. XXXV. Faræ XL. XIII. Gallarati. 409. XXXVI. Gandavenſis. 360. XLI. Ejus Auctor. 361. XLII. Glemonæ. 172. XIX. Gothæ. 118. XXI. Jochelienſis. V. *Tochellenſis infra*. Iprenſis. 118. XXI. 3. Iſenaci. 127. IV. I. Jojæ. 40. XIII. 2. Iſchiæ. 122. XXV. S. Iuniani. 252. XXII. Kilkenienſis. 249. XIX. 309. XLIII. Leopolienſis. 236. IV. Lemovicenſis. 210. LXXXVIII. 212. III. Leontini. 218. XX. Londinenſis. 122. XXV. Lovanienſis. 210. LXXXIX. Loxenſis à S. Ludovico extructus. 434. XV. Lugi, ſive Luci. 362. XLIII. Lunelli. 227. XXIX. S. Luniani. 252. XXII. Luniani 228. XXXII. Majoricenſis. 255. IV. Mechlinienſis. 274. L. Hic B. Petrus Melchinienſis obiit. 275. LI. Meduntenſis. 307. XXXIX. Meſſanus. 54. XLIII. Viri celebres, qui ibi floruere. ibid. Metalonis. 40. XII. Mignani. 40. XII. Militelli. 409. XXXIV. Mirabelli. 43. XIX. Molhuſti. 118. XXI. Montellæ. 40. XIV. Montis Barochii, ſive Scotaneti. 75. XXVI. Montis ferrandi. 226. XXVIII. Montis Frumentarii. 175. III. Montis Hannoniæ. 212. XCIII. Montis Peſſulani. 251. XXII. Namurcenſis. 104. XL. Nari. 229. XXXII. Natiani. 229. XXXII. Neapoli S. Laurentii. 373. XVI. Nompotianus. 40. XIII. Nortemii. 118. XXI. Northuſenſis. 257. VII. Noti 118. XX. Noviomenſis. 251. XXI. Offidanus. 424. XXXI. Oriæ, ſive Uriæ. 40. XIII. Ortenſii. 52. XL. Panormi. 103. XXXIX. Pariſienſis deſcriptio, & incrementum. 373. XVII. A quibus ampliatus. ibid. ſeqq. Templi ſplendor, & magnificentia. 375. XX. Incenditur. 376. XXI. quo dolo. ibid. ſeqq. Conventus ejuſdem officinæ. 379. XXV. Dormitoria. 380. XXVI. Valetudinarium. ibid. Aulæ litterariæ. 380. XXVII. Alia etiam Conventus loca. 381. XXVIII. ſeqq. quæ Provinciæ illuc mittant ſtudioſos. 382. XXX. quomodo laureantur. 382. XXXI. quodnam erat olim Conventus regimen. 383. XXXII. ibi celebrata generalia Comitia. 383. XXXII. quando reformatus. 383. XXXIII. quot ibi conſtituantur Prælati. 384. XXXIII. quinam ibi majoris notæ floruere. 384. XXXIV. Pennenſis. 40. XIII. Placentinus in Hiſpania. 355. XXXII. Plenuæ. 40. XIII. Portus Læti 213. II. Pragenſis S. Iacobi 106. I. Alius Pragenſis S. Ambroſii 363. I. Pruinenſis. 434. XIV. Ratisbonenſis. 226. XXVI. Rellaniæ 422. XXIII. Romanus Sancti Franciſci Transtyberim. 227. XXX. Ruthenenſis, 308. XLI. Sagienſis. 76. XXIX. 160. LXII. Saliſburgenſis. 226. XXVI. Senenſis. 129. VII. Sepulvedæ. 274. XLIX. Silvæ Ducis. 211. XCI. Siracuſis. 122. XXV. Sueſſionenſis. 210. LXXXVIII. Taurominæ. 104. XXXIX. Thenenſis. 161. LXIII. Toloſanus. 52. XXXIX. quando datus Obſervantibus. ibid. Turonenſis. 108. VI. Valencenenſis. 360. XLII. Ejus origo 361. XLII. Venetiarum magnæ Domus S. Franciſci. 122. XXV. Vici Albi. 43. XIX. Vindocini. 173. XXII. Viterbienſis. 422. XXIV. Uratislavienſis. 422. XXIII. Yochellenſis. 250. XX.
Converſionis ſignificatio. 476. XXXI. & 563. I.
Corcagia. 275. LII.
Corcagienſis Conventus ibid. ejus fundator. 276. LIII.
Cornelius Divus egregius Concionator. 122. XXV.
Corona Clericorum quid ſignificet. 476. XXXII. & 564. VII.
Corrigia S. Auguſtini quæ, & qualis. 473. XXVII. & S. Franciſci. 474. XXVIII.
SS. Coſmæ, & Damiani Monaſterium Urbis Clariſſis conceſſum. 357. XXXVII.
Cremonenſe S. Franciſci in Clauſis Monaſterium. 359. XXXIX.

Cri-

Digitized by Google

Gritanæ Auguſtiniani examinantur aſſerta. 490. xxiii.

Crucifixi aſpectu S. Eliſabetha compungitur. 153. l. Ejuſque monitis confirmatur Religioſus tiro. 295. xxx. quod alteri ſimiliter evenit. 295. xxxi.

Cruſenius de quibuſdam monetur aſſertis. 524. vi.

Crux ſepties S. Franciſco apparet. 97. xxv. erga ipſam ejuſdem Sancti ſtudium. 180. xii. 200. lxxv. per Dominicanos, & Franciſcanos prædicatur. 402. xxix.

Cunii Conventus. 161. lxiii.

D

DAmianitæ quæ, & quales. 77. i. earum jejunium, aliæque obligationes. 781. ſeqq. petunt Regulam. 77. i. qualiter debeant recipi. 78. i. V. *Moniales, Clariſſæ, Monaſterium, Regula*.

SS. Daniel, & Socii MM. 25. xxxv. ſeqq. Eorum Corpora. V. *Martyres Septæ*.

Diabolus S. Franciſcum præcipitare molitur. 87. viii. nec S. Antonium Patavinum vexare deſinit. 6. xi. 258. ii. a quo tamen ejus deteguntur mendacia. 260. ix. x. 262. xvii. cuidam Puellæ Burgundæ infeſtus. 121. xxiv. cujus tamen Virginitatem invitus defendit. 122. xxiv.

S. Dionyſius Areopagita os S. Pauli. 340 xxiii. tertius decimus Apoſtolus. ibid.

Doctor præclarus mirabiliter vocatus ad Ordinem. 419. xvii.

Doctoris laurea Franciſcani decorantur Pariſiis. 382. xxxi.

Dominicani, & Minores in Regnum Miramolini miſſi. 123. xxviii. eiſque reformatio Cleri Ulyſſiponenſis committitur. 50. xxxvi.

S. P. Dominici Phyſiognomia. 32. xlvii. Bononiæ moritur. ibid. & 54. i. canonizatur. 385. xxxvi. Ejus obitus dies feſtivus in Anglia indicitur. 433. xii. Fuit S. Auguſtini Canonicus. 454. iii.

Dominicus Martyr Marochii. 296. xxxiii.

Dudum particula quale ſignificat tempus. 463. iv.

E

ECcellinum Tyrannum S. Antonius objurgat. 265. xxviii.

Eccleſiarum Aſſiſii deſcriptio. 397. xviii. ſeqq. Pontifex primum jecit in ipſis ædificandis lapidem. 397. xvii. ibi heroum ſepulturæ 399. xxi. & Sanctorum multæ Reliquiæ. 401. xxvi. Earum exemptiones & privilegia. 233. ii.

Eccleſiæ Romanæ obedire Minores coguntur. 64. xiv. Ejus unitatis figura. 223. viii. & ſpectabilis varietas. 470. xxi. Circa illam qualis Dei providentia. 314. iv.

Egidius. V. *Ægidius*.

Elias Cortonienſis creatur Vicarius Generalis Ordinis. 3. iii. inde Generalis Miniſter. 163. i. ſeqq. ab officio deponitur ſubrogato Joanne Parente. 242. xi. ei Baſilicæ Aſſiſ. ædificatio a Pontifice demandatur. 205. lxxix. eique S. P. benedictionem largitur. 138. xxiii. de ipſius obitu encyclicas mittit litteras. 149. xlv. Magnæ fuit apud exteros opinionis. 150. xlvi. Regulæ auſteritatem mitigari cupit. 62. xii. inducit inobſervantias. 216. ii. quærit privilegia relaxativa. 240. viii. ei reſiſtunt S. P. Socii. 216. ii. B. Bernardus. 241. ix. & alii Regulæ zelatores. 240. viii. præcipue S. Antonius, & B. Adamus. ibid. ſeqq. a quibus coram Pontifice plura objiciuntur. 241. x. Ipſe tamen pœnitentiam fingit. 243. xii. Creatur iterum Generalis Miniſter. 412. i. & mittit Viſitatores per Ordinem. 413. ii.

S. Eliſabetha Regina Hungariæ nubit Ludovico Thuringiæ Lantgravio. 31. xlv. apud Maritum de prodigalitate accuſatur. 158. lx. quot, qualeſque Liberos habuit. 154. li. a S. Franciſco pallium dono accipit. 159. lxi. & a Deo pretioſiſſimas Veſtes. 55. lv. fulget luce clariſſima. 156. lvi. admonetur de Conſortis obitu. 166. vii. poſt quem à Domo ignominioſe ejicitur. 167. viii. una cum Filiis. 167. ix. hoſpitium cogitur mendicare. 167. ix. honorifice recipit Mariti exuvias. 206. lxxxi., & oblatas a Conſanguineis ſecundas Nuptias reſpuit. 205. lxxx. penes ſe quatuor beatæ Virginis cuſtodit Imagines. 224. xxii. eique S. Franciſcus datur in Patronum. 216. iii. Ejus primus inſtructor F. Rodingerus Minorita. 208. lxxxv. cui Conradus Marpurgenſis ſuccedit. 216. iii. qui ſibi caras Ancillas adimit. 217. v. immo & propriam Filiam ibid. non fuit Sanctimonialis incluſa. 218. ix. bene vero tertii Ordinis. 217. vi. in extremis conſtituta Chriſti apparitione recreatur. 271. xlii. ſacrum edit concentum. ibid. piis colloquiis intendit. 271. xliii. profligat Diabolum. 272. xliv. melos angelicum audit. 272. xliii. moritur 272. xliv. Pauperes lugent. 272. xlv. omnes ejus decerpunt Reliquias. 272. xlv. quarta ab obitu die ſepelitur. 272. xlv. miraculis cla-

claret. 273. XLVI. de ejus canonizatione tepide agitur. 363. I. pleriſque committitur cauſa. 364. II. canonizatur tamdem. 386. I. a ſummo commendatur Pontifice. 387. II. & 393. XIV. qui etiam ejus feſtum indicit. 388. II. ſacrum transfertur Corpus. 388. III. variis modis depingitur. 393. XIII.

S. Eliſabethæ virtutes, & erga Pauperes Comitas.

Ejus auſteritas. 31. XLV. 32. XLVII. virgis cædit corpuſculum. ibid. quod etiam cilicio circumdat. 153. I. piæ, quibus ſe exercet, excubiæ. 31. XLVI. erga Minores devotio. 159. LXI. ſacra Templa pedibus nudis inviſit. 156. LVII. devotiſſime ſacrificiis aſſiſtit. 156. LVII. Feſtivos dies permaxime honorat. 156. LVII. continuo in cœleſtes incumbit meditationes. 156. LVI. de divino amore miraculo certioratur. 208. LXXXV. Ad Crucifixi contuitum compungitur. 153. I. eumque ſemel ſuſcipit in Leproſo. 220. XXX. Docet quomodo ſint colendi Sancti. 224. XXII. ad frequentiam Sacramentorum hortatur. 223. XX. ſuum arte fraudat genium. 153. XLIX. honeſtis utitur veſtibus. 153. LI. ad hoc idem alias mulieres perducit. 153. LI. mira ejus obedientia. 152. XLIX. 217. V. paupertas altiſſima. 219. X. omnibus renunciat mundanis 208. LXXXIV. univerſam dotem pauperibus diſtribuit. 222. XVII., nil ſuæ neceſſitati ſupereſſe permittit. 223. XIX. ad patris aulam reverti negat. 219. X. Egenorum mater. 154. LII. procis lac armentorum emungit. 158. LIX. veſteſque reſarcit, & ſuit. 155. LIV. eis frumentum erogat. 157. LVIII. & longævos ſuſtentat. 158. LIX. erga Ægrotos pientiſſima 220. XII. quibus xenodochii curam urget. 217. IV. in pomarii ſecreto pauperis caput detegit. 154. LII. alios abominabiles alit. 157. LVIII. omnes curare ſtudet. ibid. omnibuſque caritative inſervire. 223. XX. Pregnantes, atque puerperas viſitat. 155. LIV. omnibus tamdem omnia ſua bona elargitur. 222. XVII. a ſpirituali magiſtro in eleemoſynis modum ſervare cogitur. 223. XIX. claret lacrymarum dono. 225. XXIII. & lucrandarum Animarum zelo. 222. XVIII. ingratos objurgat. 224. XXI. adoleſcentem a ſeculi vanitate convertit. 221. XXVI. vanam puellam ad meliorem frugem reducit. 222. XVIII. mira ejus demiſſio, & humilitas. 218. VII. 220. XII. ſeqq. 223. XX. 221. XIV. rara comitas in Ancillas. 219. XI. & eximia Patientia. 223. XIX. Caritas erga defunctos. 158. LIX.

S. Eliſabethæ gratiarum dona, & miracula ante mortem.

De aſſumptione Virginis monetur ab Angelo. 169. XIII. ſuis precibus adoleſcentis præcordia exardeſcunt. 221. XVI. cœleſtes habet revelationes. 169. XII. & viſiones. 225. XXIII. non ſemel Chriſtum intuetur. 168. XI. 220. XIII. 271. XLII. extra ſe iterum, iterumque rapitur. 168. XI. anima, & corpore cœco utrumque lumen reſtituit. 221. XIV. aliumque cœcum a nativitate illuminat. 221. XV. muto reddit loquelam. 221. XV. & paralitico ſoliditatem. ibid. lethale ſanat vulnus. ibidem. temporalem calamitatem ſuam prædicit. 155. LV. piſces miraculoſe capit. 393. XIII.

Miracula poſt obitum.

Liberat Monachum a doloribus. 389. IV. a dæmone obſeſſam. 390. V. e patibulo innocentem. 390. VII. curat manum contractam. 390. V. & aliam ſanat dolentem. 391. VII. reddit ſalutem curvæ, & ſtrumoſæ. 391. VIII. & contracta habenti crura ibidem. quatuor cæcis lumen. 391. VIII. IX. ſeqq. mutæ loquelam. 392. IX. ſurdæ auditum. ibidem. claudum ambulare facit. 392. X. ea vindice prælicens natator undis ſubmergitur. 390. VI. & exorata reſurgit. 390. VI. mortui revocantur ad vitam. 390. VI.

Epiſcopus Anconitanus F. Ruffinus. 54. XLIV. Aſſiſias F. Simon Vereducius. ibidem. Groſſeti F. Pepus. ibidem.

Epiſcopus Herfordienſis Franciſcanus. 371. XIII.

Epiſcopus Olomucii S. Franciſci ſtigmatibus infenſus. 427. II.

Epiſcopus Policaſtrenſis F. Gabriel de Licio. 54. XLIV.

Epiſtola de ſitu Corporis S. P. Franciſci. 136. IV. Cardinalis Hugolini ad S. Claram. 16. XX. ad eamdem B. Agnetis ſororis. 15. XIX. S. P. Franciſci ad Fr. Petrum Generalem. 1. I. Ejuſdem ad S. Antonium. 49. XXXIII. ad univerſos Fratres. 130. X. 132. XII. ad Jacobam de Septem ſoliis. 139. XXVI. Pontificis Honorii ad Fratres Minores. 29. XLII. ad ſanctum Franciſcum, alioſque Fratres. 50. XXXV. & 70. XVIII. ad Minores, & Prædicatores. 51. XXXVII. ad univerſos Chriſti Fideles. 59. V. Epiſcopis univerſis. 71. XIX. Prædicatoribus, & Minoribus in Regno Miramolini. 124. XXVIII. Eiſdem in Regno Marochitano. 161. XLIV. Gregorii IX. canonizationis S. P. Franciſci. 201. LXXVI. ejuſdem Commendatitia. 215. I. Monachis ſancti Coſmæ Tranſtyberim. 227. XXX.

Digitized by Google

Fratribus Min. in Capitulo. 231. I. iiſdem in Colle Paradiſi. 232. II. Peruſino, & Spoletano Epiſcopis. 234. III. Generali, Provincialibus &c. Minorum. 244. XXIV. de canonizatione ſancti Antonii. 285. XIV. Epiſcopis Melfienſi, Melfitenſi &c. 290. XIV. ad Generalem Miniſtrum. 312. II. ad Soldanum. 314. IV. ad Regem Georgiæ. 317. V. ad Minores in ejus Regno. 318. VI. & in Terra Saracenorum. 306. VII. ad Germanum Conſtantinopolitanum. 303. XXXVIII. & 321. VIII. & Germani ad Gregorium. 340. XXIII. ejuſdem Pontificis ad Miramolinum. 351. XXVII. ad Viſen. & Lamecen. Epiſcopis. 352. XXX. ad Priorem Conimbricenſem. 353. XXXI. Jacobo Ordinis Min: 357. XXXVII. & 362. XLIV. Epiſcopo Ildeſemenſi. 364. II. ad Agnetem Bohemam. 366. V. Ermeſeildi de Sillis. 368. VII. Archiepiſcopis, & Epiſcopis univerſim. 387. II. Beatrici Reginæ. 394. XIV. Fidelibus Angliæ. 403. XXIX. Regi Tunici. 408. XXXIV. Urbevetano, & Suanenſi Epiſcopis. 415. VII. Monialibus Mileti. 419. XV. Minoribus Viterbii. 421. XXIV. omnibus Fidelibus de Stigmatibus. 426. I. Epiſcopo Olomucii. 427. II. Fratribus Prædicatorum. 429. III. Monialibus Pragæ. 437. XIX.

Epiſtola Martyrum paſſorum Septæ. 26. XXXVIII.

Epiſtola Maſſæi Bardi de Indulgentia Portiunculæ. 59. VI.

Epiſtola Encyclica Fratris Eliæ de obitu S. P. Franciſci. 149. XLV.

Epiſtola Franciſci de Bautio de ſitu corporis S. P. Franciſci. 236. IV.

Epiſtola Germani Conſtantinopolitani ad Pontificem. 296. XXXIV. & 340. XXIII. ejuſdem Epiſtola ad Cardinales. 300. XXXVI.

Epitaphium ſancti Franciſci 239. VI.

Eremitæ Tuſciæ quando habitum ſumpſerunt ſancti Auguſtini. 479. III.

Eremitæ Auguſtiniani: Vide *Auguſtiniani*.

Erfordienſis Conventus. 125. IV.

Eſculanum Monaſterium: V. *Auſculanum*.

Euchardus ſacris contradicit ſtigmatibus. 427. II.

Euchariſtiæ Sacramentum a S. Antonio miraculo confirmatur. 115. XV. miniſtratur duobus Minoribus manibus Chriſti. 38. IX. num in azymo confici debeat. 336. VII. ſeqq. 326. XI.

Europæ clades ob culpas. 295. XXIX.

Ezelinus: vide *Eccelinus*.

F

FAni Conventus. 408. XXXV.

Faræ Conventus. 40. XIII.

Faſciculi temporum quis Auctor. 451. IX.

Flagellantium ſectæ origo. 117. XIX.

Franciſcani: vide *Minores*, *Regula*, *Regulares*.

S. P. Franciſcus biennio duxit eremiticam vitam. 444. I. non tamen Auguſtinenſis cenſendus. ibidem, & alibi. quando converſus. 447. V. Joannis Boni diſcipulus eſſe non potuit. ibidem. plura, quæ cum hoc Monachatu non compatiuntur patravit. 454. IV. qui Monachatus ex ejus teſtamento impugnatur. 544. I. Indulgentiam poſcit Portiunculæ. 17. XXI. quæ a Chriſto conceditur. ibidem, & a Pontifice confirmatur. 17. XXII. Vide *Portiuncula* ejus cum ſancta Clara Contubernium. 22. XXXI. & cum Cardinale Brancaleone. 72. XX. apud quem manens vapulat a Dæmone ibidem. inviſit Corpus ſancti Benedicti. 36. V. & Montem Garganum. 42. XVIII. quo in itinere varia loca adipiſcitur. 43. XIX. ejus Socius in pecuniis a Diabolo illuditur. 42. XVII. a quo & ipſe tentatur. 41. XVI. 55. I. 74. XXIV. & immittitur in præceps. 87. VIII. mittit ad Fr. Petrum Generalem epiſtolam 1. I. & ad ſanctum Antonium. 49. XXXIII. denuo Miniſter confirmatur. 70. XIX. celebrat Græcii Natalis Chriſti ſolemnia. 73. XXII. monetur breviorem Regulam ſcribere. 62. XI. quæ non nullis videbatur arctior. 62. XII. quamvis fuerit ore Chriſti dictata. 63. XII. 68. XV. in Comitiis Cæſarium Miniſtrum abſolvit. 74. XXV. Bononiæ prædicat. 75. XXVII. apertiſque Evangeliis divinam voluntatem explorat. 88. IX. Montem Acuti Comitem ſuo habitu induit. 96. XXI. qui magno habetur in pretio. ibidem. exortum inter Aſſiſiates componit diſſidium. 99. XXVIII. ſuum mittit ad S. Eliſabetham Palliolum. 159. LXI. ejuſque cervical mittitur ad ſanctum Ludovicum. 162. LXIV. Ei ſignum Thau familiare. 200. LXXIV. morti proximo collacrymantur Fratres. 129. IX. conſolatur Sorores S. Damiani. 137. XXI. abſentibus Fratribus ſcribit. 130. X. 132. XII. & præſentes benedicit. 138. XXIII. 140. XXIX. & 145. XXXVII. præſertim Fr. Eliam & Fr. Bernardum. ibidem. quem impenſe laudat. 140. XXX. commendat ædem Portiunculæ. 141. XXXI. ſcribit ad Jacobam de ſeptem ſoliis. 139. XXVI. quæ

Digitized by Google

de imminenti ejus obitu cœlitus monetur. 139. XXVII. univerſo Ordini teſtamentum relinquit. 143. XXXVI. Canticum Solis decantari jubet. 145. XXXVII. & Codicem Evangeliorum aperiri. ibidem. in Domino obdormit. ibidem. ſecum e Purgatorio trahit Animas Fratrum. 145. XXVIII. eadem hora Auguſtinus Aſſiſias decedit. 146. XXXVIII. viſus vehi ad aſtra in ſtellæ fulgidæ ſpecie. 145. XXXVIII. ſeqq. pia erga ſacrum corpus officia. 147. XL. an exenteratum? ibid. ad ſanctum Damianum defertur. 148. XLII. Monialium coram ipſo lacrymæ, & pietas. ibid. in Eccleſia ſancti Georgii conditur. ibid. magnus hac occaſione populorum concurſus. 147. XXI. & crebra miracula. 148. XLIII. quæ diligenti inquiruntur examine. 176. II. canonizatur a Gregorio IX. 176. IV. qui ejus feſtum indicit. 201. LXXVI. cumque ſuum appellat Parentem. 231. I. celebratque ſingulari elogio. 215. I. 232. II. ſacrum Corpus magna cum ſolemnitate transfertur. 230. I. quod inviſit Nicolaus Pontifex. 235. IV. cujuſque ſitus narratur. 236. IV. ipſius vitæ Scriptores. 239. VII. & Genitrix. 435. III. Feſtum in Anglia celebrari jubetur. 433. XII.

S. Franciſci virtutes.

Virtutum omnium adducitur in exemplum. 20. XXVII. XXVIII. qualis ejus Pſalmodia. 20. XXIX. enixa devotione Officium divinum recitat. 72. XXI. impenſe laudat Deum. 99. XVII. aſſiduus eſt in orando. 201. LXXVI. ejus meditatio profunda. 100. XXX. erga Crucem ſtudium. 180. XII. 200. LXXV. reverentia in Clericos. 143. XXXVI. & myſteria divina. ibid. Sacerdotum dignitatem commendat. 202. LXXVI. quanta ejus obedientia. 20. XXVII. XXVIII. & humilitas. ibid. & 19. XXVI. palam cum pauperibus edit. 35. II. pranſurus cum Cardinali mendicat. 69. XVII. in refectorio eleemoſynam petit. 73. XXIII. moriens nudus in nuda humo jacet. 143. XXXIV. ſcorta profligat in igne decumbens. 41. XVI. quam arcta ejus pœnitentia. 202. LXXVI. in honorem ſancti Michaelis jejunat, ſibique alia tempora abſtinentiæ proponit. 86. VI. Multas, graveſque infirmitates patientiſſime ſuſtinet. 97. XXV. & ſeqq. Pientiſſimus cum pauperibus. 20. XXVII. XXVIII. mendico ſuam, Sociique veſtem largitur. 114. XI. & mulierculæ codicem ſacrorum Bibliorum. 20. XXVII. Cum ingenti fructu Bononiæ prædicat. 75. XXVII. communis proclamatur conſolator. 149. XLV. gratias Deo agit in ægritudine. 137. XX. dictus a Papa vir ſecundum cor Dei. 201. LXXVI. ejus virtutes energumenus confitetur. 44. XXIV.

S. Franciſci virtutum monita.

Vicario ſuo comitatem inculcat. 2. I. Generalis Miniſtri exponit qualitates. 134. XV. prudentiam docens in regimine. 134. XIV. 136. XVI. diſſerit de vera obedientia. 19. XXVI. & in quo conſiſtat perfecta lætitia. 21. XXX. Jubet ſancto Antonio docere Theologiam. 49. XXVIII. Docet Ovem divinis intendere. 24. XXXIV. Cicadam laudare Deum. ibid. & pietatem Agniculum. 36. IV. Curioſitatem in menſa reprehendit. 73. XXIII. Monet dolores eſſe habendos in pretio 98. XXVII. Fratribus modum extruendi Monaſteria præſcribit. 128. V. ſed majora tolleranda permittit. 129. VI. in quibus tamen præcipit paupertatem ſervari. 144. XXXV. Obſequium inculcat erga ſacratiſſimum Corpus Chriſti. 130. X. & alia Myſteria divina. 144. XXXVI. modum adorandi in Eccleſiis præſcribit. 143. XVXVI. dignitatem Sacerdotum exaggerat. 144. XXXVI. quos monet corde mundo divina celebrare. ibid. ſemel tamen in die. 132. XI. & qua ratione, ibid. vult, ſacra verba exarata honorari. 132. XII. 144. XXXVI. In divino Officio adhiberi attentionem. 132. XII. in æde Portiunculæ ſervari reverentiam. 141. XXXI. & regularem diſciplinam. 141. XXXII. Fratrum lenit dolorem. 136. XIX. 143. XXXV. Alia monita. V. *Regula, Teſtamentum.*

S. Franciſci Gratiarum dona, & miracula ante mortem.

Ope ſua Ovis ad Religionis actus incumbit. 24. XXXIV. Agniculus pariter. 36. IV. Cicada Deum laudat. 24. XXXIV. & ſecum Philomela ſimiliter. 25. XXXIV. ei pecudes applaudunt. 43. XXI. & Aviculæ in Monte Alvernæ. 85. IV. nec non in mortis articulo. 146. XXXIX. Lupum cicurat. 43. XIX. ſus, quæ agnum voraverat, ejus maledictione laceſſita perit. 43. XX. Ranarumque garrientium compeſcit rumorem. 114. XI. Phaſianus ab eo ſejungi non patitur. 129. VIII. ſecretum detegit F. Maſſei ſermonem. 24. XXXIII. murmur Eliæ. ibid. & Rigerii tentationem. 133. XIII. quam tamen ſtatim depellit. ibid. quemadmodum ab alterius animo ſcrupulos. 128. IV. prædicit infantem futurum ſummum Pontificem. 35. III. & necandum in patibulo apoſtatam. 41. XV. ſuumque hoſpitem brevi moriturum. 113. X. ſapientia ipſius altiſſima. 127. II. III. egregie divina

oracula explicat. ibid. Languidus conſolatur ab Angelo. 110. II. meditans ſæpius fertur in altum. 85. V. nilve ſentit raptus in extaſim. 97. XXVI. neque ignis aduſtionem. 110. III. Excipit Jeſum infantem in ulnas. 73. XXII. & ab eo Crucifixo ſtigmatizatur. 88. X. 101. XXXI. ſeqq. Iſthæc ſtigmata erant patentia foramina. 89. XII. clavi in pedibus, manibuſque apparebant. 101. XXXIII. & e latere continuo ſanguis exibat. 93. XVIII. & 149. XLV. ipſa multi videre. ibid. ſeqq. eorum exiſtentia cenſetur indubitabilis. 181. XIII. ſeqq. quia fuit pontificiis confirmata diplomatibus. 91. XV. 426. I. a ſancto Patre viſionibus. 176. III. & a Deo miraculis. 92. XVII. ſeqq. eorum virtute ægrota liberantur armenta. ibid. contactu ſanatur moribundus. 430. VI. gelidoque corpori ſtatim calor immittitur. 93. XVII. In Imagine miraculoſe apparent. 181. XIV. & pariter miraculoſe eis contradicentes plectuntur. 182. XVI. 429. V. inſculpta fuere die exaltationis ſanctæ Crucis. 87. X. ab ipſo Chriſto. 88. XI. ſoli Franciſco. 94. XX. qui propterea fuit Crucifixi ſignifer. 94. XIX. & dux in ejus militia. ibid. dictus quoque Tabula digito Dei exarata. 92. XVI. hujus miraculi dies feſtus indicitur. 91. XV. & officium componitur. 92. XV. hujus ejuſdem futuri myſterii præmonetur ab Angelo. 101. XXXI. qui ei non ſemel apparet. 101. XXXII. Chriſtus ei multa promittit bona. 86. V. inter quæ gloria æterna. 99. XVII. 100. XXIX. ſepties Crucem ſibi apparentem vidit. 94. XIX. quæ aurea ſemel in itinere præcedebat. 97. XXV. Navicula, in qua prædicat ſponte ſua recedit e litore. 36. VI. ſigno Crucis mortuum ſuſcitat. 37. VII. & infantem in ferventi olla conſumptum. 38. X. molle fit ſaxum, in quod impingit actus a dæmone in præceps. 87. VIII. energumenam liberat. 97. XXIV. Pluviam petentibus obtinet. 114. XI. de piſcibus inopinate providetur. 114. XIII. Chorda, qua eſt uſus, liberatur parturiens. 85. III. Claudum erigit. 35. I. & contractum corpore. 114. XI. Sanat puerum hidropicum. 96. XXI. aliumque ulceratum. 97. XXIV. & Fratrem malo laborantem morbo. 96. XXIII.

S. Franciſci Miracula poſt obitum.

Sacrum ejus Corpus integrum ſervatur. 147. XLI. ſicque erectum, & viventi ſimile Pontifex eſt intuitus. 235. IV. Ipſius meritis octo reſurgunt defuncti. 183. XVII. 215. I. quindecim ab imminenti morte liberantur. 178. IX. & 185. XXV. & ſeqq. ſex puerperæ a lethali partus periculo. 192. XLVII. ſeqq. multi a naufragio. 189. XXXVIII. aliique a vinculis. 190. XLII. ſeqq. Undecim Cæcis lumen reſtituitur. 178. VII. & 193. XLII. ſeqq. quatuor Mutis loquela. 179. XI. totidemque ſurdis auditus. ibid. ſeqq. egregia forma monſtruoſo puero. 199. LXXII. Sanat illico vulneratum lethaliter. 181. XV. & 188. XXXIII. octogenariæ vetulæ lac obtinet pro alendo nepote. 199. LXXI. & ſitientibus de aquarum fonte providet. 198. LXVIII. Expellit ab obſeſſis corporibus dæmones. 178. VIII. curat febres. 179. X. hydropiſim, paralyſim, podagram, & lepram. ibid. *Alia miracula fere innumera, quæ ſanctum Parentem experti ſunt invocantes lege a pag. 177. uſque ad 201. præcipue X. & LX.* Qui ejus gloriæ detrahunt, vota non implere, aut feſtum non honorant, miraculoſe plectuntur. 197. LXIV. ſeqq.

S. Franciſcus Tabula digito Dei exarata. 92. XVI. ſignifer Chriſti. 94. XIX. Dux in ejus militia. 94. XIX. depellens peccatorum caliginem. 315. I. inter homines Angelus. ibid. a Pontifice pro Parente habitus. 231. I. Apoſtolorum imitatus veſtigia. 232. II. Vir ſecundum cor Dei. 201. LXXVI.

Franciſcus Cornejo. 511. II.

Franciſcus Maurus Monachatum S. Franciſci non aſtruit. 497. XXXVI.

Franciſcus Mayronis ubi floruit. 384. XXXIV.

S. Franciſcus de Paula in Ordine Minorum per annum. 454. III.

Franciſcus Petrarcha num Monachatui S. Franciſci faveat? 495. XXXI.

Franciſcus ſummus Pœnitentiarius. 423. XXV.

Fridericus Imperator male ſe gerit in Syria. 225. XXV. excommunicatur a Pontifice. 226. XXV.

Fulginei Monaſterium S. Mariæ de Caritate. 209. LXXXVII. & S. Catharinæ. 213. XLIV.

G

GAbriel de Licio Pollicaſtrenſis Epiſcopus. 54. XLIV.

Galeoti de Galeotis de ſitu Corporis S. P. Franciſci relatio. 238. V.

Gallarati Conventus. 409. XXXVI.

Gandavenſis Conventus. 360. XLI.

Gaufridus de Laval. 172. XX.

Genebrardus refutatur. 450. IX.

Generalis Miniſter. V. *Miniſter*.

Gentilis de Matelica Picenus. 122. XXV.

Ge-

Digitized by Google

Gerardus Mutinenſis. 252. XXVIII.
Gerardus Odonis auctor Officii ſacrorum Stigmatum. 104. LXXVIII.
Gerardus quidam pietate ſingularis. 255. V.
Germanica Minorum miſſio. 4. V.
Germanus Conſtantinopolitanus ad Pontificem mittit epiſtolas. 296. XXXIV. 340. XLIII. & ad Cardinales. 300. XXXVI. Ei Pontifex reſcribit. 303. XXXVIII. 321. VIII. fatetur primatum Romanæ Eccleſiæ. 297. XXXIV. Fratres Minores laudat. ibid. ad eum Apocriſarii mittuntur. 321. VIII. quos reverenter excipit. 324. IX. & cum eis de Fidei myſteriis diſſerit. 325. X. vult convocare Concilium. 326. XI. quod celebratur Nimphæ. 327. XIII. fruſtra tamen. 338. XX. ſeqq. ejus fidei profeſſio. 320. XIV.
Glemonæ Conventus. 172. XIX.
Gotæ Conventus. 118. XXI.
Græci in ſuis obſtinati ſententiis. 338. XXI. Quæ propter eos mala in Eccleſia exorta. ibid. ſeqq. V. *Germanus Conſtantinop. ſup. & Gregorius IX. infra.*
S. Gregorius Magnus quam Regulam profeſſus. 337. V.
Gregorius IX. Honorio ſuccedit in Pontificatu. 163. I. natus Triſterio Patre Anagnino. ibidem. Eum S. Franciſcus prædicit ſummum Pontificem. ibidem. Cardinalis ad S. Claram mittit Epiſtolam. 16. XX. & Pontifex eamdem inviſit. 175. I. Sanctum Patriarcham in Sanctorum Album ſolemniter refert. 177. IV. cui novum ſtatuit ædificari Templum. 205. LXXIX. primum ipſe lapidem ponit. ibid. ædificatum conſecrat. 397. XVII. variiſque privilegiis, & exemptionibus ditat. 232. II. ſeqq. In ſuam protectionem S. Eliſabetham ſuſcipit. 207. LXXXIII. eique in Patronum S. Franciſcum deſignat. 216. III. & Conrado Marpurgenſi commendat. 207. LXXXIII. Eumdem S. Franciſcum ſuum vocat Parentem. 231. I. refert, ejus merito reviviſſe defunctum. ibid. de illius certioratur laterali vulnere. 176. III. & de Stigmatibus reddit teſtimonium. 91. XV. 426. I. Diem ejuſdem feſtivum indicit. 201. LXXVI. ſingularibus illum extollit elogiis. 215. I. 232. II. Pro illius Officio Hymnos componit. 204. LXXVIII. Minores hortatur ad ejus ſectandas virtutes. 231. I. & exponit Teſtamentum. 244. XIV. Quomodo erga fratrem Eliam ſe geſſit. V. *Elias*. Minoribus concedit privilegia ut poſſint celebrare in Altari viatico. 213. XCIV. & pro Eccleſiis Aſſiſiatibus. 332. II. Locum donat pro Conventu Viterbii. 422. XXIV. alia privilegia pro Minoribus, Damianitis, & pro Terra Sancta ab hoc Pontifice conceſſa vide 312. II. 362. XLIV. 363. II. 411. I. 424. XXXII. 425. I. 438. I. explicat Regulam. 244. XIV. alias mittit Epiſtolas. V. *Epiſtolæ*. Scribit quoque ad Germanum Patriarcham. V. *Germanus*. Ejus de habitu Auguſtinenſium mandatum. 463. VI. ſeqq. ſcribit contra Minores gyrovagos. 237. XX. & anathema dicit in Fridericum Imperatorem. 226. XXV.
Gregorius Miniſter Galliæ. 149. XLV.
Gualterus Ceton Anglicus. 419. XVI.
Gualterus de Roſoy Franciſcanum habitum ſumit. 361. XLII.
Gualterus de Villeſis. 361. XLII.
Guidolottus de S. Geminiano defenditur. 191. XLVI.
Guillelmitarum Ordo quando inchoatus, 451. X.
Guillelmus in Hannoniam miſſus. 32. XLIX.
Guillelmus Alcmariæ. 275. LI.
Guillelmus Almoych. 419. XVI.
Guillelmus de Anglia S. Franciſci ſocius. 292. XXIII.
Guillelmus Auceps. 52. XXXVIII.
Guillelmus Ectonus inſignis Concionator. 175. III.
Guillelmus S. Euſtachii Cardinalis Auguſtinenſium Protector. 432. XI.
Guillelmus Ockam. 384. XXXIV.
Guillelmus de la Porchrie fit Minorita. 361. XLII.
Guillelmus Sprelberch Auctor Speculi S. Franciſci. 148. XLIV.
Guillelmus Varro. 384. XXXIV.
Gymnaſia Conventus Pariſienſis. 380. XXVII.

H

Habitum Religioſum quam periculoſum exuere. 411. XXII.
Habitus Tertiariorum. 9. XVI. Fratrum Novitiorum. 64. XIV. & Profeſſorum. ibid. V. *Regula*.
Habitus Auguſtinianorum exordium. 461. II.
Hæretici calumniantur indulgentiam Portiunculæ. 18. XXIII. a ſancto Antonio convertuntur ad fidem. 115. XV. ſeqq. 191. XLV. 282. VII. In eos apud Mediolanum ſeveræ leges. 225. XXIV. eorumque hoſtis Conradus Marpurgenſis. 355. XXXIII. qui tamdem ab eis occiditur. ibid. Exultant dum Templum Pariſienſe incenditur. 376. XXII. a Minoribus, & Prædicatoribus profligantur. 413. III.

Halberſtadium Saxoniæ Oppidum 4. IV.
Halenſis Alexander. V. *Alenſis*.
Helias. V. *Elias*.
Henricus Herpius. 175. LI.
Henricus Jugellanus. 361. XLII.
Henricus Tuſphaniæ. 275. LI.
Henrici de Urimaria, ſive de Alemannia Teſtimonium. 478. I. 565. I.
Hermannus Novitius. 125. IV
Hermannus Fulginas ubi jacet. 292. XXIII.
Hibernicæ Miſſionis tempus. 249. XIX.
Hieronymi Romani Auguſtinenſis errores. 489. XXI.
Hippolytus Doneſmundus. 446. III.
Hiſtoria Matthæi Paris ſuſpecta. 300. XXXV.
Hiſtorici Monachatum S. Franciſci non aſtruunt. 453. I. ſeqq.
Honor etiam humilibus deferendus. 23. XXXII.
Honorius III. Pontifex confirmat Indulgentiam Portiunculæ. 17. XXII. 56. I. & Franciſcanam Regulam. 70. XIX. in qua ne quidquam mutet detinetur. 69. XVIII. Regreſſum vetat ab Ordine. 71. XIX. Mittit pro Terra Sancta Epiſtolas. 54. II. Regique Francorum pro rebus Orientis. 109. IX. concedit, tempore interdicti privilegium Tertiariis. ibid. & Fratribus plura alia. V. *Epiſtolæ*. Moritur. 163. I.
Horæ canonicæ a Minoribus recitandæ. 11. XVI.
Hoſpitale ſancti Franciſci Marpurg. datur Teutonicis. 365. III.
Hoſpitalitas erga Minores. 407. XXXIII.
Hoſtia ſacra a Judæis percuſſa. 175. IV.
Hugo Marochii Martyr. 296. XXXIII.
Hugo Dominicanus Apocriſarius Gregorii IX. 319. VII. ſeqq.
Hugolinus Cardinalis mittit ad ſanctam Claram Epiſtolam. 296. XXXIII.
Humiles etiam honorandi. 23. XXXII.
Humilis Picenus. 369. IX.

I

JAcoba de Septemſoliis monetur de S. Franciſci obitu. 138. XXVI. ejus recenſentur prærogativæ. 139. XXVIII. cur a Septemſoliis nuncupatur. 139. XXVIII. tunica ab eadem parata Corpus S. Patris obvolvitur. 146. XXXIX.
Jacobus de Civitate Nova. 291. XXII.
Jacobus Gualterius rejectus. 451. X.
Jacobus a Lauda. 145. XXXVIII.
Jacobus Philippus Bergomenſis quis. 444. I. V. *Bergomenſis*.
Jacobus Reatinus ſubmerſus liberatur. 189. XXXIX.
Jacobus de Ruſſiano. 316. V.
Jacobus Sportularius. 33. XLIX.
Jacobus de Tarviſio moritur. 119. XXIII.
Jejunia Minorum. 65. XIV. Clariſſarum. 79. I. Tertiariorum 10. XVI.
Illeſcas, & Villegas quales hiſtorici. 493. XXVIII.
Illerdenſe Monaſterium. 268. VIII.
Imagines Sanctorum quo cultu S. Eliſabetha adorabat. 224. XXII.
Indulgentiam Portiunculæ S. Franciſcus a Chriſto obtinet. 17. XXI. ejuſque confirmationem a Pontifice. 17. XXII. qui offert Diploma. 18. XXII. ſed recuſatur. ibid. celitus confirmatur. 18. XXIV. eam calumniantur hæretici. 118. XXIII. eamque confirmant Pontifices. 58. III. & 58. IV. ejus dies a Chriſto præſcribitur. 55. I. quomodo publicata, & a quibus. 56. I. quinam fuerint Teſtes. 57. I. & quinam de ea ſcripſerint. 57. III. quid ſancta Brigitta? 60. VIII. quotidie acquiritur. 59. VII. ingens ad eam populorum concurſus. 61. X.
Indulgentia conceditur in Tranſlatione S. Franciſci. 231. I. Viſitantibus ſepulcrum S. Antonii. 287. XIV. & Monaſterio Montis Lucis. 411. I.
Joanna Comitiſſa Flandriæ. 33. L.
Joannes Ægidius ex Doctore Pariſienſi fit Dominicanus. 47. XXVIII.
Joannes Akerenſis. 361. XLII.
Joannes Bonus naſcitur. 446. II. unde ejus nomenclatura. 447. IV. mimicam artem exercet. ibid. ejus Ordo. 521. I. & habitus. 447. IV. quando converſus. 446. II. ſeqq. & mortuus. ibid. de ipſo Conſtantius Laudenſis. 442. II. non potuit ab eo S. Franciſcus audire. 448. VI. Ejus Ordo in Lombardia apparet. 432. XI.
Joannes Bourges. 160. XLII.
Joannes Diſcalceatus. 307. XL.
Joannes de Florentia. 177. V.
Joannes Franciſcus Blanchard. 108. V.
Joannes Gray Laicus Martyr. 212. XCII.
Joannes Gualterius. 52. XXXVIII.
Joannes Hajus. 106. XLII.
Joannes de Hove. 361. XLII.
Joannes I. Lotharingiæ, & Brabantiæ Dux. 212. XCII.
Joannes de Mara. 52. XXXVIII.
Joannes a S. Martino. 160. XLII.
Joannes Martyr. 311. II.
Joannes Parens num primus poſt S. Patriarcham Generalis? 164. III. ſubrogatur Eliæ. 242. XI. Ejus Miniſterii tempus. 243. XIII. quales ediderit Conſtitutiones. ibid. convocat Generalia Comitia. 412. I. in quibus ab Officio abſolvitur. ibid. & pergit in Corſicam. 413. II.

Joan-

Digitized by Google

Joannes de Peruſio Martyr Valentinus. 273. XLVII.
Joannes de Plano Carpinis. 4. V. 74. XXV. 104. XLI. 209. XXXVI.
Joannes a Porta Epiſcopus. 52. XXXVIII.
Joannes de Rupella. 384. XXXIV.
Joannes Silveſter. 160. XLII.
Joannes Sumerghemius Curio habitum induit Franciſcanum. 361. XLII.
Joannes de Trith. ibid.
Jodocus Materenſis. 361. XLII.
Jojæ Conventus. 40. XIII.
Jordanus de Yane Fr. Cæſarii Coadjutor. 3. IV. extitit Moguntinus Guardianus. 104. XLI. & Cuſtos Thuringiæ. 118. XXI. ubi plures Conventus acquiſivit. 124. I. & etiam Miſſionarius in Germania. 256. VI. VII.
Jordanus de Saxonia quando floruit. 481. VII. ejus Teſtimonium. 480. VI. num ſit Auctor libri de Vitis Fratrum? 481. VII. Ejus rationibus ſatisfit. 572. I.
Joſephus Pamphilus refellitur. 446. III.
Joſſelon. V. *Jodocus de Materen.*
Iprenſis Conventus. 118. XXI.
Iſenaci Conventus. 125. IV.
Judas an in cœna ſumpſerit Euchariſtiam. 539. XII.
Julianus Teutonicus auctor præfationis Miſſæ S. Franciſci. 204. LXXVIII.
S. Juniani Conventus. 252. XXII.
Juniperus Diaboli diluit inſidias. 293. XXVI. Carnis ſuperat tentationes. 294. XXVII. monita præbet patientiæ. ibid. Sociumque in Domino diligit. 292. XXV.

K

KEmnitius calumniatur Indulgentiam Portiunculæ. 18. XXIII.
Kilkennienſis Conventus. 249. XIX. 309. XLIII.

L

LAmfrancus Auguſtinenſium Generalis. 470. XXI.
Leander Albertus Bononienſem Eccleſiam reſtaurat. 48. XXXIII.
Lemovicenſis Conventus. 210. LXXXVIII. 211. III.
Leo Martyr Marochii. 196. XXXIII.
Leo ſocius S. Franciſci viſionem habet de Patrocinio Virginis. 295. XXVIII. & ejuſdem S. Patris. 295. XXIX. liberatur a tentatione. 87. VII.
Leo X. Feſtum Martyrum Valentinorum indicit. 29. XLII.
Leobinus Colle-Villanus. 52. XXXVIII.
Leonardus Coquæus. 91. XIV.
Leontini Conventus. 118. XX.
Leopolienſis Conventus. 236. IV.
Levinus Axellenſis Minorita. 361. XLII.
S. Liberatus Picenus. 369. IX. Ejus ſanctitas, & virtutes. ibidem.
Londinenſis Conventus. 122. XXV.
Lovanienſis Conventus. 210. LXXXIX.
Loxenſis Conventus a S. Ludovico extructus. 434. XV.
Lucas S. Antonii ſocius. 263. XX.
Lucas Tudenſis ſanctum Patriarcham extollit. 90. XIV.
B. Lucheſius primus Tertiarius. 7. XIII. Uxor ei moleſta. 290. XX.
Lucianus Richardus. 104. XXXIX.
B. Lucidus. 290. XX.
S. Ludovicus Galliæ Rex regnare incipit. 164. LXIV. mittitur ei cervical S. Franciſci. 162. LXIV. Pro Minoribus fundat Conv. Pariſienſem. 373. XVII. & XX. Ejus erga Minores pietas. 374. XIX.
Ludovicus VIII. obiit. 164. LXIV.
Ludovicus Lantgravius cum S. Eliſabetha jungitur matrimonio. 31. XLV. vult cum Cruceſignatis adnumerari. 165. V. ægrotat. 165. V. & moritur. 166. VI. Ejus pietas, & elogia. 166. VI. VII. ejuſque oſſa in Thuringiam advehuntur. 206. LXXXI. V. *S. Eliſabetha*.
Lugi, ſeu Luci Conventus. 362. XLIII.
Lunelli Conventus. 227. XXIX.
Luniani Conventus. 228. XXXII.
S. Luniani Conventus. 252. XXII.
Lupus de Moſcoſo Comes. 76. XXVIII.
Lyranus Nicolaus ubi floruit. 384. XXXIV.

M

MAjoricenſis Conventus. 255. IV.
Mali ſemper bonis infeſti. 353. XXXI.
Marcus ſocius S. P. moritur. 425. II.
Maria Loriena Clariſſa. ibidem.
Maria Magalonia Clariſſa. 368. VIII.
Mariæ gratus hymnus: *O glorioſa Virginum*. 267. XXXIII.
Marinus Claudus Inquiſitor. 122. XXV.
Marquez Teſtimonium improbatur. 446. III. 448. VI. 563. I. num ſupplementum ſupplementi viderit. 482. IX. erravit in menſura geometrica. 455. IV. plus æquo laudatus ab Herrera. 511. I. qualis fuerit. 111. II. ſæpe corrigitur a Diſcipulo. 512. III.
Martinus IV. Indulgentiam confirmat Portiunculæ. 58. III.
Martyres Septæ quo anno paſſi? 25. XXXV. eorum Corpora ubi jacent? 28. XLI. eorumque indicitur Feſtum. 29. XLII. ſingu-

Digitized by Google

ſingulorum nomina. 25. xxxvi. A Tarracone Septam abeunt. 26. xxxvi. & Fidelibus ſcribunt Epiſtolam. 26. xxxviii.
Martyrum Valentinorum paſſio. 273. xlvii. V. *Joannes de Peruſio*, & *Petrus de Saxoferrato*.
Maſſæi ſecretum detectum. 24. xxxiii.
Maſſæus Severinas. 291. xxi.
Matthæi de Rubeis erga Franciſcanos devotio. 35. ii. Ejus Filium S. Franciſcus prædicit futurum Pontificem. 35. iii. valde fuit ſancto Parenti familiaris. 35. ii.
Matthæi Paris hiſtoria ſuſpecta. 300. xxxv.
Mechlinienſis Conventus. 274. l.
Mediolanenſe S. Apollinaris Monaſterium. 409. xxxvii.
Mediolanenſe S. Mariæ Monaſterium. 359. xxxix.
Meduntenſis Conventus. 307. xxxix.
Mendicatio quam proficua Minoribus. 114. xii.
Meſſanæ Conventus. 54. xliii.
Metalonis Conventus. 40. xii.
Mignani Conventus. 40. xii.
Mileti Reatinæ Diœceſis Monaſterium. 417. x.
Militelli Conventus. 409. xxxiv.
Miniſtri Generales: F. Elias de Cortonio. 164. ii. F. Joannes Parens. 242. ii. Iterum Elias. 412. i.
Miniſtri Generalis electio quomodo facienda. 66. xiv. quando, & a quibus. ibid. & 230. xiv. Ineptus deponendus. 66. xiv. Ejus qualitates. 134. xv.
Miniſter Generalis Minorum laborat in ſedandis Romanis. 441. xxvii. liberat energumenum. 402. xxviii.
Miniſtri Provinciarum à quo eligebantur. 107. iv. eorum qualitates. 135. xvi. ad eos quomodo debeant recurrere ſubditi peccantes. 246. xiv.
Minores Fratres mittuntur in Germaniam. 3. iii. ſeqq. eorum ibi progreſſus. 4. v. Tridenti prædicant. 4. vii. alia etiam Regna Aquilonaria pervadunt. 45. xxv. mittuntur ex ſingulis Provinciis ad Gentiles, & Saracenos. 30. xliii. Scotiam penetrant. 105. xlii. ubi plura extruunt Monaſteria. 122. xxv. in Poloniam perveniunt. 107. iii. & quomodo ibi introducti. 433. xii. Pergunt ad Baleares Inſulas. 255. ii. Regiſque Aragoniæ ſunt Comites. 255. iv. Mittuntur item ad Regem Tunici. 408. xxxiv. & Regnum Miramolini. 123. xxvii. Pragam quoque perveniunt. 363. i. Crucem prædicant. 402. xix. 406. xxx. & 413. iii. quæ prædicatio miraculis confirmatur. 406. xxx. & 438. i. Hæreticos Paterinos profligant. 413. iii. Qua ratione debent ire per Mundum. 68. xiv. nequeunt eſſe gyrovagi. 437. xx. Northuſis, & Molhuſti recipiuntur. 248. xvii. eiſque plura alibi domicilia extructa. 122. xxv. in Thuringia præcipue. 118. xxi. & in Hibernia. 249. xix. V. *Conventus. Monaſterium*. Ædes ædificandi modum præſcriptum habent. 128. v. poſſunt tamen ædificare peramplas. 129. vi. Perſecutionem paſſi ab Epiſcopis Galliæ. 123. xxvii. a Canonicis Conymbricenſibus. 352. xxix. ab Olomucii Antiſtite. 427. ii. a Fratribus Dominicanis. 426. i. ſeqq. a Parochis quampluribus. 277. lv. imo & a ſuis ipſis Prælatis. 240. viii. ſeqq. Tempore interdicti eis celebrare conceditur. 50. xxxv. aliiſque Privilegiis ab Apoſtolica Sede ditantur. 124. xxvii. 213. xciv. 411. i. V. *Epiſtolæ*. In Translatione S. Franciſci ſunt Vicarii Pontificis. 233. iii. Eis reformatio Cleri Ulyſſiponenſis commiſſa. 50. xxxvi. & Abſolutio Portugalliæ Regis. 363. xliv. Erga eos Blanchæ Galliarum Reginæ propenſio. 374. xix. & Ludovici filii. 375. xx. Gregorii quoque IX. exceſſivus affectus. 131. i. 213. xciv. 244. xiv. V. *Gregorius*. Tenentur in protectorem petere Cardinalem. 68. xiv. abhorrere a pecunia. 65. xiv. & in omnibus altiſſimam ſervare paupertatem. 66. xiv. Infirmis prodeſſe. 65. xiv. ad Miniſtros pro caſibus reſervatis recurrere. 66. xiv. Vide *Regula*. Non tamen ad omnia conſilia Evangelica. 245. xiv. neque ad Franciſcanum teſtamentum. ibid. Eis vetitum nimium ſtudiis incumbere. 67. xiv. & alloqui Moniales. 67. xiv. Mali in inferno cruciantur. 431. viii. Boniſque fameſcentibus miraculoſe providetur. 372. xv. Eorum aſſumunt miraculoſe habitum præclarus Doctor. 419. xvii. duo Sacerdotes. 420. xviii. Monachus Ciſtercienſis. 421. xx. & Benedictinus. 421. xxii. Nobilis Burgundus. 421. xx. & Pariſienſis Beneficiarius. 421. xxi. Nuncios mittunt ad Pontificem. 244. xiv. Quomodo Pariſiis decorantur doctorali laurea. 382. xxxi.
Mirabelli Conventus. 43. xix.
Molhuſti Conventus. 118. xxi.
Monachatus prætenſus S. Franciſci chronologice refellitur. 445. i. Ejus nullus hiſtoricorum meminit. 453. i. neque Pontifex in bulla Canonizationis. 454. iii. Ejus refelluntur aſſertores. 444. i. diſſertatoris explicatio. 456. vi. & reſponſio. ibid. poſt tria ſecula excogitatus. 513. iii. quiſnam ejus primus aſſertor. V. *Bergomenſis*.

Mo-

Monaldus probatæ virtutis. 103. xxxviii.

Monaſterium Alexandrinum. 436. xviii. Aſſiſii S. Georgii. 232. ii. Aſculanum mandatur non moleſtari. 359. xxxix. Barbaſtri. 368. viii. Barcinonenſe. 350. xxxiv. Bergomenſe. 253. xxv. Boriæ. 368. viii. Cæſaraugustanum. 367. vii. Civitatis Caſtellanæ. 358. xxxviii. Sancti Clementis in Hiſpania. 76. xxix. Cremonenſe S. Franciſci in Clauſis. 359. xxxix. Fulginei S.Catharinæ. 213. xciv. Fulginei S. Mariæ de Caritate. 209. lxxxvii. S. Georgii Aſſiſii. 232. ii. Illerdenſe. 368. viii. S. Laurentii de Collazono. 409. xxxvii. Mediolanenſe S. Apollinaris. 409. xxxvii. Mediolanenſe S. Mariæ. 359. xxxix. Mileti Diœceſis Reatinæ. 417. x. Nurſiæ S.Mariæ Magdalenæ. 209. lxxxvii. Offidanum. 424. xxxi. Orbeti S. Claræ. 358. xxxviii. Placentinum transfertur in Hiſpaniam. 355. xxxii. Pragenſe. 410. xxxvii. Pruinenſe. 436. xvii. Ripæ Arni. 410. xxxvii. Romanum S. Laurentii in Pane & Perna. 358. xxxviii. Romanum SS.Coſmæ & Damiani. 357. xxxvii. Senarum. 409. xxxvii. Senarum Pauperum de adminiſtratoribus proviſum. 359. xxxix. Tarraconenſe. 368. viii. Venetiarum S.Claræ. 369. viii. Veronenſe S. Mariæ in Campo Martio. 410. xxxvii. Viterbii SS. Simonis & Judæ. 358. xxxviii. Ulmenſe. 435. xvi. Zamorenſe. 229. xxxiii.

Monaſterium Damianitarum intrantibus quid obſervandum. 84. i. 247. xiv.

Moniales Damianitæ quæ, & quales. 78. i. earum habitus. ibid. quomodo recipi debeant. ibid. quid ab eis cavendum ad crates colloquentibus. 80. i. & nequeunt poſſeſſiones recipere. 81. i. neque aliquid exteris dare abſque licentia Abbatiſſæ. ibid. quæ eas viſitare debet. ibid. V. *Regula*. Eis varia conceſſa Privilegia. 411. i. V. *Epiſtola*. A S. Clara mittuntur in Alemanniam. 435. xvi. V. *Clariſſæ*, *Damianitæ*.

Montellæ Conventus. 40. xiv.

Montis Barochii ſive Scotaneti Conventus.. 75. xxvi.

Montis Ferrandi Conventus. 226. xxvii.

Montis Frumentarii Conventus. 175. iii.

Montis Hannoniæ Conventus. 212. xciii.

Montis Peſſulani Conventus. 251. xxii.

B. Moricus ubi requieſcat. 416. viii.

Morigii Chronologia rejecta. 449. vii.

N

Namurcenſis Conventus. 104. xl.

Nari Conventus. 229. xxxii.

Natiani Conventus. ibid.

Neapoli S. Laurentii Conventus. 373. xvi.

Nicolaus Alemannus Vaticanæ Bibliothecæ Cuſtos. 445. i.

Nicolaus Cruſenius monetur. 445. ii.

Nicolaus Mutio. 122. xxv.

Nicolaus de Pepulis. 226. xxvii.

Nicolaus V. Corpus S. Franciſci inviſit. 235. iv. ſubterraneam Aſſiſienſem Eccleſiam ingreſſus. 337. iv.

Nicolaus de Rheno. 118. xxi. Ejus humilitas. ibid. factus Saxoniæ Cuſtos. 119. xxiii.

Nicolaus Sutor Epiſcopus Eboracenſis. 307. xxxix.

Nicolaus III. a S. Franciſco prædicitur futurus Pontifex. 35. iii.

Nompotianus Conventus. 40. xiii.

Nortemii Conventus. 118. xxi.

Northuſii Conventus. 257. vii.

Noti Conventus. 118. xx.

Noviomenſis Conventus. 251. xxi.

Novitiorum Ordinis veſtes. 64. xiv. quomodo recipi debeant. ibidem.

Nuncii miſſi a Religione ad Pontificem. 244. xiv. & a Pontifice ad Principes. V. *Minores*.

Nurembergam Fratres mittuntur. 104. xli.

Nurſiæ Monaſterium. 209. xxxvii.

O

Obedientia Prælatis debita. 407. xxxii. ejus adfertur exemplum. 19. xxvi.

Oddo Peruſinus Auctor Speculi Minorum. 145. xxxviii.

Oddo Rigaldi Alenſem ſequitur. 419. xvi.

Officii S. Franciſci Auctor. 204. lxxviii.

Officium Clericorum, & Laicorum. 65. xiv. quæ in eo ſervanda ab itinerantibus. ibid.

Offidanus Conventus. 424. xxxi. & Monaſterium. 424. xxxi.

Onuphrius Segianus. 15. xviii.

Opania Moraviæ Civitas. 237. iii.

Opiniones infirmæ nullo roborantur fundamento. 444. ii.

Orbeti Monaſterium. 358. xxxviii.

Ordo Minorum quando inſtitutus. 530. i. ad eum accurrunt celebris Doctor. 419. xvii. duo Sacerdotes. 420. xviii. Monachus Ciſtercienſis. 421. xx. & Benedictinus. 421. xxii. Nobilis Burgundus. 421. xx. & Pariſienſis Beneficiarius. 421. xxi. ab eo recedens Canonicus punitur. 296. xxxii. Plurimum propagatur per Thuringiam. 118. xxi. & per totam Germaniam. 45. xxv.

Ordo

Ordo Tertiariorum quando inſtitutus. 7. XIII. quis primo in illum ingreſſus. 7. XIII. in illo quomodo poſſit diſpenſari ab abſtinentiis. 10. XVI. quis pœnitentias, & correctiones infligere. 13. XVI.
Ordines tres a S. Parente præſignati. 14. XVIII.. V. *Minores*, *Regula*.
Oriæ, ſive Uriæ Conventus. 40. XIII.
Ortenſii Conventus. 52. XL.
Otto Teutonicus. 371. XIII.
Otto Candidus Aleranus Cardinalis Auctor Reſponſorii: *de Paupertatis horreo*, 204. LXXVIII.

P

PAcificus Miniſter Galliæ. 355. XXXIII. 361. XLIII.
Pamphili refellitur chronologia. 449. VII.
Panormi Conventus. 103. XXXIX.
Pariſienſis Conventus. 373. XVII. V. *Conventus Pariſienſis*.
Pariſiis quonam privilegio Franciſcani laureantur. 282. XXXI.
Patavinæ perpenduntur Conſtitutiones. 577. I.
Patriarchæ pro humana ſalute miſſi. 315. IV.
Paulus in faciem Petri reſtitit. 304. XXXVIII.
Paulus Morigia refellitur. 449. VII.
Paupertas Minorum altiſſima. 66. XIV. caritati prodeſt. 66. XIV.
S. Fr. Pellegrinus. 291. XXI.
Pennenſis Conventus. 40. XIII.
Pepus Groſſettanus Antiſtes. 54. XLIV.
Petrarcha num Monachatui S. Franciſci faveat. 495. XXXI.
S. Petri Primatus. 304. XXXVIII. Petro reſiſtit Paulus, ſunt tamen in doctrina concordes. ibidem.
Petrus Aureolus. 384. XXXIV.
Petrus de Candia poſtea Alexander V. ubi floruit. 384. XXXIV.
Petrus Catanius moritur. 2. II. claret miraculis. ibid.
Petrus Dominicanus Gregorii IX. Apocriſarius. 319. VII. ſeqq.
Petrus de Fuxo Cardinalis Minorita. 52. XXXIX.
Petrus Mecliuienſis. 275. LI.
Petrus de Nanclarez Cantaber. 76. XXVIII.
Petrus de Natalibus in ſua Chronologia rejicitur. 449. VII.
Petrus Oundenovius. 361. XLII.
Philippa de Mareria. 416. IX. Ejus virtutes, & miracula. ibidem.
Philippinus S. Antonii Socius. 6. X. moratur in Conventu Columbarii. 15. XVII.
Philippus Bergomas primus Monachatus S. Franciſci aſſertor. 444. I.. 478. I. 484. XIII. 486. XVI. 581. I. num ſcripſerit ante Sabellium. 482. IX. Unde hujuſce aſſertionis ſumpſerit occaſionem. 485. XIII. Auctores exteri qui ejus ſunt ſequuti ſententiam. 492. XXVII. V. *Bergomates*, *Monachatus*.
Pica S. Franciſci Genitrix Tertii Ordinis Filia. 425. III. moritur. ibid.
Placentinum in Hiſpania Monaſterium transfertur. 355. XXXII.
Placentinus Conventus. 355. XXXII.
Placentinus Prior Minoribus moleſtus. 354. XXXII.
Plenuæ Conventus. 40. XIII.
Plura, & *Complura* particulæ num differant. 528. XVII.
Portiunculæ Ædes a S. Parente commendatur. 141. XXXI. Idem ibi Regularem inculcat diſciplinam. 141. XXXII. ibique Paſſionis Dominicæ excitatur memoria. 142. XXXII. Ejus rithmice encomium. 142. XXXIII., eſt totius Ordinis caput, & mater. 232. II. In ea quotidie plenaria Indulgentia. 59. VI. V. *Indulgentia*.
Polidorus Vergilius Bergomenſi poſterior 484. XII. 581. I.
Poloniam Minores ingreſſi. 433. XII.
Pontifex Romanus duplici gladio potitur. 321. VIII. Varias ſcribit ad varios Epiſtolas. V. *Epiſtola*. Et Minoribus privilegia concedit. V. ibid & *Minores*.
Portus læti Conventus. 213. II.
Praga Bohemiæ Civitas. 106. II.
Pragenſe Monaſterium. 410. XXVII.
Pragenſis S. Jacobi Conventus. 106. I.
Pragenſis S. Ambroſii Conventus. 363. I.
Prædicatoribus Minorum quid obſervandum. 67. XIV. Crucem prædicant. V. *Minores*.
Prælatis obedientia præſtanda. 64. XIV. 407. XXXII. quomodo ſe debeant in correctione gerere. 66. XIV. V. *Miniſter Generalis*, & *Miniſter Provincialis*. Non ſemper debet corrigere. 134. XIV.
Prophetæ aliquando prophetant ex ſemetipſis. 170. XIV.
Prophetiæ de Verbo incarnando. 315. IV.
Protectorem Cardinalem a S. Sede petere tenentur Minores. 68. XIV. & Clariſſæ. 74. I.
Pruinenſis Conventus. 434. XIV.
Pruinenſe Monaſterium. 436. XVII.

Q

QUæſtio omnis Fidei deferenda ad Apoſtolicam Sedem. 305. XXXVIII.

R

Ratiſbonenſis Conventus. 226. xxvi.
Raynerius Capoccius Cardinalis Auctor hymni *Plaude &c.* 204. lxxviii.
Regula FF. Minorum. 64. xiv. eſt evangelica. 68. xvi. dictata a Chriſto. 68. xv. cœleſtis de ea viſio Franciſco immiſſa. 62. xi. Nonnullis arctior viſa. 62. xii. obſervanda ſine gloſſa. 145. xxxvi. & ſtudioſe. 132. xii. præcipue in Æde Portiunculæ. 141. xxxii. a Pontifice confirmatur. 56. i. 69. xviii. & explicatur. 246. xiv. nec in ea quidquam ab eodem immutari permittitur. 69. xviii Ejus Synopſis. 130. x.
Regula Sororum Damianitarum. 78. i.
Regula Tertiariorum. 9. xvi. num obliget ad mortale. 14. xvi.
Regula S. Auguſtini quando ſuſcepta ab Eremitis Tuſciæ. 479. iii.
Relaniæ Conventus. 422. xxiii.
Ricerius, ſive Rigerius liberatur a tentatione. 133. xiii.
Richardus Card. Auguſtinianorum Protector eorum habitum præſcribit. 466. xii.
Richardus Kingsdorp. 174. iii. 209. lxxxvi.
Richardus de Media Villa. 384. xxxiv.
Richardus Pevonienſis. 174. iii.
Ripæ Arni Monaſterium. 410. xxxvii.
Roberto Minoritæ lumen oculorum miraculoſe redditur. 193. lii.
Robertus Colephat. 419. xvi.
Rodingerus Herbipolenſis S. Eliſabethæ Magiſter. 208. lxxxv.
Rodulphus apud Henricum Thuringiæ Lantgravium S. Eliſabethæ cauſam agit. 296. lxxxii.
Rodulphus quidam cadens miraculo liberatur. 185. xxv.
Rodulphus Gregorii IX. Apocriſarius. 319. vii. ſeqq.
Rodulphus Ebiſac vocatur ad Ordinem. 372. xiv.
Rodulphus, ſive Robertus Herfordienſis Antiſtes. 371. xiv.
Rodulphus Radiptonus. 372. xiv.
Rogerius de Marchia moritur. 413. iv. Ejus miracula. 414. v.
Rogerius de la Wes. 406. xxxi.
Rogerius GavorenſisOrdinem ingreditur. 361. xlii.
Romanus Conventus S. Franciſci Tranſtyberim. 227. xxx.
Romanum Monaſterium SS. Coſmæ & Damiani. 357. xxxviii.
Romanum Monaſterium S. Laurentii in Pane & Perna. 358. xxxviii.
S. Roſa Viterbienſis. 423. xxv.
Rufinus Anconitanus Antiſtes. 54. xliv.
Ruthenenſes addictiſſimi Ordini. 311. iii.
Ruthenenſis Conventus. 308. xli.

S

Sabellicus in hiſtoria poſterior Bergomate. 484. xi. quando floruit. 482. ix. ſeqq.
Sacerdotum dignitas. 131. x.
Sagienſis Conventus. 76. xxix.
Saliſburgenſis Conventus. 226. xxvi.
Sancius Portugalliæ Rex abſolvitur a Minoribus. 362. xliv.
Sanctos Deus honorat. 285. xiv. quorum Buſta pretioſa. 266. xxx. erga illos S. Eliſabethæ cultus. 224. xxii.
Scotus ubi floruit. 384. xxxiv.
Seculum quid ſignificet. 514. vi.
Senarum Monaſterium. 409. xxxvii.
Senarum Monaſterium pauperum providetur de Miniſtris. 359. xxxix.
Senenſis Conventus. 129. vii.
Septiſolium quid, & ubi ſitum. 139. xxviii.
Sepulvedæ Conventus. 274. xlix.
Sigerus de Silly. 361. xlii.
Silvæ Ducis Conventus. 211. xci.
Simon Vereducius creatur Aſſiſii Antiſtes. 54. xliv. ſitque Monialium procurator. 232. ii.
Siracuſanus Conventus. 122. xxv.
B. Soldanerius. 423. xxv.
Soriæ celebrantur generalia Comitia. 312. i
Stephanus du Barquel. 160. lxii.
Stephanus de Berda ab Hæreticis interficitur. 172. xviii.
Stephanus de Caſanova Card. auctor Antiphonæ Cœlorum candor. 204. lxxviii.
Stephanus a Molina. 229. xxxii.
Stigmata S. Franciſci die S. Crucis inſculpta. 88. x. ab ipſo Chriſto. 88. xi. Erant aperturæ patentes. 89. xii. & prodigioſæ. 90. xiii. Eorum Feſtum indicitur. 91. xv. & Officium componitur. 92. xv. a quibus inſpecta. 93. xviii. Num ſoli Franciſco inflicta? 94. xx. Miraculis confirmantur. 92. xvi. ſeqq. ſanant armenta ægrotantia. 92. xvii. ſimiliter & morti proximum. 430. vi. in imagine apparent. 181. xiv. puniuntur contradicentes. 429. v. Epiſcopus Olomucii, quod iis repugnaret, a Gregorio IX. reprehenditur. 427. ii. ejuſdem Gregorii de SS. Stigmatibus teſtimonia. 426. i. & ſeqq. Monet Franciſcus de illis dubitantem. 181. xiii. V. *S. Franciſcus*.
Sueſſionenſis Conventus. 210. lxxxviii.
Svetiam quando Minores ingreſſi. 45. xxvi.

T

Tancredus de Colle. 409. xxxvi.
Tapii Chronologia ab Auctore rejecta. 449. vii.
Taraconenſe Monaſterium. V. *Monaſterium*.
Tauromitæ Conventus. 104. xxxix.
Tentialbene beati Juniperi ſocius. 192. xxiv. ſeqq.
Tertiarii quando inſtituti. 7. xii. quis primus. 8. xiii. eorum Regula. 9. xvi. & veſtes. ibid. ſerio in receptione examinandi. ibid. quando debent jejunare. 10. xvi. a carnibus abſtinere. ibid. Sacramentaliter confiteri, & communicare. 11. xvi. poſſunt Teſtamenta condere. ibid. privilegiis ornantur. 229. xxxiv.
Teſtamentum S. Franciſci. 143. xxxvi. exponitur a Gregorio IX. 244. xiv.
Teutonum mores, & habitus. 3. iv. ad illos Minores mittuntur. ibid.
Thenenſis Conventus. 161. lxiii.
Theodoricus Diximuſdenſis. 361. xlii.
Thomas Auximanus Provincialis Marchiæ. 424. xxxi.
Thomas Capuanus auctor plurium Officii S. Franciſci. 204. lxxviii.
Thomas de Celano auctor ſequentiæ *Dies iræ &c.* 204. lxxviii. & alterius S. Franciſci *Sanctitatis nova ſigna*. ibid. ejuſdem de Portiuncula teſtimonium. 141. xxxii.
Thomæ Cantipratani elogium, & narratio. 407. xxxii.
Thuringiæ Cuſtos eximio honore recipitur. 248. xvi. ibi Ordo augetur. 118. xxi.
Toloſanus Conventus. 52. xxxix.
Trinitatis Myſterium oſtenditur. 314. iv.
Triſterius Gregorii Pontificis Parens. 163. i.
Turonenſis Conventus. 108. vi.
Tuſciæ Eremitæ quando Regulæ S. Auguſtini aſcripti. 479. iii.

V

Valencenenſis Conventus origo. 360. xlii.
Valentinorum Martyrum paſſio. 273. xlvii.
Varro ubi floruit. 384. xxxiv.
Ubertinus Seguſinus a S. Franciſco ſanatus. 200. lxxv.
Venetiarum Conventus. 122. xxv.
Venetiarum Monaſterium. 369. viii.
De Verbo incarnando prophetiæ. 314. iv.
Veronenſe Monaſterium ſanctæ Mariæ in Campo Martio. 410. xxxviii.
Vici Albi Conventus. 43. xix.
Villegas, & Illeſcas quales hiſtorici. 493. xxviii.
Vindocini Conventus. 133. xxii.
Virginitas Mariæ aſſeritur in Evangelio. 538. xi.
Viterbii Conventus. 422. xxiv.
Viterbii Monaſterium. 358. xxxviii.
Ulmenſe Monaſterium. 435. xvi.
Ulyſſiponenſis Cleri reformatio commiſſa Minoribus. 50. xxxvi.
Vocationis divinæ modi varii. 46. xxviii.
Uratiſlavienſis Conventus. 422. xxiii.
Urbanus VIII. non ſuſpendit anno Jubilæi Indulgentiam Portiunculæ. 58. iv. v.
Urſula Formicina Clariſſa commendatur. 358. xxxviii.
Wenceslaus Rex Pragæ conſtruit Conventum Minoribus. 363. i.
Wilhelmus Minorita laudatur. 424. xxxii. pro Damianitis privilegia impetrat. ibid.
Winochus Hondeſcatanus. 361. xlii.

Y

Yochellenſis Conventus. 350. xx.

Z

Zaccarias S. Franciſci ſocius. 53. xli. ejus virtutes. ibidem.
Zamorenſe Monaſterium. 229. xxxiii.
Zonæ Auguſtinenſium, & Minoritarum differentia. 473. xxvii.

IN-

Digitized by Google

INDEX BULLARUM

Quæ in hujus ſecundi Tomi Regeſto continentur.

Numerus Arabicus indicat paginam, Romanus vero per ordinem poſitas Bullas.

ANimarum ſalutem. *Gregorii IX.* 609. XVI.
Ardens, & illuminans. *Ejuſdem*. 613. XXII.
Cœleſtia quærentibus. *Ejuſdem*. 616. XXVI.
Cum dilecti. *Ejuſdem*, 605. VI.
Cum jam per ejus gratiam. *Ejuſdem*. 636. XLVI.
Cum illorum. *Ejuſdem*. 604. V.
Cum Meſſis multa. *Ejuſdem*. 609. XVII.
Cum olim bonæ memoriæ. *Ejuſdem*. 619. XXX.
Cum olim bonæ memoriæ. *Ejuſdem*. 620. XXXI.
Cum qui recipit. *Ejuſdem*. 626. XXXIX.
Cum relicta. *Ejuſdem*. 625. XXXV.
Cum ſicut propoſitum. *Ejuſdem*. 645. LVII.
Cum Ven. Frater noſter. *Ejuſdem*. 628. XXXVIII.
Deteſtanda humani generis. *Ejuſdem*. 602. II.
Devotionis veſtræ. *Ejuſdem*. 608. XIV.
Ei qui eſt cogitationum. *Ejuſdem*. 618. XVIII.
Etſi omnium illa cura. *Ejuſdem*. 643. LV.
Ex parte tua. *Ejuſdem*. 610. XVIII.
Filius ſummi Regis. *Ejuſdem*. 622. XXXIII.
Filius ſummi Regis. *Ejuſdem*. 624. XXXIV.
Gratum gerimus. *Ejuſdem*. 600. XIX.
Hoſpitale in Marpurg. *Ejuſdem*. 606. VIII.
Ille dulciſſimus. *Ejuſdem*. 612. XXI.
In his quæ ad cultum. *Honorii III.* 600. III.
Ita vobis. *Gregorii IX.* 608. XIII.
Juſtis petentium. *Ejuſdem*. 616. XXVII.
Juſtis petentium. *Ejuſdem*. 626. XXXVII.
Licet ex ſuſceptæ. *Ejuſdem*. 607. XII.
Licet quibuſdam. *Ejuſdem*. 640. LII.
Licet velut ignis. *Ejuſdem*. 644. LVI.
Nimis patenter. *Ejuſdem*. 601. I.
Non deberent. *Honorii III.* 600. II.
Non ſolum in favorem. *Gregorii IX.* 637. XLVIII.
Nos attendentes. *Ejuſdem*. 603. III.
Omnipotens Deus. *Ejuſdem*. 646. LIX.
Pro Monaſterio. *Ejuſdem*. 608. XV.
Prudentibus Virginibus. *Ejuſdem*. 632. XLIII.
Prudentibus Virginibus. *Ejuſdem*. 645. LVIII.
Quia populares tumultus. *Honorii III.* 599. I.
Quia proni ſunt. *Gregorii IX.* 607. XI.
Quia ſenſus hominis. *Ejuſdem*. 614. XXIII.
Quieti veſtræ. *Ejuſdem*. 637. XLVII.
Quoniam diebus his. *Ejuſdem*. 614. XXIV.
Quoniam ut ait Apoſtolus. *Ejuſdem*. 605. VII.
Quo vos. *Ejuſdem*. 625. XXXVI.
Receptis affectione. *Ejuſdem*. 641. LIII.

Reco-

Digitized by Google

Recolentes. *Gregorii IX.* 604. IV.
Religioſam vitam. *Ejuſdem*. 620. XXXII.
Religioſam vitam. *Ejuſdem*. 628. XL.
Religioſam vitam. *Ejuſdem*. 629. XLI.
Religioſam vitam. *Ejuſdem*. 633. XLIV.
Religioſam vitam. *Ejuſdem*. 635. XLV.
Religioſam vitam. *Ejuſdem*. 638. XLIX.
Religioſam vitam. *Ejuſdem*. 639. L.
Religioſam vitam. *Ejuſdem*. 640. LI.
Significante dilecto. *Ejuſdem*. 612. XX.
Solet annuere. *Ejuſdem*. 619. XXIX.
Teſtes legitimi. *Ejuſdem*. 606. X.
Volentes ut Monaſterium. *Ejuſdem*. 606. IX.
Ut cum majori. *Ejuſdem*. 616. XXV.
Ut intemerata. *Ejuſdem*. 642. LIV.

FINIS TOMI SECUNDI.

Menda, quæ in hujus ſecundi Tomi editionem irrepſerunt, Benevole Lector ita corriges.

Pag. 2.	num. I.	ab bonum	ad bonum
6.	num. X.	proclambat	proclamat
26.	num. XXXVII.	hæc	hic
45.	num. XXVII.	Comitatis	Comitatus
63.	num. XII.	hæc	hæ
87.	num. VII.	eum veniret	cum veniret
129.	num. VII.	mangnificum	magnificum
148.	num. XXI.	neqe	neque
149.	num. XLV.	ali quo	aliquo
169.	num. XII.	augumentum	augmentum
170.	num. XIV.	S. Thoma	S. Thomas
210.	num. LXXXVIII.	ab bonam	ad bonam
241.	XI.	coaptatus	cooptatus
254.	num. XXVI.	prænunumerata	prænumerata
258.	num. I.	infaticabili	infatigabili
267.	num. XXXIII.	Abba	Abbas
269.	num. XXXVII.	incumbuit	incubuit
273.	num. XLVII.	caſtellanos	caſtellanis
275.	num. LII.	Prolomeo	Ptolomeo
279.	num. I.	ſtipatus	ſtipatos
285.	num. XII.	illa	ulla
294.	num. XXVIII.	patrociniis	patrocinii
302.	num. XXXVI.	ſommo	ſomno
358.	num. XXXIX.	Modocien.	Modoetien.
375.	num. XX.	ſectatoribus	ſpectatoribus
380.	num. XXVII.	tondentur	tonduntur
382.	num. XXX.	imminuet	imminuat
398.	in titulo chronol.	Friderici anno 28.	anno 25.
ibidem.		Religionis Min. ann. 25.	anno 28.
409.	num. XXXVI.	Galeradi	Gallarati
443.	num. I.	non eſt cujus	non eſt cur
487.	num. XVI.	magius	magis
491.	num. XXV.	qua	quo
510.	num. XV.	quas affigis	quas notas affigis
511.	num. I.	audiebat	audiebatur
512.	num. III.	probentur	probantur
523.	num. IV.	Joanni Boni	Joanni Bono
524.	num. V.	vocabant	vocabantur
560.	num. XIV.	prædicta ſalubriter	prædicta quæ ſalubriter

S. P. Sententia pag. 129. n. 6 ad medium

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google